MEDULLA

THEOLOGIAE DOGMATICAE.

AUCTORE

H. HURTER S. J.

S. THEOLOG. ET PHILOS. DOCTORE, EJUSDEM S. THEOLOG. IN C. R. UNIVERSITATE OENIPONTANA PROFESSORE P. O.

CUM APPROBATIONE CELSISSIMI ET REVERENDISSIMI EPISCOPI BRIXINENSIS ET FACULTATE SUPERIORUM.

EDITIO ALTERA.

OENIPONTE.
LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.

PARISIIS
APUD BLOUD ET BARRAL.

1885.

H. F. Münster (W. Goldschagg) Veronae, Coëditor.

Londini: David Nutt; — Madriti: Miguel Olamendi; — Bruges: Beyaert-Storie.

Oeniponti, Typis Wagnerianis.

Prolegomena.

I. *Theologia* ex ipso nominis etymo est sermo seu *doctrina de Deo.* Vulgatissima tamen acceptione[1]) theologiae nomine non tantum intelligitur doctrina de Deo, sed etiam doctrina, quae alia praeter Deum contemplatur, omnia scil. ea, quae *divina revelatione continentur.*

II. Ut autem sacrae *theologiae* ratio, indoles et amplitudo accuratius perspiciatur, *tria* praesertim considerari possunt: ejus scil. *fons,* unde suas haurit cognitiones; *objectum,* quod contemplatur; et *modus,* quo circa illud versatur. Ratione **1.** *fontis* et luminis distingui potest in theologiam *naturalem,* quae philosophiae est pars, si scil. *sola ratio* fons est cognitionis: et *revelatam* seu supernaturalem, si *revelatione* utitur duce et magistra. Theologiae **2.** *objectum* est, ut diximus, *Deus,* et pro magis vulgata et laxiori acceptione *universum fidei christianae objectum,* unde ratione objecti *scientia fidei* dici posset. Potest enim universum fidei *objectum* revocari *ad Deum:* „nam omnia pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium et finem.“ ut inquit s. Thomas 1. p. q. 1. a. 7; vel omnis revelatio refertur „ad Deum secun-

---

1) *Quadruplex* theologiae acceptio distingui potest; *strictior*, qua significat doctrinam de *solo Deo* uno et trino; *lata,* qua significat scientiam fidei seu eorum quae *credenda* sunt, quae theologia *dogmatica* appellari solet; *laxior* et vulgatior, et ita significat scientiam *revelationis*, sive scientiam, quae pro objecto habet quidquid docet revelatio christiana sive ad fidem sive ad mores spectans. Quarta tandem significatione eaque *latissima* complectitur quoque omnes disciplinas *auxiliares*, quae connexae sunt cum revelationis objecto, cujusmodi sunt *introductio* biblica, *hermeneutica, archaeologia* biblica vel christiana, *historia* ecclesiastica, *patrologia* etc., quae juvant ad fidem christianam tuendam atque illustrandam.

dum se et ut assequibilem a nobis" (Lugo *de fide* disp. 3. s. 1. n.15); vel ea exhibet nobis Deum secundum se aut secundum suas ad extra communicationes. Jam vero **3.** circa revelationis objectum *triplici* praesertim modo versari potest theologus. Potest enim **a.** singulas veritates revelatas et credendas seu fidei dogmata e revelationis fonte *eruere* et probare; **b.** erutas *defendere* adversus fidei hostes horumque refellere errores; **c.** statutas et propugnatas pro viribus *illustrare*. Pro *triplici* hoc munere theologia, quae circa dogmata versatur seu *dogmatica*, distinguitur in *positivam, polemicam* et *scholasticam*.

III. Theologia positiva *pro varietate fontis* seu canalis, quo revelationis depositum continetur et ad nos derivatur, et ex quo proinde sua argumenta depromit ad singula dogmata ponenda seu probanda, distingui iterum poterit in *biblicam* seu *exegeticam* (cui tamquam disciplinae auxiliares subjiciuntur introductio, archaeologia, hermeneutica etc.), *patristicam, synodicam, symbolicam, liturgicam* etc. Sunt tamen, qui subinde alia significatione nomina haec accipiant. Theologia vero *scholastica* ea est, quam modo *speculativam* vocamus, quae quidem ibi incipit, ubi desinit theologia *positiva*[1]). „Equidem mera fidei dogmata, ut ait Genér *theol. dogmatico-scholast.* t. 1. prodromi 1. c. 2. n. 7., quae ex munere suo dogmatico-polemica theologia adserit, urget ac vindicat, *scholastica* ex proprio instituto quaestionibus suis amplissime explicat, nitideque elucidat. Illa nimirum mysteriorum *fidem* unice respicit, haec autem eorundem *intelligentiam* et quantum fas est *penetrationem;* illa fidem gignit, haec ipsam nutrit, roborat, illustrat, amplificat; efficit illa ut credas; haec, ut quae credis, capias et lubentius teneas." Quare theologia scholastica a conclusionibus theologiae positivae tamquam a principiis progreditur ad alias conclusiones eliciendas, ut quae in sacris literis et apostolorum traditionibus abdita continentur, ea in lucem quasi e tenebris eruantur. Hinc veritates, quas considerat, analysi subjicit, inter se et cum aliis veritatibus comparat, qua comparatione in multiplicis relationis et nexus cognitionem pervenit, unde veritates revelatas confirmare, analogiis illustrare, ad ordinem harmonicum revocare etc. potest.

IV. Facile autem intelligitur discrimen inter theologiam *revelatam* et theologiam *naturalem*. Differt enim **a.** illa ab hac *fonte,* unde suas

[1]) Klentgen *Theologie der Vorzeit* t. ult. n. 12: „Die Scholastik beginnt erst dort, wo die positive Theologie aufhört; indem sie den Inhalt, welchen die positive Theologie ... aus den Quellen der Theologie ermittelt hat, mit der Speculation bearbeitet, sowohl um weitere Erkenntnisse zu gewinnen, als auch um die schon gewonnenen tiefer und vollständiger aufzufassen.

haurit cognitiones (n. II.); differt **b.** *amplitudine objecti,* longe enim plura speculatur, quam ratio ex sese vel attingere vel conjicere possit. Differt **c.** *certitudine,* nititur enim summa Dei auctoritate; nec non **d.** *dignitate interna,* cum theologia nostra in *fide* fundetur, et a fide pendens hujus characterem supernaturalem participet; quae praerogativa abunde compensat evidentiae defectum, qua philosophia theologiam praecellit (sed in *paucis* tantum veritatibus, cum haud multas tuto et pure philosophia attingat). Propterea etiam theologiae competit praerogativa, ut ad eam pertineat „judicare de principiis aliarum scientiarum: quidquid enim in aliis scientiis invenitur veritati hujus scientiae repugnans, totum condemnatur ut falsum,“ inquit s. Thomas 1. p. q. 1. a. 6 ad 3. Differt quoque **e.** theologia *a fide,* sicut scientia a cognitione ejusdem objecti vulgari et rudi; proinde *non objective,* nisi forte *secundum modum significandi,* quod scil. fides sensu objectivo significet veritates revelatas non habita ratione organismi earum ad invicem; theologia vero directe significet earundem ad invicem organismum. Adverti tamen sedulo debet, tantum esse nexum theologiam inter et fidem, ut nisi illa hac nitatur atque in ea radicetur, vel accuratissimam revelationis cognitionem non tam fore *theologiam proprie dictam christianam,* quam potius scientiam quandam *historicam, archaeologicam, criticam* etc., qualis haberi poterit de quovis systemate religioso ex. gr. manichaeorum, buddhistarum, mohammedanorum etc.

V. Quo vero praestantior est theologia atque uberior ejusdem fructus[1]), eo melior quoque animi dispositio et praeparatio requiritur. Praetermissa ea dispositione, quae intellectus cultura *per sanam philosophiam* continetur, plurimum ad ejus studium conducunt *viva fides,* nam „tanto quisque facilius, inquit s. Augustinus *de agone christ.* c. 13., aliquid proficiendo cognoscit, quanto religiosius, antequam cognosceret, Deo credidit;“ *fervens oratio,* nam *si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter* (Jac. 1. 5); *humilitas,* si enim *Deus* generatim *humilibus dat gratiam* (Jac. 4. 6), nominatim mysteria divinae suae sapientiae abscondit alte sapientibus et superbis, eaque revelat parvulis i. e. humilibus (Matth. 11, 25.); denique *puritas cordis* secundum illa Christi verba: *Beati mundo corde, quo-*

---

[1]) Qui diligenter et ut par est, studuerit theologiae, illi quoque applicare poterit verba Sapientis Sap. 7, 11. s.: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa et innumerabilis honestas per manus illius. Et laetatus sum in omnibus: quoniam antecedebat me ista sapientia, et ignorabam, quoniam horum omnium mater est . . . Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo, qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei, propter disciplinae dona commendati.*

niam ipsi Deum videbunt (Matth. 5, 8). Hanc puri cordis necessitatem haud inepta illustrant patres analogia, oculi scil. corporis, qui vel parum pulvere inquinatus clare videre nequit. Neque mirum, cum enim theologia altissima mysteria speculetur, animum exigit innubem et serenum, liberum proinde a passionum abjectarum tumultu, quas in primis cohibet atque comprimit cordis puritas.

VI. Jam ad varias theologiae *partitiones* accedamus. Theologia est, ut diximus, acceptione vulgatiori *scientia fidei*, vel laxius etiam accepta, scientia *revelationis* seu eorum, quae revelatione continentur[1]). Sed antequam singulae revelationis veritates sive dogmata considerentur, juverit, imo plane necessarium est, ut theologus quaestiones quasdam magis *generales*, praevias atque *fundamentales*, quae ipsam spectant revelationem, attingat, expendat et quam accuratissime tractet, *factum* scil. *revelationis* fontesque ejusdem, ex quibus deinde singulorum dogmatum notitiam, arma ad ea tuenda, lumina etiam ad ea declaranda haurire possit. Hinc sponte sua consequitur partitio theologiae in theologiam *specialem*, quae specialia considerat dogmata ex revelatione hausta. et in theologiam, quae versatur circa ipsum revelationis factum, quod cum *fundamentum* sit theologiae specialis, pars haec theologiae praevia versans circa ipsum revelationis factum jam ab aliquo tempore theologia *fundamentalis* audit. Porro cum theologiae (specialis) objectum, ut supra diximus, sit *Deus* secundum se aut secundum suas ad extra communicationes, hae vero apte revocentur ad *creationem, redemptionem* et *sanctificationem* cum *consummatione* finali, haud inepte omnis theologiae specialis materia ad haec, tamquam ad suprema revocari poterit capita: de Deo *uno* et *trino*, de Deo *creante* et *elevante*, de Verbo *incarnato* et *de redemptione*, de Deo *sanctificatore* et *consummatore*. Theologiae autem speciali quatuor quaestiones principales praemitti possunt, quae cum universim revelationem attingant atque fundamentales dici mereantur, materiem constituent theologiae *generalis* seu *fundamentalis*. Quaestiones praeviae porro hae sunt: **1.** Utrum *exstet* aliqua revelatio? cui respondebit *apologia religionis christianae*. Cum vero Christus, qui auctor revelationis demonstratur disputatione hac prima, non amplius visibilis in terris degat, sponte sua oritur quaestio **2.** quem sibi substituerit ad suam doctrinam coelitus allatam ad posteras generationes aliosque populos transfundendam? huic vero

[1]) Revelatione continentur *credenda et agenda*, seu quae spectant *ad fidem* et *ad mores*, ut solent distinguere theologi cum concilio tridentino sess. 4. Mores seu agenda spectant ad theologiam *practicam*, credenda et fides ad theologiam *dogmaticam*, quae proprie et per excellentiam *theologia* nuncupatur.

respondebit disputatio altera *de Ecclesia*. Sed quaeres **3.** quomodo in hac ipsa Ecclesia transfundatur de generatione in generationem revelationis depositum, per quos veluti canales ad nos usque decurrat haec aqua coelestis doctrinae? et respondetur disputatione tertia, hos canales vel si vis fontes esse *Scripturam* et *traditionem*[1]). Denique **4.** quaerere licet, quinam sit habitus inter rationem et revelationem, quae genesis illius actus, quo homo rationalis revelationem Dei loquentis in se suscipit atque amplectitur, quique *fides* dicitur? hanc porro quaestionem illustrabit disputatio *de fidei genesi et regula*.

---

1) *Locorum theologicorum* nomine veniunt argumentorum sedes ac veluti domicilia, ut loquitur Canus, tractatus *de locis theologicis* velut parens, ex quibus theologi omnes suas argumentationes sive ad confirmandum sive ad refellendum inveniunt. Quare cum theologia nostra revelatione innitatur, haec vero Scriptura et traditione, ut diximus, contineatur, Scriptura et traditio loci theologici erunt; sed quia traditio multiplici veluti canali transmittitur, ut infra ostendemus n. 117. ss., traditionis locus in *plures* dividitur. Cum vero theologus in probandis vindicandisque dogmatibus non sine causae catholicae commodo aliis quoque juvari possit disciplinis, quae ratione nituntur, idcirco praeter locos theologiae *internos*, proprios et necessarios, loci quidam *subsidiarii* et *externi* admitti solent. Quamvis autem circa rem omnes theologi conveniant, in designandis, distinguendis et enumerandis locis theologicis inter se subinde dissentiunt, cum alii pauciores, plures alii, decem scil. vel tredecim et ultra assignent.

Theologia generalis.

Tractatus I.

Revelationis christianae Apologia.

1. Ad refellendos incredulos, contra quos in primis instituitur haec disputatio, satis esset factum revelationis per Christum demonstrasse; quo comprobato sponte sua consequitur, revelationem et *possibilem* et *utilem* et *convenientem* esse. Non una tamen de causa antequam de ipso *revelationis facto* agemus, quasdam *revelationis dotes* expendemus.

Sectio I.

De nonnullis revelationis divinae proprietatibus.

2. Quatuor de revelatione divina quaeri possunt, quae etiam in dubium vocari solent ab incredulis scil. utrum ea sit *possibilis,* utrum *necessaria* vel saltem *utilis,* utrum *dignosci queat;* quare paucis demonstranda nobis est revelationis *possibilitas, necessitas, utilitas* et *cognoscibilitas.*

Caput I.

De revelationis possibilitate et convenientia.

3. **Thesis I.** ***Mysteriorum revelatio est possibilis.***

Declaratio. *Mysterium* in genere dici potest veritas quaelibet arcana, secreta, quae nos latet et cujus cognitionem per nos vel nullatenus vel non nisi magno cum labore et studio assequi possumus. Veritas autem aliqua *quadruplici* modo latere nos potest. Vel enim **1.** ipsa veritas per se facile intelligi potest, sed ea fugit cognitionem tantum *ex defectu propositionis* seu manifestationis, quae tamen manifestatio vires naturae non excedit, cum aut verbis aut removendo manifestationis obstacula fieri possit. Hac ratione consilia cogitationesque nostrae non manifestatae aliis sunt mysteria; hoc sensu terra vel mare multa recondit mysteria. Vel **2.** veritas est ordinis naturalis, quam assequi possumus quoad ejus *exsistentiam,* non quoad *modum, quo res est;* quo sensu natura plena est mysteriis. Vel **3.** veritas latet nos nulloque medio naturali ad ejus cognitionem pervenire possumus, sed nonnisi per revelationem divinam, qua tamen facta veritas per se satis claret, ut ex. gr. Ecclesiam regendam esse ex voluntate Christi ab uno

quodam praeposito supremo. Vel denique **4.** veritas ita excedit rationem, ut ipsa nonnisi per revelationem cognosci queat, et facta etiam ejusdem revelatione eadem nec **a.** conceptibus propriis apprehendi, nec **b.** modus quo se habeat perspici, nec **c.** ex principiis humanae rationi propriis demonstrari, seu, cur ita sit, intelligi possit[1]). Ejusmodi veritates in primis dicuntur *mysteria*. Ex dictis intelliguntur facile variae *mysteriorum partitiones*, **1.** scil. in *relativa*, quae tantum relate ad certum quendam intellectum ex. gr. humanum sunt mysteria; et *absoluta*, quae mysteria sunt prae quolibet intellectu creato; **2.** in *naturalia*, si veritates latent primo vel secundo modo; et *supernaturalia*, quae quidem **3.** dicuntur *primi ordinis*, si latent quarto modo; quod si tantum tertio modo, mysteria *secundi ordinis*. Mysteriorum revelatio est possibilis, si **1.** sunt mysteria; si **2.** Deus eadem homini manifestare potest. Utrumque docet conc. vaticanum, primum sess. 3. *de fide et ratione* can. 1: „Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari, anathema sit;" alterum can. 2. *de revelatione*, quem cf. n. 9.

4. **Demonstratio p. I.** Haec pars suadetur **1.** argumento *a fortiori*. Quotidiana enim experientia constat, in rerum natura *visibili, creata, finita*, quamque manibus palpamus, esse plurima, quae nos latent nostrumque captum excedunt. A fortiori ergo in natura *invisibili, increata, infinita* erunt plurima, quae ingenii aciem fugiunt captumque superant[2]).

5. Accedit **2.** quod intellectus divinus infinite excedit vim intelligendi humanam. Ergo et objectum cognitionis divinae excedet cognitionis humanae (et angelicae) objectum, seu multa sunt supra et praeter ambitum captumque intellectus humani, quae solus Deus cognoscit. Et sane si doctus intellectu suo longe plura attingit quam rudis, licet illius intellectus vim intelligendi hominis rudis *accidentaliter* tantum *graduque* superet: quanto magis Deus plura attinget, quae

---

[1]) Concilium vatic. sess. 3. cap. 4: „Divina mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino."

[2]) Quod argumentum adversus rationalistas duplici de causa sufficit. Nam quidquid est de futuro, probat saltem fuisse et modo esse plura mysteria, quorum revelatio admodum utilis, imo et necessaria sit. Praeterea si illud undique expendatur, non tantum suadet, sed forte etiam demonstrat, haec mysteria non solum *relative* scil. relate ad statum humani generis minus excultum, non solum *nunc* et *de facto* esse mysteria, sed *absolute* et *natura sua* vim aciemque excedere intellectus creati. Si enim ratio humana per tot annorum millia omni adhibito conatu non potuit rimari tot naturae *creatae* secreta nullumque fecit in eorum consideratione profectum: quanto minus in scrutanda natura *divina* a sensibus creatisque rebus tam remota adeo proficiet, ut omnia clareant?

homini sunt impervia, aciemque ejus et captum effugiunt. Et revera **3.** nisi id concedatur, sequitur vel hominem posse esse omniscium, qua assertione nihil praesumptiosius, vel Deum non amplius esse Deum. Deus enim, quem homo intellectu suo admodum finito adaequate cognoscere, dimetiri, perscrutari potest, et cujus scientia amplior non sit scientia hominis finiti, imperfecti, tot erroribus obnoxii, sane non est infinitus, atque immerito censetur Deus.

6. Quod si **4.** argumentum *ex rei natura* deductum postuletur, illud hac forma proponi poterit: Rei cognitio pendet a cognitione essentiae ejusdem, proinde quo perfectius hanc cognoscemus, eo perfectior rei erit cognitio. Atqui Dei essentiam *imperfecte* admodum et nonnisi analogice cognoscimus; nam **a.** eam cognoscimus non immediate et in sese, sed tantum *mediate*, neque **b.** mediante aliqua ejusdem manifestatione, sicut corpora per eorum qualitates et accidentia, sed tantum per ejusdem *opera* seu *effectus* eosque non univocos, sed *aequivocos*, qui infinite a divina distant perfectione; et hos ipsos effectus **c.** cognoscimus nonnisi ex *minima* parte et **d.** *imperfecte*. Si ergo Deum ex operibus cognoscimus, opera vero Dei vix ex parte mente assequimur, cum haec Dei naturam non exhibeant, sed tenuissime tantum quasdam Dei perfectiones adumbrent: quanta erunt in Deo, quae nos plane latent, ingenii cujusvis creati aciem effugiunt, captum superant, i. e. mysteria?

7. **Demonstratio p. II.** Deo non deesse modum ejusmodi mysteria manifestandi per se patet. Si enim homo potest alteri manifestare suas cognitiones, a fortiori id poterit Deus. Eoque magis quod Deus hominum sit dominus, pater, magister; non deerit ergo omnipotenti in sua sapientia modus, quo tamquam dominus homini servo omnem suam voluntatem manifestare, tamquam pater filio bonitatis suae consilia communicare, tamquam magister discipulum varias utilesque veritates docere possit.

8. Hominem vero revelationis eorum, quae ejus superant captum, non esse incapacem inde patet, quod in veritatis alicujus cognitione varii gradus, plura distingui possint elementa, quae singillatim cognoscantur: in primis *factum* seu rem ita se habere (vel subjecto convenire praedicatum), et *modum*, quo res se habeat. Jam vero quamvis ad perfectam veritatis cognitionem requiratur, ut factum et modum eumque undique ideis claris et non tantum analogicis cognoscamus: tamen sicut melius est *aliquid* quam *nihil* possidere, ita magni semper pretii, utilitatis, jucunditatis est, aliquid saltem de nobilissimo objecto nosse, quam crassa ignorantia laborare.

9. **Thesis II.** ***Revelatio veritatum tam rationalium quam superrationalium humano generi utilis est.***

Demonstratio. „Si quis dixerit, fieri non posse aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei exhibendo edoceatur, A. S.“ Ita conc. vatic. sess. 3. *de revel.* can. 2. Et sane **1.** quaelibet institutio veritatis debet censeri utilis; atqui revelatio est quaedam veritatis institutio; ergo est utilis. Eoque **2.** majoris utilitatis est aliqua institutio, quo sapientior is, qui docet; quo sublimiora majorisque momenti sunt ea, quae tradit; quo aptior magisque ad omnium captum accommodata est methodus, qua in docendo utitur. Atqui revelatione docet ipse Deus, et docet ea, quae summi sunt momenti pro humano genere; methodus autem, qua utitur in hac institutione, exigendo scil. *fidem propter suam auctoritatem* talis est, ut nulla magis sit accommodata generi humano. Quod ut perspiciatur, haec ante oculos habeantur: **a.** duplici via generatim homo acquirere potest veritatis cognitionem, *ratione* et *auctoritate;* **b.** homines *omnes sine ulla exceptione* plurima, imo *pleraque* discunt *via auctoritatis,* huic enim magna ex parte innituntur omnes fere disciplinae, innititur omnis ordo socialis; **c.** major hominum pars propter defectum sive ingenii sive temporis vel propter alia adjuncta praecipuas veritates proprio assequi nequit studio; quocirca nisi eas velit ignorare, credere eas debet auctoritati innixa; sed profecto **d.** auctoritas eo aptior est ad conciliandum sibi assensum et fidem, quo major est quoque magis ab errore immunis. Patet ergo humano generi accommodatissimam esse institutionem per auctoritatem eamque divinam. Cf. *opusc.* VI, 59. annot.

10. Nominatim vero revelatio *mysteriorum* utilis est. Utilis est **1.** *negative,* ea siquidem clare discimus rationem nostram limitibus esse circumscriptam, qua cognitione nil salubrius. Utilis est **2.** ejusmodi revelatio *positive,* quatenus per eam cognitio nostra augetur atque perficitur, solvuntur plurima dubia et problemata maximi momenti, quorum solutio lumen diffundit in alia cognitionum genera; praecipue vero quia multum confert ad sublimiorem de Deo ideam suggerendam. Utilis denique **3.** *practice* est, tum ad fovendam hominis cum Deo familiaritatem, amicis enim manifestantur secreta; tum ad nobilissimum Deo obsequium exhibendum subjiciendo intellectum nostrum auctoritati divinae, qua subjectione profitemur nostram a Deo etiam in ordine intellectuali dependentiam. Cf. conc. vatic. sess. 3. c. 2. *de revel.*

11. Contra mysteriorum revelationem urgent adversarii *autonomiam* et *independentiam rationis,* quae, cum tantum evidentiae lumine pascatur, mysteriorum tenebris consentire nequit. Verum si nomine *autonomiae*

rationis intelligitur ejus praerogativa, qua independens est a qualibet externa vi et coactione nullumque assensum praestare potest vel debet in objectum propositum quin simul reddatur motivum sufficiens immediate vel mediate manifestans ejus veritatem, libenter illam admittimus, quippe quae nullatenus adversatur mysteriorum revelationi; neque enim fides in hanc exigitur *absque sufficienti motivo*, et tota revelationis christianae apologia non est nisi *demonstratio*, quam *rationalis* sit fides christiana. Cf. infra tr. IV. *de genesi fid.* s. 1. et 2. Eo autem sensu rationis autonomiam plane respuimus, quo ratio statuitur prorsus exlex in admittenda dijudicandaque veritate, immunis a quavis altiori norma et auctoritate. Nam **1.** ejusmodi praerogativa adversatur inductioni universali, omnes siquidem universi partes, quin imo facultates hominis omnes suis reguntur legibus. Censeri ergo nequit sola ratio humana exlex. Neque mirum **2.** cum exlegem et autonomum esse illi soli competat, qui est a se, plane independens, sibi in omnibus sufficiens, fons omnis veri atque ipsa indefectibilis rectitudo, quod nullatenus competit rationi humanae, quae undequaque dependet. Et sane **3.** pendet ratio quaevis creata a suo objecto, a legibus dialecticae, quas sibi ipsa non imposuit, et a ratione increata, cujus est tantum ectypus et adumbratio tenuis; pendet a fonte omnis veritatis, neque enim ipsa veritatis est fons, sed illius tantum speculum sat languidum. Quare explodenda est rationis autonomia, quae omnis institutionis sit impatiens omnisque fidei ipsi veritatis fonti exhibitae. Quare merito statuit conc. vatic. sess. 3. *de fide* can. 1: »Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit, A. S.«; et cap. 3: »Quum homo a Deo tamquam a Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur.«

Caput II.

De revelationis necessitate.

12. Revelationem esse *necessarium* ad cognoscenda *mysteria* proprie dicta patet ex mysterii ipsius notione (n. 3.), cum eorum ne exsistentiam quidem sola rationis acie assequi possimus. Necessaria quoque est *in hypothesi elevationis* hominis ad finem *supernaturalem*. Qua in hypothesi homo debet nosse **a.** hunc finem, ut in ipsum tendere possit; **b.** voluntatem Dei ipsum destinantis in hunc finem, alioquin serio eum appetere nequit, cum eo ipso quod *supernaturalis* sit, omnem hominis exigentiam excedat; debet nosse **c.** media et conditiones illum assequendi. Atqui haec nullo modo cognosci possunt absque revelatione, quia ea pendent a libera Dei voluntate; et sicut libera hominis consilia citra ipsius hominis manifestationem a priori cognosci nequeunt, ita a fortiori neque possunt libera Dei consilia circa supernaturalem hominis destinationem absque speciali revelatione nobis innotescere. Specialis vero est quaestio, *utrum* etiam aliqua *veritatum rationalium revelatio* humano generi *sit necessaria*.

13. **Thesis III.** ***Ad cognoscendas omnes ordinis moralis veritates aliquod adjutorium Dei divinaque revelatio humano generi est necessaria.***

Declaratio. Non loquimur **1.** de *singulari* aliquo homine, sed *de humano genere.* Etiamsi enim concederemus, singularem aliquem hominem eximio praeditum ingenio felicissimis in adjunctis omnes naturalis ordinis veritates discere posse, non sequitur propterea idem posse *genus universum.* Non loquimur **2.** *de singulis veritatibus,* sed *de toto complexu veritatum rationalium,* quae necessariae sunt, ut homo vivat vitam homine dignam, moralem, religiosam, qualem exigit ordo naturalis. Non loquimur **3.** de cognitione *quacunque, dubia, probabili, conjecturali,* quae ad vitam moralem *constanter* agendam non sufficit, sed de *certa firmaque.* Non dicimus **4.** hominem carere facultate *physica* ad has omnes cognoscendas veritates, sed eam tot praepedire difficultatibus et obstaculis, ut nunquam ex se actuetur, seu ut nunquam homines proprio studio atque industria actu omnes cognoscant veritates[1]. Non contendimus **5.** Dei revelationem esse necessariam, sed tantum *aliquod Dei adjutorium;* cum vero divinae omnipotentiae plura praesto sint adjutoria, ex eventu autem pateat, inter succurrendi media Deum elegisse revelationem, jam ipsa revelatio dici poterit necessaria.

14. **Demonstratio.** Historia teste constat, homines revelatione destitutos per tot annorum millia praecipuas ignorasse ordinis moralis veritates, vel saltem de illis dubitasse. Quod factum indubium satis probat, illarum cognitionem ita esse impeditam, ut citra Dei interventum haberi nequeat. Accedit ratio a priori, quam suggerit s. Thomas l. 1. c. 4. *contra gentes.* Ad cognitionem harum veritatum certam requiruntur plures conditiones, tempus scil., otium, studium, ingenium, institutio apta etc. Atqui major hominum pars his destituitur, nam plures moriuntur in juventutis flore, cum jam oporteret veritates has novisse; a primo enim rationis usu quilibet cogitare debet de altera vita, servare legem naturae et instituere vitam homine

[1] Haec *impotentia* proinde, quam statuimus, in aliis quidem est *moralis,* in aliis *physica:* quae quidem physica impossibilitas in his non oritur ex *intrinseca* natura facultatis, quae potestatem physicam habet ad actum, ut bene advertit Palmieri in sua lithographia *de gratia* p. 217., sed procedit ex defectu physicae *conditionis,* quae postulatur ad actum: quare dici potest impotentia physica *per accidens* et ab *extrinseco.* Talis est impotentia in pueris ex imperfectione organorum, a quorum ministerio activitas intellectus extrinsecus saltem pendet, ex defectu cognitionum praeambulorum, ex brevitate vitae: organorum enim perfectio, cognitiones praeviae, tempus et otium conditiones sunt physicae et necessariae, ut intellectus humanus has veritates possit cognoscere.

dignam. Alii carent otio, laborant ingenii tarditate, praepediuntur a discendo occupationibus domesticis.

15. Neque quis dicat, haec tantum probare majorem hominum partem has veritates discere debere *via auctoritatis*, quae humano generi adeo est accommodata; ideoque rudes eas discere posse per sapientum institutionem, neque statim recurrendum esse ad Dei interventum, cum ipse Deus velit hominibus consulere *per homines*. Cui exceptioni respondemus, institutionem humanam non sufficere, ut homines *certo* et *tuto* has veritates discant; quare cum homines neque per se, neque per alios in earum pervenire possint cognitionem, restat tantum Dei interventus. Et revera constat **1.** philosophos veteres (idem dicatur de recentioribus incredulis) vel dubios haesisse vel dissensisse de *praecipuis* ordinis moralis veritatibus; ut *de Dei exsistentia*, de *animi immortalitate* etc. Atqui magisterium *dissonum* et de praecipuis veritatibus, quas docere deberet, *dubium*, aptum non est ad gignendam *firmam* persuasionem et fidem. Sed etiamsi **2.** philosophi inter se consensissent, non fuissent ipsi idonei ad alios instituendos, quia eorum vita dissona plane erat a doctrina. Verum **3.** ponamus philosophos inter se de praecipuis ordinis moralis veritatibus consensisse, conspirasse quoque eorum vitam cum praeceptis, »sed nihil ponderis, advertit Lactantius *div. instit.* l. 3. c. 27., habent illa praecepta (ab ipsis tradita), quia sunt humana et auctoritate majori, id est divina illa carent. Nemo igitur credit, quia tam se hominem putat esse qui audit, quam est ille qui praecipit,« carent scil. philosophi *authentica* missione. Merito igitur Pius IX. reprobavit *Syllabi* prop. 3: »Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominem ac populorum bonum curandum sufficit.«

16. **Corollarium.** Quod si omnia suadent, humanam rationem sibi non sufficere atque nunquam suffecisse ad tuto ac certo cognoscendas omnes naturalis ordinis veritates, hinc aliquem Dei interventum esse necessarium, tenebitur homo, si sibi consulere velit, inquirere, utrum Deus aliquo modo providerit humano generi atque aliquam forte dederit revelationem. »Si enim Dei providentia, inquit ad rem Augustinus *de utilit. cred.* n. 34., non praesidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum. Sin vero et species rerum omnium, quam profecto ex aliquo verissimae pulchritudinis fonte manare credendum est, et interior nescio quae conscientia Deum quaerendum Deoque serviendum meliores quosque animos quasi publice privatimque hortatur: non est desperandum ab eodem ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam, quo velut gradu certo innitentes, attollamur in Deum.«

17. Cum autem tot errorum portenta revelationis sibi nomen usurpent et jura, opus erit criteriis, quibus Dei loquelam a spuriis revelationibus discernamus.

Caput III.

De revelationis divinae criteriis.

18. Ut revelatio agnosci eique tuto credi possit, criteria quaedam necessaria esse, non solum non negant fideles, sed ultro increduli concedunt, atque etiam data opera tuentur.

Ea autem multiplicis sunt generis. Alia sunt *interna*, *externa* alia. Criteria interna sunt characteres quidam, notae atque praerogativae ipsi doctrinae inhaerentes, quae divinam doctrinae propositae manifestant originem, eaque partim sunt *negativa*, partim *positiva*. Criterium internum *negativum* illud est, cujus praesentia probat tantum, propositam doctrinam *posse* esse revelatam et cujus defectus evidenter ostendit doctrinam propositam non esse revelatam; ejusmodi est ex. gr. non repugnantia cum sana ratione vel cum morum honestate. Criterium vero internum *positivum* illa est doctrinae propositae dos et excellentia, quae sua praesentia originem prodit coelestem; cujusmodi esse potest doctrinae sublimitas, sanctitas, mira efficacia. Criteria *externa* consistunt in quibusdam factis sensibilibus, quae doctrinam propositam comitantur, quae cum sint originis divinae, ipsam doctrinam, quam veluti stipant, divinae esse originis declarant; ejusmodi sunt in primis *miracula* et *vaticinia*. Quamvis autem non spernamus criteria interna, multum enim juvare et prodesse possunt iis, qui vel sagacis sunt ingenii, vel qui jam credunt, ut magis magisque confirmentur in fide, *ea* tamen *minus sunt opportuna et apta* ad *tuto* cognoscendam veram revelationem. Sunt enim **1.** satis *ambigua* et *incerta*; nam quis determinabit sublimitatis gradum, qui requiritur, ut aliqua doctrina non sit amplius inventionis humanae; sed revelationis tantum divinae? Sunt **2.** *subjectiva*, hinc sat arbitraria; quod enim videtur uni sublime, alteri videbitur vulgare et quotidianum; imo absurdum et contradictorium. Eadem **3.** *paucis* sunt *accommodata*, cum exculto tantum ingenio plerumque innotescant. Contra criteria externa, cum in oculos incurrant ac manibus veluti palpari possint, omnibus sunt accommodata, magis certa. Quocirca videmus populos quovis tempore miraculis aliisque criteriis externis magis, quam criteriis internis, ad fidem fuisse inductos[1]). Merito ergo conc. vaticanum sess. 3. cap. 3. *de fide* docet: »Ut fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus s. auxiliis externa jungi revelationis suae argumenta, facta scil. divina atque in primis miracula et prophetias, quae quum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrant, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata.«

19. Porro de *miraculis* sancit conc. vatic. sess. 3. *de fide* can. 4: „Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proinde omnes de iis narrationes etiam s. Scriptura contentas inter fabulas vel mythos ablegandas esse, aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari, A. S." *Miraculum* a s. Thoma[2]) definitur: *Effectus, qui divinitus fit praeter ordinem communiter servatum.* Duo sunt in primis miraculi characteres. Debet

---

[1]) Conc. vatic. sess. 3. *de fide* can. 3. »Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere, A. S.«

[2]) *Contra gentes* l. 3. c. 101. Cf. praeterea 1. p. q. 105 et 110; *de potentia* q. 9; et de notione miraculi *Stimmen aus Maria-Laach* 1875. fasc. 1: Heinrich *dogmatische Theologie* t. 1. §. 41; Reinerding *theol. fundam.* l. c. cap. 8.

illud esse effectus **1.** *supernaturalis,* qui scil. excedat *vires* et *exigentiam* naturae; **2.** *extraordinarius,* qui sit praeter ordinem communiter servatum i. e. praeter leges, quibus *praesens rerum ordo* regitur. Ex defectu prioris characteris terrae motus, quamvis eventus extraordinarius, non est miraculosus; ex defectu alterius justificatio per baptismum, transubstantiatio, licet sint effectus supernaturales, non dicuntur miracula, quamvis et alia ratio (secundaria) reddi possit. Exigunt enim **3.** nonnulli theologi, ut miraculum sit eventus *sensibilis* in oculos incurrens, ratione habita *finis* miraculi, qui in eo situs est, ut excitet attentionem, *admirationem* (unde et miraculi nomen traxit), ut sit *signum* divinum.

20. Ratione *prioris* characteris distinguuntur miracula in ea, quae naturae vires superant aut ratione *sui,* aut ratione *subjecti,* aut ratione *modi,* quam distinctionem s. Thomas 1. p. q. 105. a. 8. ita explicat: »Excedit aliquid facultatem naturae *tripliciter; uno* modo quantum ad *substantiam facti,* sicut quod duo corpora sint simul, vel quod sol retrocedat, aut quod corpus humanum glorificetur, quod nullo modo natura facere potest. *Secundo* aliquid excedit facultatem naturae non quantum ad id, quod fit, sed quantum ad id, *in quo* fit. Sicut resuscitatio mortuorum et illuminatio coecorum et similia. Potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo, et potest praestare visum, sed non coeco. *Tertio* modo excedit aliquid facultatem naturae quantum ad *modum* et *ordinem faciendi.* Sicut cum aliquis subito per virtutem divinam a febre curatur absque curatione et consueto processu naturae in talibus, ut cum statim aër divina virtute in pluvias densatur absque naturalibus causis . . . et hujusmodi tenent infimum locum in miraculis.« Ratione *alterius* characteris, vi cujus miracula sunt effectus *praeter* ordinem communiter servatum, distinguuntur in ea, quae sunt vel *supra,* vel *contra,* vel *praeter naturam* seu *leges naturae.* Cf. Thomas *de potentia* q. 2. a. 6. *Vaticinium* definitur: praesensio et praedictio certa futuri alicujus eventus, qui in causis naturalibus praesciri non potest.

21. **Thesis IV.** ***Miracula et vaticinia, quae possibilia omnino sunt, criterii rationem habent, quo revelatio agnoscatur divina, et ab effectibus naturalibus, si non semper singillatim, saepe tamen, praesertim si plura concurrunt, tuto dignosci possunt.***

Demonstratio p. I. Admissa semel Dei exsistentia, quam in hac disputatione supponimus, miraculorum possibilitas absurde negatur. Deus enim **1.** potentia infinite excedit id omne, quod non est Deus, omnemque naturae creatae virtutem. Poterit ergo pro lubitu facere quae sunt supra et hinc etiam contra consuetum naturae ordinem i. e. miracula; eoque magis, quod ad ea patranda saepe sufficiat naturae vires elidere vel vincere; qua ratione vel ipse homo plura potest, quae sunt supra vel contra naturam se inferiorem. Et sane **2.** miracula eatenus tantum impossibilia affirmari possunt, quatenus negatur vel **a.**

omnipotentia Dei et Deus asseritur dependens a legibus naturae; vel quatenus **b.** negatur dependentia hujus ordinis naturalis a Deo; vel quatenus **c.** statuitur hic ordo naturae unice possibilis. Quaevis vero harum hypothesium est absurda. Hinc **3.** videmus homines omnium gentium, aetatum et locorum in necessitatibus constitutos ad Deum precibus recurrere. ut ipse pericula avertat, in adversis juvet, beneficia conferat. Natura ergo ipsa duce censent, Deum non ita obnoxium esse hujus universi legibus, ut non pro lubitu praeter et supra consuetum naturae ordinem possit efficere quidquid velit, proinde etiam patrare ejusmodi opera, quibus miraculi characteres conveniant. Et revera **4.** argumenta, quae magno eruditionis apparatu ab incredulis duce in primis Spinoza afferri solent contra miraculorum possibilitatem, sunt adeo infirma et futilia, ut ipse Bayle in *dictionario* art. Spinoza fateatur, ea nonnisi lusum esse verborum; innituntur enim omnia vel *pantheismo* vel *atheismo* vel quod idem est *fatalismo*.

22. Neque vero **5.** contra miraculorum possibilitatem excipiatur, ea fieri non posse, tum quia naturae leges sint immutabiles, tum quia si fierent, hoc Deum argueret in suis consiliis mutabilem et ejus opus imperfectum, quod miraculi emendatione veluti indigeat. Nam omnia, quae fiunt praeter vel supra naturae leges, leges ipsas non mutant; quae vero contra leges ordinis naturalis contingunt, non legum mutationem sed suspensionem tantum supponunt; poterit autem Creator leges a se positas suspendere, qui subtracto concursu et conservatione potest efficere, ut illae penitus cessent. Et si homo persaepe potest virium naturalium impetum elidere atque impedire potentia sua quantulacunque, quanto magis poterit idem Deus sua omnipotentia? Ceterum neque verum est omnes leges naturae ita esse immutabiles, ut sint plane necessariae ac propterea plane independentes a Creatoris nutu. Quod alteram exceptionis partem spectat, inepte affirmatur Deus mutabilis, si patret miracula. Eodem enim decreto aeterno, quo hunc rerum statuit ordinem, decrevit quoque se praeter illum quod sibi videretur patraturum. Multiplex vero sapientissimaque assignari potest ratio, quare Deum deceat patrare miracula, scil. **a.** ut suam a naturae legibus independentiam ostendat; **b.** ut homines quibus quotidiana viluerunt excitet; **c.** ut auctoritatem suis conciliet legatis; **d.** ut mysteriorum revelationem apposito veluti sigillo communiat.

Facilius etiam probatur *vaticiniorum* possibilitas. Haec enim tantum Dei praevisionem actuum futurorum liberorum supponit, quam Deo competere vel ipsa sana ratio docet, testatur populorum consensus, qui se oraculorum consultatione prodidit.

23. **Demonstratio p. II.** Miracula, si in alicujus doctrinae confirmationem fiunt, *sigilli rationem* habere, quo divina illius origo seu veritas comprobetur, ita probari potest: Nequit Deus testimonio suo doctrinam confirmare mendacem. Atqui si ipse ad invocationem illius, qui doctrinam mendacem tamquam divinam proponit, patraret mira-

culum i. e. effectum, qui ordinem a se constitutum excedit, quem proinde ipse solus potest producere, eo ipso concurreret modo plane divino ad confirmandum mendacium. Ergo si qua doctrina miraculo confirmatur, miraculum censeri debet testimonium ipsius Dei pro illius doctrinae veritate, sicut sigillum diplomati appositum huic conciliat auctoritatem regiamque manifestat originem, eoque magis quod homines communi consensu miraculum pro divino habent testimonio.

24. **Demonstratio p. III.** Non deerunt forte, qui concedant miracula esse et possibilia et revelationis divinae criteria, sed contendant, nunquam nos posse *tuto* distinguere verum miraculum ab effectu mere naturali, ideoque nunquam nos tuto ex miraculis dignoscere posse doctrinam aliquam revelatam. Excipere enim possent: Miraculum ex dictis effectus est, qui et naturae vires excedit atque praeter consuetas contingit leges. Atqui ut possimus cognoscere effectum, qui naturae vires excedit quique praeter consuetum naturae ordinem contingit, nosse deberemus et omnes naturae vires et omnes ejusdem leges, quod nulli mortalium est datum. Nunquam ergo tuto miraculum agnoscere possumus.

25. Verum hac speciosa exceptione non obstante contendimus, *tuto* nos posse discernere miracula ab effectibus mere naturalibus, si non *singula, saltem si plura concurrunt:* si non *omnibus in adjunctis,* saltem *certis in adjunctis,* ut si in confirmationem alicujus doctrinae fiunt. Et **1.** quidem ad propositum argumentum respondemus, illud esse *captiosum.* Necesse enim non est, *omnes* positive cognoscere vires et leges naturae, ut *tuto* affirmare possimus eventum aliquem esse supra vel contra easdem; persaepe sufficit cognoscere, quoadusque naturae vires *non pertingant,* et legem illam naturae, quae hisce in adjunctis deberet servari. Ita constanti experientia tenemus, ignem comburere, neque homines in eo posse servari; si ergo videmus, tres juvenes in fornace babylonica non comburi, sed servari incolumes, manifestum est, aliquid fieri contra naturae legem.

26. Ad haec **2.** ipsa divina majestas, bonitas et providentia exigit, ut sigillum et testimonium divinum secerni possit a sigillis confictis et spuriis. Atqui miracula rationem habent sigilli et testimonii divini, si fiunt in confirmationem alicujus doctrinae (n. 23). Ergo saltem eo in casu, quo miracula patrantur in confirmationem alicujus doctrinae ut ex. gr. christianae, exigit divina providentia, ut tuto possint discerni a signis mendacibus.

Et revera **3.** omnem fraudis suspicionem excludunt haec adjuncta, si is, qui doctrinam proponit nomine Dei, **a.** vitae sanctimonia, modestia

praesertim, humilitate, zelo gloriae Dei, abstinentia commendetur; si **b.** doctrinam proponat, quae fugam peccati virtutumque culturam serio et efficaciter promoveat; si **c.** testetur diserte vel aequivalenter, se opera mira ad doctrinae suae confirmationem in Dei nomine patrare; si **d.** naturam sibi ad nutum veluti famulantem habeat; si **e.** in patrandis miraculis decorem servet, neque ea ad curiositatem pascendam operetur; si **f.** ea quae proponit certae revelationi non adversentur. Si enim vel hisce in adjunctis opera, quae (ex hypothesi) nullo modo cognosci possunt tamquam effectus naturales, essent tamen hujusmodi, ideoque institutio illius, qui Dei legatum se jactat, esset mendax: Deus censendus foret auctor erroris invincibilis in re summi momenti, quod admitti nequit. Cum enim **a.** homines teneantur Deo revelanti credere, cum **b.** revelationis criteria sint miracula et habeantur ab hominibus pro Dei loquela et testimonio, si **c.** hisce in adjunctis opera (ex hypothesi) non possint cognosci tamquam naturalia, sed speciem prae se ferant operum Dei: homines, quo magis pii suaeque salutis memores, eo promptius propter reverentiam Deo debitam ejusmodi institutioni tamquam Dei revelationi crederent, atque *ita pietas erga Deum causa efficax esset erroris.*

27. Facilius autem vera vaticinia a conjecturis humanis naturalibusque praesensionibus discerni possunt, si scil. *non dubitanter* sed *certa asseveratione,* non *aequivoce* sed *clare,* non *indefinite* sed *determinate* proponuntur; si versantur circa eventus non *propinquos* sed *remotos,* non *necessarios* sed *liberos,* non *simplices* sed *complexos,* non circa *unum tantum* sed circa *multos.* Hos enim modo exposito praenunciare illius tantum est, cui futura sunt praesentia i. e. solius Dei.

28. Contra hucusque disputata excipi posset: Omnis religio etiam falsa sua jactat miracula; id autem, ad quod omnes provocant, nequit esse verae religionis nota, vel saltem inde sequi videtur, miracula vera a falsis discerni non posse. Verum **1.** retorqueri potest argumentum; nam omnis schola philosophica, imo error omnis jactat se possidere veritatem, sua asserta gaudere *evidentia;* neque tamen propterea quis inferet, evidentiam non esse veritatis criterium, vel evidentiam sinceram dignosci non posse a spuria. Sequitur tantum **2.** opus esse attentione et examine. Imo **3.** ex hoc facto indubio sequitur potius, *omnium consensu miracula esse revelationis criteria.* Ceterum **4.** si illa inspiciantur facta, quae subinde jactabant gentiles tanquam prodigiosa, primo obtutu omnis in eis evanescit miraculi et criterii divinae revelationis species, vel **a.** quod nutet eorum veritas historica, vel **b.** quod in doctrinae cujuspiam confirmationem patrata non referantur, vel denique **c.** quod virtutem divinam non exigant, quum a daemone fieri potuerint. Cf. *opusc.* XV, 18. s. col. 67. s.; XIX, 116. ss.

Sectio II.

De revelationis divinae exsistentia.

29. Ne in quaestione, quae modo sponte sua oboritur, *utrum nempe exsistat* aliqua *revelatio divina*, incerti vagemur, *religionem christianam originis esse divinae* probabimus, et quidem **1.** *ex ejusdem auctore*[1]; si enim Christus est legatus divinitus missus, doctrina, quam Dei nomine proposuit, divina est; **2.** *ex ejusdem religionis adjunctis historicis*, quae cum specialem plane Dei interventum exigant, hujus religionis originem divinam manifestant. Quare in *duo capita* hanc sectionem dividemus.

Caput I.

De divina Christi missione.

30. Omnis missio *authentica*, qua quis pro altero legatione fungitur, *publico testimonio* est communienda. Porro *triplici* maxime solemni et authentico testimonio utemur ad demonstrandam divinam Christi missionem. Testimonio *prophetarum praecedente*, testimonio *ipsum Christum comitante*, testimonio *apostolorum*, imo ipsius *historiae universalis* subsequente. Cum vero in hac demonstratione praecipuum momentum habeant *evangelia*, quibus fere omnia, quae de Christo scimus, innituntur, ut eadem firma consistat, *paucis* saltem *Evangeliorum authentiam* comprobabimus.

---

[1] Supponimus hic *non* quidem *gratis*, sed *propter facti evidentiam, Christum Jesum exstitisse atque religionis christianae esse auctorem.* De quo enim facto adhuc constabit vel constare poterit, si hoc negetur vel vocetur in dubium? Hoc negato historia 18 seculorum explicari nequit: paganismi enim imperio successit regnum Christi; vitae corruptissimae vita ad doctrinam Christi expressa. Atqui omnis effectus exigit causam et quidem *adaequatam*. Hujus autem effectus *adeo universalis*, hujus commutationis *orbis* causa esse nequit *fraus, deceptio, mendacium, ignorantia*, Christus *non exsistens*, sed *mythicus* et *confictus*. Praeter hoc testimonium *reale* accedit **1.** suffragium totius nominis *christiani*, quod non minori evidentia profitetur Christi exsistentiam ac lutherani, mohammedani etc. testentur exsistentiam Lutheri, Mohammedis, de qua nemo unquam dubitavit. Accedit **2.** testimonium sive disertum sive aequivalens *judaeorum, ethnicorum aliorumque hostium religionis christianae*, quibus nunquam visa est dubia Christi exsistentia; et tamen nihil perniciosius esset religioni christianae, quam si dubia reddi posset Christi exsistentia. Accedit **3.** *novitas* impii illius systematis, quod Christi exsistentiam vel negat vel in dubium revocat. Prodiit enim primum aetate nostra, *nulli* innixum testimonio vel documento historico antiquitatis, sed tantum hypothesibus et conjecturis *pro arbitrio* et a priori confictis. In *re* autem *facti* primum consulenda sunt testimonia et monumenta historica, et hisce silentibus licet indulgere conjecturis. Accedunt denique **4.** omnia, quae dicemus thesi sequenti.

31. **Thesis V.** ***Genuinitas et authentia historica Evangeliorum saltem quoad substantiam est indubia.***

Declaratio. Non agimus de evangeliorum *inspiratione,* quae nonnisi ex revelatione, cujus exsistentiam nondum demonstravimus, innotescere potest: sed de illorum *genuinitate,* quod sint vere ab illis conscripta, quorum nomina prae se ferunt, non illis supposita; in primis vero de illorum *authentia,* quod scil. circa facta et dicta Christi sint *veracia* tantamque habeant *auctoritatem historicam,* ut fidem mereantur saltem illam, quam testibus veracibus adhibemus.

Demonstratio p. I. „De quo libro, inquit ad rem s. Augustinus *c. Faustum* l. 33. c. 6., certum erit cujus sit, si literae (idem dicatur de evangeliis), quas apostolorum dicit et tenet Ecclesia ab ipsis apostolis propagata et per omnes gentes tanta eminentia declarata, utrum apostolorum sint, incertum est?" Sane eorum genuinitati suffragatur **1.** *consensus loco* et *tempore* plane *universalis;* quovis enim seculo, jam sec. IV., III. et II. illum reperimus, imo jam sec. II. vergente ad I.; suffragantur versiones omnes vetustissimae, ut versio itala, codices omnes quotquot supersunt; scriptores christiani vetustissimi, qui evangeliis usi sunt, ita Clemens alex. *Stromat.* 3, 13. etc., qui ea jam ex traditione repetit († haud multo post a. 217.); Irenaeus († c. a. 202.) *adv. haer.* l. 3. c. 1. n. 1.; Justinus († c. a. 167.) *apol.* I. n. 67. et *dial. cum Tryphone* n. 103. et Papias, apostoli Joannis discipulus vel saltem discipulorum apostolicorum aequalis, apud Eusebium *H. E.* 3, 39. Qui consensus **2.** eo pluris etiam est faciendus, quod non versetur circa libros nullius momenti, privatos, sed circa libros *publicos, fundamentales* religionis christianae. Imo **3.** illi suffragantur **a.** *tacite* saltem *judaei* et *gentiles;* **b.** *diserte* tot *haeretici,* ut jam Irenaeus l. c. c. 11. n. 7. scribere potuerit: „Tanta est autem circa evangelia haec firmitas, ut et ipsi haeretici testimonium reddant eis, et ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur suam confirmare doctrinam;" **c.** *ipso facto* adversarii, ipsa scil. suae *opinionis novitate* (quae inaudita certe fuit ad nostra usque tempora) et *argumentorum* quibus utuntur *imbecillitate.* Jam vero critici paucorum codicum testiumque veterum auctoritate innixi confidenter de librorum genuinitate sententiam ferunt, quanto magis nobis tali tantaque sibi succedentium testium contestatione continua fretis pronunciare licet, *evangelia esse genuina!*

33. **Demonstratio p. II.** Evangeliorum *authentia* probatur **1.** ex *indole et charactere* ipso scriptorum: nam evangelistae verum et scire potuerunt et dicere voluerunt. Quam eorum *veracitatem* testantur **a.** *animi candor,* qui ex omni relucet narratione; **b.** ipsum *scribendi genus* ab omni fuco et affectatione quam maxime remotum; **c.** *sinceri-*

tas, qua et propriam vilem conditionem suosque defectus tardi ingenii, timiditatis, aemulationis etc. et ea, quae in aliquod dedecus sui magistri vergere poterant, referunt. Maxime vero **d.** hanc veracitatem testatur *confidentia,* qua facta narrant coram judaeis, acerrimis Christi adversariis, quibus nota erat ipsius vita, quique propterea facile illos mendacii redarguere potuissent. Denique **e.** nulla sufficiens ratio assignari potest, cur evangelistae voluerint mentiri sine ullo lucro, nemo siquidem gratis mendax, nemo mendacium suum vita laboribus periculisque obnoxia imo et sanguine confirmare solet.

34. Probatur **2.** evangeliorum authentia inde, quod evangelistae, *etiamsi voluissent, non potuissent confingere evangelia;* haec enim **a.** continent *doctrinam* tum theoreticam tum practicam adeo *sublimem,* qualem neque Plato neque Socrates unquam excogitavit, nedum viri rudes atque illiterati, cujusmodi fuerant evangelistae, potuerunt excogitare. Exhibent **b.** *virtutis exemplar nunquam antea visum,* quod proinde a rudibus concipi non poterat. **c.** *Messias,* quem describunt, *adversatur* plane *judaeorum indoli;* judaei namque erant literae tenacissimi, angusti cordis, Messiamque exspectabant mundanum atque gloriosum; Messias vero evangeliorum est pauper et humilis, latissimi cordis, qui ubique legis spiritum rimatur atque sectatur. Quare *evangeliorum confictio* evangelistis plane *erat impossibilis.* Probatur evangeliorum authentia **3.** ex eo, quod adversarii, quamvis nulli pepercerint diligentiae et labori, nullum unquam mendacium, nullam fraudem, nullum in illis errorem reperire potuerint. Denique **4.** cum mendacium, fraus, iniquitas nequeat esse ratio propagatae ubique terrarum veritatis, virtutis, sanctitatis: per religionem autem christianam, quae tota innititur factis dictisque in Evangelio relatis, propagata fuerit saltem multiplex veritas, morum probitas et vitae honestas: dicta illa factaque in evangeliis relata nullo pacto conficta dici possunt.

35. **Scholion.** Evangelia mansisse *incorrupta,* pariter adeo est evidens, ut ad rem Augustinus *de utilit. cred.* c. 3. contra manichaeos advertat: „Nihil mihi videtur ab eis impudentius dici, vel ut mitius loquar, incuriosius vel imbecillius, quam Scripturas divinas esse corruptas, cum id nullis in tam recenti memoria exstantibus exemplaribus possint convincere.“ Cur autem corrumpi non potuerint, hanc peremptoriam rationem reddit: „Quisquis enim hoc primum ausus esset, multorum codicum vetustiorum collatione confutaretur, maxime quia non una lingua, sed multis eadem Scriptura contineretur.“ *Contra Faustum* l. 32. c. 16.

Quibus praemissis jam ad primum, quo missio Christi divina comprobatur, testimonium accedamus, scil. ad *testimonium praecedens prophetarum.*

Articulus I.

De vaticiniis messianis.

36. Supponimus **1.** judaeos Messiam quendam i. e. magnum Dei legatum exspectasse, cujus exspectationis plurima exstant argumenta et vestigia in evangeliis, ut in Zachariae cantico Luc. 1, 76. ss., in responso magis quaerentibus, ubi natus sit rex judaeorum, a principibus sacerdotum et scribis populi dato Matth. 2, 2. ss., in cantico Simeonis Luc. 2, 25. ss., in legatione judaeorum ad Joannem (Joan. 1, 19) et Joannis ad Christum quaerentis per discipulos: *Tu es, qui venturus est, an alium exspectamus* (Matth. 11, 2. ss.)? etc., vereque dici potest hanc exspectationem esse notam hujus populi propriam. Eadem exspectatio penes samaritanos quoque reperitur, ut liquet ex verbis mulieris samaritanae ad Christum dicentis: *Scio, quia Messias venit* (Joan. 4, 25). Porro samaritani eam certe non hauserunt a judaeis post suam ab ipsis divisionem, sed ex communi fonte, ex communibus Scripturae libris, quos etiam post suam ab illis separationem retinuerunt. Hinc explicatur, quare tot pseudomessiae tantas hominum turbas excitaverint; altas enim haec, de qua loquimur, spes in mentibus judaeorum egerat radices. Imo hujus exspectationis vestigia vel apud gentes reperiuntur.

37. Judaei autem **2.** Messiam exspectarunt prophetarum vaticiniis innixi, ut manifesto patet ex divinis literis: hinc factum est, ut tam Christus quam apostoli eorumque successores contra judaeos disserentes confidenter ad prophetarum vaticinia provocarent, indeque Messiam jam venisse probarent. Utrique ergo parti persuasum fuit, ejusmodi vaticinia exstare. *Haec vero vaticinia* **3.** *esse genuina* vel saltem diu ante Christum edita patet ex *synagogae testimonio,* quod hac in quaestione omni exceptione est majus, sive spectetur **a.** qualitas, numerus, conspiratio testium; sive **b.** notissima judaeorum tenacitas et religio in sacris libris conservandis; sive **c.** quod testimonium ferant contra seipsos, cum illud mirum in modum promoveat causam christianam ipsis exosam, detrimentum vero inferat propriae[1]). Cf. *opusc.* VI, 111; XV, 154. annot.

[1]) Neque objiciatur cum rationalistis, haec quae dicuntur vaticinia *messiana* antiquiora quidem esse Christo, sed non esse *proprie dicta* vaticinia: esse tantum *quaedam populi vota* et desideria liberationis sponte sua *periculis* et *calamitatibus expressa* atque forma prophetica enunciata. Nam obstat **a.** quod saltem plura fuerint accurate adimpleta; quod **b.** prophetae vaticiniorum genuinitatem passionibus propter ipsa toleratis confirment; quod **c.** plura vaticinia praecesserint tempus calamitatum; quod **d.** Messiam praedicant patientem Is. 53., proprii populi rejectionem et dispersionem, urbis templique destructionem Dan. 9., 26; quod **e.**

38. **Thesis VI.** ***Prophetarum vaticiniis praedicitur adventus Messiae, qui non est alius a Christo Jesu.***

Demonstratio p. I. In prophetarum vaticiniis Messiam promitti, imo *multiplici adjunctorum varietate delineari,* manifestum erit cuicunque, qui eadem attente expenderit. Praedicitur enim **1.** Messiam fore *ex progenie Abraham,* Isaac et Jacob Gen. 12, 3; 18, 18; 22, 18: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae; ex domo et familia David* Jer. 23, 5., Is. 11, 1. ss.: quod adeo verum est, ut cum Christus sciscitaretur a pharisaeis: *Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est,* illi *incunctanter* responderint: *David* (Matth. 22, 42.); et cum aliqui (Joan. 7, 41.) putarent Jesum esse Messiam, reponerent alii: *Numquid a Galilaea venit Christus? Nonne Scriptura dicit: Quia ex semine David et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?* Praedicitur **2.** *nativitatis locus.* Cum enim magi inquirerent, *ubi nasceretur Christus,* principes sacerdotum et scribae populi fidenter responderunt: *In Bethlehem Judae; sic enim scriptum est per prophetam* (Mich. 5, 2): *Et tu Bethlehem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel* (Matth. 2, 6). Cf. supra Joan. 7, 42.

39. Praedicitur **3.** *tempus* ejus *adventus* Gen. 49, 10; Dan. 9, 24. ss.; Aggaei 2. 7. s., de quibus testimoniis mox agemus: ejus *praecursor* Mal. 3, 1: *Ecce ego mitto angelum meum et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis; et angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum.* Is. 40, 3. ss. Praedicuntur *adventus indicia* Is. 35, 4. ss.: *Dicite pusillanimis: Confortamini et nolite timere; ecce Deus vester ultionem adducet retributionis, Deus ipse veniet et salvabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus et aperta erit lingua mutorum, quia scissae sunt in deserto aquae et torrentes in solitudine* etc. Ipsos etiam judaeos habuisse miracula tamquam signa venientis Messiae, patet ex Joan. 6, 14., ubi ex miraculo multiplicationis panum a Christo patrato inferunt: *Quia hic est vere propheta* (ὁ προφήτης), *qui venturus est in mundum;* et Joan. 7, 31. quaerunt: *Christus cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quae hic facit?*

40. Praedicitur **4.** ejus *munus,* quod scil. futurus sit in testem, ducem et praeceptorem gentibus Is. 55, 4; 61, 1; Deut. 18, 15. ss.;

tam expressa vaticinia solum apud judaeos reperiantur: si vero tantum calamitates illorum essent origo, penes omnes fere populos similia exstarent; quod f. post Christi adventum judaei, licet in graviorem diuturnioremque inciderint calamitatem, ejusmodi careant vaticiniis.

Mich. 4, 2. Hinc judaei exspectabant magnum *prophetam* Joan. 6, 14. Praedicitur **5.** ejus *conditio humilis* omnem excludens fastum: *Exsulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator: ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum filium asinae* Zach. 9, 9; item ejus *passio* et *mors* Ps. 21; Zach. 12, 10. et Is. 53. Praedicitur **6.** *gentium conversio* passim ut Ps. 71; Is. 2, 2. s.; 62, 1. ss.; 18. etc., et *urbis templique destructio* et *rejectio populi* Dan. 9. 26; Os. 3, 4. s., de quibus vaticiniis agemus infra.

41. **Demonstratio p. II.** Ad hanc illationem confirmandam sufficit conferre evangelia cum prophetarum vaticiniis, et liquido apparebit, eadem in Christo mirum in modum fuisse adimpleta. Sane **1.** Christum esse *ex semine Abrahae,* Isaac et Jacob nemo hucusque negavit, et per ipsum ejusque religionem magna beneficia redundasse in nationes omnes, is tantum negabit, cui generatim religio omnis est exosa; neque alius assignari poterit, ex quo tot commoda, spiritualia in primis, redundaverint in nationes et personas singulares, quot ex Christo ejusque religione in illas ubique locorum effusa sunt. Eum vero fuisse *de domo* et *familia David,* evincunt *tabulae genealogicae* Matthaei et Lucae; probat iter s. Josephi *in civitatem David, quae vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David* (Luc. 2, 4.), occasione descriptionis a praeside Syriae Cyrino factae; probant repetitae acclamationes, quibus toties *filius David* (Matth. 9, 27; 21, 9. et 15. etc.) salutabatur. Christum **2.** natum esse *in Bethlehem Judae* atque habuisse *praecursorem,* manifestum est ex historia evangelica. *Tempus* vero *nativitatis* Christi praeclare vaticiniis respondet, ut sequens thesis manifestabit. **3.** *Miraculis* plane refulsit Christus (th. VIII.), necnon Messiae *muneri* omnino satisfecit: verbo enim et opere, tam per se quam per suos legatos cursu jam 18 seculorum doctrinam et legem coelesti sapientia refertam promulgavit, atque eos, qui in tenebris et in umbra mortis sedebant, docuit atque docere pergit. Ejus **4.** *passio* atque *mors* accurate respondet Ps. 21. et Is. c. 53. Cum vero **5.** post gloriosam a mortuis resurrectionem populos mirum in modum ad se converterit atque ad cognitionem cultumque veri Dei attraxerit, adimplevit vaticinia *de gentium conversione.*

42. **Thesis VII.** ***Diligenter expensis Gen. 49, 10., Dan. 9, 24. ss. et Aggaei 2, 7. s. patebit 1. tempus adventus Messiae jam esse elapsum; proinde 2. eum jam advenisse; cum vero 3. in nullum praeter Jesum filium Mariae horum aliorumque vaticiniorum adjuncta quadrent, inferendum est, Jesum Christum esse Messiam divinitus promissum.***

Demonstratio p. I. Primum vaticinium continetur verbis Jacobi benedicentis Gen. 49. filiis suis benedictionibus propriis et annunci-

antis illis quae ventura ipsis essent (v. 1—28.). Ex his ad Messiam spectant[1]) quae legimus v. 10: *Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est* שִׁילֹה, et *ipse erit exspectatio gentium.* Porro sensus hujus vaticinii est: Non auferetur sceptrum de Juda h. e. principatus et jurisdictio de tribu Juda, neque princeps de posteris ejus i. e. qui sit de ejus stirpe oriundus vel super ejus posteros unam constituentes tribum cohaerentem; vel secundum alios: Non auferetur politica tribus forma atque conditio et jus αὐτόνομον potestasque propriis sese legibus regendi a posteris Juda, donec advenerit Messias et huic obsequium praestare coeperint gentes. (Cf. *Comp.* I. 52. s.).

43. Quidquid vero sit de *accuratiori singularum vocum interpretatione,* id evidentissimum est, *quomodocunque* intelligantur *sceptrum* et *dux,* omne sceptrum omnisque ducis umbram a tribu Juda esse sublata, nominatim ex quo civitas et templum hierosolymitanum funditus deletum sub Tito universusque populus dispersus fuit per orbem. Cum vero **a.** haec ad amussim incidant in tempus Christi nati susceptique avidissime per fidem a gentibus; cum **b.** reliquorum vaticiniorum adjuncta in ipsum quadrent; cum **c.** nullus alius assignari possit, in quo haec omnia ita fuerint completa: concludendum est, *Jesum,* filium Mariae, *esse* hunc *Messiam* divinitus promissum. Et sane Christo nascente ad interitum vergebat respublica judaica Luc. 3, 1. 2.; tota vero eversa est per Titum, cum satis jam promulgatum erat Christi Evangelium per orbem, et undique innumeri obsequium mentis et cordis Christo exhibuerant. In Christo autem alia adimpleta esse vaticinia ostendimus thesi praecedenti: nemo vero assignari potest, in quem tanta adjunctorum quae praedicta fuere varietas concurrerit. Quare inferendum est, *Messiam jam advenisse,* et *hunc non alium esse a Christo Jesu.*

[1]) Vaticinium hoc esse *messianum,* patet **a.** ex luculenta et antiquissima *judaeorum traditione,* cujus vestigia reperimus quoadusque pertingunt antiquitatis monumenta: quod etiam concedunt recentiores et antiquiores rabbini; patet ex *Talmude* babylonico tract. *Sanhedr.* c. 11, ubi quaeritur: „quodnam est nomen Messiae?" et respondetur: „Schiloh est nomen ejus, sicut dictum est Gen. 49. *donec veniat Schiloh;*" ex *Targum* Jonathanis, in quo legimus h. l. ita redditum: *Donec veniat rex Messias;* et ex paraphrasi chaldaica Onkelosi summae antiquitatis, qui horum verborum sensum ita expressit: *Donec veniat Messias, cujus est regnum;* **b.** *ex ipsis verbis:* neque enim alius poterit dici exspectatio gentium quam legatus divinitus missus in omnium gentium salutem: **c.** *ex opportuna collatione* cum Gen. 12, 3. hujusque locis parallelis. Neque enim verosimile est, splendidissimam omnium promissionem Abrahae factam et in Jacobi posteris adimplendam a Jacobo praedicente, quae filiis suis in novissimis diebus ventura essent, fuisse omissam.

44. Neque excipiatur, jam ante Christi adventum defecisse sceptrum et ducem in tribu Juda, tempore nimirum captivitatis babylonicae. Nam negamus totalem sceptri ducisque ablationem eo tempore, et defendimus sceptri ducisque praerogativam tunc solum fuisse interpolatam seu verius *attenuatam* tantum: nam etiam in captivitate babylonica tribus Juda retinuit formam conditionemque tribulem, ut patet vel ex reditu hujus tribus, imo retinuit quandam autonomiam, ut ex judicio in Susannae causa lato Dan. c. 13. eruitur.

45. **Demonstratio p. II.** Luculentius etiam est testimonium Danielis 9, 24. ss.: *Septuaginta hebdomades,* ita solatur Gabriel angelus Danielem de populi captivitate afflictum, *abbreviatae* (decisae, resectae vel decretae aut statutae) *sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas et adducatur justitia sempiterna et impleatur visio et prophetia et ungatur sanctus sanctorum. Scito ergo et animadverte, ab exitu sermonis* (ab edicti emanatione), *ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum* (unctum) *ducem hebdomades septem et hebdomades sexaginta duae erunt, et rursum aedificabitur platea et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus* (exstirpabitur, excidetur unctus); *et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis ejus vastitas et post finem belli statuta desolatio* (et finis urbis et templi in ista inundatione, in hac ipsa expeditione ducis venientis bellica, et usque ad finem seu ad totale exterminium bellum, decretum ruinarum, quae ruinae effectus sunt decreti divini). *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadis deficiet* (et dimidium hebdomadae auferet, cessare faciet) *hostia et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis* (et super cacumen, culmen, supremam templi partem abominationis vastator, supple *veniet;* hinc sensus est: totum templum usque ad supremam ejus partem, proinde penitus occupabit, penetrabit abominatio ab ipsis judaeis profecta, quae erit causa vastationis templi) *et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio* (et quidem usque completum et resectum pluet pluvia, utique analoga illi, quam Deus pluere fecit Gen. 19. 24. super Sodomam et Gomorrham, scil. usque ad ruinam et internecionem).

46. Vaticinium hoc **1.** esse *messianum*, colligitur **a.** ex ipsis verbis; de eo enim tempore est sermo, quo consummabitur praevaricatio, finem accipiet peccatum, delebitur iniquitas, adducetur justitia, implebitur visio et prophetia, novum inaugurabitur foedus, quae in primis efficienda erant per Messiam; **b.** ex auctoritate veterum rabbinorum; ex eo **c.** quod ante elapsas 70 annorum hebdomadas nemo se Messiam jactaverit; iisdem vero ad finem vergentibus jam exspectaretur Messias, plures etiam se Messiam venditarint.

Tenendum est **2.** hoc vaticinio *determinari epocham adventus Messiae.* Quod patet **a.** ex verbis: Septuaginta hebdomadae *decisae, decretae* sunt; **b.** ex *respectu ad septuaginta annos captivitatis babylonicae,* qui erant determinati atque fixi; ex eo **c.** quod Daniel etiam alias eventus alicujus epocham determinare soleat, cf. cap. 8. et 12.; **d.** ex ipso vaticinio, in quo septuaginta hebdomadae in minora segmenta dividuntur et subdividuntur, quod absonum esset, si numerus definitus septuaginta poneretur pro indefinito. Denique **e.** si septuaginta hebdomades periodum designarent plane indefinitam, novi fere nihil hoc vaticinio significatum fuisset, nullum solatium attulisset angelus Danieli, qui jam a prima juventute noverat, Messiam *quondam* esse venturum. Tenendum est **3.** has hebdomadas *unam constituere periodum* coalescentem ex tribus epochis partialibus non indefinito intervallo ab invicem sejunctis, sed immediate sese excipientibus, ut patet ex iisdem fere rationibus. Tenendum est **4.** has hebdomadas componi *annis,* quod suadetur **a.** ex subjecta materia, neque enim tam brevi temporis spatio 490 dierum commode haec omnia fieri potuissent; ex eo **b.** quod apud judaeos haud infrequens fuerit praeter hebdomadas dierum usus hebdomadarum, quae ex annis coalescerent (cf. Levit. 25, 2. ss.), non vero aliarum; eoque magis **c.** quod rerum eventus hanc interpretationem confirmet.

47. Quamvis vero implexa sit quaestio, utrum hebdomadarum initium incidat in annum primum Cyri, an in annum sive septimum sive vigesimum Artaxerxis Longimani, ad rem nostram perinde est, quaecunque demum eligatur sententia. Evidenter enim constat, vaticinium *jam esse impletum,* cum defecerit hostia et sacrificium, et urbis templique desolatio contigerit; ideoque elapsae jam sunt hae 70 hebdomadae, jam Messias advenit. Atqui nullus assignari potest, qui circa harum hebdomadarum vixerit finem et ante urbis templique eversionem, in quem et hujus et aliorum vaticiniorum adjuncta concurrant praeter *Christum Jesum* filium Mariae; ipse enim solemnissime a populo fuit rejectus atque morti traditus, post ipsum vero nulla amplius visio, nulla prophetia penes judaeos. Ipse ergo Messias divinitus praedictus censendus est (Cf. *Comp.* I, 57. ss.).

48. **Demonstratio p. III.** Aggaeus (2, 7. ss.), solaturus seniores judaeorum ex captivitate babylonica reduces moerentesque, quod templum secundum gloria tantum distaret a templo salomonico, cujus viderant magnificentiam, ita Dei nomine vaticinatur: *Adhuc unum modicum est, et ego commovebo coelum et terram et mare et aridam. Et movebo omnes gentes; et veniet desideratus cunctis gentibus; et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimae plus quam primae, dicit Dominus exercituum; et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Quasi diceret: Quid solliciti estis de auro et argento? meum est aurum et argentum, quae

mihi praesto sunt, quoties mihi libuerit; sed gloria secundae hujus domus non ex magnificentia auri et argenti, non ex splendore externo quique incurrit in oculos, est repetenda: verum ex eo quod in eam venturus sit Dominator, quem vos judaei impense exspectatis, et Angelus Testamenti, quem enixe desideratis et quaeritis (Mal. 3, 1.). quapropter templum hoc alterum priori longe praestabit.

49. Quibus praedicitur Messias venturus stante templo secundo. Atqui hoc jam a seculis XVIII dirutum est. Ergo ante sec. XVIII Messias advenit. Hic vero alius non est a Christo Jesu. Ejus enim adventum praecessit magna gentium commotio, vi cujus omnes non citra diuturna bella et proelia cruenta sub unius Augusti redactae sunt imperium; ipse vix natus quaesitus est a magis venientibus ex Oriente, vix per discipulos gentibus annunciatus ubique terrarum ab innumeris fide exceptus fuit, ac proinde ipso eventu se ostendit desideratum cunctis gentibus; ipse venit stante adhuc templo secundo; ipse innumeras gentes absque ullis armis in unam consociavit Ecclesiam, atque idcirco pacem contulit; denique praeter ipsum nemo assignari potest, in quem haec aliaque conveniant vaticiniorum adjuncta. Quare *Christus Jesus credi debet Messias divinitus praedictus* (Cf. *Comp.* I, 63. s.).

50. **Scholion I.** Adversus hanc demonstrationem excipi posset, plurima vaticinia messiana in Christo et per Christum non fuisse impleta, ideoque ipsum haberi non posse pro Messia divinitus promisso. Huc spectant omnia illa vaticinia, quae *gloriosum Messiam,* potentissimum principem triumphis et cladibus de hostibus populi Dei clarum portendunt, *tantae pacis auctorem,* ut omne bellum sit cessaturum atque vel feroces bestiae sint futurae plane mansuetae[1]).

Sed **1.** vaticinia intelligi possunt sensu vel *proprio* et ad literam, vel sensu *translato* et spirituali. Quare ut dici possint adimpleta, sufficit ut adimpleta fuerint sensu spirituali, quo in sensu longe sublimiora esse solent. Hoc autem sensu **2.** plura ex vaticiniis, quae objiciuntur, luculentissime sunt adimpleta in Christo Jesu. Et sane Christus *gloriosus* fuit *belli dux* eoque gloriosior, quod sibi non solum subjecerit hominum quondam Deo inimicorum corpora, sed et intellectum per fidem, voluntatem per obedientiam, cor per amorem ad omne sacrificium paratum; quod ipsos sibi subjecerit non spargendo eorum sanguinem sed proprium, non inferendo damnum sed elargiendo gratiam; quod sibi subjectos non fecerit mancipia et servos, sed amicos, Dei filios et regni coelorum heredes; quod condiderit

---

[1]) Speciminis gratia sint ista Is. 11, 6: *Habitabit lupus cum agno, et pardus cum haedo accubabit: vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. Vitulus et ursus pascentur; simul requiescent catuli eorum: et leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis; et in cavernam reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt et non occident in universo monte sancto meo, quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquae maris operientes.* Cf. 2, 4; 65, 25; Ps. 71. etc.

regnum non politicum, sed spirituale invictum jam per tot secula adversus omnes hostium impetus. Simili ratione Christus pacis quoque princeps auctorque habendus est. Confert enim hominibus pacem cum Deo per remissionem peccatorum; ideoque etiam secum ipsis pacem, quae superat omnem sensum et quam mundus dare non potest; confert pacem hominibus inter se redigendo eos in unum ovile sub uno pastore. Quod si adhuc sunt bella inter homines, eatenus haec oriuntur, quatenus se subtrahunt influxui Christi. Quae vero de pace dicta sunt cum ipsis feris, luculenter adimpleta sunt sensu spirituali, cum inermes missionarii gentes barbaras, feroces, anthropophagas jugo Christi subjecerint, et quandoque ut legimus *in vitis patrum* sensu etiam proprio adimpleta narrantur. Ceterum **3.** plura vaticinia totam complectuntur Messiae oeconomiam, quare non solum ad primum ejus adventum referuntur, sed etiam ad secundum extenduntur, in quo plenissima erit justorum pax atque perfecta Christi de omnibus victoria. Quod si **4.** aliqua nondum sunt impleta, certissime adimplebuntur: quae enim jam sunt adimpleta, totidem sunt pignora pro aliorum eventu. Neque **5.** illud praetermitti debet, quaedam vaticinia spectare *ad solos judaeos* et esse *conditionata*. Cum ergo judaei Messiam reprobarint, mirum esse non debet, quod conditione non posita fructu caruerint.

Articulus II.

De testimonio ipsius Christi pro divina sua missione.

51. Disserentes de *testimonio ipsi Christo inhaerente* vel eum comitante vere affirmare licet, illud esse multiplex, cujus cum singula elementa, e quibus coalescit, divinam Christi missionem jam probent, omnia simul sumpta rem plane conficiunt. Jesus enim se Dei legatum testatus est *verbis* et *sanguine, vita doctrinaque* omnino coelesti, *miraculis* et *vaticiniis,* denique *ipso* quod complevit *opere.*

52. Ut breviter tantum testimonium illud attingamus, quod Christi *verbis* continetur, advertatur **1.** ipsum *saepissime solemniter* disertisque verbis se Dei legatum affirmasse Matth. 11, 3. ss.; Joan. 6, 29. et 38. ss. etc., eaque sibi adscripsisse, quae vix ullus hominum, licet superbus, licet maxime fanaticus sibi tribuere unquam sit ausus Joan. 5, 17. ss.; 10, 28. s.; 14, 6; Matth. 11, 27. ss.; 28, 18. s. etc., scil. aequalitatem cum Deo, summam in universum potestatem, se esse viam, veritatem et vitam aliasque praerogativas plane supermundanas et divinas; et quidem **2.** *confidenter* coram omnis generis personis, coram amicis et inimicis, coram supremis magistratibus cf. Joan. 19, 7; 18, 36. etc.; adeo **3.** ut pro hoc testimonio confirmando sanguinem suum profunderet Joan. 19, 7; Matth. 26, 65. s. Illud autem **4.** is edidit, qui ex tota vita quam maxime alienus apparet ab omni fastu, humilis, gloriae Dei studiosissimus, tam purus et sanctus, ut confidenter adversarios suos provocare potuerit: *Quis ex vobis arguet me de peccato* (Joan. 8, 46.)? Edidit **5.** de se testimonium summa animi tranquillitate et fiducia, licet omni potentia destitutus, pauper, spretus, ab omnibus relictus, morte jam damnandus fuerit.

53. Jam vero hoc testimonium vel verum est vel falsum. Si verum, jure ergo fideles *Jesum Christum* cum Petro *Filium Dei* profitentur atque

adorant (Matth. 16, 16.). Si autem est falsum, illud Christus vel sciens protulit, vel nesciens quid diceret; quod certe nemo affirmabit, sequeretur enim Christum fuisse plane bardum et insipientem, et tamen docuisse religionem vere sublimem et coelestem, confudisse pharisaeos, adeo ut non auderent ei respondere verbum (Matth. 22, 46.), quae cum tanta insipientia nequeunt conciliari. Quod si sciens falsum protulit testimonium, merito a synagoga captus, damnatus, in crucem fuit actus, quod vel cogitare impium est; immerito quoque rationalistae et increduli, quamvis Christum Deum Deique legatum esse negent, concedunt, eum fuisse virum saltem probum, sanctum, divinitus in humani generis utilitatem excitum. Quare cum **a.** aliqua revelatio sit necessaria (n. 13. s.), neque probabile sit Deum deseruisse humanum genus, cum **b.** a veritate hujus testimonii pendeat vita praesens et futura, cum **c.** nemo sanae probaeque mentis possit vel velit admittere sequelas, quas recensuimus, cumque **d.** omnia adjuncta clament, hoc testimonium non esse fructum sive fraudis sive fastus sive ignorantiae sive furoris fanatici, cumque **e.** prolatum sit ab eo, qui secundum omnes sanae rationis leges summam meretur reverentiam, merito affirmamus, illud Jesu Christi testimonium tanti esse momenti, quod attentionem mereatur, quo jure merito commoveatur quilibet veritatis salutisque propriae amator (n. 16.), quod, si nondum ipsi possit extorquere fidem ob hujus actus momentum et difficultatem, eum saltem efficaciter impellere debeat ad diligentiorem veritatis inquisitionem.

54. **Thesis VIII.** ***Jesus Christus missionem suam divinam comprobavit miraculis omnis generis, nominatim gloriosa sua a mortuis resurrectione, et splendidis vaticiniis, quibus eventus praeclare respondit.***

Demonstratio p. I. Ut argumentum ex Christi miraculis petitum valeat, constare debet de eorum veritate *historica, philosophica* et *relativa,* seu constare debet, facta illa mira **1.** revera contigisse, **2.** vera esse miracula, **3.** patrata fuisse in confirmationem missionis et doctrinae Christi.

Atqui I. de eorum veritate *historica* constat **1.** ex dictis de evangeliorum authentia th. V; **2.** ex *tacita,* imo *expressa* judaeorum confessione; nunquam enim mira Christi opera negare sunt ausi, sed Belzebub adscripserunt Matth. 9, 34; 12. 24; Joan. 5, 16; 11. 47. etc.; **3.** ex celeberrimo *testimonio Jos. Flavii* [1]): „Fuit autem hoc tempore Jesus vir sapiens, si tamen virum illum oportet dicere. Erat enim

[1]) *Antiquit.* l. 18. c. 3. n. 3. Argumenta pro genuinitate hujus testimonii, quae a plurimis ex argumentis *fere tantum negativis* impugnatur, ita paucis Huetius *demonstr. evang.* prop. 3. §. 11. proponit: „Cur ita sentiam, facit *constans* et *perpetuus codicum omnium* Josephi . . . in eo retinendo *consensus;* facit et Eusebii *auctoritas*, qui illud et in libris *demonstrationis evangelicae* (4.) et in *ecclesiastica historia* (l. 1. c. 2.) tamquam legitimum et genuinum repraesentavit. Expressit id quoque latine Hieronymus in l. *de scriptoribus ecclesiasticis* in Josepho (c. 13.); retulit idipsum in *epistolis* suis Isidorus Pelusiota (l. 4. ep. 125.); in *historiis* vero suis consecrarunt Hermias Sozomenus (l. 1. c. 1.),

mirabilium operum effector, magister hominum, qui vera libenter amplectuntur. Et plurimos quidem ex judaeis, plurimos ex gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus. Cumque eum a primoribus gentis suae accusatum Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non abstinuerunt qui primum coeperant, nam post tertium redivivus ipsis apparuit, cum divini vates haec aliaque quam plurima admiranda de eo praedixissent etc." Constat **4.** ex *confessione* etiam *posteriorum judaeorum,* qui passim in Talmude mira Christi opera magicis adscribunt artibus, quas in Aegypto eum didicisse fabulantur. Constat **5.** etiam ex *gentilium confessione.* Hinc Origenes de Celso l. 1. n. 38. scribit: „Assensum quodammodo praebet miraculis, quae Jesus fecit et quibus multos adduxit, ut ipsum tamquam Christum sequerentur. At miracula illa non virtute divina, sed magicis artibus facta fuisse calumniatur."

55. Mira Christi opera II. *vere fuisse miracula* exinde colligitur **1.** quod ad nostra usque tempora non obstante tanto disciplinarum naturalium profectu nulla unquam reperta fuerit causa vel lex naturalis, secundum quam *vel minima* illorum operum pars *naturaliter* possit explicari. Verum **2.** demus facta illa mira effectus tantum naturales esse, semper tamen prodigio simile videri debet illud, quod filius fabri lignarii (ex incredulorum hypothesi), qui nunquam didicit literas (Joan. 7, 15.), scientiam assecutus sit legum occultissimarum adeo accuratam, qualem nemo ante ipsum, nemo post ipsum, nisi forte illi, qui ipsi nomen dederint. Ceterum **3.** sufficit vel inspicere *modum,* quo illa peregit, ut liquido appareat, eum egisse tamquam *naturae Dominum,* proinde ejus opera non fuisse humana, sed superhumana, supernaturalia, divina. Advertatur **4.** vera miracula **a.** efficax esse testimonium veritatis; **b.** Deum indolem hominum nosse, qui miraculis ad fidem inducuntur, et quidem eo magis, quo magis erga ipsum sunt pii; ideoque **c.** eum permittere non posse, ut quis in alicujus doctrinae falsae confirmationem talia patret opera, quae tantam habeant cum miraculis similitudinem, ut nullus hominum par sit ad ea a miraculis discernenda. Atqui nemo unquam potuit Christi opera a miraculis discernere, quocirca innumeri piissimi viri et veritatis sincerissime studiosi iis ad fidem firmissimam in ipsius doctrinam sunt adducti. Ergo nisi dicere veli-

Georgius Cedrenus (*hist. compend.* p. 169.) et Nicephorus Callistus (l. 1. c. 39.) et in *Lexico* suo Suidas (Ἰωσήφ) et in *historia* sua Theodorus Metochita et in *excidio urbis hierosolymitanae* Hegesippus (qui l. etiam Ambrosio adscribi solebat l. 2. c. 12). . . . Suadet idem et *ratio*: nec enim probabile est, Josephum scriptorem non indiligentem, cum res judaeorum persequeretur, de eo viro tacuisse, qui maximos in ea gente ac per universum fere orbem excitavit motus . . . Consentit ad haec *orationis filum* et *dictionis color,* talis nimirum qualis hellenistarum esse solet. Locutiones etiam quasdam observare licet Josepho familiares.'

mus, Deum efficaciter intendere hominum deceptionem, opera Christi non sunt prodigia mendacia, sed vera miracula.

56. Omnem vero 5. fraudis suspicionem excludit *personae Christi ejusque doctrinae* consideratio. quae se sola jam est credibilitatis motivum pro divina ejusdem missione. Et sane Christus ex tota sua vita comparet sanctissimus; sui enim honoris penitus oblitus tantum spirabat gloriam Patris, cujus voluntas unica ejus erat operandi norma. In homines, nemine excluso, tenerrimo, operoso, sincere ferebatur amore, quin unquam vel umbram proprii commodi spectaret. Ab omni vel minimo naevo alienus aequales, imo adversarios omnium temporum, provocare potuit et potest verbis: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Joan. 8, 46., lucidissimum siquidem fuit exemplar mansuetudinis, patientiae, caritatis in omnes effusae. Atqui cum tali virtute conciliari nequit fraus. Ergo signa, quae Christus in confirmationem suae doctrinae patravit quaeque miracula esse dixit, non sunt *mendacia* sed *veracia* i. e. *vera miracula*. Accedit doctrina de Deo deque homine adeo sublimis, qualem nullus unquam philosophorum excogitavit. quae complectitur praecepta sanctissima pro omni hominum classe et motiva efficacia eadem servandi, quae simul remedia exhibet sanando omni languori accommodata et moerentium corda solatio replet secundum Christi promissionem: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* Matth. 11, 28. Atqui legibus ordinis moralis adversatur, ejusmodi doctrinam comprobari fraude et mendacio. Ergo opera Christi, quibus eam comprobavit, non sunt signa mendacia, sed veracia i. e. divina seu *miracula* (Cf. *Comp.* I, 80. s.).

57. Constat denique III. Christum miracula patrasse in confirmationem suae missionis suaeque doctrinae, ex repetitis ejusdem effatis Joan. 10, 37; 14, 11; Matth. 11, 2. ss. etc., quibus ad opera sua provocat, ut fidem sibi conciliet. Hinc Joan. 15. 24. affirmat: *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent*[1].

[1] Quod si Christus videtur subinde non tanti facere miracula, recusare probationem per miracula, vel illorum prohibere potius quam optare promulgationem, advertimus 1. eum non solum esse doctorem veritatis sed et virtutis exemplar et magistrum, quam malebat exemplo quam verbis inculcare; hinc ut humilitatem doceret, nolebat, ut semper opera sua mira palam manifestarentur, praesertim cum ii, quos sanaverat, jam crederent, et aliis satis esset consultum per tot prodigia. Noluit 2. pascere quorundam curiositatem, qui cupiebant signa *tantum videre* (Matth. 12, 38.) Noluit 3. ut alia, quae saepe suppeditabat, credibilitatis motiva negligerentur. Tot vero 4. exhibuit miracula, ut nova patrare vel patrata divulgare esset superfluum. Damnat denique 5. quorundam incredulitatem, quae nisi omnia manibus velut palpet vel oculis propriis videat, credere recusat (Joan. 20, 29.)

58. Neque ad vim argumenti infringendam provocetur ad miros *magnetismi* et *spiritismi effectus;* ingens enim inter illos et Christi opera est discrimen, quo potius augetur vis argumenti nostri. Distant enim **a.** *varietate* et magnitudine; **b.** *facilitate,* dixit enim et facta sunt, solo nutu, solo verbo vel absens maxima patravit miracula; **c.** *certitudine,* semper enim ejus praecepto respondit effectus, in magnetismo vero et spiritismo spes saepe frustratur, intentioni non semper respondet eventus; **d.** *stabilitate,* nam miri magnetismi effectus mox cessante magnetizantis influxu cessant, qui vero a Christo sanati sunt, diu fruebantur effectu miraculoso; differunt **e.** *fructu,* Christi enim miracula in corporis animique veram cedebant utilitatem; magnetismi atque spiritismi phaenomena curiositatem pascunt, nullamque solidam corpori vel animae praebent utilitatem, imo saepe afferunt damnum; differunt **f.** *adjunctis,* quae in Christi operibus gravitatem spirabant, animi modestiam atque decentiam, qua certe haud raro spiritismi atque magnetismi carent phaenomena. Differunt **g.** *fine*, qui in Christi operibus Dei gloria animarumque fuit salus, de quibus haud multum solliciti sunt illorum phaenomenorum auctores. Denique Christus opera sua *palam* atque *aperte* fatebatur esse miracula et opera Dei, illorum mirabilium auctores ea non audent pro operibus ipsius Dei jactare, sed si quem prae se ferunt candorem, ea adscribunt causis naturalibus, magnetismo etc., ve, fatentur se eorum nondum nosse causas, esse phaenomena mira quideml sed naturalia.

59. **Demonstratio p. II.** Inter Christi miracula eminere ejusdem a mortuis *resurrectionem*, nemo est qui dubitet. Cujus tantum *veritas historica* probanda est. de qua si constet, nemo illam *maximum miraculum* esse negabit; ea vero cum religionis christianae veritate adeo connexa est, ut Paulus dicere potuerit: *Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra* (1. Cor. 15, 14.). Porro ea utpote *factum* testibus est comprobanda. Probatur ergo **1.** *testimonio apostolorum.* Quod ne cui suspectum videatur, advertimus, illi *omnia* competere, quae sana, imo *rigidissima critica* pro alicujus testimonii veracitate exigere possit. Sane **a.** adsunt testes *numero plures,* undecim, imo plusquam quingenti iique oculati (1. Cor. 15, 6.); qui **b.** ad tantam confingendam fabulam apti prorsus non erant. neque capaces propter vitae sanctitatem, quae in eorum scriptis et gestis ubique se prodit; neque **c.** pares ad eam tanta confidentia atque constantia ubique divulgandam, cum adeo essent pusillanimes, ut capto Christo dilapsi sint (Matth. 26, 56), eoque mortuo se occultaverint (Joan. 20, 19.); neque etiam **d.** ulla spes lucri affulgebat, sed summum libertatis vitaeque imminebat periculum, et **e.** magna erat tam impiam fraudem detegendi facilitas.

60. Accedit **2.** *disertum synagogae silentium,* quae cum **a.** omnia fecerit ad quamlibet impediendam fraudem (Matth. 27, 62. ss.), nunquam tamen **b.** falsitatem testimonii apostolici apostolorumque fraudem,

si qua essent usi, detegere potuit, adeo ut **c.** nil ei reliquum fuerit, quam ad *testes* confugere *dormientes;* quocirca **d.** nunquam ausa est apostolis propter fraudem dicere causam, atque eos in jus vocare contenta **e.** silentio ipsis indicto (Act. 4, 17. s.). Facti credibilitatem testatur **3.** ingens eorum, qui in Christum crediderunt multitudo, quae explicari nequit, nisi primi, qui christianam fidem docuerunt, suis auditoribus persuaserint, rem ita esse gestam. Quod profecto persuadere non potissent hominibus aliquo saltem judicio praeditis eo tempore, quo fides maximis malis erat obnoxia, nisi de summa testium veracitate atque sinceritate omnis dubitatio prorsus esset exclusa. Quod si Christus vivus verbis et miraculis paucos vix attraxit ad constantem in se fidem, quanto minus mortuus sibi animos conciliasset nisi resurrectio ipsius certissima fuisset.

61. Nimis vero temerarius foret, qui contenderet, Christum in cruce non esse vere mortuum, sed tantum deliquium passum esse, atque adeo naturaliter restauratis viribus rediisse ad vitam. Nam de Christi morte certos nos reddit **a.** *sollicitudo Pilati* (Marc. 15, 44); **b.** *sollicitudo militum,* qui licet illum viderint exspirantem, lancea tamen latus ejus et vulnere quidem letali perfoderunt (Joan. 19, 33.); **c.** *sollicitudo* in primis *principum sacerdotum* et pharisaeorum, qui ejus resurrectionem timentes sedulo certe illum inspexerunt, utrum revera esset mortuus, ne novissimus error pejor esset priore (Matth. 27, 62. ss.); **d.** *sollicitudo piarum feminarum* et virorum, qui eum sepelierunt; **e.** *conditio ipsius sepulcri* unguentorumque copia (Joan. 19, 39.), cujus odore vel sanus exstinctus fuisset; **f.** *silentium totius antiquitatis* atque ipsorum nominis christiani hostium de fatis Christi redivivi, de cujus gestis atque morte finali post reditum ad vitam mortalem rumor saltem aliquis ad posteros esset perlapsus, cum a suis discipulis adeo coleretur, diligeretur, adoraretur. Quare adeo temerarium est dubium de vera Christi morte, ut nulli unquam mortalium venerit in mentem, nisi nostrae aetatis incredulis, quibus pro ratione est impietas.

62. **Demonstratio p. III.** Christum luculenta edidisse *vaticinia* patet ex Evangelio. Praedixit siquidem accurate *passionem mortemque* suam Luc. 18, 32. ss., Judae *traditionem, discipulorum fugam, Petri negationem,* suam *resurrectionem* Matth. 20, 19. etc., discipulorum suorum *persecutiones* Matth. 10, 16. ss.; 24, 9. ss. etc., *Evangelii* per orbem *propagationem,* quae naturaliter ne conjici quidem potuit ib. 24, 14; 26, 13., *perennem Ecclesiae impugnationem,* necnon ejus invictam constantiam, ibid. 16, 18., *urbis templique eversionem* et quidem secundum *omnia sua adjuncta*[1]) Matth. 23, 36; 24, 2; Marc. 13, 2; Luc. 13, 34;

[1]) Sane Christus praedixit **1.** *terminum ante quem* Luc. 21, 32. et *post quem* urbis destructio futura esset Matth. 24, 14. Praedixit **2.** *adjuncta* et quidem *remota*: **a.** persecutiones Luc. 21, 12; **b.** bella et seditiones, ib. v. 9—11; **c.** pseudochristos Matth. 24, 4. s.; **d.** famem, terrae motus, pestilentias aliasque calamitates Luc. 21, 11; **e.** signa terroresque de coelo ib.; **f.** templi pollutionem Matth. 24, 15. Praedixit et adjuncta *proxima:* **a.** vallo circumdandam esse urbem Jerusalem

21, 6. Quae adimpleta fuisse historia manifesto docet. Nominatim vero quae contigerunt sub Juliano apostata, qui restauratione templi hierosolymitani Christum comprobare voluit mendacem, veritati vaticinii Christi splendidissimum praebuerunt testimonium (*Comp.* I. 79. cum an.)

Articulus III.

De testimonio, quod secula postera Christo perhibuerunt.

63. *Triplex posteritatis testimonium* pro divina Christi missione distingui potest: testimonium scil. *apostolorum, synagogae* et *gentilium.* Apostoli divinam Christi missionem contestati sunt *verbis, sanguine* et *miraculis,* a quibus miraculis duplex prius verborum scil. et sanguinis testimonium invictam vim probandi mutuatum est. Quia vero de his eadem fere repeti possunt et debent, quae de miraculis Christi th. VIII. p. I. diximus, de eodem agere supersedemus. Jam ad aliud illudque duplex accedamus testimonium.

64. **Thesis IX.** ***Hinc laetissima gentium ad Christum conversio, illinc synagogae Christi mortem mox secuta jamque per duodeviginti secula durans tristissima conditio, ostendunt 1. J. Christum esse illum, qui in oraculis prophetarum dicitur desiderium cunctarum gentium et lumen populorum; 2. vetus Testamentum esse rescissum novumque ei substitutum; 3. synagogam gravissimi criminis esse ream, quod 4. aliud esse nequit, quam rejectio Messiae i. e. Christi Jesu, proindeque 5. ipse exitus missionis Christi illius divinam originem comprobat.***

Demonstratio p. 1. Legantur quae de conversione gentium per Messiam prophetae saepe vaticinati sunt: Ps. 2, 8; 21, 28; 71, 8; Is. 2, 2; 11, 9; cc. 41, 54, 55, 60; Jer. 3, 17; 16, 19; Mich. 4, 1; Ag. 2, 7; Mal. 1, 10 etc. Atqui haec adimpleta esse in Christo et per Christum, quem vix natum magi ex Oriente quaesierunt, vix praedicatum fines orbis agnoverunt (cf. infra th. X.), non tantum testantur apostoli vel scriptores antiqui, sed nos ipsi hujus eventus sumus testes.

Luc. 19, 43; **b.** ingentem calamitatem et famem Luc. 21, 23; **c.** ingentem cladem ib. 21, 24. Praedixit **3.** *exitum* scil. destructionem urbis et templi Luc. 19, 44. et quidem perennem Matth. 23, 38. populique dispersionem Luc. 21, 24. Haec autem omnia adamussim contigisse, testis est ipse Josephus Flavius *de bello judaico.* Insignioribus vaticiniis, quibus probetur divina Christi missio, jure merito accensentur etiam verba Christi de facto Mariae ungentis ipsum Matth. 26, 13.: *Amen dico vobis, ubicunque praedicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod haec fecit in memoriam ejus.* Nam quae unquam probabilitas, factum tam minutum adeo fore ubique promulgandum? Merito accensentur et verba Mariae Luc. 1, 48.: *Ecce enim ex hoc beatum me dicent omnes generationes*, quod splendidissime adimpletum omnes cernimus, omnes miramur.

Plane ad rem sunt Augustini verba *de fide rerum quae non videntur* c. 4: »Me attendite, vobis (gentibus nondum credentibus) dicit Ecclesia, me attendite, quam videtis, etiamsi videre nolitis. Qui enim temporibus illis in Judaea terra fideles fuerunt, ex virgine nativitatem mirabilem ac passionem, resurrectionem, ascensionem Christi, omnia divina dicta ejus et facta praesentes praesentia didicerunt. Haec vos non vidistis, propterea credere recusatis. Ergo haec aspicite, in haec intendite, haec quae cernitis cogitate, quae vobis non praeterita narrantur, nec futura praenunciantur, sed praesentia demonstrantur. An vobis inane vel leve videtur, et nullum vel parvum putatis esse miraculum divinum, quod in nomine unius crucifixi universum genus currit humanum? Non vidistis quod praedictum et impletum est de humana Christi nativitate: *Ecce virgo in utero accipiet et pariet filium;* sed videtis quod praedictum et impletum est ad Abraham Dei verbum: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Non vidistis quod de mirabilibus Christi praedictum est: *Venite et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram* (Ps. 45, 9.), sed videtis quod praedictum est: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te: postula a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae* (Ps. 2, 7.). Non vidistis quod praedictum est et impletum de passione Christi: *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea; ipsi vero consideraverunt et conspexerunt me; diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem;* sed videtis quod in eodem psalmo praedictum est, et nunc apparet impletum: *Commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terrae, et adorabunt in conspectu ejus universae patriae gentium, quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium* (Ps. 21, 17. ss.). Non vidistis quod de resurrectione Christi praedictum atque completum est . . . sed videtis ejus Ecclesiam, de qua similiter dictum et impletum est: *Domine Deus meus, ad te gentes venient ab extremo terrae et dicent: Vere mendacia coluerunt patres nostri simulacra et non est in illis utilitas.* Hoc certe sive velitis sive nolitis aspicitis, ut si adhuc aliquam putatis esse vel fuisse in simulacris utilitatem, certe tamen innumeros gentium populos relictis vel abjectis vel confractis hujusmodi vanitatibus audistis dicere: *Vere mendacia coluerunt patres nostri simulacra, et non est in illis utilitas: si faciet homo deos, et ecce ipsi non sunt dii* (Jer. 16, 19.)« etc.

65. **Demonstratio p. II.** *Rescissum esse vetus Testamentum novumque auctore Christo ei substitutum,* sicut per Jerem. 31, 31. s. praedictum fuit, ex eventu patet. Abrogatum siquidem **1.** est *sacerdotium leviticum,* non tantum *de facto,* sed ita *radicitus* est exstinctum, ut restitui amplius non possit; nam propter totalem tribuum confusionem et permixtionem jam nemo suam ab Aarone probare poterit originem, quae tamen *jure divino* praerequiritur ad sacerdotium proprium V. T.: quocirca etiam judaei a destructione templi *rabbinos* forte habent, *sacerdotibus* carent. Ubique vero locorum circa illud tempus et ab eo tempore invaluit et viget hierarchia christiana constans episcopis, presbyteris, diaconis. Abolita sunt **2.** *sacrificia* V. T., et non solum *de*

facto, sed vel ipsa *possibilitas* eadem offerendi sublata est propter defectum templi et propter sacerdotium exstinctum; successit vero iis Christo auctore oblatio, quae ab ortu solis usque ad occasum in omni loco celebratur Mal. 1, 11. s. *Impossibilis* **3.** reddita est magna ex parte *observatio legis mosaicae* propter templi destructionem dispersionemque populi, cultus vero novus Dei Israëlis Christo auctore propagatus est usque ad fines orbis terrarum. Neque **4.** ipse Deus servat amplius *promissiones* foederi veteri Deut. cc. 28—30. adnexas de felicitate temporali, si judaei ipsius servarent mandata, de liberatione e captivitate aliisque calamitatibus, si seriam agerent poenitentiam etc. Ergo cum haec, quae erant elementa veluti Testamenti, manifesto abrogata sint, et cum circa idem tempus, Christo auctore, ex Sion exiverit nova lex, novum sacerdotium, novum sacrificium, novus cultus non novi Dei sed Dei Israelis, qui se V. T. abrogaturum novumque instituturum ad omnes gentes propagandum praedixerit atque promiserit, ipso eventu comprobatur J. Christus *legatus divinitus missus* atque propheta ille ex gente judaica suscitandus atque a Moyse jam praedictus Deut. 18, 15.

66. **Demonstratio p. III.** *Tristissimam esse* jam a XVIII sec. *synagogae populique judaici* (qua talis) *conditionem,* historia docet. Adimpleta siquidem sunt verba Oseae 3, 4. praedicentis: *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege et sine principe et sine sacrificio et sine altari et sine ephod et sine theraphim;* quaeque praedicta sunt Dan. 9, 26. *de destructione urbis et templi, de populi dispersione et reprobatione deque eorum excoecatione* Is. 29, 9. ss., unde carent omni prophetia, eorum libri praecipui fabellis indignis sunt referti; impleta quoque sunt illa Is. 65, 15: *Et dimittetis nomen vestrum in juramentum electis meis: et interficiet te Dominus Deus, et servos suos vocabit nomine alio.* Jam vero, subsumit Grotius *de verit. relig. christ.* 1 5. §. 16: „promisit Deus foedere per Moysen inito ipsis felicem possessionem terrae Palaestinae, quamdiu vitam suam ad legis praescriptum componerent: contra si adversus eam graviter delinquerent, exsilium aliaque id genus mala ipsis minatus est. Quod si tamen aliquo tempore pressi malis et poenitentia peccatorum ducti ad obedientiam rediissent, se misericordia populi tactum iri, effecturumque, ut quamvis in ultimas mundi plagas dispersi redirent in patriam, ut videre est tum alibi, tum Deut. 30. et Nehem. 1. Atqui jam anni sunt mille et ultra quingentos (modo octingentos), quod judaei patria carent, templo carent, et si quando novum aedificare voluerunt, semper sunt impediti. Cum olim populus gravissimis sceleribus se contaminasset . . . passus est exsilium, sed non diutius annis septuaginta, atque interea non omisit Deus per prophetas illos alloqui et solari spe reditus, indicato etiam ejus tem-

pore. At nunc, ex quo semel patria ejecti sunt, manent extorres, contempti; nullus ad eos venit propheta; nulla futuri reditus significatio; magistri ipsorum quasi spiritu vertiginis afflati ad turpes fabulas et ridicula dogmata delapsi sunt, quibus scatent libri talmudici... et tamen tanto tempore judaei nec ad falsorum deorum cultus deflexerunt ut olim, nec caedibus se contaminant. nec de adulteriis accusantur; Deum vero precibus et jejuniis certant placare, nec exaudiuntur etc." Merito ergo inferimus, gravissimi cujusdam criminis eos reos esse.

67. **Demonstratio p. IV.** Crimen, cujus judaeos n. praèc. reos agnovimus, aliud non esse quam *quod Messiam non receperint,* colligitur **1.** ex *natura* et *duratione poenae,* quae *triplici charactere* distinguitur: excedit **a.** longe poenam captivitatis babylonicae; est **b.** plane singularis, nulli populo communis; continetur **c.** reprobatione hujus populi ex parte Dei, adeo ut videatur excidisse illa missione, quam divinitus accepit. Quare et crimen, propter quod eadem inflicta est, majus esse debet omnibus prioribus delictis, singulare et proprium hujus populi, quo Deum penitus deseruit suaeque defuit vocationi. Ejusmodi vero notae in una Messiae reprobatione reperiuntur: nam populus iste totus erat ordinatus et destinatus ad Messiam, ideoque divinitus ceteris populis praelatus; ipsa Messiae missio ultimus et supremus divinae bonitatis conatus fuit in ejusdem salutem, quam ob causam *Messiae reprobatio* crimen erat summum, hujus populi singulare, quo penitus sua missione et destinatione excidit. Colligitur **2.** ex Dan. 9, 25. s., ubi exterminium urbis et templi subjicitur occisioni Messiae tamquam poena crimini (cf. n. 45.); **3.** ex Os. 3, 4. s., Ez. 34, 28. ss., quibus praedicitur, judaeos, postquam tot perpessi sint mala, tandem reversuros et quaesituros esse Dominum Deum suum et *David regem suum* i. e. Messiam. Hunc ergo, antequam in illa inciderent mala, deseruerunt.

68. Rejecisse autem judaeos Messiam, eo ipso quod *J. Christum recipere noluerint,* patet **1.** ex omnibus iis, quibus ostendimus, J. Christum esse Messiam divinitus praedictum. Deinde **2.** ostendimus, tristissimam populi judaici conditionem poenam esse rejecti Messiae. Atqui nullus assignari potest, quem universus populus *solemniter* reprobaverit quique tot veri Messiae characteres prae se tulerit, praeter J. Christum Joan. 19, 15.; et revera **3.** ea calamitas solemnem Christi reprobationem mox est consecuta. Accedunt **4.** luculenta Christi ipsius verba eam judaeis in poenam incredulitatis praedicentis Matth. 21, 33. ss., 23, 37. s., 8, 11. s. etc.

69. Cum ergo hinc quidem *solus Christus Jesus* et *praeter hunc nullus* gentes secundum prophetarum vaticinia ad veri Dei cognitionem

adduxerit, inde vero Deus hujus legati reprobationem horrendum in modum a judaeis vindicaverit: merito dici potest, *divinam Christi missionem ipso ejusdem exitu comprobari* sive *terribili inter judaeos* sive *laeto inter gentes.*

Caput II.

De divina religionis christianae indole atque origine.

70. Religionis christianae veritatem ex *divina auctoris missione* probavimus. Jam illius fructus consideremus. Si effectus doctrinae a Christo promulgatae atque Ecclesiae a se institutae sunt *suprahumani, supernaturales,* sunt tales, ad quas explicandas non sufficiunt causae naturales, sed omnino requiritur solus interventus divinus, religio christiana non inventum credi debet humanum, sed *institutio divina.* Quocirca consideremus *latitudinem, longitudinem, profunditatem* necnon *sublimitatem* effectus hujus religionis; et latitudinem quidem in *rapiditate propagationis,* longitudinem *in conservationis diuturnitate* mediis in saevissimis procellis; profunditatem *persuasionis,* quam nulla persecutorum tormenta convellere poterant; sublimitatem *in vitae sanctitate,* ad quam ex profundo vitiorum coeno haec religio cultores suos provexit. Quibus *miraculis* in ordine *morali* patratis adjecit Deus in ordine quoque *physico* prodigiorum splendorem, unde *quintuplici* saltem *radio* christianae religionis *origo* manifestatur *divina.*

71. **Thesis X.** ***Divina religionis christianae origo comprobatur ex rapidissima ejusdem propagatione.***

Demonstratio. *Tria* circa hanc rapidissimam propagationem sunt praestanda, sicut etiam circa reliquas tres proprietates. Probandum est prius *factum;* expendendi dein sunt facti *characteres,* quibus consideratis ostendendum est, factum illud *naturaliter* explicari non posse, sed recurrendum esse ad *specialem Dei interventum;* tunc enim demum inferre licet, *interventu Dei comprobari religionis* christianae originem *divinam.*

72. Consideretur ergo **1.** quam *late* quamque *celeriter* religio christiana fuerit propagata. Altero post Christum seculo, imo paucis ab ejusdem morte annis *ultra* imperii romani terminos, ad fines usque orbis tunc noti diffusa fuit. Cujus rapidae propagationis testis est Paulus Rom. 1, 8; 15, 18. s.; Coloss. 1, 6.; testes sunt *patres.* „Hesterni sumus, inquit Tertullianus ad romani imperii praesides *apolog.* c. 37., et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola vobis templa reliquimus." Testes sunt vel ipsi gentiles; jam Seneca conqueritur (ap. Augustinum *de civit. Dei* l. 6. c. 11): „Usque eo consuetudo convaluit sceleratissimae gentis (christianae), ut

per omnes jam terras recepta sit: victi victoribus leges dederunt." Advertatur porro non tot praesto tunc fuisse media doctrinae diffundendae sicut modo post inventam artem typographicam, neque tam facile expeditumque fuisse populorum inter se commercium, quale nunc est. Quare etsi propagatio fidei christianae *absolute* rapida forte dici nequeat, *relative* tamen, spectatis omnibus adjunctis rapidissima est judicanda.

73. Considerentur **2.** *impedimenta,* quae religionis christianae diffusioni undique obstabant eaque tam *interna* quam *externa.* Et *interna* quidem, cujusmodi erant incomprehensibilitas doctrinae, praeceptorum sanctitas sublimitasque virtutum, defectus omnis lucri praesentis, imo certa exspectatio persecutionis, damnorum, mortis; humilitas (apparens) auctoris crucifixi. Gravissima quoque erant impedimenta *externa,* qualia erant incredibilis morum corruptio, superstitionis error inveteratus atque cum lacte materno haustus, philosophorum irrisio et tumor, praejudicia penitus infixa atque calumniae nefandae adversus religionem christianam studio divulgatae, persecutionum per tria secula immanis furor. Considerentur **3.** *media,* quibus religio christiana fuerit propagata; quam insufficientia, imo nulla, si ita loqui fas est, fuerunt tanto effectui producendo. Pauci siquidem Christi discipuli tantum opus aggressi sunt iique destituti omnibus illis, quibus modo abundamus, mediis rapidae propagationis, et dotibus, quae vim aliquam ad auditorum animos inflectendos habere possent, uti sunt scientia, eloquentia, divitiae, gloria, nobilitas etc.; qui ita potius comparati erant, ut auditores facilius a se avertere, quam Christo lucrari potuerint, utpote rudes, illiterati, judaei omnibus invisi. Vere *quae stulta sunt elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea, quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret* (1. Cor. 1, 27. s.)!

74. Consideretur **4.** *effectus,* qui non fuit momentaneus, sed perennis; non superficie tenus humanum genus pervadens, sed totum hominem, totam societatem humanam renovans et in melius commutans. Quod prodigium **5.** alias quoque repetitum fuit, ut quando s. Franc. Xaverius cum sociis Indiis orientalibus atque Japoniae lumen intulit Evangelii. Quare **6.** cum quilibet effectus causam exigat adaequatam, media vero naturalia tanto effectui explicando paria non sint: concludendum est, eum suo lumine suaque gratia praesto fuisse, cui facillimum est et intellectus tenebras dissipare duritiamque frangere voluntatis (*Comp.* I, 94.).

75. Neque ad vim hujus argumenti infringendam provocetur ad celerem sive mohammedanismi sive protestantismi propagationem, cum ingens sit discrimen inter utriusque diffusionem et propagationem religionis

christianae. Differunt enim **a.** *latitudine;* **b.** *duratione,* cum utraque illa secta fines, quos semel initio attigit, multum deinde non excesserit, religio vero christiana quovis fere seculo alias atque alias occupaverit regiones; **c.** *mediis,* illarum enim propagationem multa media mere humana atque naturalia promovebant, ut vis illata, spes bonorum temporalium (ecclesiasticorum), et licentioris vitae per promulgatam, quam ajebant, libertatem evangelicam, hominum pronitas ad nova, ad excutiendum auctoritatis jugum etc.: **d.** *effectu,* neque enim utraque illa secta quos pervasit, e vitiorum coeno ad summam provexit sanctitatem, sicut religio christiana gentes domuit barbaras omnemque edocuit virtutem: nam illius propagatio consistebat in *defectione* multorum ab Ecclesia catholica (vel alia secta christiana). Atqui *deficere* ab uno coetu christiano ad alium multo facilius est quam *proficere* ab idololatria et summa corruptione ad religionem christianam et vitam probam.

76. **Thesis XI.** ***Divina religionis christianae origo comprobatur quoque ex ejusdem diuturna mediis in saevissimis tempestatibus conservatione et invicta constantia.***

Demonstratio. Considerentur **1.** Ecclesiae *hostes;* in ejus exitum conjurarunt judaei, gentiles, haeretici, mohammedani, schismatici, increduli, principes et potentes hujus mundi, societates secretae, imo tot filii immorigeri et rebelles; **2.** conjurationis *amplitudo,* nulla enim regio, nullum hujus Ecclesiae dogma, ritus, institutum ab impugnatione fuit immune; **3.** adversariorum *arma,* quae fuerunt omnis generis eaque efficacissima: potentia, scientia, opes, necnon fraudes, calumniae, mendacia, corruptio et seductio in omni ordine, vis aperta, insidiae atque machinationes secretae, quas malitia humana, imo et diabolica excogitare poterat. Ratio habeatur **4.** *procellarum internarum,* quae vel solae civitatem alioquin inexpugnabilem concutere, evertere, perdere possunt. Jam vero in ipso Ecclesiae sinu ortae sunt haereses, diuturna atque perniciosa schismata et dissidia. Quae vero **5.** fuere *Ecclesiae arma?* Sola plerumque patientia. Perpendatur **6.** impugnationis *diuturnitas,* cum ea sit ab incunabulis ad nostros usque dies perpetua Ecclesiae comes.

77. Quis vero **7.** hujus impugnationis *exitus?* Laetissimus plane. Quamvis enim Ecclesia pressa saepe gemuerit interitumque innumerorum filiorum integrarumque provinciarum saepe deploraverit, e pugna tamen putata vegetiorque prodiit atque ruinas mox aliis in regionibus reparans, inimicis interim deficientibus et tabescentibus, refloruit, adeo ut evidenter impletum cerneretur: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam* (Matth. 16, 18). Nisi ergo effectum admittere velimus sine causa adaequata, dexteram agnoscamus Omnipotentis coelitus suam protegentis Ecclesiam. Confirmatur **8.** hujus argumenti vis duplici consideratione: si scil. primo comparationem ineamus inter christianam

religionem et tot scholas vel philosophiae systemata aliaque instituta humana, Ecclesiam inter et tot imperia olim florentissima atque potentissima, quae pro insita sua mutabilitate nullo fere impugnante hoste senuerunt atque demum collapsa sunt, dum Ecclesia virescit semper et juvenescit. Advertatur deinde, Ecclesiam non una provincia vel regione coarctari, sed latissime suos extendere fines gentesque indole, cultu, moribus maxime differentes, saepe inter se inimicas, sinu suo complecti, neque tamen propterea hanc elementorum varietatem diversitatemque conservationi ejus obesse.

78. Neque opponatur diuturna conservatio religionis judaicae, superstitionis mohammedanae aliarumque sectarum; seposita enim religione judaica, cujus conservatio potius inservit probandae religionis christianae veritati, unde hinc speciali Dei providentiae adscribenda est, aliarum sectarum diuturnitas multum distat a constantia religionis christianae: nam **a.** *latius* illis patet Ecclesia *catholica;* quae praeterea **b.** *semper* degit *inter bella,* illae *profunda* ut plurimum *pace* perfruuntur; **c.** Ecclesia catholica plerumque destituitur protectione humana, qua illae fruuntur foventurque; haec **d.** juvenescit impugnata, illae vel senio vel internis dissidiis deficiunt atque collabuntur.

79. **Thesis XII.** ***Evidens humani generis ex vitiorum colluvie in melius per religionem christianam transformatio argumentum est divinae ejus originis.***

Demonstratio. Consideretur **1.** ingens *morum corruptio* omnisque ordinis subversio, quae tempore adventus Christi ubique gentium viguit, cujus testes sunt non solum apostoli Rom. 1, 24. ss.; 3, 9; 1. Cor. 6, 9. etc., non solum patres, sed ipsi scriptores gentiles: **2.** *evidens innovatio* subsecuta in *omni* ordine, maxime morali, quae se prodidit *eximia virtutum cultura,* cujus facti testes sunt ipsi etiam gentiles, qui passim fassi sunt de christianis accusatis, quod Pilatus de Christo, se nullam in ipsis sive mortis sive poenae causam invenire. Quocirca confidenter Tertullianus *Apolog.* c. 44. n. 148. ad acta provocans judicialia romani imperii dicere praesidibus potuit: „Vestros jam contestamur actus, qui quotidie judicandis custodiis praesidetis ... de vestris semper aestuat carcer; de vestris semper metalla suspirant; de vestris semper bestiae saginantur, de vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt. Nemo illic christianus, nisi hoc tantum (i. e. non propter aliud crimen, quam quod fidem profitetur christianam), aut si et aliud, jam non christianus (aut si est ibi propter aliud crimen, certe jam defecit a fide christiana)." Huc spectat admiratio gentilium, si quando audirent christianum aliquem esse fraudulentum, immitem etc. ut idem refert l. 1. *ad nationes* c. 1.

80. Verum **3.** considerentur singulares aliquae virtutes, quas non quomodocunque sed *gradu heroico* exercebant tot christiani. Quas inter eminent **a.** *castitas angelica*[1]), quam plurimi colebant, et quidem nobilissimis ex familiis virgines, quae tormenta ipsamque mortem malebant tolerare, spretis etiam splendidis licitisque nuptiis, quam ut eam violari paterentur. Ita refert Tertullianus *Apolog.* c. 50. n. 176. virgines christianas magis timuisse, si ad lenones quam si ad leones damnarentur. **b.** *Patientia heroica* mediis in saevis tormentis et persecutionibus adeo, ut fideles Salvatorem imitati, cum pro acceptis injuriis possent ulcisci, nunquam vel manum levaverint vel os suum aperuerint in persecutores, sed potius pro his oraverint. **c.** *Amor inimicorum,* quo et pestis tempore curam gesserunt gentilium, et qui se prodidit eleemosynis etiam gentilibus exhibitis, unde vel ipse Julianus apostata hanc caritatem commendare suisque in exemplum proponere non dubitaverit (l. 10. ep. 97.). **d.** *Perseverantia invicta,* licet expositi seductioni pessimisque circumdati exemplis.

81. Consideretur **4.** hoc phaenomenon toties fere esse repetitum, quoties primum advecta est religio christiana terris barbaris, ut Americae, Indiis, imperio sinensi, Japoniae etc., atque mutationem in melius quandoque fuisse subitaneam, ut baptizati jam alii essent a se. Consideretur **5.** nullum unquam exstitisse imperium, sectam, scholam philosophicam, quae similem in melius innovationem effecerit, talem tantamque reportaverit victoriam de vitiis, cupiditatibus, affectibus natura cordi humano tam alte insitis. Quibus expensis haud immerito haec in melius emendatio confertur cum creatione; ideoque sicut haec opus est Excelsi, ita et illa effectus censeri debet non virtutis humanae, sed illius, in cujus manibus corda sunt hominum. „Divinitatis testes sunt, infert jure Origenes *adv. Celsum* l. 1. n. 47., tot ecclesiae hominum, qui a vitiorum colluvie aversi conditori se totos addicunt et in omnibus illi placere student."

82. **Thesis XIII.** ***Ingens martyrum numerus invictaque eorum in tormentis constantia testimonium censeri debet authenticum veritatis illius Ecclesiae, quam sanguine suo irrigarunt.***

Demonstratio. Ad vim hujus argumenti perspiciendam considerationi subjiciatur **1.** *ingens numerus* martyrum omnis aetatis, sexus,

[1]) Ne opponantur virginibus christianis *virgines vestales;* nam **1.** hae fuerunt *paucae,* illae *innumerae;* **2.** harum virginitas fuit *honoribus* et commodis *compensata,* illarum vero *injuriis* et *martyrio exposita;* **3.** harum virginitas *non* fuit *perpetua,* poterant post certum exactum tempus inire matrimonium, illarum fuit *perpetua;* **4.** harum virginitas fuit *coacta* ac *poenis custodita*, illarum vero *plane spontanea* omnique seductioni exposita.

conditionis, nationis, quem antiquitatis monumenta satis testantur; 2. *tormentorum crudelitas,* quam non solum scriptores christiani, verum etiam gentiles *testatam reliquerunt.* Consideretur **3.** *incredibilis* martyrum *constantia,* quam testantur omnia eorundem acta. „Latrones et robusti-corporis viri, scribit Lactantius l. 5. c. 13., ejusmodi lacerationes perferre nequeunt: exclamant et gemitus edunt, vincuntur enim dolore, quia deest illis *inspirata patientia.* Nostri autem (ut de viris taceam) pueri et mulierculae tortores suos taciti vincunt: et exprimere illis gemitum nec ignis potest." Sed non solum constanter atque fortiter, verum prompte etiam, alacriter hilariterque saevissima tormenta tolerabant. Considerentur **4.** martyrii *adjuncta:* prudentissima scil. martyrum responsa, secundum verba Christi praedicentis: *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri* Luc. 21, 15; Matth. 10, 18. ss.; tranquillitas et hilaritas animi, humilitas et modestia, salutaris timor ortus ex cognitione propriae infirmitatis junctus tamen cum fiducia in Dei auxilium, libertas qua obibant mortem etc. Vere obtinuit illud, quod belle s. Augustinus ita expressit *serm.* 273. n. 5: „Quomodo ampullae unguentorum, quanto magis frangebantur, tanto amplius odor diffundebatur." Hic vero virtutum apparatus maxime commendat martyrium christianum arguitque absentiam furoris fanatici, obstinatae pertinaciae, vanae gloriae etc., ex quibus subinde oritur illorum constantia, qui pro errore sanguinem suum fundunt. Consideretur **5.** hujus facti *constantia.* Sicut enim Ecclesiae nunquam defuere virginum lilia, ita ipsa semper quovis seculo, in quavis mundi plaga martyrum sanguine fuit irrigata: neque minor sive constantia sive virtus martyrum ex. gr. japonensium fuit, quam confessorum Ecclesiae recens natae fortitudo.

83. Hoc sanguinis effusi testimonium vocem esse veritatis authenticam[1]), patet **1.** *ex effectu,* cum revera martyrum constantia innumeros

---

[1]) Ad hujus argumenti vim infringendam libenter provocant adversarii ad tot heroas, fanaticos, milites, qui pro gloria vel pro patria gravia mala et tormenta fortiter subierunt, quorum tamen fortitudo censeri neque debet, neque potest effectus specialis Dei interventus. Verum ingens est discrimen inter horum fortitudinem et martyrum patientiam. Sane primo occurrit discrimen respectu *numeri;* deinde martyres differunt *conditione,* cum non fuerint tantum viri robusti. sed puellae et virgines tenerae, mulieres infirmae, provectae aetatis senes. Differunt *tormenta aliaque adjuncta,* in primis quod martyres omnium virtutum comitatu suam confessionem ornaverint. Quae si diligenter expendantur. heroum, qui opponi solent, fortitudo vix tenuis umbra est illius virtutis, quam in martyribus animadvertimus. Longe autem majus discrimen apparet *martyres* inter et *milites,* qui fortiter pro patria pugnantes occumbunt. Ili enim necessitate poenisque gravissimis intentatis plerumque coguntur, illi vero tormenta solo

ad fidem christianam amplectendam permoverit. Quamobrem Tertullianus c. 50. n. 176. apologiam religionis christianae absolvens, sic romani imperii antistites alloquitur: „Cruciate, torquete, damnate, atterite nos.... Nec quidquam tamen proficit exquisitior quaeque crudelitas vestra: illecebra est magis sectae. Plures efficimur, quoties metimur a vobis: semen est sanguis christianorum.“ Habet ergo martyrum sanguis vim persuadendi singularem, non minorem miraculis, longe majorem verbis philosophorum eloquentissimis. „Multi apud vos, advertit ad rem Tertullianus l. c. n. 177., ad tolerantiam doloris et mortis hortantur, ut Cicero in Tusculanis, ut Seneca in Fortuitis, ut Diogenes, ut Pyrrhon, ut Callinicus, nec tamen tantos inveniunt verba discipulos, quantos christiani factis docendo. Illa ipsa obstinatio, quam exprobratis, magistra est. Quis enim non contemplatione ejus concutitur ad requirendum, quid intus in re sit? Quis non ubi requisivit, accedit; ubi accedit, pati exoptat, ut totam Dei gratiam redimat?“ Atqui plurimos prudentes et sobrios inducere ad amplectendam non obstantibus gravissimis periculis et incommodis doctrinam nullatenus naturae corruptae gratam, est tantum veritatis perspectae.

84. Patet 2. *ex ipsa rei natura,* ut Lactantius l. 5. c. 13. advertit: „Nam cum videat vulgus dilacerari homines variis tormentorum generibus, et inter fatigatos carnifices invictam tenere patientiam, existimant, id quod res est, nec consensum tam multorum, nec perseverantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam *sine Deo* cruciatus tantos posse superare.“ Sane 3. nulla potest assignari causa *naturalis,* qua factum tam universale loco et tempore, tam stupendum, tam inauditum sufficienter possit explicari. Non *spes lucri,* ut manifestum est; non *inanis gloriae cupido,* quam bene norant a religione nostra proscribi; non *patriae amor;* non *mentis furor,* quem abfuisse evincunt tot virtutes, quibus martyres ornabantur; non *inanis* et *erronea* exspectatio futurorum bonorum, quae nequit esse radix et fons

---

verbo nutuque cum spe lucri effugere potuissent. Milites non se exponunt morti certae, sed tantum plus minusve probabili mortis periculo, et quo animosius se ei objiciunt, eo facilius plerumque illo perfunguntur: martyres cruciatibus horrendis certaeque morti se offerebant. Militum mors plerumque est subita, hinc sine diuturno dolore: martyrum prolixa, horrida. Isti tormenta adibant animo tranquillo, absque vindictae studio, ira et felle, bene affecti vel erga judices et tortores, humiles et de sua virtute diffidentes: illi in pericula ruunt, ulciscendi studio iraque ardentes, coeco animi impetu abrepti, suis praefidentes viribus. Martyres nulla spe lucri movebantur; milites spe praedae, gloriae, honoris, spe evadendi periculum alliciuntur; unde liquet immerito militum fortitudinem conferri cum martyrum constantia.

virtutum *solidarum* et *adeo sublimium*, ut earum vel umbram frustra apud philosophos ethnicos quaeras. Cum ergo martyrum constantia ex causis *naturalibus* nequeat explicari, maneat illatio, quam jam sec. II. Ecclesia smyrnensis in ep. de martyrio s. Polycarpi hisce verbis enunciavit n. 2: „Eorum (martyrum) strenuitatem ac tolerantiam et erga Dominum caritatem quis non admiretur? qui flagris quidem adeo lacerati, ut ad intimas usque venas et arterias corporis compago spectaretur, tamen sustinuerunt, ita ut etiam qui aderant miserarentur ac plangerent: ipsi vero eo fortitudinis venerant, ut nemo illorum vel strideret vel ingemisceret, omnibus ostendentes, martyres Christi se tunc dum torquerentur a carne peregrinatos fuisse *aut potius Dominum ipsis adstitisse et cum ipsis esse versatum.*"

85. Hactenus **4.** consideravimus martyrium tantum *materialiter,* ut factum scil. quoddam *stupendum,* ad cujus explicationem non sufficiat causa *naturalis,* requiraturque interventus *divinus.* Considerari martyres etiam debent *formaliter* ut sunt *testes.* Ita enim spectati sunt catena quaedam *testium*, quae incipit ab apostolis et iis, qui cum Christo vixerunt, continuata per plura secula, qui testes consone idem semper testimonium reddiderunt rivisque sanguinis confirmarunt. Hujus vero testimonii objectum sunt facta *externa,* quibuscum clare cohaeret religionis christianae divinitas, miracula scil. Christi, ejus a mortuis resurrectio, miracula apostolorum aliaque credibilitatis *motiva,* quibus ipsi inducti sunt ad profitendam fidem. Ejusmodi vero testimonium, nisi omnes sanae criticae leges conculcentur, veritatis censeri debet testimonium. Et in hoc momento *essentiale* intercedit discrimen inter martyres *christianos* et martyres *cujuslibet alterius sectae:* hi enim mortui sunt pro subjectiva opinione, *non formaliter qua testes* facti alicujus externi supernaturalis. Jam vero mors pro affirmatione opinionis propriae suscepta nondum probat hujus opinionis veritatem, nisi extraordinaria adjuncta martyrium exhibent ut factum superhumanum; sed mors suscepta ad obsignandum testimonium pro facto aliquo externo testis veracitatem luculenter probat. Quis enim mori velit, ut testetur se vidisse quod non vidit? Cf. diss. *opusc.* IV, 143—188.

86. **Thesis XIV.** ***Miracula, quae praedicationem religionis christianae comitata sunt, originem ejus coelestem demonstrant.***

Demonstratio. In primis demonstranda est *historica* horum miraculorum *veritas:* de eorum enim veritate sive philosophica sive relativa eadem fere repeti possunt, quae diximus de Christi miraculis (n. 55. ss.). Illa autem probantur *testimonio* plane *authentico,* referuntur siquidem **1.** a testibus *numero plurimis,* fide ob vitae sanctitatem famamque doctrinae plane dignis, qui plerumque haec facta *propriis oculis* usur-

parunt. Huc spectat *daemonum expulsio* ex obsessorum corporibus *sola invocatione nominis Christi effecta*, cujus testes sunt tot fere patres, quot pro religionis christianae apologia aliquid scriptum reliquere. Cf. *opusc.* I, 105. ss.; XI, 128. s. an. Referunt **2.** non factum unum alterumve, sed *plurima*[1]); quamobrem Irenaeus l. 2. c. 32. n. 4: „Non est, inquit, numerum dicere gratiarum, quas per universum mundum Ecclesia a Deo accipiens in nomine Chr. Jesu crucifixi sub Pontio Pilato, per singulos dies in opitulationem gentium perficit." Referunt **3.** facta non secreta, sed *maxime publica,* quaeque inspectante toto populo contingebant. Huc spectat praeter daemonis expulsionem celebre illud miraculum, a pluribus testibus *oculatis* relatum, quo plurimi confessores africani propter intrepidam fidei catholicae confessionem ab Hunerico vandalorum rege lingua radicitus mutilati expedite loquebantur. Cf. *opusc.* XXII, 223. ss. Referunt **4.** facta publica *adeo certa* et *indubia*, ut patres[2]) in suis adversus gentiles, incredulos, haereticos disputationibus confidenter ad ea provocent. Imo **5.** quandoque vel *ipsi gentiles* veritatem talium factorum contestantur, ut Marcus Aurelius teste Tertulliano *opusc.* XIX, 36; Celsus apud Origenem l. 1. n. 6. et Ammianus Marcellinus l. 18., ubi refert phaenomena illa mira, quibus judaei a reparando templo hierosolymitano praepediti fuere. Denique **6.** miraculorum veritas comprobatur *ipso eventu:* quo nixus Augustinus *de civit. Dei* l. 22. c. 5. et 8. infert: „Si per apostolos Christi, ut eis crederetur resurrectionem atque ascensionem Christi praedicantibus, etiam ista miracula facta esse non credunt, hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod eam terrarum orbis sine ullis miraculis credidit." Quare concludendum est, religionem, quam tot comitantur miracula, non aliam habere originem, quam ipsa miracula, scil. divinam[3]).

---

1) Ita etiam Augustinus *de civit. Dei* l. 22. c. 8. scribit: „Si miracula sanitatum, ut alia taceam, ea *tantum* velim scribere, quae per hunc martyrem i. e. gloriosissimum Stephanum facta sunt in colonia calamensi et in nostra, plurimi conficiendi sunt libri etc."

2) „Edatur hic aliquis, ait Tertullianus in *Apologetic.* c. 23. n. 93., sub tribunalibus vestris, quem a daemone agi constet. Jussus a quolibet christiano loqui spiritus ille, tam se daemonem confitebitur de vero (vere), quam alibi Deum de falso (fallaciter). Aeque producatur aliquis ex his, qui de Deo pati existimantur . . . nisi se daemones confessi fuerint christiano mentiri non audentes, ibidem illius christiani procacissimi sanguinem fundite. *Quid isto opere manifestius? quid hac probatione fidelius?* simplicitas veritatis in medio est; virtus illi sua assistit; nihil suspicari licebit. Magia aut aliqua ejusmodi fallacia fieri dicetis, si oculi vestri et aures permiserint vobis etc."

3) Quaeritur, quare nunc non amplius miracula fiant. Cui quaestioni ut respondeamus, advertimus **1.** aliam esse conditionem *nascentis propagandaeque*

87. Proposita demonstratione pro coelesti religionis christianae origine, illius *crisin* quodammodo instituemus ejusque valorem determinabimus. In primis adverti debet, *certitudinem* esse firmum mentis assensum veritati propositae exhibitum, ejus vero motivum formale assensum determinans esse *ipsam veritatem se manifestantem.* Porro veritas *duplici* modo se manifestat: vel tanta claritate, quae mentem ad assensum rapiat, vel ea claritate, quae mentem non quidem cogat ad assensum, attamen sufficientem rationem eidem suppeditet ad prudenter assentiendum. Quod si primum obtinet, certus assensus ab *evidentia* determinatur; si alterum, assensus quidem certus esse potest, sed non habetur sine influxu voluntatis; unde patet certitudinem **1.** *latius* patere *evidentia.* Ad haec **2.** certitudo est firma mentis adhaesio cum exclusione omnis *dubii saltem prudentis:* ubi vero adest evidentia, excluditur non solum dubium prudens, sed et *imprudens* et *indeliberatum.* Cum sumus **3.** certi, intelligimus rem ita se habere, ut affirmatur; evidentia insuper ostendit, rem *aliter se habere non posse.* Idcirco **4.** evidentia ad assensum *rapit, determinat* vel invitum; ubi vero haec deest et tantum adsunt motiva paria ad gignendam certitudinem, ut haec actu gignatur, plus minusve *bona requiritur voluntas.* Quibus praemissis aliquot propositiones statuemus.

88. I. *Revelationis factum non est evidens,* saltem non ea evidentia, quam n. praeced. descripsimus, *non ex motivorum* et *demonstrationis defectu,* sed propter mentis nostrae angustias. Haec est **1.** *communis* theologorum *doctrina,* qui docent, fidem non fore amplius liberam, si revelationis factum esset evidens. Cujus rei haec est ratio: actus fidei in specialia dogmata v. gr. in ss. Trinitatis mysterium resolvi potest in hanc formam: quidquid Deus revelat, verum est; quae propositio est evidens. Atqui Deus revelavit se esse unum et trinum: ergo Deus est unus et trinus. Quod si propositio subsumpta seu praemissa minor enuncians revelationis factum pariter esset evidens, evidens foret conclusio. Atqui evidentiae est proprium ad assensionem

---

Ecclesiae, aliam *Ecclesiae jam propagatae*, adultae, quae ipsa sua canitie, populorum consensione, virtutum cultura aliarumque dotum splendore tantae exsistit auctoritatis, ut citra miracula conciliare sibi possit fidem. Hoc sensu dixit Gregorius M. hom. 29. *in Evang.* n. 4: „Haec necessaria in exordio Ecclesiae fuerunt. Ut enim fides cresceret, miraculis fuerat nutrienda, quia et nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra jam convaluisse videamus, et si semel radicem fixerint, in rigando cessamus.“ Adde **2.** miracula vim probandi exserere, quatenus facta sunt extraordinaria admirationemque excitant: illorum vero utilitati multum decedere, si citra necessitatem nimis frequenter contingerent. **3.** Falsum tamen est, miracula in Ecclesia *penitus* cessasse, cum et nunc temporis haud raro contingant, et Ecclesiae mira inter tot procellas conservatio, vaticiniorum sive V. T. sive ipsius Christi et b. Mariae V. (n. 62.) per seculorum cursum adimpletio continuum et *palpabile sit miraculum.* Ceterum **4.** etiamsi maxima modo patrarentur miracula, vix probabile est, incredulos illis multum commovendos fore. Semper enim invenirent, quae contra illa exciperent. *Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent* (Luc. 16, 31.). Si Christi miraculis non credunt, neque miraculis credent, quae coram ipsis fierent.

vel invitum determinare. Ergo necessario pro vero haberetur ss. Trinitatis mysterium, quod fidei libertati adversatur. Idem deinde **2.** testatur unicuique *propria experientia.* Neque enim ita ad amplectendum revelationis factum determinamur, ut opus non sit bona voluntate et quandoque *magna* voluntatis *energia* ad spernenda dubia, quae in nobis insurgunt, et ad vincendas difficultates, quae se opponunt, quaeque promptam intellectus assensionem remorantur. Idem probatur **3.** ex *ipsa natura demonstrationis* allatae, quae ad formam scientificam redacta haud parum est complexa et quam plurima supponit; quo vero magis complexa est aliqua demonstratio et quo plura supponit, eo rarius est evidens, tum *ob mentis* nostrae *angustias,* cujus lux quo pluribus distenditur, eo minoris est intensionis; tum *propter dubii* saltem *imprudentis possibilitatem,* quae crescit in ratione directa numeri veritatum et factorum, quae ad demonstrationem praesupponi debent.

89. II. *Revelationis factum licet non sit evidens, est tamen certum* et certitudine quidem ea, quae excludat *omne dubium prudens.* Hoc patet ex omnibus argumentis ad illud probandum allatis, contra quae **1.** nullum dubium prudens moveri potest, eaque tantum opponi solent, quibus serio admissis *veritas quaevis historica subverteretur.* Quapropter **2.** illorum pondere permoti innumeri homines docti, quos sana ratione caruisse diligentemque neglexisse inquisitionem injuria diceretur, fidem christianam sunt amplexi spretis omnibus praejudiciis, neglectis omnibus objectionibus in contrarium, victis omnibus difficultatibus internis externisque. Et revera **3.** tantae sunt firmitatis, ut secundum Richardum a s. Victore *deTrin.* l. 1. c. 2. »cum omni confidentia Deo dicere possimus: Domine, si error est, a teipso decepti sumus, nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quae nonnisi per te fieri possunt.« Sane **4.** si vel semel concedatur de revelationis christianae veritate *prudens* dubium, vere desperandum esset de inventione veritatis et religionis, tristissima foret generis humani conditio, diffidendum de Dei bonitate, sapientia, et providentia permittente invincibilem ejusmodi errorem et fraudem tam fallacem.

90. III. *Si de revelationis facto certo constat, revelatio objectiva seu veritates revelatae dici possunt et debent evidenter credibiles.* Sane *credibile* illud dicitur, quod prudenter credi potest. Atqui *evidens* est id, cujus veritatem tot comprobant motiva, quae omne prudens dubium excludunt illudque licet non evidens, certum tamen reddunt, *prudenter* admitti, et si agitur de factis, credi posse; tali enim certitudine omnis fides, qua tota nostra vita regitur, fundata nititur: imo imprudentissime et impie ageremus, si certitudine non contenti, evidentiam semper postularemus; tunc enim periret filialis pietas, amor conjugalis, unio socialis. Cf. *opusc.* VI, 59. an. Evidens ergo est, prudenter credi posse revelationi divinae, cujus factum licet evidens non sit, certum tamen est.

91. IV. *Factum revelationis non solum est evidenter credibile, verum etiam evidenter credendum,* evidens scil. est hominis obligatio amplectendi revelationem, quam primum ipsi *certo* constiterit *de revelationis facto* deque evidenti ejusdem credibilitate. Nam evidens est, hominem obligari ad credendum Deo revelanti fidemque ab eo exigenti, et Deum non teneri revelationem suam reddere homini ita evidentem, ut omne dubium etiam imprudens exstinguat, sed sufficit, ut eam faciat evidenter credibilem, scil.

ut id praebeat omne, quod ratio jure merito exigere possit ad prudenter credendum. Si enim homo citra laesionem sive pietatis sive honoris fidem aliis hominibus recusare nequit, a fortiori revelationi divinae evidenter credibili ad se directae citra laesae majestatis divinae crimen fidem denegare non licebit. Atqui ostendimus p. praecedenti revelationem christianam esse *evidenter credibilem;* evidens ergo est obligatio, qua homines ad eam fide amplectendam obstringuntur, seu evidens est *ea, quae ipsa continentur, esse credenda.*

92. **Corollarium I.** Demonstrata veritate religionis christianae sponte sua consequitur *cujuslibet alterius religionis* ab hac dissonae *falsitas,* scil. gentilis, judaicae prouti nunc est et quatenus opponitur christianae, et mohammedanae: neque necesse erit data opera singulas refellere.

93. **Corollarium II.** Negari non potest inter tot coetus, qui Christi nomine gloriantur, non solum dissensionem esse circa ritus, verum etiam circa ipsam doctrinam. Cum autem admitti nequeat, Christum veritates inter se pugnantes docuisse ideoque omnes illos coetus veram sinceramque ejus doctrinam possidere: ulterius erit investigandum, *quinam ex tot coetibus ille sit, in quo pura atque integra doctrina Christi reperiatur.* Jure autem meritoque inferemus, veram Christi religionem reperiri in illo coetu, cui prae ceteris conveniunt quinque illi radii (n. 70.) manifestantes divinam hujus religionis originem. Atqui hi comitantur illum coetum tantum, qui vel solo apposito *catholici* quovis seculo a reliquis secernebatur et a quo omnes alii coetus lapsu temporis defecerunt. Ille enim est, qui tam rapide crevit per conversionem gentilium, qui immotus manet et invictus inter tot procellas per duodeviginti jam secula; ille quovis seculo alias atque alias gentes ex barbarie ad mores humanos et saepe vere angelicos promovit; ille semper rutilat martyrum sanguine et Spiritus sancti gloriatur charismatibus et miraculis. Quare jam quodam praejudicio colligere licet, in Ecclesia *catholica* veram reperiri religionem.

Merito de illo scribit Augustinus *contra ep. Manichaei, quam vocant Fundamenti,* c. 4: »Multa sunt, quae in ejus gremio me justissime tenent; tenet consensio populorum atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa sede Petri apostoli . . . usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum; tenet postremo ipsum catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad *Catholicam* conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot et tanta nominis christiani carissima vincula recte hominem tenent credentem in Ecclesia catholica, etiamsi propter nostrae intelligentiae tarditatem vel vitae meritum veritas nondum se apertissime ostendat.«

Tractatus II.

De fontibus divinae revelationis.

94. Demonstrata *exsistentia* et *veritate revelationis christianae* sponte sua oboritur quaestio, *quo* veluti *canali* revelatio pridem completa ad nos usque conservata sit integra et sincera, sicut a Christo et ab apostolis primitus fuit promulgata, seu quinam sint illi fontes, ex quibus hanc revelationem nostra etiam aetate haurire possimus. Respondent protestantes, *solam sacram Scripturam* et *fontem* esse, ex quo dogmata omnia haurienda sint, et *normam* regulamque adaequatam, quae ad omnes de fide quaestiones sufficiat et ad quam dogmata omnia exigenda sint atque judicanda. Catholici vero respondent cum Irenaeo (l. 3, c. 4.): „Non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, *quam facile est ab Ecclesia sumere,* cum apostoli quasi in depositorium dives plenissime in eam contulerint omnia, quae sint veritatis, ut omnis quicunque velit, sumat ex ea potum vitae. Haec est enim vitae introitus etc." Doctrina nimirum vera haec est: **1.** universam doctrinam et disciplinam revelatam contineri in Scripturis traditionibusque divinis; **2.** organum conservationis atque propagationis divinae revelationis seu traditionis et canonis ss. Scripturarum perpetuam esse successionem apostolicam in Ecclesia catholica; **3.** veri sensus Scripturarum atque traditionis magistram obortisque dubiis vel controversiis interpretem et judicem authenticum esse Ecclesiam. Quapropter Ecclesiae auctoritas *proxima* et *immediata* dicitur *fidei regula,* Scriptura vero et traditio *mediata* atque *remota.*

95. Licet autem de his tribus argumentis, *de Ecclesia* scil., *de s. Scriptura deque traditione* seorsim vix disputari possit, intime enim cohaerent et a se invicem pendent: gradatim tamen quae de singulis tenenda sunt, evolvemus, incipientes a regula fidei *remota,* et quidem a *traditione divina,* cum haec prior sit s. Scriptura, latius pateat, et ipsi Scripturae auctoritatem conciliet.

Sectio I.

De divina traditione.

96. Traditio quaecunque considerari potest tum *objective,* tum *active,* tum *complexe.* Traditio *active* spectata est ipse actus seu actuum series, qua doctrina seu veritas aliqua ad alios propagatur et traducitur: *objective* spectata est idipsum quod traditur et ad alios derivatur praecisione facta a modo, quo traditur. Traditio *complexe* sumpta est ipsum objectum cum modo traditionis, veluti materia cum sua forma.

97. Solent vero traditiones distingui **1.** ratione *modi,* quo propagantur, in *scriptam, oralem* et *practicam;* ratione *objecti,* quod traditur, distribuuntur **2.** in *dogmaticas* et *disciplinares;* ratione *durationis* **3.** in *perpetuas* et *temporales;* ratione *loci* **4.** in *universales* et *locales;* ratione *obligationis* **5.** in eas quae sunt *praecepti,* et eas quae sunt *consilii.* Sed maxime **6.** notanda est distinctio ratione *originis* in *divinas* et *ecclesiasticas.* Utrumque membrum iterum bifariam patet. Traditionum enim divinarum aliae sunt ab ipso Christo institutae et promulgatae, quae vocantur *dominicae;* aliae ab apostolis sunt promulgatae sed dictante s. Spiritu, quae dicuntur *divino-apostolicae.* Aliae iterum profectae sunt ab apostolis, quatenus erant rectores et pastores ecclesiarum, qui pro accepta potestate poterant Ecclesiae disciplinam moderari et pro prudentia sibi divinitus infusa in fidelium commodum leges ferre (cf. 1. Cor. 7, 10. 12.), et istae appellantur simpliciter *apostolicae.* Et quia Ecclesia non dissimili pollet leges condendi auctoritate, traditiones ab ipsa institutae dici solent *ecclesiasticae*[1]).

98. Quamvis traditio *latiori* aliquo *sensu* dicantur a patribus omnia dogmata et instituta ex antiquitate Ecclesiae quocunque demum modo etiam per s. Scripturam transmissa, significatione tamen *strictiori* et *specifica* nomine *traditionis* adsignificatur modus transmissionis et con-

---

[1]) Adverti tamen debet, traditiones mere apostolicas vel ecclesiasticas quandoque a patribus vocari *divinas,* eo quod Deus apostolis et Ecclesiae concessit ejusmodi auctoritatem; sicut etiam traditiones divinas quandoque appellant *apostolicas* vel ecclesiasticas, quia apostoli et Ecclesia illas propagarunt. Patet autem discrimen inter traditiones *divinas* et *ecclesiasticas;* istae siquidem versantur circa *solam disciplinam,* illae circa *dogmata, sacramenta etc.* Si ergo agitur de doctrina vel ejusmodi instituto, quod Deum tantum auctorem habere potest (cujusmodi sunt sacramenta), traditio est vel divina vel nulla. In praeceptis vero et institutis ita comparatis, ut ex indole sua non necessario divinae originis esse intelligantur, sed possint etiam profecta esse ab auctoritate mere apostolica vel ecclesiastica, regulam ad discernendas traditiones ecclesiasticas ab apostolicis suppeditat Augustinus *de baptismo* l. 4. c. 24.: „Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.“ Norma autem discernendi traditiones *divinas* a mere *apostolicis* in re practica revocatur ad sensum et judicium Ecclesiae seu antiquitatis christianae.

servationis a s. Scriptura diversus; quae significatio nominis ita communis est, ut semper praesumi possit, nisi altera latior in singulis demonstretur contextibus. Quod patet **1.** ex divinis literis, ubi verbum *tradere* saltem duodecies occurrit in significatione de qua loquimur, nec nisi semel 2. Thess. 2, 14. certo usurpatur promiscue tam de doctrina per Scripturam, quam de altera oretenus tradita. Cf. Matth. 15, 2. ss.; Marc. 7, 3. ss.; 1. Cor. 11, 2. 23; 15, 3; 1. Petr. 1, 18. Patres vero **2.** traditionem vel distinguunt a Scriptura, vel cum ea conjungunt, exhibentes Scripturam et traditionem qua duplex cognitionis christianae principium ejusdem auctoritatis, vel docent traditionem latius patere Scriptura, ut patebit ex testimoniis passim in hoc tractatu citandis. Tamen etsi ratione *modi* traditio plerumque distinguatur a *Scriptura sacra,* propterea non excluditur *omnis scriptio* patrum etc. ad eandem doctrinam melius transmittendam et conservandam, sed tantum *scriptio auctorum inspiratorum;* et hoc tantum sensu dicitur *oralis,* quod ab apostolis solum *ore,* non etiam *scripto* Ecclesiae fuerit proposita, non vero ut significetur eam *ore solum semper* fuisse propagatam.

99. Duplici modo potest de traditione quaestio institui. Primo quaeri potest, utrum praeter Scripturam aliae sint veritates revelatae. Haec via impeditior est. Facilior et magis peremptoria est, si quaestio ita instituitur: utrum Christus instituerit alium modum, aliud organum praeter Scripturam, quo revelatio sua propagaretur ac conservaretur in sua integritate et sinceritate, adeo ut veritates eo transmissae sive scriptae fuerint, sive non fuerint scriptae, verbum tamen sint Dei? Si deinde quaeritur: utrum revera hoc modo aliqua fuerint transmissa, quae s. Scripturis non contineantur? Nos hunc ordinem sequemur. Disputationem autem in *quatuor* distinguemus capita, in quorum *primo* determinabimus organum divinitus institutum ad propagandam doctrinam revelatam; in *secundo* quaedam indicabimus agnoscendae traditionis quovis seculo in Ecclesia viventis media; in *tertio* comparationem instituemus inter traditionem et s. Scripturam; in *quarto* denique ad complementum hujus argumenti quaedam doctrinae capita addemus.

Caput I.

De medio divinitus selecto ad conservandam propagandamque doctrinam christianam.

100. **Thesis XV.** ***Medium et organum authenticum propagationis et conservationis christianae revelationis est magisterium a Christo institutum; nullatenus vero medium unicum est s. Scriptura, multoque minus fons, e quo singuli independenter ab authentico visibilique magisterio religionem christianam sibi hauriant.***

Demonstratio. Veritas statuta probatur *primo* ex *praxi* a Christo et apostolis in promulgatione doctrinae revelatae servata. Sane ea

ratione et medio doctrina Christi erit propaganda, quo ipse usus est Christus, usi deinde sunt apostoli. Atqui **1.** Christus, conciliata sibi prius multiplici argumento auctoritate, doctrinam suam non *scripto,* sed *viva voce* promulgavit. Neque **2.** moriens doctrinae perpetuitati prospexit literis scriptis, quibus figeret doctrinam et praecepta, et ex quibus singuli illa discerent: sed instituto authentico magisterio, cui suam assistentiam et Spiritus sancti tutelam promisit Matth. 18, 17; 28, 18; Joan. 14, 16. s. 26; Luc. 10, 16. etc.[1]). Apostoli **3.** ecclesias fundarunt, evangelium non scriptis, sed *oretenus,* praedicatione, magisterio propagantes, aliosque instituentes, qui ipsorum loco alios iterum instituerent. *Quae audisti a me,* scribit Paulus Timotheo 2. ep. 2, 2., *per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* Neque apostoli de scribendo admodum erant solliciti, imo plures nihil plane scripserunt. Gentiles vero **4.** et judaei non leguntur citra hoc magisterium sola lectione Scripturae fuisse Ecclesiae aggregati. Ergo, nisi evidenter contrarium probetur, inferendum est, per magisterium viva voce Christi doctrinam etiam in posterum esse promulgandam et ad omnes gentes derivandam.

101. Idem probatur *secundo* ex *verbis* Christi *disertis,* quae ejus voluntatem aperte manifestant. Advertatur **1.** Christum nunquam apostolis praecepisse, ut aliquid scriberent, sed semper inculcasse, ut *docerent, praedicarent, testes essent.* Vix autem credibile est, Christum omisisse apostolos monere, ut illud praestarent, quod ex ejus intentione praecipuum debebat esse medium ad doctrinam suam diffundendam et propagandam. Cujus silentii **2.** vis crescit, quod secundum protestantes nihil debeat admitti, nisi quod ex divinis probetur literis, quibus solis se stare toties asseverant; praesertim **3.** si collatio instituatur inter oeconomiam servatam a Deo circa synagogam et Christi oeconomiam in condenda Ecclesia. Postquam enim Deus voluntatem suam Moysi aperuit, subinde eum jussit scribere. *Scribe tibi,* ita Ex. 34, 27. (cf. 17, 14.), *verba haec, quibus et tecum et cum Israel pepigi foedus;* et saepe refertur, Moysen Dei verba consignasse literis, imo ipsum Deum scripsisse legem Ex. 24, 12; 31, 18; Deut. 5, 22. Etiamsi vero **4.** protestantes evincerent, Christum praecepisse apostolis ut scriberent, ideoque apostolos scripsisse, non propterea suum statuerent systema.

---

[1]) *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus,* Matth. 18, 17; *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes . . . docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis; et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi,* ib. 28, 18; *Paracletus autem Spiritus s., quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis,* Joan. 14, 26. etc.

Nam non obstante lege Moysis scripta erat in synagoga magisterium vivum ordinarium sacerdotum et extraordinarium prophetarum, quorum custodiae et magisterio lex erat concredita; *labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent de ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* Mal. 2, 7. Cf. Deut. 17, 8. ss.

102. Sed jam **5.** expendantur diserta quaedam testimonia, e quibus manifesto consequitur, voluisse Christum **a.** ut apostoli praedicationis munus obirent: *Euntes ergo docete omnes gentes* Matth. 28, 19; Marc. 16, 15; Act. 1, 8; **b.** ut hoc ipsum munus apostolorum morte non cessaret, sed duraret in perpetuum: *Et ipse* (Christus) *dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei* Eph. 4, 11. Voluit enim ut fides esset *ex auditu* Rom. 10, 17; et *quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes* 1. Cor. 1, 21. Ideoque statuit **c.** ut ad consummationem usque seculi sint praedicatores, qui in apostolicum praedicationis munus succederent[1]), ac ideo essent **d.** privilegiorum heredes, praesertim assistentiae suae atque charismatum s. Spiritus. Unde non solum dixit: *Ecce ego vobiscum sum, singulis diebus,* sed adjecit etiam: *usque ad consummationem seculi* Matth. 28, 20. *Et ego rogabo Patrem et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum* Joan. 14, 16. Quare **e.** mediante hoc ministerio assistentia Christi ejusque Spiritu munito decurrit ad omnes gentes et generationes pura et incorrupta revelatio, atque ita impletur praeclarum illud vaticinium Is. 59, 21: *Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, et de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodo et usque in sempiternum.* Est ergo haec nunquam interrupta testium et doctorum series oris et tubi instar est, per quem Deus singulos alloquitur et edocet. Propterea dictum est: *Qui vos audit me audit: qui vos spernit me spernit* Luc. 10, 16.

103. *Tertium* argumentum derivamus ex *universalitate fidei* et ejusdem in tanta diffusione *unitate.* Supponimus enim, ex voluntate Christi fidem omnibus nationibus esse annunciandam. Quapropter doctrina revelata ea ratione est proponenda, ut *omnes* sine erroris periculo credere *tuto* possint. Atqui seclusa revelatione immediata singulis facta, quae in praesenti rerum ordine experientia teste locum non habet, modus propagandi proponendique revelationem omnibus accommodatus nullus est nisi *per auctoritatem legatorum Dei,* qui in sua missione et auctoritate sint facile cognoscibiles.

---

[1]) *Omnis enim quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur? . . . Ergo fides ex auditu: auditus autem per verbum Christi.* Rom. 10, 13. ss.

104. Sane praeter horum legatorum authenticum magisterium hic modus esset vel **1.** *demonstratio* rationalis, quae via non est omnibus accommodata; vel **2.** *propria inquisitio* et lectio Scripturarum; sed neque haec via omnibus est apta, quod **a.** nondum reperta typographia non suppeterent omnibus s. Scripturae exempla; quod **b.** plerique literas nesciant; quod **c.** etsi legere possent, otio et quiete non fruantur ad eam legendam absque ullo errore vel erroris suspicione. Vel **3.** haec via esset *interna illustratio* hominibus, dum Scripturas legunt, concessa, quae, experientia teste, gratis asseritur. Vel **4.** haec via esset auctoritas virorum doctorum, qui sua eruditione inter fideles excellerent, quod propterea rudes sicut in aliis disciplinis, audirent et sequerentur. Quod si protestantes ad hunc modum provocant, turpiter sibi contradicunt; ideo enim Ecclesiae magisterium rejecerunt, ne fides auctoritate humana niteretur. Praeterea supponunt, doctores sibi relictos citra authenticum magisterium *omnia* quae ad fidem spectant, *absque errore* invenisse in eisque esse concordes, quae gratis, imo teste experientia, *falso* supponuntur. Reliquum ergo ut medium propagandae doctrinae Christi et ad omnes gentes derivandae non sit nisi magisterium a Christo institutum atque perenne, quod ejus nomine et sub ejus tutela doctrinam ad omnes derivet omnibusque tradat.

105. Haud dissimile argumentum colligi potest ex *unitate fidei,* qua maxime excellere debet coetus fidelium. Haec enim citra magisterium *vivum* obtineri nequit. Nam ex historia ecclesiastica liquet, inter christianos semper excitari controversias de amplitudine sensuque revelationis. Atqui hae componi non possunt, nisi adsit tribunal *vivum,* cui conservatio et custodia revelationis sit commissa. Quod suadet **a.** analogia et inductio; nulla siquidem est societas *ordinata,* quae careat ejusmodi tribunali, cui concredita sit custodia et interpretatio legum. Idem patet **b.** ex eo, quod quamvis Scriptura sacra norma possit esse et sit, *secundum quam* judicetur: ipsa tamen non judicet, quando utraque pars eam sibi vindicat et pro se explicat et quaestio est, cui ea faveat. Confirmatur **c.** ipsa quotidiana experientia et historia protestantismi, qui ex defectu authentici magisterii semper magis in frusta dissipatur. Cf. Tertullianus *de praescr.* c. 15. ss. et Vincentius *common.* c. 2. et 25. ss. de hac necessitate egregie disputantes (*opusc.* IX, 71. ss.; 150. et 223. ss).

106. Sane considerentur attentius origo, indoles, forma etc. s. Scripturae, et manifestum erit, illa non contineri medium praecipuum, nedum unicum a Christo institutum ad propagandam diffundendamque revelationem divinam, ex qua consideratione *quintum* colligimus argumentum. Nam **1.** libri s. Scripturae conscripti sunt, cum fideles jam penderent ab ore apostolorum aliorumque Christi nomine docentium. Cum ergo apostoli postea scripserunt hos libros, noluerunt certe ordinem divinitus institutum atque a se servatum subvertere, sed adjumenta tantum quaedam suppeditare. **2.** Hi libri scripti sunt *data*

occasione ad ecclesias *particulares* et etiam personas singulares ex causa *particulari,* neque eo consilio, ut integrum exhiberent doctrinae systema. Imo **3.** ab ipsa forma et indole Scripturae hoc consilium excluditur, propterea quod Scriptura sacra sit obscura, quidquid jactent protestantes; quod nullibi data opera ea recenseantur, quae sint necessario credenda, quemadmodum in symbolis et catechismis[1]) fieri solet et ipse Christus fecit tradens *orationem dominicam* (Matth. 6, 9.); quod res maximi momenti breviter obiterque attingantur, alia vero minoris momenti fuse dataque opera explicentur. Atqui incredibile est, libros ita comparatos medium esse divinitus selectum ad conservandam propagandamque inter gentes omnes revelationem divinam. Praeterea **4.** in his libris fideles relegantur ad praedicationem jam perceptam, designantur depositi custodes doctoresque authentici. *Itaque, fratres,* scribit s. Paulus ad Thessalonicenses, *state et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram* 2. ep. 2, 14; et Matth. 18, 17: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Non ergo independenter ab authentica praedicatione et magisterio ex solis Scripturis fideles, nedum infideles fidem suam haurire debent.

107. Succedit denique argumentum *sextum,* quod ex universalis Ecclesiae primorum seculorum suffragio tam theoretico quam practico petimus. Quidquid enim **1.** est de patrum auctoritate, protestantes, quin omnem subvertant certitudinem historicam, negare nequeunt, eos saltem veraces esse testes illius agendi sentiendique rationis, quae ipsorum tempore in Ecclesia viguit, sicut ex Ciceronis, Livii aliorumque scriptorum romanorum libris colligere possumus sentiendi vivendique rationem, quae ipsorum tempore in republica romana obtinuit. Ex sentiendi vero **2.** agendique ratione primitivae Ecclesiae merito judicare possumus de voluntate Christi deque sensu verborum ipsius. Qui enim **3.** affirmaret, Ecclesiam vix natam et e manibus Christi prodeuntem defecisse ab oeconomia divinitus instituta, eo ipso significaret, Christum illum esse architectum, quem ipse insipientiae arguit, quod domum suam non supra petram, sed super arenam aedifi-

---

[1]) Quare protestantes, praeeunte Luthero, ediderunt catechismos, si in divinis literis adeo clare omnia ad salutem necessaria continentur, ut quilibet fidem facile inde discere possit? Quare habent suos libros symbolicos, si sacra Scriptura sufficit? Altera ex parte advertatur, secundum traditionem vetustam, venerandam atque nullatenus spernendam apostolos auctores esse symboli, quod ab ipsis *apostolici* nomen traxit, vel certe symbolum illud quoad substantiam ex traditione apostolica dimanasse: illudque eo consilio fuisse compositum, ut fideles facile summam eorum, quae prae ceteris credere deberent, addiscere et memoria tenere possent. Et quomodo adeo obliti sunt illud suis epistolis inserere, si censuissent, sacram Scripturam, saltem post suam mortem, *unicum* debere esse *divinae revelationis fontem* et *canalem,* quo ad posteras generationes ex Christi consilio et voluntate eadem revelatio dimanare debeat? mirabilis oblivio!

caverit (Matth. 7, 24.). Ceterum **4.** quae est temeritas praetendere, sec. XVI. vel XIX. melius cognosci, quae sit Ecclesiae constitutio, quae propagandae doctrinae Christi divinitus selecta oeconomia, quam cognitum id fuerit patribus primorum seculorum, qui fidem christianam scriptis illustrarunt et sanguine irrigarunt, citra quorum testimonium protestantes nec Scripturam ipsam nec sinceram fere notitiam de Christo ejusque Ecclesia haberent.

108. Quibus *lemmatis* instar praemissis pauca quaedam ex sentiendi ratione christianae antiquitatis delibemus. Docent patres **1.** ab ecclesiis apostolicis doctrinam Christi esse hauriendam.

»Quid autem praedicaverint apostoli, scribit Tertullianus c. 21. *de praescript.*, i. e. quid illis Christus revelaverit, et hic praescribam non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi apostoli condiderunt, ipsi eis praedicando tam viva, ut ajunt, voce, quam per epistolas postea. Si haec ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quae cum illis ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam; sine dubio tenentem quod ecclesiae ab apostolis, apostoli a Christo, Christus a Deo accepit; reliquam vero omnem doctrinam de mendacio praejudicandam, quae sapiat contra veritatem ecclesiarum et apostolorum et Christi et Dei.«

Quamobrem **2.** hortantur, ut fidem discamus ab apostolorum successoribus.

Ita Irenaeus l. 4. c. 26. n. 2, 5: »Quapropter eis, qui in Ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab apostolis, sicut ostendimus, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt; reliquos vero, qui absistunt a principali successione et quocunque loco colligunt, suspectos habere vel quasi haereticos et malae sententiae . . . Ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quae est ab apostolis Ecclesiae successio, et id quod est sanum et irreprobabile conversationis et inadulteratum et incorruptibile sermonis constat. Hi enim et eam, quae est in unum Deum, qui omnia fecit, fidem nostram custodiunt ... et Scripturas sine periculo nobis exponunt.«

109. Cum ergo **3.** ab apostolorum successoribus fides sit haurienda, inter omnes autem successores semper eminuerint successores s. Petri in Ecclesia romana, horum in primis fides est consulenda.

»Ad hanc Ecclesiam, infert Irenaeus l. 3. c. 3. n. 2., propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam h. e. eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab apostolis traditio.« Et recensita romanorum episcoporum in Petri cathedra successione ad suam usque aetatem, ita prosequitur: »Hac ordinatione et successione ea, quae est ab apostolis in Ecclesia traditio et veritatis praeconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima haec ostensio, unam et eandem vivificatricem fidem esse, quae in Ecclesia ab apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate.« Ideoque patres adeo solliciti fuere, episcoporum romanorum in controversiis cum haereticis enumerare seriem. Cujus sollicitudinis hanc reddit Epiphanius *haer.* 27. n. 6. rationem: »Nemo miretur, quod singula tam diligenter percucurrerim; per haec enim perpetuo aperta veritas demonstratur.«

Quare **4.** statuunt patres praedicationem ecclesiasticam consonam esse normam, secundum quam de revelata doctrina judicetur; et tamquam argumento principe, contra quod nulla valeret exceptio, usi sunt pastorum consensu et testimonio successorum apostolorum ad demonstrandam doctrinam fidei et ad convincendam erroris doctrinam contrariam.

Ita in conc. ephesino, teste Vincentio lirinensi commonit. c. 29. et 31., »cum de sanciendis fidei regulis disceptaretur, ne qua illic profana novitas in modum perfidiae ariminensis obreperet, universis sacerdotibus, qui illo ducenti fere numero convenerant, hoc catholicissimum, fidelissimum atque optimum factu visum est, ut in medium sanctorum patrum sententiae proferrentur, quorum alios martyres, alios confessores, omnes vero catholicos sacerdotes fuisse et permansisse constaret; ut scilicet rite atque solemniter ex eorum consensu atque decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur et profanae novitatis blasphemia condemnaretur.«

110. Docent praeterea **5.** causam efficientem unitatis fidei et doctrinae esse conspirationem cum sententia episcopi, qui et ipse cum aliis conspiret. „Prius admonui vos, scribit paterne s. Ignatius *ad ephesios* n. 3., ut unanimes sitis in sententia Dei. Etenim Jesus Christus inseparabilis vita nostra Patris est sententia sicut et episcopi per fines terrae constituti in Jesu Christi sententia sunt. Unde oportet vos unanimes esse sententiae episcopi.“ Ideoque **6.** censent ad fidei probationem neque requiri probationem ex Scripturis, vel statuunt Scripturas explicandas esse secundum Ecclesiae praedicationem.

»Nullus mihi subcrepet, inquit Gregorius nyss. l. 4. *adv. Eunomium,* quod illud etiam, quod a nobis pro confesso habetur, rationibus et argumentis indigeat confirmari et probari: sufficit enim ad nostri sermonis demonstrationem, quod habeamus a patribus venientem ad nos traditionem velut hereditatem quandam per successionem ex apostolis per sanctos sequentes transmissam.« Unde infert *Irenaeus* l. 3. c. 4: »Quid autem, si neque apostoli Scripturas reliquissent nobis? Nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum eorum, qui in Christum credunt, sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem et veterem traditionem diligenter custodientes etc.«

Ex quibus satis superque probata videtur thesis, s. Scripturam non praecipuum, nedum unicum esse fontem, e quo ab hominibus haurienda sit fides, sed canalem, per quem ad singulas gentes generationesque decurrit e Deo Patre per Christum in nos coelestis doctrina, esse nunquam interruptam pastorum seriem. (*Comp.* I, 159. ss.).

111. **Scholion.** Ratio suprema perennis conservationis doctrinae revelatae, certitudinis ac securitatis de hac conservatione per jugem successionem magisterii ecclesiastici est promissum collatumque a Christo perpetuum charisma veritatis Matth. 28, 20; Joan. 14, 16. ss.; 16, 13. (cf. n. 102.), ut pluribus ostendemus infra de ecclesiastici magisterii

infallibilitate disserentes. Sed etsi ministerium ecclesiasticum *historice* tantum spectetur, praecisione facta ab illo veritatis charismate a Christo ei promisso, illud adeo apte suo muneri conservandae doctrinae respondet, ut vel per se sufficeret ad omnem corruptionis suspicionem excludendam. Nam verissime de Ecclesiae patribus et pastoribus scribit Augustinus l. 2. *contra Julianum* n. 34: „Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt." Quam ob causam illis nil adeo exosum erat quam *novitas.* Recte igitur scribit Vincentius lirinensis *commonitorii* n. 6: „Mos iste semper in Ecclesia viguit, ut quo quisque foret religiosior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet. Exemplis talibus plena sunt omnia." Et revera tot exstant exempla, quot fere concilia et controversiae cum haereticis. Unde etiam Ecclesiae pastores saltem primarii pro custodia depositi fidei sibi invicem solebant, dum munus adirent, mittere literas fidei suae tesseras, et veluti in specula constituti non solum de ovium sibi creditarum orthodoxia erant solliciti, sed etiam ad fidei puritatem diligentius conservandam libenter in concilia conveniebant de fidei negotiis collaturi.

112. **Corollarium I.** Demonstrata exsistentia et auctoritate semper viventis organi et canalis ad conservandam et ubique diffundendam Christi doctrinam, jam dirempta est controversia de singulis doctrinae capitibus a protestantibus in dubium vocatis, neque necessarium est de singulis prolixam inire disputationem; omnis enim quaestio ad hanc unam revocatur: ubi sit hoc organum, hic canalis, seu ubi sit haec nunquam interrupta pastorum series, quidque de proposita quaestione doceat? Nam doctrina, quam eadem quavis aetate promulgat diffunditque, erit ipsa *doctrina Christi,* sicut aqua quavis in parte canalis non interrupti hausta, ipsius fontis aqua est illuc usque dimanans et profluens[1]).

113. **Corollarium II.** Cum Christus voluerit doctrinam suam ad posteras generationes derivare per successionis apostolicae seu ministerii ecclesiastici nunquam interrumpendi praedicationem, sponte sua consequitur, doctrinam illam, quae praedicatione ecclesiastica ad nos

[1]) Omnino ad rem statuit Tertullianus *de praescript.* c. 19: „Ergo non ad Scripturas provocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla aut incerta victoria est aut par incertae. Nam etsi non ita evaderet collatio Scripturarum, ut utramque partem parem sisteret, *ordo rerum* desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: quibus competat fides ipsa, cujus sint Scripturae, a quo et per quos et quando et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt christiani? Ubi enim apparuerit esse veritatem et disciplinae et fidei christianae, illic erit veritas Scripturarum et expositionum et omnium traditionum christianarum."

usque est derivata, etiamsi s. Scriptura non contineatur, divinae esse auctoritatis non secus ac doctrina divinis literis comprehensa. Quare Paulus: *Fratres,* inquit, *state et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram* 2. Thessal. 2, 14. In quae verba ita scribit Chrysostomus hom. 4. n. 2: „Hinc est perspicuum, quod non omnia tradiderunt (apostoli) per epistolam, sed multa etiam *sine scriptis;* et ea quoque sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiae quoque traditionem censeamus esse fide dignam. *Est traditio: nihil quaeras amplius.*" Unde explicatur, quare iidem haeretici, qui Ecclesiae magisterium ac proinde successionis apostolicae praedicationem respuunt, inimici exsistant traditionis.

114. **Corollarium III.** Doctrina fidei universa, quatenus sub assistentia Spiritus sancti in consensu custodum depositi et doctorum divinitus institutorum continua successione conservatur, in professione et vita totius Ecclesiae sese exserit, verbo et ipsa praxi ad posteros transmittitur, sensu maxime proprio *divina* est *traditio.* Quam ss. patres *praedicationem ecclesiasticam, intelligendi regulam, regulam apostolicae veritatis* dicunt, si *directe* et *objective* spectetur ipsa *doctrina,* quatenus in apostolica successione servatur et traditur; est autem et dicitur *conscientia fidei, catholicus intellectus, ecclesiasticus sensus, fides scripta in cordibus, sapientia non scripta,* si *directe* spectetur Ecclesia hac doctrina informata et imbuta sub assistentia Spiritus sancti et charismate praedita veritatis ad intelligendam, custodiendam et docendam integram revelationem, seu si spectetur doctrina revelata *subjective,* prout recepta est in Ecclesia, et hanc velut informat, animat et fecundat.

115. **Corollarium IV.** *Catholicus intellectus* sensu modo declarato acceptus et in consentiente judicio successionis apostolicae spectatus est sub directione Spiritus sancti *norma interpretandi sacras Scripturas infallibilis.* Sane si apostoli, ut Irenaeus loquitur l. 3. c. 4., in Ecclesia tamquam in depositorium dives contulerunt omnia quae sunt veritatis, et si ipsa est custos et dispensatrix hujus depositi, non debet id accipi tantum materialiter de verbis, formulis, theorematibus, sed de ipsa intelligentia veritatum revelatarum; ideoque patres de *intellectu* catholico, de *sensu* ecclesiastico loquuntur. Atqui ad depositum ab Ecclesia custodiendum spectat omnis Christi doctrina, et, quod consequens est, in primis Scriptura sacra. Ergo a Spiritu Dei conservatur perpetuo in Ecclesia non solum verbum *materiale* Scripturae, sed ejus *sensus* et *intellectus* genuinus, qui se habet ad illud ut explicatio ad scriptum explicandum. Proinde legitimum sensum Ecclesia accepit, quo instructa et imbuta infallibilis erit *s. Scripturae interpres.*

116. Quod ipsum etiam universa antiquitas christiana et *theoretice* et *practice* (cum de aliquo textu dogmatico *authentice* explicando adversus haereticos ageretur) sensit. „Omnis sermo ei constabit, inquit Irenaeus[1]),

[1]) Plane ad rem sunt Hieronymi verba *ep. 53.* n. 6, 7. adversus protestantium placitum cuilibet permittentium non solum Scripturarum lectionem, sed et interpretationem. Postquam enim retulit, eunuchum illum (Act. 8.), quamvis diligenter legisset, Scripturas non intellexisse, intellexisse vero divinitus misso

si et Scripturas diligenter legerit apud eos, qui in Ecclesia sunt presbyteri, apud quos est apostolica doctrina, quemadmodum demonstravimus (c. 26.)« Et Origenes in *comment. in Matth.* n. 46: »Quoties (haeretici) canonicas proferunt Scripturas, in quibus omnis christianus consentit et credit, videntur dicere: Ecce in domibus est verbum veritatis (Matth. 24. 26.). Sed nos illis credere non debemus, nec exire a prima ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiae Dei traditum est.« Quare ad rei veritatem antiquitatisque sensum expressum est concilii trid. sess. 4. decretum, quod conc. *vaticanum* sess. 3. cap. 2. renovavit atque ita expressit, ut in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae is pro vero sensu s. Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet s. Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum patrum ipsam Scripturam sacram interpretari.«

Caput II.

De mediis quibus traditio divina transmittitur et tuto dignoscitur.

117. Demonstravimus hucusque apostolicam successionem in perenni ministerio ecclesiastico esse canalem, per quem ad omnes gentes atque singulas generationes doctrina Christi defluit et in eas redundat, ideoque ad tuto cognoscendam quovis tempore hanc doctrinam sufficere, ut noverimus, quid apostolorum successores unanimi tradant testificatione. Quoniam vero decet theologum ostendere harmoniam et conspirationem inter praedicationem Ecclesiae praesentis et praedicationem ejusdem singulis seculis ad tempora apostolorum usque ascendendo, seu identitatem doctrinae quovis tempore per hunc canalem decurrentis, imo cum haec demonstratio necessaria sit ad plenius et undequaque refellendos adversarios incusantes Ecclesiam catholicam corruptionis doctrinae revelatae, inquirendum nobis est in modum, quo

---

interprete Philippo, »haec a me, ait, perstricta sunt breviter . . . ut intelligeres te in Scripturis sanctis sine praevio et monstrante semitam non posse ingredi. Taceo de grammaticis, rhetoribus, philosophis, geometris, dialecticis, musicis, astronomis, astrologis, medicis . . . Ad minores artes veniam, et quae non tam λόγῳ, quam manu administrantur. Agricolae, caementarii, fabri, metallorum lignorumve caesores, lanarii quoque et fullones, et ceteri, qui variam supellectilem et vilia opuscula fabricantur, absque doctore non possunt esse quod cupiunt. Quod medicorum est

Promittunt medici, tractant fabrilia fabri (Horatius) l. 1. *ep. 1.*

Sola Scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant.

Scribimus indocti doctique poëmata passim (ibid.).

Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi praesumunt, lacerant, docent, antequam discant.«

de fide et praedicatione, seu de traditione Ecclesiae praecedentium seculorum certi possimus reddi ad ejusmodi collationem instituendam.

118. Jam vero *multiplici* modo quovis seculo se prodit praedicatio et fides seu traditio Ecclesiae multisque diversi generis monumentis ea est consignata, expressa et ad posteros transmissa, quorum potiora sunt, ut nonnulla indicemus, **1.** *fidei professiones* et conciliorum praesertim oecumenicorum *definitiones;* **2.** sacra *liturgia* ac generatim *cultus,* qui est practica et realis expressio fidei internae; cum autem liturgiae habeantur jam sec. IV. et III., imo si substantiam spectes sint antiquioris etiam originis, patet quanti momenti sit earum testimonium. Liturgiis affinis est *praxis Ecclesiae* in publica et solemni sacramentorum administratione. **3.** *Martyrum acta,* ex quibus patet, quid crediderint martyres, quae fuerint veritates ab Ecclesia praedicatae, pro quarum confirmatione sanguinem suum fuderint. **4.** *Patrum scripta,* de quibus mox. **5.** *Historia ecclesiastica,* quae refert, quid Ecclesia quavis aetate docuerit, praedicaverit, tradiderit, cum et hoc inter facta maxime ecclesiastica referri possit. Huc in primis spectat *haeresum historia.* Si enim aliqui propter novum dogma ab Ecclesia defecerunt, ideoque damnati sunt, manifesto inde colligitur, doctrinam aliam ab Ecclesia praedicatam fuisse, quae haeresi directe et immediate adversaretur. Ita haeretici vel inviti testes sunt fidei catholicae, et vel ex solis haereticis universum theologiae catholicae systema construi posset, cum vix fidei sit particula, adversus quam non steterit aliqua haeresis, et quae non fuerit demonstrata aurum purissimum per caminum impugnationis haereticae. **6.** *Monumenta artis christianae,* quae oculis exhibent persaepe spectandam fidem primorum christianorum, et de quibus subinde dici potest, quod etsi omnia alia monumenta tacerent, *lapides clamabunt* (Luc. 10, 40.), proclamabunt et promulgabunt dogmata apostolicae Ecclesiae. Horum ergo mediorum indagatione pervenire poterimus in cognitionem praedicationis et fidei seu traditionis quovis seculo in Ecclesia vigentis. Cum autem hac in quaestione persaepe *patrum* invocetur *auctoritas,* jam accuratius de hac erit disserendum.

119. **Thesis XVI.** ***Unanimis patrum consensus in rebus fidei et morum certissimum est divinae traditionis argumentum.***

Declaratio. Licet vulgo *patres* appellentur quicunque christiani scriptores doctrina et antiquitate conspicui, ut etiam Clemens alex., Origenes, Tertullianus, Lactantius, Eusebius caesariensis etc., *proprie* tamen *patres* illi solum dicendi sunt, quos Ecclesia ipsa probavit atque sinceros ac eruditos suae seu potius apostolicae et christianae doctrinae testes, magistros et judices esse declaravit. Prout enim Ecclesiae est declarare, quinam fuerint

auctores inspirati, ita etiam ipsius est declarare, quinam sint testes idonei et magistri doctrinae a Christo et apostolis traditae. Ita etiam quaelibet societas declarare potest, quinam sint magistri, judices, testes in rebus ad ipsam spectantibus idonei. Porro Ecclesia in hoc suo judicio ad has attendit dotes: **1.** ad *eximiam doctrinam*, **2.** ad *vitae sanctitatem*, atque etiam **3.** *antiquitatis* rationem habet. Ejus vero *approbatio* innotescit ipso usu, si scil. concilia oecumenica ad eos provocant, si romani pontifices in monumentis publicis utuntur illis tamquam testibus et magistris, si eorum scripta olim in sacris conventibus post s. Scripturam lecta fuerunt, vel si alii insignes patres eos in quaestione dogmatica praesertim adversus haereticos *ss. patrum* nomine proferunt, ut ex eorum doctrina Ecclesiae fidem patefaciant et probent. Qui vero inter sanctos patres magis eminent, *doctores* Ecclesiae vocantur. Ut tamen quis Ecclesiae doctor declaretur, doctrinae quidem et sanctitatis, non vero antiquitatis ratio habetur.

120. **Demonstratio.** Patres considerari possunt: **1.** *literarie* ac *historice* ut viri in singulis quibusque christianae antiquitatis seculis docti magnaque pietate insignes; **2.** *hierarchice* ut membra et annuli nunquam interrupti ministerii apostolici, cum plerique fuerint episcopi; **3.** *formaliter* ut qui singulis aetatibus plurimos fideles per Evangelium Christo genuerint; et denique **4.** *juridice* seu *theologice,* ut qui disponente Christo depositum revelationis custodirent, aperirent Scripturas, christiano populo tamquam viae duces praeirent, et divinitus exciti Ecclesiae doctrinam propugnarent adversus haereticorum insultus. Atqui si patres quadruplici hoc modo considerentur, quisque facile intelliget. illorum *consensu* traditionem innotescere. Neque unquam alia fuit christiani nominis persuasio *theoretice* et *practice* manifestata. Et *practice* quidem, cum tam concilia quam Ecclesiae doctores fidei dogmata hoc consensu probarent, ea esse apostolicae originis; haereticorum vero opiniones damnarent ut novas propter earum a patrum unanimi conspiratione dissensum. *Theoretice* se prodidit sive anathemate dicto in eos, qui patrum auctoritatem spernerent, sive diserta conciliorum professione se in omnibus sequi patrum doctrinam.

121. Hoc profitetur conc. ephesinum (cf. supra n. 109.); episcopi in conc. chalcedonensi definitionem fidei edunt *sequentes ss. patres* (act. 5. Mansi *conc. coll.* 7, 116.) persuasi, semper „licere ambiguitate quaestionis exorta, patrum interpretationibus nostram accommodare confessionem, ac docere, quod in nullo discordem intelligentiae eorum detulerimus animum, sed his utamur testibus ad nostrae fidei confirmationem," cumque „qui patrum depravat intelligentiam, praevaricationis exsistere reum (ib. 7, 464)." „Sancta synodus (VII. act. 4.) dixit: Divinitus sonantium patrum doctrinae nos correxerunt (plures enim episcopi prius putaverant ss. imagines esse reprobandas). Ex ipsis haurientes veritatem potati sumus. Ab eis edocti venerabiles imagines salutamus. Patres praedicant, filii obedientiae sumus et congratulamur in facie matris traditione Ecclesiae catholicae." Concilium vero oecumenicum VIII. statuit act. 10. can. 1.:

„Ut rectam regiamque divinae justitiae viam sine erroris offensa teneamus, ss. patrum decreta velut inexstinctae quaedam semperque lucentes faces sequenda sunt. Quapropter sanctiones Ecclesiae catholicae et apostolicae per traditionem tum a ss. apostolis, tum ab orthodoxis oecumenicisque et particularibus conciliis aut a quovis deiloquo patre et doctore Ecclesiae acceptas servandas custodiendasque profitemur. Traditiones enim sive per sermonem sive per epistolas majorum nostrorum, qui vitae sanctitate nobis praeluxerunt, acceptas diserte magnus apostolus Paulus (ep. 2. ad Thessalon. 2, 14.) tenendas monet.“ Quare Vincentius lirin. commonitorium suum absolvit hac gravi sententia: „Necesse est profecto omnibus deinceps catholicis, qui sese Ecclesiae matris legitimos filios probare student, ut sanctae ss. patrum fidei inhaereant, adglutinentur, immoriantur: profanas vero profanorum novitates detestentur, horrescant, insectentur, persequantur.“

122. Quod de consensione patrum omnium affirmamus, tenendum quoque est **1.** *de consensione patrum occidentalium.* Sane Oriens et Occidens per secula plura *unam* constituebant Ecclesiam. Atqui de unitatis Ecclesiae essentia est *unitas fidei,* cum fides sit Ecclesiae fundamentum. Ergo quamdiu schismate ab invicem scissi non sunt, una erat Orientis Occidentisque fides. Proinde ex consensu patrum occidentalium licet colligere praedicationem et fidem Ecclesiae orientalis, et vice versa, ideoque Ecclesiae *universalis.*

123. Subinde **2.** *sufficit suffragium plurium tantum patrum, sed insignium, ceteris non reclamantibus,* quod probatur luculenta *praxi* conciliorum ipsorumque patrum, qui profecto legitimam methodum probandae fidei adversus ejus inimicos callebant, et tamen ad comprobanda dogmata catholica haeresesque damnandas satis esse putarunt, *decem* vel *duodecim* patrum sententiam adduxisse; ita conc. ephesinum, chalcedonense, constantinopolitanum III. et IV., ita Augustinus l. 1. *adv. Julianum,* Theodoretus in *dialogis tribus* adv. Apollinaris errores, Cyrillus alex. in l. *de recta fide,* Leo M. in ep. 185. *ad Leonem Aug.* et Cassianus *de incarnat.* contra Nestorium etc. Sane aliorum silentium consensionis est signum, cum ex historia dogmatum liqueat, patres solitos non fuisse silere, si quis magnae alioquin auctoritatis vir doctrinam dissonam ab Ecclesiae praedicatione proposuerit. Cf. *opusc.* IX, 241. ss. a.

124. Imo quandoque **3.** *sufficit paucorum patrum testimonium, ut certi reddamur de traditione divina.* Sane majorum traditione continetur canalis divinae revelationis. Atqui de illa constare rite potest, si patres quamvis pauciores reclamante nemine absque ulla haesitatione ad veterum traditionem provocant **1.** in gravissima fidei causa, et quidem **2.** fidenter in plenis adversus haereticos disputationibus, et **3.** in conspectu totius propemodum christianae societatis, quae certe reclamas-

set, si quid dissonum patres ipsius causam agentes a praedicatione ecclesiastica proposuissent. Quare paucorum subinde sufficit suffragium, ut tuto nobis constet de praedicatione et traditione Ecclesiae illius temporis.

125. **Scholion I.** Ut reliqua, quae *ad patrum auctoritatem* spectant, paucis complectamur, haec praeterea advertimus: **1.** Quamvis singulorum patrum, si *seorsim* spectentur, auctoritas sit gravis, nullius tamen auctoritas est *infallibilis*. Quocirca damnata fuit ab Alexandro VIII. prop. (30.): »Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere non respiciendo ad ullam pontificis bullam.« Quare **2.** sicuti singuli non coece sunt sequendi, ita nec temere sine ratione deserendi, nedum contemnendi. Per se autem patet **3.** non eandem esse singulorum patrum auctoritatem, sed eam crescere pro ratione antiquitatis, sanctitatis, eruditionis, celebritatis, dignitatis hierarchicae, approbationis, usus librorum ab ipsis conscriptorum qui in Ecclesia obtinuit, partium quas in expugnandis haeresibus propugnandaque Ecclesiae doctrina, in definitionibus conciliorum habuerunt. Evidens pariter est **4.** in taxanda probandi auctoritate alicujus testimonii patrum rationem esse habendam libri, e quo desumitur, occasionis, qua fuit prolatum aliorumque adjunctorum. Porro patres fungi possunt munere vel *testis* vel *doctoris*. Quae hucusque diximus de patrum auctoritate, in primis ad eos referuntur, quatenus sunt traditionis *testes*. Eos autem tamquam testes, non vero ex sua opinione loqui, patet, si ex. gr. id vel diserte vel aequivalenter affirmant, si ad majorum traditionem provocant, si quod proponunt, fidei dogma esse pronunciant, si doctrinam contrariam tamquam haereticam rejiciunt etc. Si vero spectantur ut *doctores*, qui fidei doctrinam defendunt vel subtiliter exponunt, cum nec argumenta nec expositionis modus semper pertineant ad revelationem, minor est singulorum auctoritas. Quod si tamen in modum dogmata concipiendi vel probandi conspirant, non licet hanc dogmatis explicationem vel probationem tamquam mere subjectivam rejicere, cum ea non sit nisi intellectus catholicus formatus et expolitus sub assistentia et directione s. Spiritus. Praeterea **5.** specialis patrum auctoritas restringitur ad doctrinam fidei et morum; in reliquis quaestionibus tantum valet eorum auctoritas, quantum rationes, quibus utuntur, probant.

126. **Scholion II.** Diffiteri non possumus, patres hinc inde inter se etiam circa doctrinae revelatae capita dissentire. Saepe tamen hic dissensus est vel *exaggeratus* vel *apparens*, vel rei *substantiam* non attingit. Certum enim **1.** ex hucusque dictis esse debet, fieri nunquam posse, ut patres omnes unius aetatis contradicant patribus alterius aetatis in re spectante ad fidem, quod magis etiam elucescet ex dicendis de Ecclesiae indefectibilitate. Quod si tamen **2.** revera patres ab invicem dissentire videantur, omni conandum est opera, ut invicem concilientur: quod haud difficile erit, si patris alicujus testimonia obscura et ambigua declarentur per ea, quae vel ipse aliis in locis clarius disseruit, vel alii, quibuscum in eadem vixit communione fidei, clare et expresse scripserunt. Si vero **3.** patrum dicta nullo modo conciliari possunt cum sana doctrina, seponenda sunt. Neque mirum videri debet, aliquos in nonnullis errasse propter monumentorum et definitionis ecclesiasticae in controversiis subortis defectum, ex quo factum est,

ut non semper satis clare videre potuerint sententiam aliquam revelatione divina contineri[1]).

127. **Thesis XVII.** ***Christianarum scholarum institutio consentiens et illarum de fide concors doctrina certissimum traditionis seu doctrinae revelatae criterium censeri debet.***

Demonstratio. Adjicimus hanc thesim[2]) praecedenti propter argumenti affinitatem, licet in ea Ecclesiae indefectibilitas et variae promissiones eidem factae supponi debeant. Advertatur **1.** scholae theologos hisce in docendo scribendoque directos fuisse principiis: impositum sibi esse officium **a.** ne a definitis articulis vel minimum discederent, et **b.** ut, secundum aurea Vincentii lirinensis verba (*commonit.* c. 22.), receptam antea doctrinam custodirent, explicarent, tuerentur. Atqui positis hisce principiis fieri minime potuit, ut unanimis scholarum consensus in christiana institutione a prisca traditione deflecteret. Praeterea **2.** cuilibet est evidens, consensionem scholae in christiana institutione aequivalere singulis aetatibus ipsi Ecclesiae doctrinae. Nam „si qua in quaestione, inquit ad rem M. Canus *de locis theol.* l. 8. c. 4., universi theologi eadem inter se concinunt, profecto si in eo errant, Ecclesiam item errandi periculo exponunt. Sive enim qui confessiones audiunt, sive qui ad populum habent conciones: utrique plebem instituunt, ut a theologis acceperunt (idem dicatur de episcopis gregem sibi concreditum verbo salutis pascentibus). Ita fit,

---

[1]) „Haec autem scandala, inquit ad rem Facundus hermianensis *pro defens. trium cap.* l. 6. c. 5., vel quaelibet merito nos offendunt in patribus, quos tamquam luminaria Deus in Ecclesia sua constituit, ut eorum desuper illuminemur excellenti scientia atque doctrina, sic habenda mihi videntur, sicut ipsorum quoque luminarium coeli defectus: quae licet nonnunquam splendoris sui detrimenta sustineant, non tamen amittunt luminaria esse, quod sunt. Et crebro quidem accidit, ut ista quoque Ecclesiae luminaria, quoniam multa a nobis celsitudine separantur, pro quodam nostrae ignorantiae nubilo, cum in se splendentia maneant, nobis videantur obscura.“ Ideo l. 11. c. 3. statuit: „Quod si tam certus error est aliquorum in pace Ecclesiae defunctorum, ut his quae diximus nequeat excusari, sine illorum infamia, sine offensione et conturbatione Ecclesiae, tacitis eorum nominibus, ipsis erroribus occurratur, ut et debita reverentia exhibeatur praedicatoribus in Ecclesiae pace defunctis, et nulli catholico sit offensa defensio veritatis.“

[2]) Ad pleniorem nostrae assertionis intelligentiam advertatur **1.** nos loqui de *unanimi* et *constanti* conspiratione scholarum per tempus *diuturnum,* et quidem **2.** in doctrinam aliquam non quomodocunque, sed quam dicunt revelatam atque fide tenendam. Neque scholis **3.** hanc auctoritatem vindicamus, quasi scholae scholarumque theologi sint organum illud immediate a Christo institutum ad conservandam doctrinam revelatam sub assistentia Spiritus veritatis; sed quatenus ex earum conspiratione certo constat de traditione et intellectu catholico ipsius successionis apostolicae.

ut Ecclesia eorum in fide communem errorem dissimulando, Christi fideles suo silentio deciperet.“ Accedit **3.** ipse Ecclesiae sensus, quae in damnandis erroribus definiendisque dogmatibus magni semper fecit scholarum conspirationem. Historia vero teste liquet, dissensum a communi scholarum doctrina in re theologica duxisse ad errorem in fide.

128. Imo *totius populi christiani consensus in veritatem tamquam revelatam censeri debet divinae traditionis criterium.* Sicut enim **1.** vox repercussa (echo) clamantis vocem manifestat et quidquid ille dixit ingeminat: ita Ecclesiae praedicatio resonat in ejus membrorum fide, ex qua proinde quid Ecclesiae pastores praedicaverint tradiderintque colligi potest. Fieri siquidem nequit **2.** ut universi populi christiani sensus et consensus in fide dissonus sit a praedicatione magisterii ecclesiastici, quin **a.** pereat indefectibilitas Ecclesiae, quin **b.** fraudetur ministerium ecclesiasticum suo fine, ad quem divinitus est institutum, quin **c.** defuerit Christus suis promissis, quibus promisit Spiritum veritatis, qui non sineret Ecclesias, ut ait Tertullianus *de praescr.* c. 28., aliter intelligere, aliter credere, quam ipse per apostolos praedicasset. Quapropter **3.** patres passim ad hunc provocant consensum ex eoque argumenta adversum haereticos pro dogmate catholico derivant; ita Augustinus contra pelagianos in quaestione de peccato originali *adv. Julianum* l. 1. n. 31. scribit: „Non tibi, sicut calumniaris, solum populi murmur opponimus, quamquam et ipse populus adversus vos propterea murmuret, quia non est talis quaestio, quae possit etiam cognitionem fugere popularem. Divites et pauperes, excelsi atque infirmi, docti et indocti, mares et feminae noverunt, quid cuique aetati in baptismate remittatur. Unde etiam matres quotidie toto orbe terrarum non ad Christum tantum i. e. ad unctum, sed ad Christum Jesum i. e. etiam Salvatorem cum parvulis currunt . . . Quasi parva sit ejus assertio, quod in hoc fidei firmissimo et antiquissimo fundamento ipsa toto orbe diffusa non a se discrepat multitudo.“ Ceterum **4.** fidelium communis sensus in quaestionibus fidei, proinde in ordine supernaturali, haud inepte confertur secundum quandam analogiam cum communi naturae humanae sensu et consensu in ordine rationali. Sicut enim hic sponte veluti sua oboritur e communi natura rationali, ac propterea est criterium manifestans veritatem rationalem, quae ad necessariam rationis supellectilem ac velut depositum in primis spectat: ita et haec fidelium mira in quaedam ordinis superrationalis judicia conspiratio oboritur ex communi fide a Spiritu sancto (non tamen citra ministerium magisterii ecclesiastici) eorum cordibus inserta et insita, ac propterea criterium censeri debet haud suspectum, quo dignosci possint quae ad revelationis spectent depositum.

Caput III.

Comparatio inter traditionem et s. Scripturam.

129. Demonstrato organo, quo Christus doctrinam suam promulgari et ad omnium hominum notitiam derivari voluerit (cap. I.), expositis quoque mediis, quibus dignosci possit, quid quovis seculo hoc successionis apostolicae canali contineatur (cap. II.), jam ad aliam acce-

damus quaestionem, utrum scil. hoc organo transmissa fuerit aliqua veritas, quae ss. Scripturis non contineatur? Quare comparatio instituenda est inter doctrinam praedicatione ecclesiastica transmissam seu *traditionem* et *s. Scripturam.*

130. **Thesis XVIII.** ***Si comparatio instituatur inter traditionem et Scripturam, traditio censeri debet praecedere tum 1. ordine chronologico: tum 2. ordine logico et cognitionis; tum 3. ordine comprehensionis; tum denique 4. ordine necessitatis.***

Demonstratio p. I. et II. Traditionem *ordine temporis* praecedere Scripturam, demonstratione non eget, cum evidens sit, apostolos per plures annos *oretenus* Christi doctrinam promulgasse, antequam aliquid literis consignaverint. Sed eadem praecedit quoque ordine *logico* et *cognitionis.* Quod ut probemus, distinguatur duplex cognitio: cognitio scil. *de Scriptura*, qua scimus quid de s. Scriptura sit tenendum. eam nimirum esse antiquitatis monumentum genuinum, integrum. verax, divinam continens doctrinam, divinitus inspiratum; et cognitio *doctrinae.* quae divinis continetur literis. Distingui debet pariter *duplex* traditio. altera *mere historica,* quae demonstrationis criticae atque philosophicae est fundamentum. et qua ita possumus demonstrare s. Scripturae genuinitatem, veracitatem etc., sicut probamus historiae Livii genuinitatem. veracitatem etc.; altera vero *religiosa* et *authentica,* cui *credendi* respondet *officium,* et cui innititur *fides* vere *christiana.* Jam vero utroque sensu accepta traditio in *ordine cognitionis* est prior Scriptura.

131. Sane. ut tuto credere possimus *doctrinam Scripturae,* prius nosse debemus. quid de ipso libro sit tenendum, utrum scil. sit genuinus, integer etc. nec ne? Quae ex ipsa Scriptura cognosci nequeunt. Ergo nonnisi via distincta ab ipsa Scriptura; quae via, cum teste experientia non sit immediata quaedam Dei revelatio vel inspiratio, alia esse nequit praeter traditionem. Quamvis vero critica traditione demonstrari possint *utcunque* genuinitas, veracitas, inspiratio etc. s. Scripturae, tamen haec probari nequeunt **a.** quoad *omnes textus,* **b.** *pro omnibus* qui credere tenentur. **c.** ea *securitate* et *certitudine,* quae obortis dubiis par sit controversiae *authentice* dirimendae. Alia ergo via haec cognosci debent. quae alia non est ab ea, quam demonstravimus thes. XV. Quare secundum oeconomiam a Christo Domino institutam principium illius cognitionis. quae *de Scriptura* haberi debet, antequam ea tuto uti possimus. est ipsamet praedicatio ecclesiastica authentica sub assistentia s. Spiritus, quae sola est principium universale accommodatum omnibus. ad omnes libros librorumque partes tuto cognoscendos. ad controversias omnes pro omnium captu definiendas.

132. **Demonstratio p. III.** Traditionem *latius* patere s. Scriptura patet **1.** ex hucusque dictis: complectitur enim traditio non solum

Scripturae doctrinam, verum etiam doctrinam adeo necessariam *de s. Scriptura,* quae *integra* saltem ipsis divinis literis non continetur. **2.** S. Scriptura secundum praedicationem ecclesiasticam est intelligenda (n. 115. s.); fieri ergo nequit, ut non latius et uberius pateat traditio quam s. Scriptura. Quod confirmatur **3.** *theoretico* et *practico* patrum suffragio, qui et passim inculcant[1]). non omnia sive credenda sive ex voluntate Christi agenda fuisse sacris literis consignata, et plura, quae ex Scripturis vel nullatenus vel non satis probari possunt, probant ope traditionis.

Ita Origenes l. 5. *in ep. ad Romanos* c. 9. paedobaptismum probat: »Ecclesia ab apostolis traditionem accepit etiam parvulis baptismum dare.« Ita Tertullianus *de Corona* c. 3.: »Oblationes pro defunctis, pro natalitiis (martyrum) annua die facimus, die dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paschae in Pentecosten usque gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri (eucharistici) aliquid decuti in terram anxie patimur. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quaecunque conversatio nos exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostulas *Scripturarum, nullam* invenies: traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix et fides observatrix.« Valorem baptismi ab haereticis collati hac via probat Augustinus *de bapt.* l. 5. c. 23: »Apostoli autem nihil quidem exinde praeceperunt (in Scripturis), sed consuetudo illa, quae opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est, sicut sunt multa, quae universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab Apostolis praecepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur« etc. Ipsi protestantes plura vel credunt vel servant tamquam juris divini, quae ex divinis literis vel nullatenus vel saltem *non sufficienter* probare possunt; cujusmodi sunt paedobaptismi et baptismi ab haereticis collati valor, illicitam esse baptismi iterationem, Dominicam loco sabbati esse sanctificandam, licere suffocatum et sanguinem comedere non obstante prohibitione divinis literis contenta Act. 15, 28., et praesertim canon Scripturae omniumque librorum sacrorum inspiratio etc.

133. **Demonstratio p. IV.** Hinc sponte sua consequitur, traditionem magis esse necessariam s. Scriptura, quod jam asseruit s. Irenaeus supra n. 110. Nam plerique fideles absque s. Scriptura sola praedicationis seu traditionis ecclesiasticae ope ad fidem perducuntur Christique doctrinam tuto

---

[1]) Ita Epiphanius *haer. 61.* n. 6. adv. apostolicos de nuptiarum praestantia disserens postquam aliqua ex Scripturis adduxit: »Sed traditione quoque, inquit, opus est. Neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto, traditione alia sanctissimi apostoli reliquerunt. Quod ipsum ita Paulus affirmat: *Quemadmodum tradidi vobis* (1. Cor. 11, 2); item alio loco: *Ita doceo, et ita tradidi in ecclesiis* (ib. 14, 33); item: *Si meministis, nisi frustra credidistis* (ib. 15, 2.). Jam vero illud ab apostolis sancta Dei Ecclesia traditum accepit: post decretam virginitatem ad nuptias sese conferre scelere implicatum videri.« Cf. Basilius *de Spir. s.* n. 66. *opusc.* XXXI.

addiscunt; absque traditione vero sacris Scripturis ne uti quidem ut oportet possent.

134. **Scholion.** Protestantes, ut traditionis necessitatem excludant, toti in eo sunt, ut probent s. Scripturam *perfectissime, abunde, exactissime, fuse, cumulate, plene* (quae ipsorum sunt verba) omnia ad salutem necessaria continere. Quem in finem corradunt plurima Scripturae et patrum effata. Verum **1.** data etiam non concessa hac Scripturae plenitudine, nondum propterea excluditur traditionis necessitas, ut ostendunt argumenta th. XV. Eam vero **2.** concedi non posse ostendimus n. 132. Neque **3.** ea probatur Deut. 4, 2; Joan. 20, 31; Gal. 1, 8; 2. Tim. 3, 15; Apocal. 22, 18. etc., cum vel **a.** haec testimonia sint *affirmantia*, non *excludentia;* affirmant scil. Scripturae utilitatem, eam non esse adulterandam, quo nihil verius; vel **b.** non agant de verbo Dei *scripto,* sed generatim *de verbo Dei revelato;* vel **c.** *nimis probent;* si enim urgentur, sequitur rejici posse vel etiam debere omnes illos libros inspiratos, qui praeter libros, in quibus haec testimonia occurrunt, habentur.

Fatemur cum majori quadam veri specie protestantes ad patres provocare. Verum incredibile est **1.** patres tam parum sibi constare, ut *theoretice* et *practice* traditionis exsistentiam testentur (n. 108. s. et 132.), eamque deinde iterum negent. Quare **2.** id *quadamtenus* tantum facere dicendi sunt; disserunt scil. vel **a.** de *speciali* aliqua quaestione seu dogmate; vel **b.** seclusos tantum volunt fontes *spurios* i. e. libros apocryphos, unde haeretici sua hauriebant figmenta, aut argumentationes philosophicas; vel **c.** significare intendunt Scripturam sufficienter continere saltem ea, quae fide *explicita* et a fidelibus omnibus tenenda sunt, quin tamen ideo excludant traditionis necessitatem pro Ecclesia universa et hujus vivum magisterium pro singulis, ut *tuto* Christi fidem possint cognoscere; vel denique **d.** hanc Scripturae sufficientiam idcirco inculcant, quod ipsa Scriptura fideles remittat ad Ecclesiam, a qua discant quae credenda agendaque sint. Ad rem scribit Augustinus c. *Cresconium* l. 1. n. 39: »Quamvis hujus rei (valoris baptismi ab haereticis collati) certe de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod universae jam placuit Ecclesiae, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas, ut quoniam s. Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quaestionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate s. Scriptura demonstrat.«

Caput IV.

Additamenta, quae ad doctrinam de traditione illustrandam spectant.

135. Ad pleniorem traditionis intelligentiam addatur:

Thesis XIX. ***Revelatio christiana morte apostolorum ita completa censeri debet, ut neque nova oeconomia perfectioris ordinis et amplioris revelationis, neque ullum objectivum incrementum exspectandum sit.***

Demonstratio p. I. Praetermissis iis, quae de Ecclesiae perennitate disseremus, colligitur veritas primi asserti, *nullam oeconomiam*

amplioris vel perfectioris revelationis esse exspectandam **1.** praejudicio quodam. Nam profecto haec nova oeconomia se haberet ad oeconomiam Christi pro *harmonica* et *organica connexione,* quae cernitur in operibus Dei, ut se habet Testamentum novum ad vetus: quare sicut N. T. multipliciter est praedictum, adumbratum, praefiguratum in T. V., ita et haec oeconomia futura multipliciter esset praedicta, adumbrata, praefigurata in T. N. Atqui hujus praedictionis, adumbrationis, praefigurationis nullum vestigium. Imo **2.** excluditur omnis ejusmodi spes, sive cum Christus promittit se fore ad consummationem usque seculi cum magisterio semel a se instituto (Matth. 28, 19.), proinde cum Ecclesia, quae plane audienda est, nisi quis velit esse sicut ethnicus et publicanus (Matth. 18, 17.); sive cum Paulus adeo confidenter pronunciat: *Sed licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis A. S.* (Gal. 1, 8.); sive cum Christus ejusque apostoli tam instanter tam repetitis vicibus (Matth. 24, 24; 2. Tim. 4, 3.) inculcant, usque ad seculi consummationem cavendam sibi esse sollicite ab iis, qui *aliam,* proinde *novam* proponerent doctrinam. In tanta enim sollicitudine debuisset Christus, debuissent apostoli, nisi voluissent oeconomiae Dei fideliumque saluti obesse, sicut Moyses (Deut. 18, 18.) et prophetae fecerunt, auctorem novae oeconomiae indicare ac velut digito demonstrare, ne quis tenerioris conscientiae ob eorum verba illum haberet pro pseudochristo et pseudopropheta. Ideo etiam **3.** Paulus Novum T. opponit T. Veteri ut aeternum abrogando, immobile mobili, consummatum inchoato (Hebr. c. 7. s.); et oeconomia Christi dicitur facta in *plenitudine temporis* Gal. 4, 4; Eph. 1, 10; in *novissimis diebus* Hebr. 1, 2. etc., quam excipiet, postquam prius venerit antichristus, *secundus* Christi *ad judicium adventus* et beatitudo aeterna 2. Thess. 2, 2. ss.

136. **Demonstratio p. II.** Non negamus fieri posse et factas esse a morte apostolorum veras revelationes divinas, sed personis privatis, quae non augent depositum revelationis christianae, neque constituunt objectum fidei *catholicae* ab *omnibus* fidelibus profitendae. Hoc depositum morte ultimi apostoli veluti fuisse consignatum, adeo ut nulla additione novae revelationis augeatur, probatur **1.** ex persuasione totius antiquitatis. Ita Hieronymus in Ps. 86. profitetur: „*Dominus narrabit in Scripturis populorum et principum horum, qui fuerunt in ea* (Ps. 86, 6.). Qui *fuerunt,* non qui *sunt* in ea, ut exceptis apostolis, quodcunque aliud postea dicitur, abscindatur, non habeat postea auctoritatem. Quamvis ergo sanctus sit aliquis post apostolos, quamvis disertus sit, non habet auctoritatem.“ Quapropter **2.** *novitas doctrinae* semper habita fuit nota *haeresis* et *apostolicitas* character *necessarius*

doctrinae fidei; ideoque **3.** oborta de fide controversia primum semper erat, ut inquireretur, utrum doctrina controversa contineretur divinis libris vel traditione apostolica. Quare Tertullianus *de praescript.* c. 8. ait: „Nobis curiositate opus non est post Christum ducem nec inquisitione post Evangelium: cum credimus, nihil desideramus ultra credere: hoc enim prius credimus, nihil esse quod ultra credere debeamus."

137. **Scholion I.** Quamvis morte apostolorum revelatio christiana fuerit absoluta, exinde tamen non sequitur, omnes veritates revelatas hoc deposito comprehensas semper aequali ratione in universa Ecclesia fuisse promulgatas et ab omnibus eodem modo creditas. Licet enim **1.** ratione *motivi* seu auctoritatis Dei revelantis omnes veritates revelatae sint *ex aequo* credendae, discrimen tamen aliquod est inter objecta *materialia* seu ipsas veritates credendas, quatenus necessarium non est, ut omnes ab *omnibus aequaliter* credantur fide *explicita,* quod patet ex Ecclesiae praxi, quae non ab omnibus *omnium* fidem exigit *explicitam,* sed pro varietate aetatis, conditionis, muneris etc. modo plurium, modo pauciorum. Quapropter **2.** neque eodem modo omnes veritates revelatae contentae erant in traditione et praedicatione ecclesiastica. Quae ab omnibus erant explicite credendae, *clare, distincte, diserte* expressa erant; aliae poterant contineri *implicite,* donec controversiarum adjuncta postularent et Spiritus s. directio per Ecclesiae magisterium efficeret explicationem impliciti, declarationem et expositionem obscuri, disertam definitionem minus expressi. Per magisterium proinde Ecclesiae poterant **a.** successive determinari diversae *oppositiones* veritatis revelatae ad diversos errores seculorum cursu succrescentes[1]); vel **b.** *per partes* proponi, quae complexa erant[2]), et **c.** propositionibus *particularibus* enunciari, quae in propositione universali jam comprehendebantur[3]); vel **d.** *distinctius* et *articulatius* doceri, quae nonnisi confuse a fidelibus intelligebantur[4]); vel **e.** *diserte* affirmari, quod ipsa jam praxi significabat r[5]).

---

[1]) Ita contra fluctuationem protestantium, qui modo quinque, modo quatuor, modo tria, demum duo admiserunt sacramenta, coacta est synodus trid. inculcare, numerum sacramentorum *septenarium*, qui antea non ita explicite atque instanter inculcabatur.

[2]) Ita Ecclesia *particulatim* singulas humanae naturae partes, corpus illudque carneum, animam eamque rationalem, operandi virtutem et voluntatem humanam Christo asseruit, licet haec satis jam crederentur, cum Christus crederetur verus perfectusque homo.

[3]) Ita Ecclesia contra semipelagianos *instantius* praedicavit, gratiam vel ad salutis *initium* ejusdemque *finem* i. e. perseverantiam esse necessariam, licet id jam contineatur propositione *universali,* gratiam necessariam esse ad *omnes* actus salutares.

[4]) Ita in *summa* Virginis puritate, quae deceat matrem Dei, jam inclusa erat *originalis* ejusdem sanctitas, quam tamen Ecclesia articulatius distinctiusque credendam proposuit.

[5]) Ita quod Ecclesia *practice* credidit primis seculis, valere baptismum ab

138. Hinc liquet **3.** posse esse veritates *objective* quidem in deposito revelationis seu in regula fidei remota comprehensas, quae non semper fuerint per regulam proximam i. e. per praedicationem ecclesiasticam satis clare propositae et promulgatae; et fieri potuisse, ut veritates aliquae in nonnullis ecclesiis *particularibus* obscuratae et oblivioni traditae, vel a doctoribus catholicis citra dispendium fidei aliquando in controversiam vocatae vel etiam negatae fuerint. Fidei enim unitas servatur integra, quamdiu a fidei regula *proxima* nullus est dissensus. Quare **4.** *triplex* stadium quoad plura dogmata distinguere licet. *Primum*, quando nulla adhuc urgente controversia, caput aliquod doctrinae plus minusve implicite traditur et tenetur. *Alterum*, quando illud incipit vocari in controversiam, qua durante sine dubio fluctuatio aliqua inducitur, donec paullatim inquisitione ipsa sub assistentia et directione Spiritus sancti res ad liquidum deducatur. *Tertium* stadium est, quando magisterii authentici solemni judicio vel consensu invalescente de dogmatis revelatione jam certo constat, illudque quaestione jam eliquata transit in explicitum intellectum et in manifestam praedicationem ecclesiasticam [1]).

139. **Scholion II.** Reliquum est, ut quae de *profectu*, qui in Ecclesia relate ad revelationem locum habere possit, tenenda sint, paucis complectamur. **1.** In V. Testamento, ut facto constat, revelationis objectum per novas revelationes temporis cursu prophetis factas crevit. Licet **2.** numerus articulorum fidei in N. T. creverit, dici tamen potest *eandem* esse fidem patrum Veteris T. et fidelium N. T. ratione scil. objecti seu *motivi formalis*, cum et illi crediderint et isti credant propter *auctoritatem Dei revelantis;* quoad objectum vero *materiale* eatenus tantum, quatenus omnes articuli revelati in N. T., *implicite* continentur in veritatibus jam in V. T. revelatis tamquam in quibusdam primis credibilibus seu veritatibus principalibus [2]). Quamvis vero **3.** nullum

---

haereticis collatum, ipsa scil. *receptione* haereticorum, quin iterum baptizarentur. *disertis* dein *verbis* inculcavit, cum Cypriani dissensus ei declarandi necessitatem imposuerit.

[1]) Ex iis, quae diximus, liquet canonem Vincentii lirin. *commonit.* c. 2., quo statuit: „In ipsa catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod *ubique*, quod *semper*, quod ab *omnibus* creditum est. Hoc est etenim vere proprieque catholicum,“ quo proinde assignat tamquam doctrinae catholicae characteres *universalitatem, antiquitatem* et *consensionem*, verissimum esse **1.** sensu affirmante, non tamen **2.** sensu *excludente* ita, ut ad depositum fidei nihil pertinere possit, quod non ubique et ab omnibus semper *explicite* creditum fuerit, ut patet ex historia dogmatum etiam eorum, quae protestantes admittunt. Neque **3.** hoc sensu excludente canonem proponit Vincentius. Supponit enim fieri posse, ut consensus praesens turbetur et controversiae oriantur adductisque exemplis ostendit id revera factum esse; qua in hypothesi censet, consensionem majorem minoremque antiquitatis relativae, exsistentem scil. ante controversiam, notam esse *apostolicitatis* doctrinae alicujus. (Cf. *Comp.* I, 150. ss.).

[2]) Magnum tamen est discrimen inter modum, quo nostrae fidei veritates continentur in veritatibus revelatis V. T., et modum, quo etiam in N. T. quaedam veritates implicite contineri dicuntur in aliis fidei articulis. Veritates enim

admitti possit in N. T. revelationis incrementum sicut in V. T., concedi tamen potest et debet profectus explicationis et intelligentiae, quo vel Ecclesia sub directione s. Spiritus vel fideles ipsum revelationis depositum clarius perspiciunt, altius penetrant, articulatius attingunt. Neque immerito, si enim **a.** quaelibet scientia inter homines profectus est capax, ejusmodi profectus capax erit scientia fidei i. e. theologia. Praeterea **b.** veritates revelatae hinc quidem non sunt lapidum instar, sed instar *seminum*, et quo altiores, eo fecundiores conclusionumque feraciores: inde vero intellectus humanus non se habet in percipiendis hisce veritatibus mere passive, sed agri instar plus minusve fertilis ad semina recepta excolenda et evolvenda, praesertim si accesserit industria et lux atque calor solis supernaturalis seu gratia illustrationis s. Spiritus, qua de re plane egregie disputat Vincentius lirin. *commonit.* c. 23. *opusc.* IX, 212. ss. Huic profectui occasionem praebent haereses variae, quae temporum cursu succrescunt (n. 129.); illum promovent haud parum et ingenii subtilitas et status earum disciplinarum, quae theologiae ancillari debent, et legitimus theologiae scholasticae usus. In primis vero hic profectus pendet a s. Spiritus charismatibus ejusque suavi directione, qua Ecclesiam in omnem inducit veritatem humanamque dirigit industriam.

140. Cavendi tamen sunt in urgendo hoc profectu plures scopuli, praesertim ille, quem Pius IX. encyclicis literis d. 9. Nov. 1846. hisce verbis notat: Divinae revelationis inimici humanum progressum summis laudibus efferentes in catholicam religionem temerario plane ac sacrilego ausu illum inducere vellent, perinde ac si ipsa religio non Dei sed hominum opus esset aut philosophicum aliquod inventum, quod humanis modis perfici queat.« Cavenda deinde est theoria Güntheri, secundum quam revelationis intelligentia continua accipit incrementa ope scientiae philosophicae, adeo ut imperfectior fuerit in apostolis quam in sanctis patribus, in his tamen minime perfecta propter defectum verae philosophiae; perfectissima tandem nostra aetate, jam reperta vera philosophia (i. e. sua). Unde infert, Ecclesiae priorum seculorum definitiones agnoscendas esse ut aliquam veritatem eamque imperfectam et mancam, non vero ut veritatem et veram dogmatis intelligentiam simpliciter; ideoque proficiente intellectu humano alias definitiones perfectiores fore necessarias. Quae theoria **1.** adversari videtur doctrinae conc. vaticani sess. 3. cap. 4. et can. 3. *de fide et ratione:* »Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia, A. S.« Displicet deinde **2.** quod affirmatur de *apostolis.* Licet enim apostoli dogmata non proposuerint sub omnibus formis, quibus enunciari possunt directe opposita multiplicibus erroribus lapsu temporis succrescentibus, modisque loquendi aptis ad temporum exigentias: *temerarium* tamen est affirmare, apostolos fidei dogmata scientia infusa minus distincte cognovisse quam doctores subsequentes. Nam apostoli prae ceteris

---

fidei N. T. ita includuntur in veritatibus fidei V. T., ut *absque nova revelatione* inde elici nullatenus potuerint: contra vero varia dogmata fidei, quae in N. T. temporis cursu explicite creduntur, ita in articulis fidei a Christo et a Spiritu s. revelatis continentur, ut absque nova revelatione facile inde eliciantur.

Ecclesiae ministris unquam exstituris plenissime receperunt Spiritum, qui eos duceret in *omnem veritatem,* atque prae ceteris etiam perfecta revelationis cognitio ad primum aedificandam propagandamque Ecclesiam ipsis opus fuit[1]). Displicet **3.** quod Güntherus tam perfectam exspectet mysteriorum intelligentiam, ut omnis mysterii ratio cesset. Haec enim opinio adversatur unanimi patrum et theologorum sententiae, quae docet fidei mysteria excedere intellectum vel angelicum; adversatur statui fidei, in quo usque ad consummationem seculi homines omnes justificandos vivere oportet; adversatur denique doctrinae conc. vaticani sess. l. c. cap. 4. et 3. can. 1: »Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari, A. S.« (Cf. *Comp.* I, 145. ss.).

Sectio II.

De sacra Scriptura.

141. Summae praestantiae esse s. Scripturam negari nequit, sive ea philosophice tantum vel, quod idem est, *critice* et humano modo, sive etiam *theologice* consideretur.

Si **1.** *critice* spectetur, ejus praestantia colligitur tum **a.** ex summa aetate, tum **b.** ex objecti seu doctrinae sublimitate, tum **c.** ex ipsa forma, quae verborum fucum et pompam negligens, stili candore, simplicitate et idearum copia quandam prae se fert majestatem, quam humana eloquentia assequi nequit. Si vero **2.** s. Scriptura *theologice* spectetur, patet ejus praecellentia ex mira *analogia* inter eam et *Verbum Dei incarnatum.* Sicut Verbum **a.** carne indutum opera s. Spiritus prodiit ex Maria V., ita Spiritu s. inspirati locuti sunt sancti Dei homines (2. Petr. 1, 21.) et pepererunt verbum Dei scriptum. Sicut **b.** in illo elementum *divinum* et *humanum,* quo divinum velabatur, secerni debet: ita hic sub cortice literae latent sensa divina; et sicut ad illud cognoscendum non sufficiebat caro et sanguis, sed requirebatur revelatio paterna (Matth. 16, 17.): ita ad haec penetranda necessaria est illustratio superna. Sicut **c.** in humanitate assumpta inhabitabat plenitudo divinitatis (Coloss. 2, 9.), erantque omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi (ib. 2, 3.): ita et Scripturae coelesti abundant sapientia, ut fontis instar repleant hominum mentes, innumeros libros integrasque bibliothecas. Sicut **d.** Christus judaeis fuit scandalum, gentibus

---

[1]) Admitti potest relate ad apostolos **1.** profectus *historicus,* quod apostoli plura ignoraverint, quae ad historicam explicationem et diffusionem Ecclesiae, seriemque romanorum pontificum etc. spectant; **2.** profectus *modalis* scil. quoad formam seu modum distinctum, articulatum, scientificum proponendi veritates revelatas; **3.** *antitheticus,* quia plures semper habitus oppositionis, quos successu temporis dogmata induunt relate ad errores in diem succrescentes, distincte cognoscimus. Verum hic qualiscunque profectus nullo pacto conferri potest cum eminentissima revelationis cognitione, qua pollebant apostoli, quia *externam* potius et *accidentalem* tantum revelationis faciem et formam attingit, modumque magis respicit, quo apostoli revelationem fidelibus proponebant, quam subjectivam eorum et infusam scientiam.

stultitia (1. Cor. 1, 23.), multis lapis offensionis et petra scandali (1. Petri 2, 8.), credentibus vero Dei virtus et sapientia (1. Cor. 1, 24.): ita non minus hoc de s. Scriptura affirmare licet. Quemadmodum **e.** non obstante humana natura in Christo translucebat divinitatis splendor, ita etiam coelestis sapientia translucet sua cortice literae. Sicut **f.** patiente Christi humanitate impassibilis mansit divinitas; ita etiam qui s. Scripturae paginas dilacerat, non laedit doctrinam iis inscriptam. Quare **g.** mirum non est, quod sicut Christus inter homines eminet tamquam *Filius hominis* per excellentiam, ita hic liber divinitus inspiratus eminet inter scripta omnia tamquam *Scriptura,* Scriptura sacra. Propter quam Scripturae dignitatem tres disciplinae illam sibi vindicant: *introductio* biblica, quae illius veluti fata persequitur et faciem considerat humanam; *exegesis*, quae illius scrutatur sensum, et *dogmatica,* quae ipsius ponderat pretium eaque utitur ad probandas fidei veritates.

142. Quaestiones autem, quarum consideratio praecipue ad theologiam dogmaticam spectant, ad *quatuor* revocabimus capita, in quorum *primo* de objectiva dignitate seu de *inspiratione* Scripturae agemus; in *altero* de ejusdem extensione seu de *canone;* in *tertio* de versione ipsius seu de *Vulgatae authentia; in quarto* denique de ejus sive *ad fideles* sive *ad Ecclesiam docentem habitu.*

Caput I.

De sacrae Scripturae inspiratione.

143. Supponimus **1.** ut certissimum, tempore Christi penes synagogam exstitisse collectionem quandam librorum a majoribus acceptorum et ex fide totius populi *divinorum,* qui unum velut corpus constituebant destinatum ad usum publicum in tota vita religiosa et civili ipsius populi. Hi vero libri **2.** in N. T. nunc seorsim, nunc conjunctim, ac si essent unus liber (cf. Joan. 7, 42; 1. Petr. 2, 6.), imo singuli librorum textus (cf. Marc. 12, 10: Luc. 4, 10; 24, 27; Act. 1, 16; 8. 32. 35; Joan. 19. 36. etc.) nomine *Scripturae, Scripturae sacrae* et formula citationis *scriptum est* designantur ita, ut appareat esse hoc nomen proprium unius cujusdam collectionis librorum notissimae et esse nomen excellentiae, quo par quidem omnibus illis libris et librorum textibus, sed singularis et exsors auctoritas significetur. Nam si pauca etiam verba tamquam sacra Scriptura vel forma *scriptum est* adhibentur, id quod enunciant *irrefragabilis* censetur auctoritatis. Tantum vero abest **3.** ut Christus hanc fidem populi judaici reprobaverit, ut eam potius multiplici comprobaverit ratione, provocando **a.** scil. ad Scripturas tamquam ad testificationem non humanam, sed divinam, irrefragabilem, parem **b.** testimonio miraculorum Joan. 5, 34. ss., Matth. 21, 42. etc., vel eam **c.** aequiparando voluntati paternae, dum passim in-

culcat: *oportet impleri Scripturam* Luc. 22. 37; 24, 26. col. Act. 1, 16. etc., vel **d.** inculcando eam firmitate, ideoque etiam auctoritate praecellere leges naturae; nam *facilius est coelum et terram transire, quam de lege unum apicem cadere;* cf. Luc. 16, 17: Matth. 5, 18. Simili ratione et apostoli eam fidem comprobant.

144. **Thesis XX.** ***Auctoritas summa, qua s. Scripturae semper in Ecclesia praeditae fuerunt, inde repeti debet, quod earum auctor sit Deus per suam supernaturalem in scriptores humanos actionem, quae usu ecclesiastico inspiratio dicitur.***

Demonstratio. Deum auctorem esse librorum sacrorum Ecclesia saepe professa est, recentissime in conc. vaticano sess. 3. can. 4. et cap. *de revel.* hisce verbis: „Eos Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati: nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant: sed propterea, quod Spiritu sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.“ Quae veritas probatur **1.** ex fide judaeorum, quam Christus approbavit (cf. n. 143.); **2.** ex modo, quo Christus et apostoli s. Scripturas citant. Nam vel **a.** Deus auctor ponitur in recto, homo ut instrumentum in obliquo: *Oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus s. per os David de Juda* Act. 1, 16; Rom. 1, 2; Hebr. 4, 7. etc.; vel **b.** ajunt scriptorem in Spiritu s. quae scripsit dixisse, quod idem valet, ac Spiritum s. per ipsum esse locutum: *Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum* (Christum) *Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo?* etc. Matth. 22, 43; Marc. 12, 36; vel **c.** Scriptura simpliciter pro ipso Deo loquente ponitur: *Providens autem Scriptura . . . praenunciavit Abrahae* etc. Gal. 3, 8. Quare diserte **d.** Paulus 2. Tim. 3. 16. omnem Scripturam *divinitus inspiratam* appellat.

145. Quam fidem **3.** patres unanimi suo suffragio confirmant; et quidem **a.** *diserte* vel *aequivalenter;* ita Origenes praef. *de principiis* n. 8. docet ad *manifestam praedicationem ecclesiasticam* spectare, »quod per Spiritum sanctum Scripturae conscriptae sint;« et Chrysostomus hom. 2. *in Gen.* n. 2. scribit: »Deus velut longe absentibus literas misit, quas quidem literas dedit Deus, attulit Moyses«. Vel **b.** hanc veritatem *analogiis* illustrant, cum docent auctorem inspiratum ita se habere ad Deum, ut manus ad hominem, calamus ad scribam, cithara ad musicum. Ita Augustinus *de consensu Evang.* l. 1. c. 35: »Omnibus discipulis suis per hominem quem assumpsit, tamquam membris sui corporis caput est (Christus). Itaque cum illi scripserunt, quae ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit: quandoquidem membra ejus id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt. Quidquid enim ille de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tamquam suis manibus imperavit.« Denique **c.** inferunt *consectaria,* quae originem divinam sup-

ponunt, scil. vel minima in divinis libris plena esse sensibus, ut ex. gr. Gregorius Naz. or. *de fuga sua* n. 105: »Nos qui perfectam veracitatem Spiritus etiam usque ad levem apicem et lineam extendimus, non concedimus, neque enim fas est, vel res minimas a scriptoribus esse temere positas[1]).«

146. Si jam accuratior inspirationis notio postuletur, advertimus, eam satis erui posse ex simplici *analysi* dogmatis catholici *de Deo s. Scripturae auctore.* Ut enim quis *auctor* haberi possit alicujus libri, neque necesse est, ut illum *per se* scripserit, neque si illum per alium ediderit, ut vel ipsa verba dictet vel ea omnia suggesserit, quibus etiam mutatis liber censetur idem ac talis, qualem illum intenderit. Quare ut Deus auctor censeri possit s. Scripturae per homines, quos in ea edenda adhibuisse manifestum est, requiritur et sufficit **1.** *motio voluntatis* eorum ad scribendum efficax, ut ei tribui possit ipsa scriptio; **2.** *illustratio* intellectus eorum, vi cujus omnia ea mente conciperent, quae literis consignata vellet; ideoque vel *revelatio,* si ea nescirent, vel saltem *directio* mentis in ea ex illis, quae jam memoria tenebant aut ex aliis fontibus, uti sunt libri (2. Mach. 2, 24.) aut aliorum relatio, haurire poterant, quaeque scribenda ipse statuisset. **3.** *Directio* divina, ne scriptores aliqua ex iis, quae Deus libris consignata volebat, omitterent, multo minus ne aliquid alienum adderent, et quae **4.** cum ea cohaeret *assistentia*, ne adhiberent verba inepta ad sensa divinitus concepta exprimenda. Unde liquet inspirationem non excludere hominum inspiratorum cooperationem cum labore quandoque conjunctam (2. Mach. 2, 27.).

147. Ex qua analysi pleraeque aliae opiniones de inspirationis ratione erroris vel per *defectum* vel per *excessum* arguuntur, Plures **1.** inspirationem divinam ita coërcent, ut affirment, eam se non ad omnia, sed tantum ad res majoris momenti extendere, proinde in reliquis, maxime in factis historicis, scriptores potuisse errare. Huic errori adversatur fides majorum, qui tam theoretice quam practice totam Scripturam singulasque partes inspiratas crediderunt, ut patet tum ex indistincta citatione textuum omnis generis, tum ex eorum sollicitudine componendi vel minimas antilogias, quae inter auctores inspiratos subinde esse videntur, tum ex diser-

---

[1]) Gregorius M. in praef. *Moral. in Job* n. 2: »Quis haec scripserit, valde supervacue quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus s. fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit. Ipse scripsit, qui et in illius opere inspirator exstitit, et per scribentis vocem imitanda ad nos ejus facta transmisit. Si magni cujusdam viri susceptis epistolis legeremus verba, sed quo calamo essent scripta quaereremus, ridiculum profecto esset, epistolarum auctorem scire sensumque cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuerint indagare. Cum ergo rem cognoscimus ejusque rei Spiritum s. auctorem tenemus, qui scriptorem quaerimus, quid aliud agimus, nisi legentes literas de calamo percontamur?«

tis effatis. Ita scribit Augustinus ep. 82. *ad Hieronymum* n. 3: »Ego enim fateor caritati tuae, solis eis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorum scribendo aliquid errasse firmissime credam. Ac si aliquid in eis offendero literis quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam . . . De quorum (prophetarum vel apostolorum) scriptis, *quod omni errore careant, dubitare nefarium est.*" Adversatur finis inspirationis, quae hac semel admissa sententia, plane incerta redditur et inutilis. Quare Augustinus ad eundem *ep.* 28. n. 3: »Admisso semel, inquit, in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio (idem dicatur de errore), nulla illorum librorum particula remanebit, quae non ut cuique videbitur vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur.«

148. Alii **2.** inspirationem revocant ad meram *assistentiam,* qua Deus praeservet scriptores ab errore eosque reddat infallibiles. Quae opinio refellitur, tum quia haec assistentia tantum praeservans est quid *negativum,* inspiratio vero est praerogativa, qua quis *auctor* est libri, ideoque actum vere *positivum* designat vel supponit; tum quia secundum eam decreta etiam conciliorum oecumenicorum forent inspirata et Scriptura sacra, quod nemo dicet. Secundum alios **3.** liber aliquis *sola approbatione divina* seu insertione in canonem evadere potest divinus et verbum Dei, eo modo quo sententia aliqua a Cicerone scripta fit verbum meum, si ea utar ad conceptum meum exprimendum. Quae opinio admitti nequit, praesertim post declarationem conc. vaticani (cf. supra n. 144.), ut patet vel ex ipsa obvia vocis notione, cum profecto longe aliud sit *inspiratio* et *approbatio:* illa enim actum, qui scriptionem praecedat, haec actum, qui illam consequatur significat. Inde autem orta videtur haec opinio, quod non satis distinguatur inter *verbum Dei* et *librum inspiratum.* Concedimus quidem librum aliquem humanum *sola* Dei *approbatione* posse fieri *verbum Dei,* sed non librum *inspiratum.*

149. Neque **4.** ita urgenda est inspiratio ut singularum vocum defendatur inspiratio, hanc enim non esse necessariam, patet **a.** ex dogmatis catholici analysi n. 146. proposita; **b.** ex ipsa stili diversitate, quae diversae indoli et eruditioni scriptorum respondet; **c.** ex diversitate, quae reperitur apud scriptores, cum idem referunt factum; **d.** propter verba auctoris 2. Mach. 15, 39. Patrum vero effata, quae pro hac sententia afferri solent, ita commode explicari possunt, ut significent tantum, summa reverentia s. Scripturam excipiendam esse, omnia ejusdem verba diligenter esse expendenda, quia omnia sensu plena, nullum otiosum, utpote Deo invigilante conscripta et providente, ne voces superfluae aut ad sensus inspirati expressionem minus idoneae adhiberentur.

Caput II.

De inspirationis extensione seu de canone.

150. Demonstrata Scripturarum in genere inspiratione, jam inquirendum est in *criterium,* vi cujus liber inspiratus, qui ad s. per-

tineat Scripturam, tuto possit secerni a libro non inspirato. *Ejusmodi criterium maxime esse necessarium* per se patet eoque magis, quod jam primis Christi seculis teste Irenaeo l. 1. c. 20. n. 1. haeretici „inenarrabilem multitudinem apocrypharum et perperarum (νόθων) scripturarum, quas ipsi finxerunt," attulerint. Cum autem in ejusmodi criterium inquirimus, non qualicunque contenti sumus, sed tale exigimus, quo *tuto, authentice, modo omnibus accommodato,* quoad *omnes* Scripturae partes *certi* de libris inspiratis reddamur.

151. Jam vero evidens est **1.** ejusmodi libros *a priori* et *ex rei natura* non dignosci; neque **2.** ex criteriis seu indiciis internis, v. g. ex doctrinae sanctitate, sublimitate, ex miris effectibus, quos lectores in se experiuntur etc., cum nemo non videat ejusmodi criteria esse nimis *vaga, subjectiva, arbitraria, incerta,* neque *exclusiva.* Neque **3.** sufficiens criterium est *munus apostolatus,* quo scriptores fuerint instructi, cum aliud sit munus apostolatus, aliud charisma inspirationis, quod apostolis et *solis* quidem promissum fuisse, demonstrari nequit. Et in ea hypothesi excludenda essent a numero librorum inspiratorum contra sensum totius antiquitatis evangelia s. Marci et s. Lucae, necnon et actus apostolorum.

152. Inspiratio est factum mere *internum*, cognosci ergo nequit, nisi vel ex *effectibus externis,* vel ex *testimonio* ipsius hominis inspirati, vel ex testimonio Dei. Atqui ejusmodi effectus externi in ipso libro inspirato certi sunt nulli. Testimonium autem hominis inspirati est *humanum,* illusionibus obnoxium neque sufficiens, ut *omnes* fide *divina* credere *teneantur*, ea quae ab ipso conscripta sunt, divinitus esse inspirata et esse verbum Dei, nisi illud miraculis confirmetur; qua in hypothesi elevatur ad testimonii *divini* dignitatem. Quare merito concludimus, nonnisi testimonio *divino* constare *tuto* posse de ss. librorum inspiratione. Hoc vero testimonium colligi nequit saltem quoad *omnes* libros s. Scripturae ex ipsis divinis literis. Ergo nonnisi *ex traditione* de eo constare potest. Non autem ex traditione mere *historica*, qua viri critici uti solent. Nam ejusmodi demonstratio, qua utuntur protestantes, *triplici* defectu laborat: **1.** quidem sibi *contradicunt;* contendunt enim revelationem *omnem* divinis contineri literis, nullamque ejus particulam *traditionis ope* fuisse transmissam. Modo vero, ne totius Scripturae inspirationem gratis admittant, supponere debent, extra et praeter Scripturam hanc saltem doctrinae revelatae particulam exstare, quae indicet, quinam omnes sint libri divinitus inspirati. **2.** Haec demonstratio est *insufficiens,* nam non possunt protestantes hac via *certo, tuto* et *absque controversia* determinare *omnes* libros inspiratos, ut patet *ex facto;* quo magis enim gloriantur se via incedere historica et critica, eo minus de canone inter se conveniunt. Denique **3.** haec methodus non est *omnibus accommodata.* Quare con-

cludendum est, *nonnisi traditione divina sensu catholico intellecta constare nobis posse, quinam sint libri divinitus inspirati.*

153. **Thesis XXI.** ***Canon Scripturarum a Concilio tridentino sess. 4. sancitus, si secundum principia catholica de divina traditione, quae in antecedentibus demonstrata sunt, spectetur, plane authenticus censeri debet; si vero ad rationes scientiae theologicae exigatur, dicendus est sincera et fidelis expressio illius fidei, quae semper in Ecclesia plus minusve clare obtinuit sopitisque hinc inde obortis dubiis demum praevaluit.***

Demonstratio p. I. Demonstratum est, doctrinam universam revelatam conservari per successionem apostolicam (thesi XV.). Atqui in deposito fidei continetur tamquam pars in toto testimonium divinum de libris inspiratis, nempe *quot* et *quinam* sint. Custodia igitur hujus testimonii et dubiis exortis judicium authenticum de ipso pertinet ad functionem successionis apostolicae sub promissa Spiritus sancti assistentia; proinde ex *unanimi consensu* per solemne judicium manifestato *tuto* et *authentice* agnoscitur *divinum* de libris inspiratis testimonium. Ejusmodi vero judicium solemne latum est in concilio tridentino. Ergo secundum principia legitima de divina traditione canon[1]) ab illo sancitus *authenticus* haberi debet.

154. Quae illatio confirmatur sentiendi ratione antiquitatis; patres enim passim inculcant ab Ecclesia discendum esse, quinam sint libri spectantes ad s. Scripturam seu divinitus inspirati. Ita Augustinus, cujus notissima sunt verba *contra epist. fundamenti* c. 5: »Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas, . . . qua infir-

[1]) *Canonis* vox *multiplicis* est significationis; *proprie* significat *regulam*, qua rectum ab obliquo discernitur, hinc translate *credendi normam*, secundum quam judicetur, quid fide sit tenendum quidve respuendum. Et quia fidei regula (objectiva et mediata) in primis continetur *s. Scriptura*, seu collectione librorum, qui constituunt Scripturam divinitus inspiratam seu verbum Dei scriptum, canonis nomine *haec* ipsa *librorum collectio* designatur. Cum autem etiam conciliorum *definitiones* norma sint credendi vel agendi, illae quoque vocantur *canones*. *Praedicatio* et *praxis* Ecclesiae eadem de causa canon appellantur. In re *liturgica* psalmus vel canticum secundum normam fixam cantandum vocabatur canon, et modo illa pars, quae prae ceteris solemnis et fixa est. *Catalogus* quoque *clericorum*, quia secundum fixam regulam vitam degere debebant, et *annua pensitatio certa*, quae ipsis erat solvenda, *canon* dicebatur. Hinc derivatur verbum κανονίζειν, quod *triplici* praesertim significatione usurpatur: **1.** secundum certam regulam aliquid examinare; **2.** secundum certam regulam aliquid statuere; **3.** *in catalogum librorum Scripturae* aliquem librum (et per analogiam aliquem in sanctorum catalogum) referre. Adjectivum κανονικός praedicatur de *libro* in Scripturarum catalogum relato; de *clericis*, qui secundum certam piamque normam vivebant, etiam de virginibus et viduis; de *literis episcoporum*, quas sibi invicem in orthodoxiae suae tesseram mittebant, quasque latini *formatas* appellare consueverant.

mata jam nec Evangelio credere potero.« Ita Cyrillus hier. *cat. 4.* n. 34: »Studiose idque ab Ecclesia disce, quinam veteris T. libri, qui vero novi... Eos solos studiose meditare et versa, quos etiam in Ecclesia cum certa fiducia legimus; multo prudentiores et religiosiores te erant apostoli et veteres episcopi Ecclesiae rectores, qui eos tradidere; tu ergo filius Ecclesiae cum sis, ne leges positas transverte.« Ita Origenes hom. 1. *in Luc.*: »In his omnibus (evangeliis) nihil aliud probamus, nisi quod Ecclesia i. e. quatuor tantum evangelia recipienda.« Cf. *opusc.* IX, 19. ss.

155. **Demonstratio p. II.** Argumentis tantum generalibus evincemus, canonem a conc. tridentino statutum[1]) ad traditionem apostolicam esse exactum. Sane **1**. ante concilium trid. vel sanciunt vel proponunt vel qua cognitum referunt hunc canonem: sec. XV. Eugenius IV. in decreto pro Jacobitis; sec. XII. Petrus blessensis *de divisione et scriptoribus ll. sacrorum;* sec. IX. Nicolaus I. ep. 75. *ad episc. Galliae;* sec. VIII. Leo III. in decreto edito a Blanchinio in *vindiciis can. Scripturarum* (in quo recensentur libri deuterocanonici V. T.); sec. VII. Isidorus hispal. saepius ut *etymol.* l. 6. c. 1. etc.; synodus trullana can. 2. approbans canones conciliorum afric. (in quibus omnes s. Scripturae libri, prout in Vulgata exstant, recensentur); sec. VI. Cassiodorus *divin. institut.* c. 1. ss.; sec. V: Gelasius in decreto synodali 70 episc. a. 496., in quo dicitur: „De Scripturis divinis quid universaliter catholica recipiat Ecclesia, vel post haec quid vitare debeat, ordo de V. T., quem sancta et catholica romana suscipit et honorat Ecclesia, iste est etc.;“ Innocentius I. in ep. 6. *ad Exsuperium* c. 7. provocans ad traditionem, Augustinus *de doctrina*

---

[1]) Libri *protocanonici* illi dicuntur, de quorum inspiratione seu canonicitate dubitatum fuit nunquam, qui propterea etiam dicebantur (cf. Eusebium H. E. 3, 25.) ὁμολογούμενοι, seu ab omnibus admissi. *Deuterocanonici* vero illi vocantur, de quorum inspiratione olim intra Ecclesiam dubitatum fuit vel non omnibus certo constabat, qui proinde non ubique in canonem sunt recepti atque ideo ἀντιλεγόμενοι, controversi, vocabantur. Libri *deuterocanonici* V. T. sunt: Baruch, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus et duo libri Machabaeorum. Quaedam quoque *partes* deuterocanonicae habentur, ut sunt: canticum seu hymnus trium puerorum Dan. 3, 24–90; historia Susannae ib. c. 13. et destructio Beli et draconis c. 14; septem postrema capita Esther a 10, 4.–16, 24. Libri deuterocanonici N. T. sunt: epistola Pauli ad Hebraeos, ep. 2. b. Petri, 2. et 3. s. Joannis, ep. s. Jacobi et Judae et apocalypsis. *Partes* deuterocanonicae N. T. sunt: Versiculi posteriores Marc. 16. a v. 9; historia sudoris sanguinei Christi Domini Luc. 22, 43. 44; historia mulieris adulterae Joan. 8, 2–12. incl. Haec terminologia primum a Sixto senensi in *bibliotheca sancta* adhibita deinceps invaluit. Nullo modo autem licet cum Jahn affirmare, decreto tridentino sublatum non fuisse *discrimen* inter libros protocanonicos et deuterocanonicos, adeo ut horum *minor* sit auctoritas. Haec enim assertio e diametro adversatur verbis contextui, clausulae et scopo decreti. Cf. *Comp.* I, 184.

christ. l. 2. c. 8; et conc. carthaginense a. 419., cui interfuerunt episcopi 218 et legati rom. pontificis, can. 29. cum hac conclusione: „Hoc etiam fratri et consacerdoti nostro Bonifacio urbis Romae episcopo vel aliis earum partium episcopis pro confirmando isto canone innotescat, quia *a patribus ita accepimus* in Ecclesia legendum.“ Sec. IV. prostat in conc. carthaginensi III. a. 397. can. 47. et in hipponensi totius Africae a. 393. can. 36.

156. Praeterea **2.** antiquissimae *versiones* continent libros etiam deuterocanonicos V. T. omnes et quidem protocanonicis permixtos, ita versio graeca alexandrina LXX interpretum[1]) quousque saltem illam per antiquitatis monumenta persequi licet; item versio latina itala, cujus aetas *primum* forte jam attingit seculum, coptica, aethiopica, syriaca hexaplaris, armeniaca, slavonica; vetustissimi quoque codices. Libros vero deuterocanonicos N. T. cum protocanonicis recensent patres sec. IV. et III., ut Origenes hom. 7. *in Josue* col. hom. 13. *in Gen.* n. 2; Athanasius *ep. festali;* Gregorius naz. *carm.* 12. al. 34. *omissa sola apocalypsi;* Cyrillus hieros. *catech. 4.* n. 33. ss.; conc. laodicenum can. 60., et can. 85. apostolorum.

157. Accedit **3.** *citandi usus.* Nam etiam ll. deuterocanonici cum protocanonicis citantur sub formula: *scriptum est, Scriptura, Scriptura sacra* vel *divina, Spiritus s. in Scriptura sacra* dicit etc., et quidem iis in contextibus, ubi agitur de instituendis fidelibus in doctrina Christi sive theoretica sive practica. Affirmari autem tuto potest, ex omnibus patribus, quorum scripta sat ampla supersunt, etiam ex iis, qui alioquin dubitasse subinde videntur, nullum esse, qui libros deuterocanonicos tamquam Scripturas sacras non usurpaverit. Sufficit provocare ad ep. 1. s. Clementis rom. sec. primi, in qua cum libris protocanonicis promiscue 7 libri (ex 14) deuterocanonici citantur. Atqui ejusmodi usus tam *solemnis* et *constans* non obstantibus dubiis exortis, qui nisi traditione niteretur apostolica, verus esset abusus in re momenti maximi, ex *apostolica* traditione originem traxisse dicendus est. Fatemur quidem etiam hinc inde a patribus quibusdam citari ut s. Scripturam libros, quos Ecclesia pro inspiratis non agnoscit, ut

[1]) Hoc autem factum magni est momenti, cum Christus et apostoli persaepe usi sint versione alexandrina; nam ex 350 citationibus, quae in N. T. occurrunt, 300 expressae sunt ad versionem alexandrinam. Hinc Augustinus in *ep. ad Hieronymum* (inter hujus ep. 104. al. 88.) scribit n. 6: „Qua usos apostolos non solum res ipsa indicat, sed etiam te attestatum esse memini.“ Cf. etiam ejusdem ep. inter Hieronymi ep. 11. n. 35.

ex. gr. Hermae pastorem, l. 3. Esdrae, Barnabae epist. etc., sed ejusmodi citationum usus nec *adeo frequens,* nec adeo *universalis* fuit ac *gradatim evanuit.* Tandem **4.** canon trid. confirmatur consensu quoque Ecclesiae graecae schismaticae aliarumque sectarum Orientis, qui in ejusmodi controversiis maximi faciendus est.

158. **Scholion I.** Non ignoramus contra hanc thesim plura excipi. Praecipua exceptio inde petitur, quod haud pauci patres ss. Scripturarum canonem recensentes libros deuterocanonicos saltem V. T. omittant. Verum **1.** ex his alii loquuntur de hebraeorum canone; alii **2.** nomine canonis intelligunt persaepe indicem librorum, qui tum apud omnes et ubique in confesso (ὁμολογούμενοι) erant; nolunt tamen ideo libros deuterocanonicos, de quibus nonnulli dubitabant et qui idcirco ἀντιλεγόμενοι dicebantur, *definita* sententia a librorum inspiratorum censu excludere. Id vel exinde patet, quod his libris passim utantur qua sacris Scripturis in suis operibus. Quare **3.** inter canonem trid. completum et canones illos deficientes non est oppositio *contradictionis* sed *diversitatis,* sicut inter *perfectum* et *perficiendum* suoque tempore supplendum.

159. Ceterum **4.** usque ad sec. III. nullum apparet controversiae vestigium de libris deuterocanonicis V. T., imo satis liquet tum ex Origene († a. 253. vel 254.) *ep. ad Julium* Africanum, tum ex Justini († c. a. 167.) *dialogo cum Tryphone* n. 71. ss., christianos jam tunc alium quam hebraeos (saltem hierosolymitanos), qui libros tantum protocanonicos admittebant, habuisse canonem. Primam occasionem controversiae praebuisse videtur Origenis recensio et comparatio Scripturarum, ut erant in ecclesiastica editione, cum textu hebraico. Cum enim in hoc deessent libri deuterocanonici, de eorum canonicitate dubitandi occasio aliquibus praebebatur. Quod vero quidam dubitaverint sec. III. et IV. de aliquot libris deuterocanonicis N. T., mirum esse non debet, tum quod aliqui ex illis admodum sint breves, atque ad personas tantum singulares directi, ideoque minus facile in omnium notitiam pervenerint; tum quod nonnullis haeretici abuterentur; hisce tamen dubiis non obstantibus horum librorum usus in Ecclesia perseveravit, et ipsa dubia tempore procedente paulatim dissipata sunt. Si vero aliqui scriptores etiam media aetate ante solemne concilii trid. judicium libros illos extra canonem numerare videantur, ii vel sola loquendi ratione a communi doctrina dissentire sunt dicendi, vel vetustioris alicujus doctoris (Hieronymi praesertim) sententiis plus aequo permoti vel singulares fuisse censendi sunt. Hinc **5.** satis clare cernitur triplex illud stadium (n. 138.) in explicatione dogmatis de Scripturarum canone, *simplicis* velut *fidei* et susceptionis librorum in usu et praxi Ecclesiae usque ad initia sec. IV.; *ortae* deinde *haesitationis* et *stadium inquisitionis* penes doctores, praesertim in Ecclesia graeca sec. IV. et V., quae paulatim ad perseverantem Ecclesiae usum, accedentibus decretis conciliorum Africae, rom. pontificum Innocentii I. et Gelasii, desiit quidem in *universalem consensionem,* non ita tamen, quin media quoque aetate prioris controversiae vestigia remanerent. Sequitur denique *solemne* Ecclesiae *judicium,* quo omnis controversia terminatur excluditurque omnis inter catholicos dissensio. Quae **6.** non novae revelationis necessitatem ad canonem trid. constituendum demon-

strant, sed potius *infallibilitatis* Ecclesiae in depositi custodia *necessitatem* invicte comprobant[1]).

Caput III.
De authentia Vulgatae.

160. Demonstravimus libros s. Scripturae ex divina inspiratione fuisse conscriptos. Verum codices originales seu autographa non amplius habemus, sed tantum apographa seu exemplaria inde descripta, neque hisce utimur in *textu originali* sed in alias atque alias linguas versis; merito ergo quaeritur, utrum *tuto* aliqua saltem uti possimus versione, quae fideliter exhibeat exemplar originale, adeo ut eadem s. Scripturae auctoritas ipsi competat, quae codici primitivo et originali; itaque delabimur ad quaestionem de *authentia versionis vulgatae,* qua Ecclesia catholica utitur. Nomen αὐθέντης significat eum, qui potestatem, auctoritatem habet, proinde obedientiam sive voluntatis sive etiam intellectus i. e. fidem sibi conciliare potest. In jure transfertur ad scripta et instrumenta, quorum authentia non est nisi eorundem auctoritas ad faciendam fidem. Haec, si sermo est de instrumento αὐτογράφῳ seu originali, pendet ab auctoritate ipsius auctoris. Authentia vero exemplarium apographorum aut versionum pendet ab eorum conformitate

---

[1]) Specialis est difficultas contra *epist. ad Hebraeos* et *apocalypsim* ex verbis s. Hieronymi ep. 119. *ad Dardanum* (a. 414.) n. 3: „Quod si, inquit, epistolam ad Hebraeos *latinorum consuetudo* inter canonicas Scripturas non recipit, nec *graecorum* quidem *ecclesiae* apocalypsim Joannis eadem libertate suscipiunt, et tamen nos utramque suscipimus, non hujus temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes.“ Verum advertimus quoad *epist. ad Hebraeos*, hanc latinorum consuetudinem fuisse *paucorum* et *novam*, cum **1.** s. doctor ipse ibidem testetur, hanc epistolam „quotidie Ecclesiae lectione celebrari,“ seque *veterum scriptorum* sequi *auctoritatem;* cum **2.** ejusmodi scriptores non reperiantur; imo **3.** haec epist. ante Hieronymum et ejus aetate vel citatur ut Scriptura s. vel inter Scripturas ss. recensetur, e. g. a conc. hipponensi et carthaginensi III., Hilario pictav., Lucifero calaritano, Philastrio, Paciano, Ambrosio, Rufino, Gaudentio, Innocentio I., Augustino etc. Quod si **4.** nonnulli de ea dubitaverint, non tam de auctoritate quam de *scriptore* ejusdem, utrum nempe fuerit Paulus an aliquis alius, quaestionem movisse videntur. Restringi etiam debet, quod s. Hieronymus de ecclesiarum graecarum consuetudine relate ad *apocalypsim* affirmat. Etsi enim aliquot patres post Eusebium († c. a. 338.) apocalypsim recensuerint inter ἀντιλεγομένους et ex rationibus polemicis ab ejus usu abstinuerint, patres tamen vetustissimi usque ad sec. III. labens illam numerant inter Scripturas, nullumque dubium notum est usque ad Origenis tempora, qui eam recenset inter Scripturas ὁμολογουμένας. Orto tandem dubio in Oriente, non solum non praevaluit sententia opposita, sed patres ex diversis ecclesiis gravissimi in eadem cum suis antecessoribus sententia perstiterunt.

cum originali. De authentia originali s. Scripturae egimus ostendentes eam esse divinam; modo agemus de authentia *conformitatis* illius versionis, qua Ecclesia latina utitur, versionis scil. *vulgatae*[1]).

161. Jam vero **1.** *Ecclesiam posse aliquam versionem s. Scripturae declarare conformem suo originali* ac proinde *authenticam*, est manifestum. Illi enim ex munere a Christo injuncto docendi omnes gentes jus est et officium proponendi et tradendi verbum Dei scriptum illudque *in concreto* i. e. in determinata aliqua editione. Atqui Ecclesia hoc munus obire nequit, nisi aliquam editionem aut versionem tamquam genuinam Scripturam sacram ac proinde textui primitivo conformem designandi, vel talem efficiendi jus habeat, cum codices originales perierint. Ergo Ecclesia jure atque potestate gaudet versionem aliquam declarandi authenticam, alioquin nunquam *tuto* sciret, an revera habeat verbum Dei, et Scriptura periisset pro hominibus.

162. Ut autem **2.** Ecclesia ex versionibus pluribus unam praeferat, exigit ejus unitas. Ejusmodi vero declarationem **3.** tempore conc. tridentini non solum admodum fuisse opportunam, sed et plane necessariam inde patet, quod plurimae et variae tunc prodierint Scripturae versiones et editiones ab invicem plus minusve dissonae et non semper sat fideles. Ratio autem **4.** quare concilium potuerit in declaranda Vulgatae authentia merito provocare ad usum universalem tot seculorum, petitur ex perpetua assistentia Spiritus s. Ecclesiae promissa, qui permittere non potuit, ut ipsa per novem secula uteretur verbo humano pro divino, quod contigisset, si Vulgata fuisset a textu originali difformis.

163. Ut autem declaratio tridentina rite intelligatur, advertatur **1.** Vulgatae authentiam non fuisse declaratam comparate ad textus *originales*[2]),

---

[1]) Editionis seu versionis *vulgatae* nomine intelligimus illam versionem, quam *maxima ex parte* ad textus originales adornavit s. Hieronymus; quae quidem etiam quosdam libros secundum versionem tempore s. Hieronymi jam adhibitam complectitur, sed hos quoque, si paucos excipias, secundum emendationem et recensionem ipsius Hieronymi. Quae editio, quia gradatim ubique adhibita fuit, *Vulgatae* nomen meruit.

[2]) Quid ergo de horum authentia dicendum? Textus *hebraicus* usque ad Christum certe erat authenticus; cum autem ab eo tempore Ecclesia textu illo amplius non sit usa, cumque pro authentia conformitatis codicum, quos modo possidemus, cum codicibus originalibus neque formale et disertum, neque aequivalens et practicum habeamus Ecclesiae testimonium, authentiam *scientificam* et *privatam* habere potest, *publicam* minime. Et quamvis a sec. V. nulla facta fuerit in eo mutatio, tamen non adeo facile admitti debent, quae nonnulli de hujus textus *immutabilitate* affirmant, nam cum lapsu seculorum haud paucas subiisse mutationes probari potest. Cf. Kaulen *Geschichte der Vulgata* sect. 4. Textus originalis *graecus* N. T. et versio alexandrina, prout adhibetur in Ecclesia

prouti modo supersunt, sed comparate ad *versiones latinas*, quae eo tempore circumferebantur, ut patet ex decreti verbis sess. 4. Proinde textui originali authentia sublata non est, sed mansit talis, qualis fuit ante concilium; neque unquam prohibitus fuit illius usus *privatus*. **2.** Decreto *tridentino* Vulgatam non declarari gradu *summo* authenticam scil. quoad omnia etiam minima et ad fidem moresque per se non spectantia textui originali conformem, patet **a.** ex definitionis fundamento, quod fuit Ecclesiae usus; **b.** ex scopo decreti, qui fuit, ut nobis constaret de fontium sinceritate, ex quibus depromuntur testimonia ad confirmanda dogmata et instaurandos in Ecclesia mores; **c.** ex adjunctis declarationis; nam concilium eam editionem vulgatam declaravit authenticam, quam simul agnovit indigere emendatione et cujus emendandae negotium romano pontifici commendavit. Quid, quod **d.** Vulgatae editio post diligentissimam correctionem, post tot labores a doctissimis emendatoribus exantlatos »adhuc nunc nondum sit omnibus numeris absoluta,« quod aliqua quae mutanda videbantur consulto in ea fuerint relicta immutata, ut legimus in praef. editioni Clementinae praemissa?

164. Quare **3.** dicendum est, Vulgatam eo gradu declarari authenticam, ut negative quidem nullus error perniciosus ex ea sequatur, positive vero, ut sit conformis Scripturis originalibus in iis, quae ad fidem morumque regulam spectent quibusque historiae et prophetiae summa contineatur. Si enim Vulgata hac authentia careret, authentica simpliciter non esset; neque ulla esset versionis s. Scripturae utilitas, si ei tuto fidere non possemus in iis, quae ad fidem moresque spectant. Quod ut distinctius explicemus, ita cum em. card. Franzelin *de div. tradit. et Scriptura* th. 19. Vulgatae authentiam declaramus: **a.** dogma, quod expressum exstat in editione vulgata, non deerat in textu originali. Concedere tamen **b.** licet, posse in Vulgata textum dogmaticum, qui fuerit in textu primitivo[1]), desse, praesertim si dogma, quod eo continetur, aliis textibus in Vulgata exstantibus probari possit. **c.** In nullo textu dogmatico Vulgatae aliud dogma est expressum quam in textu primitivo[2]); concedi tamen **d.** potest dogma in

---

graeca unita Ecclesiae romanae, pollent saltem *indirecte* authentia publica (propter usum solemnem in hac Ecclesia vigentem); haec tamen authentia deficit ab authentia Vulgatae, tum quia *solemniter* declarata non est, tum quia Ecclesia graeca textum non adeo *fixum* habet. Versio *itala* authentica fuit usque ad sec. VI., sed cum deficiente usu Ecclesiae penitus in oblivionem venerit, stante decreto pro authentia editionis vulgatae, poterit authentiam quoad fragmenta, quae supersunt, privatam et scientificam habere.

[1]) Ita deest in Vulgata ille textus, quo saepissime usi sunt patres contra pelagianos et semipelagianos *pro dogmate de necessitate gratiae: Praeparatur voluntas a Domino* Prov. 8, 35. sec. LXX; et ille alter: *Nisi credideritis, non intelligetis* Is. 7, 9.

[2]) Ita versio vulgata Gen. 3, 15: *Ipsa* (mulier) *conteret caput tuum*, non adversatur dogmati de redemptione generis humani in textu originali expressa verbis: *Ipse* (semen mulieris) *conteret caput tuum.* Nam in textu *originali clarius* proponitur *Redemptor*, obscurius pars quam ejus mater in redemptione esset habitura; in Vulgata vero haec clarius significatur, non tamen *seclusa causa principe.*

Vulgata non eodem modo esse expressum, quo in textu originali[1]). Nullatenus vero **e.** admitti potest diversitas *contradictionis*[2]). Quod si aliqua ejusmodi diversitas occurrat, adhibitis scientiae praesidiis demonstrari semper poterit, lectionem textus genuinam eam esse, quae sensu a Vulgata non discordet. Sed dato etiam ope criticae hanc diversitatem non posse conciliari, praesumptio staret pro Vulgata, non solum ex ratione *theologica* scil. specialis Dei providentiae, verum etiam ex ratione *critica,* quod Hieronymus meliores vetustioresque habuerit codices quam nos, et quod codices lingua originali conscripti longe facilius potuerint corrumpi, quam versiones, quae usu quotidiano in ecclesiis frequentarentur. **f.** In rebus denique, quae ad fidem moresque non spectant, ad quas proinde *solemnis* declaratio authentiae se non extendit, Vulgata tantam habet authentiam *scientificam,* quanta competit versioni tam antiquae, accuratae, a tam docto viro confectae, qualis fuit Hieronymus.

165. Si autem quaeritur, quaenam sint illa, quae ex se spectent ad fidem vel mores, vel quibus historiae et prophetiae summa contineatur: respondemus, ea plerumque facillime posse discerni; si vero quandoque dubium esse videatur, rem ex fontibus theologicis, ex patrum consensu, ex concordi interpretationis catholicae testimonio, vel ex declaratione, si qua exstet, Ecclesiae esse dijudicandam. Cf. *Comp.* I. 185. ss.

Caput IV.

De habitu inter sacram Scripturam et Ecclesiam sive docentem sive discentem.

166. Quae ad habitum inter s. Scripturam et Ecclesiam spectant, ad quaedam capita revocabimus. **1.** Si Scriptura s. et Ecclesia in se spectentur, ratione scil. eorum quae docent, *ejusdem* sunt auctoritatis. Nam illa est *verbum Dei scriptum,* Ecclesia vero docens est *vox loquentis Dei,* quae certe ejusdem sunt auctoritatis. At vero **2.** quoad nos prior est Ecclesiae auctoritas; nam doctrinam de Scriptura tam necessariam, ut Scriptura uti possimus, nonnisi ab Ecclesiae magisterio *tuto*[3]) accipimus (th. XVIII. et n. 152.). Accedit **3.** alius quidam ha-

---

[1]) Ita in Vulgata Job. 14, 4. clarius est expressum dogma *de peccato originali,* et Ps. 109, 3. dogma de *aeterna Filii generatione,* quam in textu primitivo, saltem prouti nunc legitur.

[2]) Huc spectat 1. Cor. 15, 51., ubi legimus in Vulgata: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur,* quod plane contrarium videtur textui originali, qui habet: *Non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur.* Sed pugna est tantum in *verbis,* non in ipsa *re.* Nam in Vulgata affirmatur *universalitas* resurrectionis *in genere,* et negatur *universalitas* resurrectionis *gloriosae* seu immutationis in statum gloriosum. In textu *originali* negatur universalitas non *mortis,* sed *status habitualis mortis,* et affirmatur universalitas resurrectionis seu immutationis e statu mortalitatis in statum immortalitatis, quae quidem aliqua ratione *diversa* sunt, sed non *contraria.*

[3]) Ad rem scribit Stapleton in *demonstr. methodica principiorum fidei doctrinalium* l. 12. c. 17: „Ea, quae Ecclesia docet absque Scriptura, certiora sunt

bitus ex s. Scripturae *obscuritate*[1]) ortus, ex qua enascitur *necessitas interpretis,* qui alius non est ab Ecclesia, cui ipsum concreditum fuit revelationis depositum (cf. n. 115.). Scripturam autem revera saepe in iis, quae ad fidem et mores spectant, indigere interprete, est manifestum. Hanc enim necessitatem evincit et ipsa *natura rei*: objecta enim fidei, cum rationis captum excedant, eo ipso sunt obscura intellectuque difficilia, quomodocunque demum sint expressa, ideoque etiam multiplici controversiae praebent occasionem; probant Scripturae indoles (n. 106.) et factum 18 seculorum, in primis vero dissidia protestantium, qui de singulorum fere Scripturae incisorum sensu inter se digladiantur.

167. Hinc **4.** jam liquet, quinam sit habitus Scripturam inter et Ecclesiam discentem, est scil. *mediatus*, non immediatus. Neque propterea constituimus Ecclesiam supra verbum Dei, ut inscite objici solet, sed dicimus, Ecclesiam dirigi verbo Dei in credendo, itaque esse *sub verbo* Dei: et eandem genuinum Dei verbum infallibiliter agnoscere ejusque sensum intelligere et singulis credendum proponere, atque ita esse non supra verbum Dei, sed *supra privatam fallibilemque singulorum intelligentiam.*

---

iis, quae Scriptura docet absque Ecclesia; quia hic testimonium quidem auditur, sed fortasse ab impostore aliquo prolatum aut ab ignorante verborum sensum male explicatum: ibi vero testis ipse loquitur, qui a Spiritu veritatis in omnem veritatem inductus nec falli potest nec fallere, qui etiam viva voce docens, mentem suam clarius explicat et certius.«

[1]) Hujus obscuritatis patres praeclaras reddunt rationes. Docent enim **a.** voluisse Deum eam, ut homo haberet, in quo utiliter exerceretur; **b.** »ad intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata vilescunt,« ut ait Augustinus *de doctr. christ.* l. 2. c. 6.; **c.** »ad edomandam, ut ib. scribit. labore superbiam;« **d.** pro honore ipsarum Scripturarum, quibus obscuritas auctoritatem quandam conciliat; ut **e.** alii in Ecclesia sint magistri, alii discipuli. Potiora ita ex patribus complexus est Bonaventura praefat. in *Breviloquium* §. 5: »Ideo sub cortice literae apertae occultatur mystica et profunda intelligentia ad comprimendum superbiam, ut ipsius profunditate in humilitate literae latente et superbi comprimantur, et immundi repellantur, et fraudulenti declinentur, et negligentes excitentur ad intelligentiam mysteriorum. Et quia auditor doctrinae non est unius generis, sed cujuslibet; omnes enim salvandos oportet aliqua de doctrina hac scire, ideo ipsa multiformem habet intelligentiam, ut sic omnem intellectum capiat et omni intellectui condescendat, omnem intellectum sibi diligenter intentum multitudine radiositatis suae illuminet pariter et accendat.« Quae vero adversarii ex Scripturis et patribus corradunt pro *omnimoda* Scripturae *claritate*, **a.** vel non agunt de Scriptura qua late patet; vel **b.** de Scripturis intelligi debent, *postquam intellectae sunt,* quo sensu *omnis veritas* est *lux;* vel **c.** de Scripturis objective spectatis, quo sensu iterum omnis veritas etiam superrationalis, quatenus est *intelligibilis*, est lux, et Deus est *ipsa lux* (Joan. 1, 4. ss.), quamvis haec lux nobis verissimo quodam sensu sit *inaccessibilis* (1. Tim. 6, 16); vel **d.** haec verba directa sunt ad fideles jam plene fidei notitia imbutos atque pendentes ab ore magisterii ecclesiastici, cujus est Scripturas interpretari.

168. Cum ergo **5.** Scripturae **a.** ita clarae non sint, ut interprete non egeant; cum eaedem **b.** organum divinitus institutum ad propagandam fidem et in singulos derivandam non sint (th. XV.); cum **c.** earum intelligentia ab Ecclesia sit petenda; cum **d.** nullibi exstet praeceptum, quo fideles omnes sub periculo amittendae salutis obstringantur ad ss. Scripturarum lectionem; cum denique **e.** fidelibus multiplici alia ratione consuli possit, ut potiora, quae divinis literis continentur, cognoscant: manifestum est, juris et potestatis necnon muneris Ecclesiae esse, lectionem ss. Scripturarum, quod fideles spectat, moderari et etiam pro temporum locorumque adjunctis restringere. Hoc autem jure usa est merito Ecclesia sec. XVI. Cum enim hujus temporis haeretici passim ss. Scripturas in linguas vernaculas verterent, et in vertendo eas perverterent, ut eam ad sua dogmata traherent: cum eo tempore pruritus invaserit omnes, etiam rudes et imperitos, Scripturas secundum proprias opiniones interpretandi: argui Ecclesia *nonnisi inepte et imperite* potest, quod *pro munere suo* in utilitatem fidelium prohibuerit *non lectionem Vulgatae latinae,* sed Scripturae in lingua *vernacula,* eamque non *absolute,* sed cum *congrua restrictione;* eoque minus argui potest, quod conc. tridentin m sess. 5. c. 1. *de reform.* alia ratione providerit, ut fideles omnem illum percipiant fructum, quem ex lectione s. Scripturae percipere possent, sine *ullius damni periculo.* Quare merito damnatae fuerunt prop. Quesnelli 79—85., ex quibus ex. gr. 81. ita sonat: »Obscuritas sancti verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione;« 85: »Interdicere christianis lectionem s. Scripturae, praesertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis et facere, ut patiantur speciem quandam excommunicationis.«

Tractatus III.

De Ecclesia Christi.

169. Demonstrata revelationis divinae exsistentia ostensisque canalibus, per quos ad omnium seculorum generationes eadem decurrit; accuratius jam indagabimus in naturam illius instituti et societatis a Christo conditae, cui ipse revelationis depositum custodiendum atque in alios derivandum commisit, et in qua non solum auditur revelatio, sed eadem veluti vivit atque incarnatur. Obiter quidem jam illius instituti, quod *Ecclesia* nuncupari solet, in praecedenti disp. fecimus mentionem, sed modo data opera secundum omnes illius proprietates ac praerogativas est de ea disserendum.

170. Si ergo quaeras **1.** quid sit Ecclesia, universa tibi antiquitas christiana respondebit, eam esse *regnum veritatis, regnum Christi, sponsam* imo et *corpus Christi, templum s. Spiritus;* ejus vero **2.** destinationem eandem esse, quae fuit Christi, qui est *via, veritas* et *vita* (Joan. 14, 6.). Hinc ipsa ducit ad Christum, docet nos quae unigenitus Dei Filius carofactus enarravit (Joan. 1, 18.), communicat nobis vitam Christi, unde et *mater nostra* dicitur. Si autem **3.** sponsa est Christi, quae erunt ejus *dotes?* Plane insignes, quales decent tantum sponsum scil. **a.** *incorruptibilitas* in vivendo i. e. perennitas immota; **b.** *infallibilitas* in docendo; **c.** *gratiarum abundantia* ad sanctificandum. Ejus *ornatus* **4.** est in primis *internus,* consistens in s. Spiritus charismatibus, omnigena membrorum virtute et sanctitate, nam *omnis gloria ejus filiae regis ab intus, in fimbriis* tamen *aureis, circumamicta varietatibus* (Ps. 44, 14.), quibus et aliquis ornatus *externus* designatur, qui consistit in populorum quos complectitur numero, in *catholicitate.* Ecclesiae *virtus* **5.** solem aemulatur, nam solis instar **a.** *illuminando* dissipat errorum ignorantiaeque tenebras; **b.** *calefaciendo* solvit peccatorum vitiorumque glaciem, liquefacit dura hominum corda atque ad omnem accendit virtutem; **c.** *fecundat* gratia, ut fidelium coetus hortus exsistat floridus, lilia virginum, martyrum rosas, poenitentium violas etc. germinans. *Vita* denique **6.** Ecclesiae licet sit pugnax, victrix tamen est et expressa ad normam nobilissimam, ad vitam ipsius Christi.

171. Quocirca praeclarissima sunt, quae apud patres passim de Ecclesia leguntur; illam multipliciter adumbratam et praefiguratam vident in

V. Testamento[1]). Ab illa indigesta mundi materia, verbo Dei et ineffabili Spiritus s. virtute, qui ferebatur super aquas (Gen. 1, 2.), ad speciosissimum hunc ordinem redacta, quidquid deinceps per singulos V. T. libros illustrius factum gestumque reperitur, ad Ecclesiam transferunt, de Ecclesia interpretantur. Hujus origines conferunt cum mirabili Christi conceptu. Sicut enim Christus caput conceptus est ex intemerata Virgine, quam obumbravit Spiritus s.: ita nata est Ecclesia die Pentecostes descendente eodem Spiritu de coelo (Act. 2, 1. ss.), nasciturque quotidie in suis membris ex utero virginali fontis baptismalis et Spiritu sancto[2]). Patet igitur momentum hujus disputationis; nam ut scribit Augustinus *de unit. Ecclesiae* n. 49: »Ad ipsam salutem et vitam aeternam nemo pervenit, nisi qui

---

[1]) Neque mirum, quod patres Ecclesiam invenerint ubique adumbratam, praefiguratam atque praedictam; est enim ipsa eximium ss. Trinitatis opus, sanguinis pretiosissimi Christi fructus, ipsius regnum, sponsa, imo et corpus. Cum ergo finis legis sit Christus (Rom. 10, 4) universumque V. T. Christum portendat, Christum loquatur: mirum esse non debet, quod post Christum princeps prophetiae objectum sit ejus regnum, ejus sponsa atque corpus ipsius mysticum i. e. Ecclesia. Hinc Augustinus *de gestis collat. carthag.* die 3. n. 101: »Nos, inquit, eam Ecclesiam retinemus, quam in illis Scripturis invenimus, in quibus etiam cognovimus Christum. Scripturae quidem nostrae . . . Christum et Ecclesiam tamquam sanctum commendant conjugium: Christum sponsum, illam sponsam. Ubi illum cognoscimus, ibi illam invenire debemus.« In *Ps. 147.* n. 16: »Quis numerat testimonia de Ecclesia toto terrarum orbe diffusa? Quis numerat? Non sunt tot haereses contra Ecclesiam, quot sunt testimonia legis pro Ecclesia. Quae pagina non hoc sonat? Quis versus hoc non loquitur? etc.« Et enar. 2. serm. 2. *in Ps. 30.* n. 8: »Obscurius dixerunt prophetae de Christo, quam de Ecclesia; puto propterea, quia videbant in spiritu contra Ecclesiam homines facturos esse particulas et de Christo non tantam litem habituros, de Ecclesia magnas contentiones excitaturos. Ideo illud, unde majores lites futurae erant, planius praedictum et apertius prophetatum est, ut ad judicium illis valeat, qui viderunt et foras fugerunt«.

[2]) Cf. patrum effata *opusc.* t. X. p. 92. annot. Etiam quoad alia cernitur analogia inter Christum caput et Ecclesiam ejus corpus. Sicut enim ille vagiit in praesepio, fugit in Aegyptum, vitam degit diu humilem: ita et Ecclesia diu gemuit in cryptis, proscripta fuit atque humilis admodum erat conditionis. Sicut Christus pertransiit ubique benefaciendo, et sanando omnes, ita et Ecclesia per secula, nationes regionesque pertransit benefaciendo, illuminando gentilium tenebras, sanando corruptae multitudinis vulnera, sublevando pauperes oppressos, miseros (n. 187.). Sicut illum oportebat per multas passiones intrare in regnum suum (Luc. 24, 26), ita Ecclesia quamdiu degit in terris, est militans ac nonnisi per multas tribulationes ad triumphum perveniet sempiternum. Sicut ille *positus est in ruinam* et in *resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur* (Luc. 2, 34), ita et Ecclesia. Ille divinis refulsit dotibus, haec coelestibus ornatur praerogativis; sicut duplex in illo secerni debet natura, licet unus sit persona, unde errant sive qui negant naturam divinam, ut ebionitae, sociniani etc., sive qui infitiantur humanam, ut docetae, sive qui unionem dissolvunt, ut nestoriani etc.; ita in una Ecclesia duplex secerni debet non dividi elementum, hu-

habet caput Christum; habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia.«

172. Cum autem Ecclesia[1]) ut societas constet *membris* et *capite*, disputationem in duas dividemus partes, in quarum priori de Ecclesia *generatim*, in altera *speciatim* de ejus *capite* disseremus. Ut vero alicujus rei notionem assequamur perfectam, quatuor quaestionibus satisfaciendum est: scil. *an sit*, *quid* et *qualis* sit, et *quomodo agnoscatur* dignoscaturque ab aliis; quibus *quatuor* capitibus respondebimus, scil. de Ecclesiae *exsistentia*, *essentia*, *proprietatibus* et *notis*.

---

manum et divinum, adeo ut errent sive qui eam revocent ad institutum mere humanum subtracto quovis charactere supernaturali, sive qui negent ejus visibilitatem excludendo ab ea omnes peccatores omnesque eos, qui in gratia non perseverant, sive qui illam scindant in duas ecclesias, vocatorum alteram et visibilem, justorum alteram et invisibilem. Sicut non licet negare Christi divinitatem propter miserias et passiones, quibus ut homo erat obnoxius, adeo ut aliquamdiu careret omni specie atque decore, essetque despectus et novissimus virorum, vir dolorum (Is. 53, 2. s.): ita propter humanas miserias atque fragilitates, quibus Ecclesiae membra semper plus minusve erunt obnoxia, quamdiu in hac lacrimarum valle peregrinantur et corpus portant, quod aggravat animam (Sap. 9, 15), non licet ejus praerogativas coelestes in dubium vocare.

[1]) *Ecclesiae* nomen derivatur a voce graeca ἐκκαλέω evoco, unde ἔκκλησις evocatio, ἐκκλησία quod convocatione prodit, *coetus*, conventus. Usu autem loquendi *christiano*, cujus auctor est Christus (Matth. 16, 18: *aedificabo Ecclesiam meam*), significat *coetum fidelium*, ad distinctionem coetus *judaeorum*, qui dici consuevit *synagoga*. Ecclesiae vero notio nunc *pressius*, nunc *laxius* accipitur. *Latissime* accepta designat collectionem cultorum veri Dei: qua notione accipitur, cum Ecclesia distinguitur in *triumphantem*, *patientem*, *militantem*. *Minus late* accepta notio Ecclesiae designat collectionem eorum, qui colunt Deum verum in hac vita mortali *per fidem*: qua notione complectitur fideles etiam V. T. *Presse* et proprie accepta designat coetum eorum, qui verum Deum per fidem *christianam* colunt. Quam notionem distinctius exponit Bellarminus *de Eccl. milit.* c. 2., secundum quem ea est „coetus hominum ejusdem christianae fidei professione et eorundem sacramentorum communione colligatus sub regimine legitimorum pastorum ac praecipue unius Christi in terris vicarii romani pontificis.« Per *synecdochen* Ecclesia vocatur vel *aedes sacra*, templum complectens fidelium coetum, vel elementum veluti *formale* coetum ad unitatem revocans, Ecclesiae pastores, praesules, qui constituunt *Ecclesiam docentem*; vel elementum magis *materiale*, simplices fideles, oves, quae constituunt *Ecclesiam discentem*. Prouti autem consideratur vel coetus fidelium universus, vel coetus aliquis partialis, pars tamen totius coetus, sermo erit de Ecclesia vel *universali* vel *particulari*.

PARS I.

DE ECCLESIA CHRISTI GENERATIM.

Caput I.

De Ecclesiae exsistentia.

173. Quatuor de Ecclesiae Christi *exsistentia* quaeri possunt: **1.** utrum *aliquando* exstiterit ac proinde instituta fuerit; **2.** utrum *modo* pergat exsistere; **3.** utrum ita pergat exsistere, ut praecedentis explicatio merito haberi possit; et utrum **4.** *jugiter* atque ad finem seculi usque sit exstitura.

Thesis XXII. ***Christus Ecclesiam instituit ita ut sit societas.***

Demonstratio p. I. Factum institutionis Ecclesiae per Christum evidenter colligitur **1.** ex solemni ejus promissione Matth. 16, 18; *Aedificabo Ecclesiam meam,* et ex eo, quod omnia praestiterit (n. 175.), quae ad tantum opus requiruntur. Ideo etiam apostoli Ecclesiam ex judaeis et gentibus a se collectam constanter Christi esse dicunt, qui *dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii in aedificationem corporis Christi* (Eph. 4, 11. s.). Accedit **2.** testimonium universae Ecclesiae a remotissima antiquitate, quae nunquam alium agnovit sui auctorem praeter Jes. Christum, cui accedit suffragium ipsorum judaeorum, gentilium et haereticorum. Confirmatur illud **3.** ex eo, quod ante Christum nullius Ecclesiae mentio fiat, ejusque exsistentia coincidat cum fatis Christi ejusque discipulorum, quos ad omnes gentes docendas sibique subjiciendas misit.

174. **Demonstratio p. II.** Tenendum est secundum doctrinam catholicam, Ecclesiam a Christo Domino institutam *veram esse societatem.* Cujus asserti demonstrationem in praesenti tantum adumbrabimus, nam ejusdem elementa in ipso disputationis progressu fusius evolvemus, atque ea, quatenus accuratam societatis notionem spectat, a juris canonici peritis data opera instituitur. Sane **1.** Ecclesia a prima sua origine, quoadusque illam persequi licet, formam habuit socialem sub certo regimine seu ministerio, quod ex episcopis, presbyteris et diaconis coalesceret. Atqui hujus formae institutionem christiana antiquitas nulli alteri unquam adscripsit, quam ipsi auctori suo Christo. Ergo si societati et quidem tali de se testanti est credendum, ipse qui auctor

fuit religionis, auctor credi debet et formae socialis, in qua illa concreta semper reperitur.

175. Et revera **2.** Christus omnia ea praestitit in condenda Ecclesia, quae requiruntur ad formam socialem. Non enim solum docuit doctrinam plane coelestem, sed instituit quoque ministerium, magisterium et regimen (th. XXVIII. s.) pro potestate sibi data in coelo et in terra (Matth. 28, 18. s.), tanta auctoritate praeditum, ut qui illud spernerent, ipsum spernerent (Luc. 10, 16.), cui omnes ita obsequi deberent, ut qui illud non audirent, habendi essent ut ethnici et publicani i. e. extorres a salute (Matth. 18, 17.); quod praeditum clavibus regni coelorum ligare atque solvere (16, 19.), necnon et praecipere posset (Act. 15, 41.), cujus esset pascere agnos et oves ipsius (Joan. 21, 15. ss.), regere Ecclesiam Dei (Act. 20, 28.), adeo ut coetus fidelium unum esset ovile unumque corpus. Atqui ubi plurium habetur collectio sub uno magisterio, ministerio et regimine, quod omnibus possit praecipere et cui omnes subesse debent, adeo ut unum prodeat ovile, unum corpus, ibi est veri nominis societas. Tribuit ergo Christus Ecclesiae suae formam socialem.

176. **Thesis XXIII.** ***Ecclesia, quam Christus instituit, perennis est atque ad finem usque mundi duratura.***

Demonstratio. Demonstrata Ecclesiae perennitate abunde satisfactum erit quaestioni secundae et tertiae n. 173. propositae. Haec vero praerogativa, quam protestantes, quamdiu praescinditur a quaestione de Ecclesiae *visibilitate*, generatim non negant, sed sociniani infitiantur, adumbratur **1.** parabola boni seminis crescentis et fructificantis in agro una cum zizaniis *usque ad messem* i. e. consummationem seculi (Matth. 13, 24. ss. coll. 37. ss.); sequitur **2.** ex praerogativa, qua Ecclesia passim dicitur *corpus Christi, regnum Christi;* merito autem Ecclesia vocatur regnum Christi, cum sit coetus eorum, qui legem Christi amplectuntur et sequuntur, qui ei se subjiciunt, coetus proinde, in quo dominatur et actuatur ejus religio. Atqui regnum Christi praedictum est[1]) perenne, nec unquam corpus Christi universum divelletur a suo capite, praesertim si ratio habeatur illius curae, qua Christus Ecclesiam prosequitur et fovet, sicut quilibet carnem suam (Eph. 5, 29.).

117. Confirmatur eadem veritas **3.** comparatione novi foederis cum vetere, Ecclesiae cum synagoga. Ita enim confertur et praefertur Ecclesia synagogae, ut significetur **a.** novum foedus non fore abrogan-

---

[1]) *Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis* Luc. 1, 32. *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus* 1. Cor. 15, 25; Dan. 2, 44; Is. 9, 7. etc.

dum, ut abrogatum fuit vetus Jer. 31, 31. ss.; Hebr. 8,6. ss.; **b.** illud fore perenne, aeternum, immobile[1]) Ez. 37, 24. ss.; Hebr. 12, 26. ss.; et **c.** tamdiu duraturum, quamdiu leges naturae sint mansurae[2]) Jer. 31, 35. ss. Hanc vero **d.** Ecclesiae perennitatem inde esse repetendam, quod Deus legem suam cordibus inscribat fidelium, et faciat, ut in suis ambulent praeceptis Ez. 11, 19, ss.; 36, 26. Hinc evertitur primarium adversariorum fundamentum, quo Ecclesiae indefectibilitatem impugnant ex synagogae defectione. Nullam enim esse paritatem inter Ecclesiam et synagogam, in primis quod firmitatem attinet, patet ex dictis.

178. Accedit **4.** expressa Christi promissio: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam* (Matth. 16, 18.). Atqui praevalerent adversus Ecclesiam, si ea vel semel a Christo deficeret, cum inimicus humanae naturae nil magis satagat, quam ut diffuso errore et peccato homines Christi sanguine redemptos ab ipsorum avertat Salvatore. Pariter Christus solemniter suam et s. Spiritus assistentiam perennem Ecclesiae promisit docenti ad consummationem usque seculi Joan. 14, 16. et 26; 16, 13; Matth. 28, 20. Haec vero jugis assistentia supponit perennem Ecclesiae exsistentiam. Succedit **5.** luculentum patrum suffragium. Hinc cum donatistae contenderent, Ecclesiam non quidem penitus periisse, sed tamen defecisse a sua catholicitate atque fuisse redactam ad solum quendam Africae angulum, sententiam hanc appellat Augustinus *in Ps. 101.* enarr. 2. n. 8. „vocem abominabilem, detestabilem, praesumptionis et falsitatis plenam, nulla veritate suffultam, nulla sapientia illuminatam, nullo sale conditam, vanam, temerariam, praecipitem, perniciosam[3]).“ Denique **6.** hanc

---

[1]) Hinc Paulus citatis verbis Aggaei 2, 7. ita prosequitur Hebr. 12, 27: *Quod autem „adhuc semel“ dicit, declarat mobilium* (veteris testamenti) *translationem tamquam factorum, ut maneant ea quae sunt immobilia. Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam* etc.

[2]) *Si defecerint leges istae* (naturales, quas recensuerat v. praecedenti) *coram me, dicit Dominus: tunc et semen Israel* (quo designantur membra N. T. cujus hic evidenter fit mentio) *deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus* Jerem. 31, 36.

[3]) Cf. *opusc.* III, 230. Hanc veritatem patres libenter adumbrant imagine navis. Ita ex. gr. auctor serm. 46. inter sermones s. Ambrosio adscriptos (Migne 17, 697) n. 10: „*Navem* adaeque Ecclesiam debemus accipere (Prov. 30, 19) in salo mundi istius constitutam, quae crebris ventorum fluctibus i. e. tentationum plagis et verberibus fatigatur: quam turbidi fluctus, i. e. hujus seculi potestates, conantur ad saxa perducere. Quae etsi undarum fluctibus aut procellis saepe vexatur, tamen nunquam potest sustinere naufragium, quia in arbore ejus, i. e. in cruce, Christus erigitur, in puppi Pater residet, gubernator proram Paracletus servat Spiritus. Hanc per angusta hujus mundi freta duodeni in portum remiges ducunt i. e. duodecim apostoli et similis numerus prophetarum.“

Ecclesiae perennitatem exigit etiam ejusdem finis, qui est hominum salus, quae extra illam obtineri nequit.

179. **Thesis XXIV.** ***Ecclesia, quam Christus instituit et cui factae sunt promissiones, visibilis est.***

Declaratio. Vindicata Ecclesiae perennitate antequam ulterius progredimur, demonstranda est ejusdem *visibilitas;* hic videlicet incipit controversia principalis cum protestantibus, qui haud aegre Ecclesiae Christi plerasque concedent praerogativas, quas illius proprias esse ostendemus, quamdiu manet invisibilis; Ecclesia enim quae non videtur ullum eis negotium, molestiam facessit nullam. Retenta vero Ecclesiae perennis visibilitate nimis evidens est, eos a vera Ecclesia defecisse reosque esse gravissimi criminis *schismatis,* quod nullo praetextu excusare possunt. Ut ergo suam quadamtenus saltem colorarent defectionem, hoc coacti sunt excogitare effugium, ut contenderent, Ecclesiam Christi veram posse esse quidem visibilem, sed non necessario debere esse visibilem; posse fieri invisibilem, deficiente nempe coetu fidelium visibili a vera fide, vero cultu etc., prout factum esse contendunt post seculum IV. vel V. Porro contra hos contendimus, Ecclesiam a Christo institutam esse *visibilem,* et quidem ita visibilem, ut *semper debeat esse conspicua.* Idcirco autem conspicua censeri debet, quod non solum constet ex hominibus visibilibus, sed quia visibilis est visibilitate collectionis, unionis, conservationis, visibilitate ministerii, magisterii et regiminis, ea ratione, qua quaelibet societas humana solet esse visibilis.

180. **Demonstratio. 1.** Ecclesiae visibilitas necessario consequitur ejus *formam socialem.* Fieri enim nequit, ut coetus ille, in quo visibile est magisterium, a quo credenda interius exteriusque profitenda fides publice proponitur; visibile quoque ministerium, quod visibilia Dei mysteria, quibus interior sanctificatio hominibus et debitus Deo cultus comparatur; visibile regimen, quod membrorum inter se communionem ordinat externamque omnem et publicam fidelium in Ecclesia vitam disponit ac dirigit, ut ille, inquam, coetus non sit visibilis. Ejusmodi vero est coetus fidelium seu Ecclesia, in qua est visibile *magisterium* (th. XXVIII. s.), visibile *ministerium* (n. 100. ss.) et *regimen* visibile. Ergo censeri debet visibilis. Ad haec **2.** homines tenentur Ecclesiam ingredi, nam extra Ecclesiam non est salus (th. XXVII.); ingressi tenentur Ecclesiam audire eique obsequi, nam qui *Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (Matth. 18, 17.); tenentur ejus profiteri fidem et ab ea suscipere sacramenta, cum ipsa sit constituta mysteriorum Dei dispensatrix; ipsius est componere controversias (n. 105.), damnare haereses, contumaces excommunicare etc. Quae conciliari nequeunt cum Ecclesiae invisibilitate. Quocirca in tota antiquitate nullum contrariae opinionis reperitur vestigium, ne apud haereticos quidem, qui ea facile se tueri potuissent adversus conciliorum anathemata.

181. Sane **3.** inductione liquet, praecipuas promissiones, quae profecto Ecclesiae verae factae sunt, factas esse Ecclesiae visibili. Ita *perpetua Christi et Spiritus s. assistentia* et hinc *infallibilitas* promissa est apostolis[1]), non quatenus sunt justi, sancti, praedestinati, sed quatenus docent et visibile ministerium exercent Matth. 28, 19: *potestas clavium* concessa est illi Ecclesiae, ad quam deferendi sunt fratres peccantes, quaeque sub salutis periculo est audienda (ib. 18, 17.). *Firmitas immota* promissa est illi Ecclesiae, in qua est potestas clavium, potestas judicialis (ib. 16, 18.), quae bono exemplo est aedificanda 1. Tim. 3, 15.

182. Talis **4.** censeri debet Ecclesia ex ipsa sua constitutione et indole, qualem eam constanter exhibent Scripturae omniaque antiquitatis christianae monumenta. Atqui haec aliam non agnoscunt Ecclesiam a Christo institutam quam *visibilem*. Quare visibilis est censenda. Sane Dei Filius humana natura conspicua assumpta factus est visibilis; visibili modo doctrinam suam annunciavit, visibili modo apostolos atque discipulos collegit instituitque, eisque praecepit ut eadem ratione sibi ex omnibus gentibus colligerent visibilique ritu, baptismo scil., facerent discipulos. Quod visibili ratione praestiterunt apostoli eorumque successores; hinc *videmus* in actibus apostolorum omnibusque monumentis historicis christianae antiquitatis Ecclesiam ab ipsis cunabulis crescere, dilatari, persecutiones pati, haereses damnare etc. Denique **5.** patres Ecclesiam visibilem esse semper tradunt, ubique supponunt in suis scriptis. Libenter eam exhibent sub imagine *civitatis super montem positae* (Matth. 5, 14.). Quod si haec non sufficiant, merito cum Augustino quaerere possumus (*ep.* 93. al. 48. n. 23.): „Quomodo confidimus ex divinis literis accepisse nos *Christum manifestum,* si non inde accepimus *Ecclesiam manifestam?*"

183. **Scholion.** Ut difficultates solvantur, haec oportet advertere: **1.** fieri potest, ut idem objectum sub uno respectu videatur, sub alio non

---

[1]) Matth. 28, 19: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos . . . et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi;* 18, 17: *Quod si* (frater, qui peccaverit) *non audierit eos* (testes), *dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo* etc. 16, 18: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis;* 1. Tim. 3, 14: *Haec* (monita de ministris Ecclesiae) *scribo . . . ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.* Cf. Scheffmacher, *Lettres à un Gentilhomme et à un Magistrat protestant* ep. 1.

videatur, sed intelligatur vel credatur. Ita apostoli videbant Christum hominem: Christum esse Deum, credebant[1]); ita videmus in baptismo ablutionem externam: internam, qua anima mediante ablutione externa mundatur a peccatis, credimus. Quare absurde ex eo, quod Ecclesia objectum sit fidei, infertur eam visibilem non esse. *Videmus* enim eam quatenus est quidam coetus, *credimus* vero hunc coetum certis notis visibilibus ab aliis distinctum illam esse Ecclesiam, extra quam non est salus, quae in docendo est infallibilis; quemadmodum ex hominis loquela inferimus eum esse rationalem, doctum etc. Hinc videmus Ecclesiam, *quae est* sancta, corpus Christi mysticum, quamvis non videamus eam, *quatenus est sancta* etc., nisi *mediate* in suis fructibus. Seu aliis verbis *videmus subjectum*, coetum fidelium, de quo *credimus* plura *praedicata*, quae experientiam effugiunt. Quamvis **2.** ea, quae membrum constituunt Ecclesiae vivum et perfectum, per se non videantur, ut fides, caritas, gratia sanctificans etc., propterea tamen non sequitur: **a.** praeter haec nulla esse visibilia elementa, quibus conspicuus reddatur coetus, in quo sunt ejusmodi membra; **b.** illa non posse fieri mediate visibilia per suos effectus; **c.** eos ad veram Ecclesiam saltem quadamtenus non pertinere, qui illorum aliquo destituuntur. Quae si prae oculis habeantur, evanescet difficultas petita ex Jer. 31, 33: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam: et ero èis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum;* Joan. 4, 23: *Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate;* 1. Petr. 2, 5: *Ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis* etc. Haec enim et similia non sunt excludentia, i. e. non excludunt Ecclesiae conspicuitatem, sed sunt affirmantia i. e. significant, quid requiratur, ut singuli sint Ecclesiae membra *perfecta;* non definiunt, quid requiratur, ut quis qualecunque sit Ecclesiae membrum. Ceterum **3.** pleraeque tricae, quae fiunt contra Ecclesiae visibilitatem, contra visibilitatem societatis cujuscunque humanae urgeri possent; quaelibet enim societas humana, ut proprie hoc mereatur nomen, exigit non solum conjunctionem corporum, sed et animorum; sicut ergo naturalis horum conjunctio reddi potest *mediate* saltem visibilis, ita et supernaturalis fidelium conjunctio.

Caput II.

De Ecclesiae essentia.

184. Ut alicujus rei essentia et constitutio intima rite cognoscatur, nil opportunius, quam omnes ejus rimari causas. Causarum vero multae distinguuntur species; praecipuae sunt: causa efficiens, mini-

[1]) De hac analogia inter visibilitatem Christi et visibilitatem Ecclesiae cf. supra p. 92. annot. 2. Sicut autem in Christo duplex secerni potest visibilitas, *humana*, qua apparebat homo et *divino-humana*, quatenus divinitas mediate saltem se prodidit miraculis, vita et sapientia coelesti: ita in Ecclesia duplicem licet secernere visibilitatem, humanam, de qua loquimur, et divino-humanam, quatenus vita ejus supernaturalis et praesentia sancti Spiritus miris, sed visibilibus se prodit modis, miraculis, sanctitate membrorum etc. Cf. Palmieri *de rom. pont.* §. 10.

sterialis, materialis, formalis, finalis, exemplaris. De his ergo Ecclesiae causis ex ordine disseremus. Cum vero de causa Ecclesiae *efficiente* principe, quae est Deus Pater, Deus Filius incarnatus et Spiritus s., nulla sit difficultas, ad causae *finalis* considerationem accedamus.

Articulus I.
De finali Ecclesiae causa.

185. Certum est **1.** Ecclesiae, sicut omnium operum Dei, finem *supremum* et ultimum esse *manifestationem gloriae divinae;* **2.** finem proximum et *immediatum* esse *hominum salutem.* Praeterea **3.** tenendum est quod th. seq. affirmamus.

Thesis XXV. ***Christus in Ecclesia et per Ecclesiam illud continuat salutis opus, quod visibilis in terris degens inchoavit.***

Demonstratio. Haec assertio colligitur ex plurimis s. Scripturae effatis, quorum summa ad haec revocatur capita: **1.** Missio apostolorum eorumque successorum, qui Ecclesiam docentem constituunt, est continuatio missionis Christi: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum s.: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt* (Joan. 20, 21.). Hujus missionis **2.** terminus sunt omnes gentes, quas Christus sanguine suo redemit: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes* **ergo** *docete omnes gentes, baptizantes eos* etc. (Matth. 28, 18; Marc. 16, 15; Act. 1, 8.). Scopus vero **3.** ejusdem est, homines docere viam salutis eosque participes reddere fructuum passionis Christi. *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit condemnabitur* (Marc. 16, 15.). Quapropter **4.** ut hi legati, qui pro ipso legatione funguntur (2. Cor. 5, 20.), pares sint tantae missioni, eos suae auctoritatis reddit participes atque virtute s. Spiritus instruit (*Accipite Spiritum s.,* Joan. 20, 22. cf. n. 101.), adeo ut **5.** in hisce legatis ipse audiatur: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit* (Luc. 10, 16.). Patet ergo Christum per suos ministros et legatos, qui constituunt Ecclesiam docentem, opus illud continuare, quod ipse in terris inchoavit. *Duplex* siquidem Christi opus distinguere oportet; alterum, quo nos redemit; et hoc quidem in cruce consummavit, nam *unica oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos* (Hebr. 10, 14.); alterum est opus, quo passionis suae merita in singulos derivat eisque applicat. Hoc applicationis opus ab Ecclesia et per Ecclesiam est continuandum.

186. Quod idem colligitur et illustratur ex appellatione, qua Ecclesia tam solemniter vocatur *corpus Christi* (n. 188. ss.). Cum hac enim nexum est, oeconomiam in carne et per carnem a Christo susceptam cum mortali

ejusdem vita nullatenus desiisse, sed in Ecclesia et per Ecclesiam continuari, hoc solum discrimine, quod prius illam Christus expleverit in singulari humanitate, quam sibi ex Virgine hypostatice univit, postea eandem ad consummationem usque seculi expleat in Ecclesia, quam sibi ex universo hominum genere ceu proprium corpus adscivit; et quod prius idemque paucis contentum annis stadium fuerit redemptoris, posterius vero idemque juge stadium sit redemptionis. Confirmatur praeterea solemni illa christianae antiquitatis persuasione, Christum esse principem sacramentorum ministrum, de qua alias.

187. **Scholion.** Sicut gratia non destruit naturam, sed eam potius perficit et elevat: ita et Ecclesia societati humanae naturali nullatenus adversatur, imo in omnis ordinis socialis cedit commodum, adeo ut quemadmodum de Christo dici potuit: *pertransiit benefaciendo* (Act. 10, 38.), ita et de Ecclesia repetere liceat: *pertransiit secula 19, gentes regionesque omnes, ordines sociales cunctos, varias hominum conditiones* etc. *benefaciendo.* Benefecit **a.** singulis hominibus etiam in ordine *naturali* docens homines singulos creatos esse ad Dei imaginem; vocatos, ut sint filii Dei, fratres Christi, heredes quondam regni coelorum; unde plurimum contulit ad abrogandam servitutem, dedecus illud generis nostri. Benefecit **b.** speciatim *sexui femineo,* qui suam dignitatem Ecclesiae debet, cum antea esset et extra Ecclesiam adhuc sit libidinis et arbitrii instrumentum. Benefecit **c.** *subditis* coercendo tyrannidem, inclamando vocem illam: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus* (Act. 5, 29.). Benefecit **d.** *regibus,* qui inuncti sacro oleo, jam regnant gratia Dei ac vices gerunt Dei (Rom. 13, 1.); hinc rebellionem timere non deberent, si Ecclesiae servaretur doctrina. Benefecit **e.** maxime *pauperibus,* promulgando legem evangelicam dilectionis, qua tenemur proximum diligere sicut nos ipsos, et demonstrando in pauperibus ipsum Christum, cui in illis benefacimus. Ideo vere dici potest *historiam beneficentiae publicae esse historiam Ecclesiae.* Benefecit **f.** *gentibus barbaris,* quas ad vivendi rationem humanam omnibusque virtutibus ornatam provexit. Benefecit **g.** *artibus liberalibus,* quas cultui divino mancipavit et spiritu vitaque donavit. Benefecit **h.** variis *disciplinis,* quas plurimum promovit. Si vero Christus per Ecclesiam et in Ecclesia suam continuat oeconomiam, per se patet, quid tenendum sit de Ecclesiae auctoritate universim, et speciatim de ejusdem auctoritate docendi.

188. Cum vero a fine indoles atque ratio societatis pendeat, finis autem Ecclesiae sit prorsus supernaturalis salus scil. aeterna, liquet *Ecclesiam* censendam esse societatem supernaturalem [1]). Quae Eccle-

[1]) Quod ita ulterius confirmari potest: Illa societas non est consectarium naturae humanae, vel indolis naturalis, sed eam prorsus praetergreditur, cujus **1.** auctor non est nudus homo, sed Verbum carofactum; cui **2.** non inserimur conditione naturali, cujusmodi est nativitas ex parentibus, commodum temporale, sed conditione plane supernaturali, regeneratione ex aqua et Spiritu sancto; cujus membra **3.** sunt homines, non quidem prout dotibus naturalibus sunt praediti, sed donis supernaturalibus aucti; quae **4.** mediis supernaturalibus colligitur, adunatur et regitur, cujusmodi sunt sacramenta etc.; quae tandem **5.** Spiritu Dei regitur et animatur. Atqui talis est Ecclesia. Quare Ecclesia societas censeri debet *supernaturalis.*

siae conditio sicut et plures aliae ejusdem praerogativae praeclare illustrantur ex illa proprietate, qua Ecclesia est diciturque *corpus Christi mysticum.*

Jam s. Paulus Ecclesiam *corpori,* fideles *membris* confert Rom. 12, 4; 1. Cor. 10, 17; 12, 11; Eph. 4, 4. Et revera inter quamlibet societatem ordinatam, cujusmodi est etiam Ecclesia, et corpus non una intercedit similitudinis ratio. Verum Ecclesia non solum corpus vocatur, sed etiam cum honorifico apposito *Christi,* 1. Cor. 12, 27; Eph. 1, 22. s. etc., ut scil. significetur, eum exsistere habitum inter Christum et Ecclesiam, qui accedit ad habitum, quo caput ad corpus et vicissim corpus ad caput refertur. *Triplici* autem habitu caput ad corpus refertur. Habitu scil. **1.** principatus et eminentiae, qua cunctis membris antecellens iis ipsis velut ex arce quadam prospiciens consulit ac moderatur. Christum autem cunctis Ecclesiae membris antecellere manifestum est. In ipso enim est plenitudo omnium gratiarum et ipsum constituit Pater coelestis *ad dexteram* suam in coelestibus supra omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro; et omnia subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius. Neque ullum munus capitis proprium Servator praetermittit, ut praeclare ostendit Paulus Ephes. 5, 23. ss. Neque mirum, cum idem Paulus scribat: *Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior* (1. Tim. 5, 8.). Quid autem domesticum est magis ac proprium capiti quam corpus suum?

189. Refertur **2.** caput ad corpus habitu vivificae virtutis, quae in capite non secus ac in fonte plenissime residens ex ipso in reliqua obnoxia membra totumque cohaerens corpus certa lege dimanat. De hoc analogo nexu Christum inter et Ecclesiam certi reddimur ex divinis literis, ubi legimus: *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia* (Joan. 1, 16.). *Sicut misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me* (Joan. 6, 58.). Quem influxum Christus ipse pluribus illustrat similitudine *vitis* (ib. 15, 1. ss.), a quo palmites omnes virtutem fecunditatemque suam mutuantur, Eph. 4, 15. s. et Coloss. 2, 19. Patres vero toties fere vivificum hunc Christi capitis in membra influxum asserunt, quoties docent, quidquid gratiae nobis inest, ex Christo in nos redundare[1]).

190. Refertur **3.** caput ad corpus habitu arctissimae conjunctionis, qua ex capite et corpore unum aliquid prodit. Tali porro habitu Christum ad

---

[1]) De hoc nexu egregie disserit s. Thomas explicans verba Pauli asserentis Ecclesiam esse *plenitudinem* Christi Eph. 1, 23. lect. 8. in h. l.: „Quaerenti cur in corpore naturali sint tot membra, scil. manus, pedes, os et hujusmodi, respondetur, hoc esse ideo ut deserviant diversis operationibus animae, quarum ipsa potest esse causa et principium, et quae sunt virtute in ipsa; nam corpus factum est propter animam et non e converso; unde secundum hoc corpus naturale est quaedam plenitudo animae. Nisi enim essent membra cum corpore completa, non posset anima suas operationes plene exercere. Similiter itaque est

Ecclesiam referri, patet **a.** tum ex hac ipsa appellatione, quae sponte sua ejusmodi conjunctionem ob oculos ponit; tum ex comparatione, qua Christus suum ad Ecclesiam habitum adumbrat ex illo, qui inter vitem et palmites intercedit Joan. 15, 1. ss. Et revera **b.** tanta est conjunctio inter Christum et Ecclesiam, ut illius nomen mirabili quadam trajectione ipsi communicetur Ecclesiae. Quod plures patres inferunt ex 1. Cor. 12, 12: *Sicut enim corpus unum est et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus.* »Cum oportuisset dicere, inquit Chrysostomus hom. 30. in h. l. n. 1., *ita et Ecclesia,* hoc enim consequens erat: hoc quidem non dixit, sed illius loco Christum ponit in altum extollens orationem et auditorem magis pudore afficiens. Hoc autem vult significare: ita et Christi corpus, quod est Ecclesia. Sicut enim et corpus et caput unus sunt homo, ita et Ecclesiam et Christum unum esse dixit. Ideo Christum pro Ecclesia posuit, corpus ejus sic vocans.« Non solum **c.** Christus caput nomen suum indulget Ecclesiae, verum etiam praerogativas plane divinas, cujusmodi sunt infallibilitas in docendo, virtus multiplex ad sanctificandum, constantia invicta adversus inferorum portas etc.; ipse vero Christus in se transfert[1]) quae propria sunt membrorum (Matth. 25, 40.). Imo **d.** secundum Augustinum Christus adaequate concipi nequit citra corpus suum, quod est Ecclesia. »Cum ergo, infert saepe s. doctor[2]), sit ille caput Ecclesiae et sit corpus ejus Ecclesia, totus Christus et caput et corpus est.«

---

hoc de Christo et de Ecclesia; et quia Ecclesia est instituta propter Christum, dicitur quod Ecclesia est *plenitudo ejus,* scil. Christi i. e. ut omnia, quae virtute sunt in Christo, quasi quodammodo in membris ipsius Ecclesiae impleantur, dum scil. omnes sensus spiritales et dona et quidquid potest esse in Ecclesia, quae omnia superabundanter sunt in Christo, ab ipso deriventur in membra Ecclesiae et perficiantur in eis. Unde subdit: *Qui omnia in omnibus adimpletur,* scil. dum hunc quidem, qui est membrum Ecclesiae, facit sapientem secundum perfectam sapientiam, quae est in ipso, illum vero justum secundum perfectam justitiam et sic de aliis.«

1) Libenter s. Augustinus hoc doctrinae caput exemplo ex humana vita desumpto illustrat. »Si ergo ille caput, inquit *in Ps. 140.* n. 3., nos corpus, unus homo loquitur, sive caput loquatur, sive membra, unus Christus loquitur. Et capitis est proprium loqui etiam in persona membrorum. Ipsam nostram consuetudinem advertite. In angusto tibi pedem aliquis calcat. Calcas me, dicit caput. Caput tuum nullus tetigit, sed loquitur unitas compaginis corporis tui. Omnium membrorum tuorum personam illa, quae in capite est, lingua suscepit, ipsa pro omnibus verbo fungitur. Sic ergo audiamus Christum loquentem, sed unusquisque agnoscat ibi vocem suam tamquam haerens in Christi corpore.«

2) Serm. 137. n. 1. Pulcherrime vero id docet *in Ps. 61.* n. 4.: »Unus enim homo cum capite et corpore suo J. Christus, salvator corporis et membra corporis duo in carne una et in voce una et in passione una, et cum transierit iniquitas, in requie una. Passiones itaque Christi non in solo Christo, imo passiones Christi nonnisi in Christo. Si enim Christum intelligas caput et corpus, passiones Christi nonnisi in Christo; si autem Christum intelligas solum caput, passiones

191. Vocatur autem Ecclesia corpus Christi *mysticum*. Dicitur *mysticum*, ut distinguatur a corpore Christi *physico*, ut negetur esse corpus *naturale*, significetur vero eam esse societatem, quae ordinem naturalem longe praetergreditur, cujus perfectionem et indolem animalis homo non percipit, non assequitur, sed tantum spiritualis, qui ex revelatione s. Spiritus sensum Christi habet (1. Cor. 2, 14. ss.); ut significetur Ecclesiam mysterium esse bonitatis, sapientiae, potentiae Dei non secus ac alia opera ordinis supernaturalis. Dicitur mysticum, ut insinuetur, corpus hoc gigni mysterio, mysteriis foveri, mysteriis redundare. Dicitur mysticum, ut innuatur, illud non dissimili habitu, proinde admodum mysterioso, referri ad Christum caput, quo humanitas assumpta ad Verbum assumens.

192. Ex hac Ecclesiae praerogativa, qua est corpus Christi, plura inferunt patres **corollaria**. Inferunt **1.** *Ecclesiam Spiritu Dei foveri,* regi ac veluti animari.

Qua de re ita praeclare disserit s. Augustinus s. 267. n. 4.: Nemo dicat: Accepi Spiritum s., quare non loquor linguis omnium gentium? Si vultis habere Spiritum s., intendite, fratres mei: spiritus noster, quo vivit omnis homo, anima vocatur . . . et videtis, quid faciat anima in corpore. Omnia membra vegetat, per oculos videt, per aures audit, per nares olfacit, per linguam loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat; omnibus simul adest membris, ut vivant; vitam dat omnibus, officia singulis. Non audit oculus, non videt lingua, nec loquitur auris et oculus; sed tamen vivit: vivit auris, vivit lingua; officia diversa sunt, vita communis. Sic est Ecclesia Dei; in aliis sanctis facit miracula, in aliis sanctis loquitur veritatem, in aliis sanctis custodit virginitatem, in aliis sanctis custodit pudicitiam conjugalem, in aliis hoc, in aliis illud; singuli propria operantur, sed pariter vivunt. Quod autem anima est corpori hominis, hoc est Spiritus s. corpori Christi, quod est Ecclesia.«

193. Idem s. doctor infert **2.** *extra Ecclesiam non esse salutem.* „Sed videte, quid caveatis, prosequitur l. c., videte, quid observetis, videte, quid timeatis. Contingit, ut in corpore humano, imo de corpore aliquod praecidatur membrum, manus, digitus, pes; numquid praecisum sequitur anima? Cum in corpore esset, vivebat; praecisum amittit vi-

Christi non in solo Christo; si enim passiones Christi in solo Christo, imo in solo capite, unde dicit quoddam membrorum ejus Paulus apostolus: *Ut suppleam quae desunt pressurarum Christi in carne mea* (Coloss. 1, 24)? Si ergo in membris Christi es, quicunque homo, quisquis haec audis, quisquis haec nunc non audis (sed tamen audis, si in membris Christi es), quidquid pateris ab eis, qui non sunt in membris Christi, deerat passionibus Christi. Ideo additur, quia deerat; mensuram imples, non superfundis; tantum pateris, quantum ex passionibus tuis inferendum erat universae passioni Christi, qui passus est in capite nostro et patitur in membris suis i. e. in nobis ipsis. Ad communem hanc quasi rempublicam nostram quisque pro modulo nostro exsolvimus quod debemus, et pro possessione virium nostrarum quasi canonem passionum inferimus. Pariatoria plenaria passionum omnium non erit, nisi cum seculum finitum fuerit.«

tam. Sic et homo christianus catholicus est, dum in corpore vivit; praecisus, haereticus factus est, membrum amputatum non sequitur spiritus. Si ergo vultis vivere de Spiritu s., tenete caritatem, amate veritatem, desiderate unitatem, ut perveniatis ad aeternitatem."

Nec praetermittere licet **3.** aliud praeclarum corollarium practicum, quod inde infert s. doctor tract. 32. *in Joan.* n. 8. et cum ipso Alcuinus l. 4. *in Joan.* c. 18. scribens: »Accipimus ergo et nos Spiritum sanctum, si amamus Ecclesiam, si caritate compaginamur, si catholico nomine et fide gaudemus. *Igitur quantum quisque amat Ecclesiam Christi, tantum habet Spiritum sanctum.* Habemus ergo Spiritum sanctum, si amamus Ecclesiam; amamus autem, si in ejus compage et caritate consentimus.«

194. Ex quibus **4.** manifestum est, quanta secundum patres dignitas et praestantia sit Ecclesiae; tanta scil. ut toto coelo praecellat quamlibet societatem civilem vel mere humanam, ut verissime dici possit et debeat templum sanctissimum Dei vivi, in quo adimpleatur Dei promissio: *Quoniam inhabitabo in illis et inambulabo inter eos et ero illorum Deus et ipsi erunt mihi populus* (Lev. 26, 12. col. 2. Cor. 6, 16.). Quare mirum esse non debet, quod patres in vindicandis Ecclesiae juribus fuerint tam solliciti, nec detrectarent pro eorum defensione sanguinem profundere; nec aliunde oritur pruritus ille Ecclesiam subjiciendi societati civili, quam quod animalis homo non percipiat ea, quae sunt Spiritus Dei (1. Cor. 2, 14.). Et sicut judaei Christum, qui homo videbatur (quod quidem erat, sed non solum), odio implacabili persequebantur ac demum cruci affixerunt, *quia Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo* (Joan. 5, 18.): ita et Ecclesiae hostes ferre non possunt, quod ea, cum speciem prae se ferat societatis humanae, tantam sibi vindicet dignitatem, tanta loquatur libertate et auctoritate, tantam exerceat in animas fidelium potestatem, eamque omni conatu societati civili subjicere nituntur. Non enim minori ac judaei coecitate laborant, coelestem Ecclesiae originem, dignitatem, destinationem plane ignorantes; atque ita etiam de corpore Christi impletur, quod de capite est praedictum: *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicetur* (Luc. 2, 34.).

195. Ex dictis sequitur **5.** *Ecclesiam a societate civili secerni.* Quod praeterea patet ex verbis Christi Joan. 18, 36: *Regnum meum non est de hoc mundo*[1]*; si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique*

---

[1]) Ex eo autem quod Ecclesia non sit originis, indolis, destinationis mundanae, non sequitur, eam esse extra mundum, vel eam non posse possidere bona hujus mundi iisque uti ad suum finem supernaturalem, cui demum omnia inservire debent. Sicut ex eo quod anima humana non sit ex corpore, non sit originis, indolis, naturae materialis, non sequitur eam esse extra corpus, non uti corpore

decertarent, ut non traderer judaeis; nunc autem regnum meum non est hinc i. e. non est originis, non est indolis mundanae; non habet finem mundanum, bono scil. aliquo hujus mundi comprehensum armisque propugnandum. Patet etiam ex appellationibus, quibus passim dicitur Ecclesia *civitas Dei, domus* (Hebr. 10, 21.) et *templum Dei* (1. Cor. 3, 16.), *regnum Dei* (Marc. 1, 14. 15.) et *regnum coelorum* Matth. 3, 2. Vocatur autem Ecclesia *regnum coelorum* **a.** ratione *originis,* quae non est naturalis, humana: sed sicut nativitas Christi supernaturalis, divina; **b.** ratione *paradigmatis,* nam expressa est ad regnum Dei in coelis; **c.** ratione *finis,* quia conducit ad regnum in coelis, cujus est jam initium et inchoatio; **d.** ratione *aulae regiae,* in qua residet ejus rex, qui sedet ad dexteram Patris in excelsis.

196. **Thesis XXVI.** ***Ecclesia est societas perfecta.***

Demonstratio. Societas *perfecta* ea dicitur, quae est in se completa ideoque media ad suum finem sufficientia in semetipsa habet. Quo posito assertum nostrum[1]) ita probatur **1.** Societas suprema neque ad aliam

ac in illud non multiplici modo, sed benefico, influere. Quare discrimen inter Ecclesiam et societatem civilem non eo continetur, quod illa curet tantum spiritualia vel aeterna, haec provideat corporibus atque negotiis temporalibus; haec enim theoria nimis separat ea, quae, quamvis distincta sint, disjuncta non sunt. Pariter probari nequit discrimen, secundum quod Ecclesia utitur mediis tantum spiritualibus, societas civilis mediis naturalibus.

[1]) Cf. Palmieri tr. *de rom. pontif.* proleg. §. 17. Ceterum probationem fusius evolvunt juris canonici periti. Hanc porro veritatem toties aequivalenter professa est Ecclesia, quoties sibi asseruit independentiam a potestate civili adversus jurium suorum invasores; in primis vero eam strenue tuendam sibi constituit magnus ille libertatis ecclesiasticae assertor Pius IX. in conc. vaticano. Quapropter in schemate *constitutionis dogmaticae de Eccl. Christi* patrum examini proposito c. 3. ita legimus: „Docemus autem ac declaramus, Ecclesiae inesse omnes verae societatis qualitates. Neque societas haec indefinita vel informis a Christo relicta est; sed quemadmodum ab ipso suam exsistentiam habet, ita ejusdem voluntate ac lege suam exsistendi formam suamque constitutionem accepit. Neque eadem membrum est sive pars alterius cujuslibet societatis, nec cum alia quavis confusa aut commiscenda; sed adeo in semetipsa perfecta, ut dum ab omnibus humanis societatibus distinguitur, supra eas tamen quam maxime evehatur.“ Qua declaratione, ut in adjectis annotationibus advertitur, asseruntur Ecclesiae verae societatis qualitates contra novatores, qui negant **1.** Ecclesiam esse societatem *legalem*, i. e. accepisse Ecclesiam ab ipso auctore ac legislatore Christo certam ac definitam constitutionis formam; **2.** Ecclesiam esse societatem *perfectam,* quae uti pars sive membrum nulli alii insit vel subsit societati, propriamque habeat et a societate civili distinctam ac independentem potestatem; affirmant autem **3.** Ecclesiam esse instar *collegii,* quod libera hominum coitione et sociis pure aequalibus constat, et cujus constitutio a libera confoederatione proficiscitur; unde dicunt **4.** Ecclesiam subesse veluti partem vel membrum civili societati et **5.** summam in Christi Ecclesiam, quatenus ipsa associatio est, potestatem esse penes civilis imperii majestatem. Ad catholicam vero veritatem instantius inculcandam paratus erat canon (10): „Si quis dixerit, Ecclesiam non esse societatem perfectam, sed collegium; aut ita in civili societate, seu in statu esse, ut seculari dominationi subjiciatur, A. S.“

societatem ordinata est perfecta, omniaque proinde media ad finem consequendum necessaria habere in semetipsa debet. Atqui Ecclesia est societas natura sua suprema neque ad aliam societatem ordinatur, ut probatur ex ejus *fine* supernaturali, qui est adeptio vitae aeternae; haec enim utpote ultimus hominum finis ad alium finem non ordinatur. Probatur **2.** ex absurdo, quod in alia hypothesi sequitur. Sequeretur enim Christum Dominum Ecclesiae suae sufficienter non providisse, si media ad ejus finem consequendum ab alia societate i. e. a civili penderent: quae neque posset illa conferre, cum ea debeant esse ordinis supernaturalis. Ergo talem Ecclesiae dedit potestatem, quae media omnia ad finem consequendum sufficientia complectatur, quod est, societatem perfectam constituit. Et revera **3.** Christum constituisse societatem perfectam colligitur ex divinis literis, ex quibus constat, eum constituisse in Ecclesia magistratus proprios eisque dedisse potestatem plenam et perfectam verbis expressam amplissimis.

197. **Corollarium.** Licet Ecclesia sit societas perfecta, distincta a societate civili et hac longe praestantior, non tamen propterea consequitur, nullo nexu Ecclesiam et societatem civilem inter se vinciri. Qualis autem sit hic nexus, ad juris canonici peritos spectat definire. Sufficiat nobis haec de eo advertisse: **1.** Ecclesiam praesupponere aliquam societatem, fere sicut revelatio praesupponit rationem, gratia naturam; **2.** ejus influxum in societatem esse admodum beneficum (n. 187.); vicissim **3.** ex bono statu societatis civilis multa redundare commoda in ipsam Ecclesiam, sicut quo melius se habet corpus, eo expeditius anima suis operationibus vacare potest. Hinc instans illud Pauli praeceptum, ut oretur pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt, *ut quietam et tranquillam vitam agamus* (1. Tim. 2, 2.). **4.** Eo ipso, quod Ecclesia intendat finem altiorem omnibus hominibus ex Dei voluntate obtinendum, ita ordinandam esse societatem civilem, ut Ecclesiae fini non adversetur, hunc proinde (negative saltem) praelucere debere reipublicae moderatoribus. **5.** Ecclesiam a societate civili ratione finis et mediorum esse *independentem,* ut diximus n. praecedenti.

198. **Thesis XXVII.** ***Ecclesia ad salutem obtinendam est ita necessaria, ut qui extra eam propria constituti culpa ex hac vita decedunt, non salventur.***

Declaratio. Dogma *extra Ecclesiam non esse salutem,* saepius ab Ecclesia fuit proclamatum. Aliis omissis jam ex praescripto conc. carthaginensis IV. (a. 398.) interrogandus erat episcopus ante suam consecrationem, „si extra Ecclesiam nullus salvetur,“ et conc. cirtense (a. 412.) in *ep. synodica* scribit: „Quisquis ab hac catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christo unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet supra eum.“ Neque ab hoc dogmate, quamdiu praescinditur a quaestione, quaenam sit haec Ecclesia, abhorrent protestantes, saltem vetustiores.

Ne vero hoc dogma durum videatur, advertimus **1.** neque injustum, neque durum censendum esse, si Deus ad consequendam felicitatem supernaturalem, hinc plane indebitam, conditionem aliquam adimplendam omnibus praescribat, uti est ingressus in Ecclesiam a se conditam; **2.** posse aliquem ad Ecclesiam actu vel tantum voto et animi dispositione pertinere, ut si quis extra Ecclesiam veram, quam ignorat, constitutus ita animo sit dispositus, ut firmum habeat propositum faciendi omnia, quae Deus constituit ad assequendam salutem. In hoc enim proposito generali implicite latet et illud speciale ingrediendi Ecclesiam veram, mox ac illam certo cognoscat. De his non loquimur: qui si non salvantur, non propterea damnantur, quod fuerint extra Ecclesiam[1]), sed propter peccata *propria* poenitentia non retractata; sed **3.** loquimur de his, qui veram Ecclesiam cognoscentes eam nolunt ingredi, vel qui culpabili negligentia non curant eam invenire, qui proinde non sunt *bona*, sed *mala fide* extra Ecclesiam.

199. **Demonstratio. 1.** Nemo salvatur, nisi qui est Christi; nemo enim venit ad Patrem nisi per Christum, cum ipse sit *via*, *veritas et vita* Joan. 14, 6; nemo salvatur, nisi sit filius Dei, nam *si filii et heredes* Rom. 8, 17. Atqui nemo est Christi, qui non habet spiritum Christi Rom. 8, 9; neque filius est Dei, nam *quicunque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei* (ib. 14.). Spiritum autem Christi nullum membrum a corpore *sponte sua* praecisum et a corpore se subtrahens habet. Ecclesia vero corpus est Christi. Membra ergo ab Ecclesia praecisa seu quae se Ecclesiae subtrahunt, spiritu Christi et hinc spe salutis carent. Cf. n. 193. Sequitur **2.** ex dictis de *fine Ecclesiae* (th. XXV.). Ideo enim Christus Ecclesiam instituit, ut in ea et per eam suam continuet oeconomiam. Sicut ergo judaei Christum nolentes audire, salute exciderunt; ita qui Christum in Ecclesia et per Ec-

---

[1]) Omnino ad rem sunt verba Pii IX. in lit. encyclicis *Quanto conficiamur* 10. Aug. 1863: „Notum est, eos, qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant quique naturalem legem ejusque praecepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes ac Deo obedire parati, honestam rectamque vitam agunt: posse divinae lucis et gratiae operante virtute aeternam consequi vitam, cum Deus, qui omnium mentes, animas, cogitationes habitusque plane intuetur, scrutatur et noscit, pro sua bonitate et clementia minime patiatur quempiam aeternis puniri suppliciis, qui voluntariae culpae reatum non habeat. Sed notissimum quoque est catholicum dogma, neminem scilicet extra catholicam Ecclesiam posse salvari." Ne vero quis putet hac concessione minui zelum animarum inferatque inde, melius fore, si ii, qui extra Ecclesiam sunt, in sua bona relinquantur fide, advertatur **1.** hos, quamvis *absolute* possint salvari, aegre salutem consequi, quod destituantur tot salutis mediis, quae in sola vera habentur Ecclesia; **2.** non tam facile supponendam esse bonam fidem, cum humani cordis malitia sit inscrutabilis, quae saepius gratiae vocanti resistit, quam putetur; **3.** Ecclesiam teneri omnium procurare salutem propter praeceptum Domini: *Docete omnes* Matth. 28, 19; *Praedicate Evangelium omni creaturae* Marc. 16, 15.

clesiam docentem non audit, peccata donantem reverenter non excipit, praecipientem negligit, salutem nequit sperare; hinc illa verba Christi gravissima: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* Matth. 18, 17. Ad salutem **3.** est necessarium fide theoretica et practica complecti omnia, quae Evangelio continentur, dixit enim Christus: *Praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit,* utique Evangelio, quo designatur universa Christi doctrina, *et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur* Marc. 16, 15; *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus s., docentes eos servare* **omnia,** *quaecunque mandavi vobis* Matth. 28, 19. Inter haec omnia est autem etiam illud: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Atqui fide theoretica et practica complecti omnem Christi doctrinam idem est ac esse Ecclesiae membrum, nam Ecclesia est coetus fidelium, qui regitur, fovetur, animatur fide Christi.

200. Probatur **4.** ex *practica* totius antiquitatis traditione, quae se semper prodidit operariorum evangelicorum zelo, cujus jam apostoli luculentum in se praebuerunt exemplum (cf. Rom. 9, 3; 1. Cor. 4, 9. ss.; 2. Cor. 11, 23. ss.), et ex ejusdem diserta professione.

Ita Cyprianus *de unitate Ecclesiae,* qui liber totus huc spectat, n. 6: »Quisquis ab Ecclesia segregatus adulterae jungitur, a promissis Ecclesiae separatur; nec perveniet ad Christi praemia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est . . . Hanc unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris et Filii fidem, vitam non tenet et salutem;« ubi et illud axioma inculcat: »Habere jam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem[1].« Augustinus vero hanc veritatem instanter adversus donatistas tuetur. Ita ex. gr. disserit in *serm.* habito *ad caesariensis eccl. plebem,* Emerito episc. donatista praesente, n. 6: »Ex-

---

[1]) Augustinus serm. 2. *in Ps. 88.* n. 14. ita pulcherrime hoc evolvit axioma: »Amemus Dominum Deum nostrum, amemus Ecclesiam ejus: illum sicut patrem, istam sicut matrem; illum sicut Dominum, hanc sicut ancillam ejus; quia filii ancillae ipsius sumus. Sed matrimonium hoc magna caritate compaginatur; nemo offendit unum et promeretur alterum. Nemo dicat: Ad idola quidem vado, arreptitios et sortilegos consulo, sed tamen Dei Ecclesiam non relinquo, catholicus sum. Tenens matrem, offendisti patrem. Alius item dicit: Absit a me, non consulo sortilegum, non quaero arreptitium, non quaero divinationes sacrilegas, non eo ad adoranda daemonia, non servio lapidibus: sed tamen in parte Donati sum. Quid tibi prodest non offensus pater, qui offensam vindicat matrem? Quid prodest, si Dominum confiteris, Deum honoras, ipsum praedicas, Filium ejus agnoscis, sedentem ad Patris dexteram confiteris, et blasphemas Ecclesiam ejus? Non te corrigunt exempla humani conjugii? Si haberes aliquem patronum, cui quotidie obsequereris, cujus limina serviendo contereres, quem quotidie non dico salutares, sed adorares, cui impendere fidelia obsequia, si unum crimen de ejus conjuge diceres, numquid domum ejus intrares? Tenete ergo, carissimi, tenete omnes unanimiter Deum patrem et matrem Ecclesiam.

tra Ecclesiam catholicam totum potest (habere Emeritus) praeter salutem. Potest habere honorem, potest habere sacramentum, potest cantare alleluja, potest respondere Amen, potest Evangelium tenere, potest in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti fidem et habere et praedicare; sed nusquam nisi in Ecclesia catholica salutem poterit invenire.« Eandem veritatem illustrant typis *arcae Noë,* extra quam nemo salvatus est diluvii tempore, et *domus Rahab,* extra quam tempore expugnationis urbis Jericho nemini parcebatur. Cf. *opusc.* III. 218. Tandem **5.** certum est eum, qui peccati alicujus letalis reus moritur, salutem non consequi. Atqui ex sententia totius antiquitatis, imo ipsius Christi (Matth. 18, 17.) gravissimum crimen est separatio voluntaria ab Ecclesia. »Tales etiamsi occisi, inquit Cyprianus l. c. n. 14., in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiabilis et gravis culpa discordiae nec passione purgatur. Esse martyr non potest, qui in Ecclesia non est . . . Ardeant licet flammis et ignibus traditi vel objecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona sed poena perfidiae, nec religiosae virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest.«

201. **Corollarium.** Ex dictis in praecedenti thesi sequitur **1.** a doctrina Christi abhorrere axiomata illa indifferentium, ad salutem sufficere honeste vivere, naturae legem observare, quemlibet in sua salvari posse secta, neminem inquietandum esse in sua professione religiosa. Merito ergo damnavit Pius IX. has *syllabi* propositiones: „15. Liberum cuique homini est, eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit. 16. Homines in cujusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire aeternamque salutem assequi possunt. 17. Saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur[1]). 18. Protestantismus non aliud est quam diversa verae ejusdem christianae religionis forma, in qua aeque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est.“ Sequitur **2.** absurde illos sentire, qui sub praetextu doctrinam hanc olere duritiem crudelitatemque, silentio

---

[1]) Licet haec propositio sit reprobata, non propterea obligamur ad judicandum, *omnes*, qui extra Ecclesiam moriuntur, esse damnatos, ut patet ex thesis expositione, sed damnatur illa sentiendi ratio, qua ad salutem indifferens censetur, cujus quis fuerit confessionis religiosae, seu qua putatur deliberata separatio ab Ecclesia catholica non esse obstaculum ad consequendam salutem. Quare *pro praxi* duo bene notentur; **1.** cum nostrum non sit alios judicare, misericordia vero Dei sit infinita, *non licet* de quolibet homine concreto *peremptorie* affirmare, eum esse damnatum, licet extra Ecclesiae corpus vel mox post actum peccaminosum moriatur. **2.** Cum judicia Dei sint inscrutabilia, cor autem hominis pravum, quod saepius resistit Dei gratiae, quam putetur; non statim *canonizandi* sunt qui extra Ecclesiam ad speciem duxerunt honestam vitam et extra illam moriuntur, sed tutissimum est totum relinquere Dei judicio, quod certe justissimum est.

illam pressam vellent. Dummodo enim illam rite intelligerent, nullam in ea reperirent duritiem, imo eam rationi plane consonam esse perspicerent.

202. Sequitur 3. *tolerantiam religiosam* esse *impiam* et *absurdam*. Non loquimur *de tolerantia politica,* qua princeps civilis permittit, ut quilibet eam sequatur religionem, quam vult, et cujus motivum est pax publica, timor fundatus, ne alioquin majora sequantur mala; sed de ea, qua variae et *contrariae* professiones fidei et sectae censentur coram Deo et in ordine ad salutem ejusdem juris, valoris et pretii, adeo ut singuli non solum gaudeant libertate physica vel politica, sed etiam morali, eligendi citra salutis periculum quamlibet, quae ipsis magis arriserit; quae proinde oritur ex negato dogmate, *extra Ecclesiam non esse salutem* et ex persuasione veritatis illorum axiomatum, quae supra rejecimus. Ejusmodi tolerantiam absurdam et impiam esse patet ex dictis. Nequit enim Ecclesia, qua interpres voluntatis Dei, qua organum et vicaria Christi Domini, qua templum et schola Spiritus s. indifferentem se exhibere erga veritatem et errorem, lucem et tenebras, virtutem et vitium. Atqui omnis secta a vera Christi Ecclesia divisa in aliquo saltem doctrinae capite profitetur errorem, sectatur tenebras, inobedientiae erga auctoritatem divinitus institutam est rea. Praeterea haec theoria inutilem reddit revelationem institutionemque Ecclesiae; rebellionem fovet adversus Deum; quid vero Deo injuriosius, quam ut permittatur vilissimae creaturae, qualis est homo, Deo revelanti fidem denegare, veritates ab ipso revelatas atque ipsius instituta rejicere atque etiam spernere? Quae lux tolerans est tenebrarum? Quae scientia tolerans errorum? Quo altior et certior aliqua veritas, eo magis aversatur errorem. Hinc patres nihil adeo sunt detestati quam haereses et schismata. Neque mirum, cum ipse gentium apostolus plane fuerit intolerans, ut patet ex Rom. 16, 17; ad Tit. 3, 10; 1. Tim. 1, 20; Gal. 1, 8. 9., ubi anathema dicit in quemlibet, qui evangelizaverit praeter quam quod fideles ab ipso acceperint. Discipulus vero ille, qui alioquin totus est caritas, Joannes evangelista praecipit 2. ep. v. 10: *Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis.*

203. Ad haec tamen rite intelligenda, distingui debet inter sectas et sectarios, haereses et haereticos. Ecclesia intolerans est et esse debet relate ad *haereses* et *errores*; tolerans vero et benigna mater est erga errantes et devios, qua in re haereticos, ipsos quoque superat protestantes, quorum intolerantia satis nota est [1]). Quandoque tamen intolerantia erroris in ipsos

---

[1]) Vere hic obtinet illud Christi Domini: *Quid vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides* (Matth. 7, 3)? Nunquam enim Ecclesia ita

redundare potest et debet errantes, si nimirum errores suos diffundere nituntur et inficere ipsa Ecclesiae membra. Quae intolerantia nititur *quadruplici jure:* jure *physiologico,* cum quodlibet corpus organicum vivum et sanum naturaliter nitatur humores malos et noxios excernere; jure *naturali,* cum quaelibet societas ab hostibus, in primis a rebellibus et seditiosis, se suaque membra tueri, ideoque omnibus quae ei suppetunt armis, illos insequi possit et debeat; jure *positivo* et *divino,* cum Ecclesiae pastoribus gravissimum incumbat onus abigendi a grege lupos; rationem enim reddere debent de animabus sibi commissis (Hebr. 13, 17.).

Articulus II.

De causa materiali Ecclesiae seu de membris ejusdem.

204. *Societas* generatim definitur coadunatio plurium in communem finem, seu coetus hominum ad communem finem conjunctis viribus tendentium. Homines quidem seu membra, quae conspirant, rationem habent causae *materialis,* ex qua constat societas; vincula vero illa, quae membra ad unitatem revocant et in unum corpus constringunt, rationem habent elementi seu causae *formalis,* qua ratio societatis constituitur. In praesentia solum de elemento *materiali* seu *de membris,* ex quibus coalescit Ecclesia, erimus solliciti.

205. Pari quoque ratione distinguere licet inter *animam* et *corpus* Ecclesiae. Quae distinctio ut rite intelligatur, adverti debet, Ecclesiam esse dicique *corpus* (n. 188. ss.), sane non mortuum; quare, cum in Ecclesia sicut in corpore vivo praeter elementum externum et visibile admitti debeat elementum aliud internum corpus visibile informans: analogia ducimur, ut sicut principium corpus informans et vivicans *animam* dicimus, ita et elementum Ecclesiae internum, quatenus ab externo et visibili distinguitur, *animam* vocemus. Quocirca quidquid incurrit in oculos, ad corpus Ecclesiae pertinere, dicendum est, quod proinde non distinguitur ab ipsa Ecclesia, quatenus est societas externa et visibilis. Anima vero Ecclesiae iis continetur, quibus fit, ut Ecclesiae membra vitam capitis vivant, vitam spiritualem, christianam, su-

persecuta est haereticos, ut reges et respublicae protestantes catholicos. Prae oculis habeantur tantum non dico *poenae*, sed *crudelitates barbarae* anglorum, batavorum, russorum etc., qui vexarunt catholicos. Quod si provocant contra nos ad *inquisitionem hispanam* vel ad quosdam reges catholicos, advertant *triplex discrimen* haud spernendum: **1.** Ecclesiam catholicam fuisse *in possessione:* protestantes vero, ut infra videbimus, *schismaticos* ideoque *rebelles* esse; in tales vero animadvertere licet. **2.** Nunquam inquisitionem, nunquam regem vere catholicum ita saeviisse in acatholicos, sicut dissidentes ab Ecclesia catholica in hujus filios. **3.** Quod principes acatholici egerunt, non posse ita adscribi Ecclesiae, sicut adscribi potest et debet protestantismo, quidquid in religionis negotio egerunt principes protestantes, quia hi demum sunt caput illius sectae, quam profitentur.

pernaturalem; seu continetur *efficienter* multiplici operatione et influxu sive Christi capitis, qui non secus ac vitis in palmites vitam et virtutem suis membris influit, sive Spiritus sancti, qui Ecclesiam donis exornat ac veluti animat (cf. n. 192.); *effective* vero non differt a vita fidelium supernaturali, christiana, interna fidei, spei et caritatis. Seu aliis verbis: sicut in qualibet societate mutua membrorum conspiratio in ejusdem finem societatis *anima* dici potest, ea enim membra ad agendum movet ac vita sociali donat et inter se conjungit; ea vero sublata perit societas: ita et mutua membrorum Ecclesiae conspiratio ad ipsius consequendum finem, *anima* Ecclesiae dici poterit. Atqui per fidem omnium fidelium mentes in eundem diriguntur finem; per spem ad illum consequendum excitantur; per caritatem in illum rapiuntur et inter se conglutinantur, ut viribus unitis illum assequantur. Merito ergo dicitur in fide, spe et caritate, qua fideles imbuuntur, consistere Ecclesiae animam.

206. Porro nomine materiae *remotae* illa intelligitur, ex qua res actu quidem non constat, sed quae par est atque idonea ad rem constituendam (si certae accedant conditiones), quaeque ad hanc constituendam destinatione artificis ordinatur; materia vero *proxima* illa est, quae non modo apta est, e qua res fiat, sed quae uti decet temperata suisque instructa modis rem actu constituit. Jam vero *ad materiam Ecclesiae remotam universum humanum genus spectare*[1]) patet tum ex theoremate certissimo: *Deum velle omnes homines salvos fieri* (1. Tim. 2, 1. ss.), tum ex altero: Christum mortuum esse *pro omnibus hominibus:* extra Ecclesiam autem non est salus; tum ex iis quibus probabimus Ecclesiae catholicitatem. Qua autem ratione omnes homines sive velint sive nolint ad bonum Ecclesiae ex sapientissima Dei providentia destinentur, pulcherrime explicat s. Augustinus *de vera relig.* c. 6. scribens: »Utitur Ecclesia *gentibus* ad materiam operationis suae, *haereticis* ad probationem doctrinae suae, *schismaticis* ad documentum stabilitatis suae, *judaeis* ad comparationem pulchritudinis suae. Alios ergo invitat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit, omnibus tamen gratiae Dei participandae dat potestatem sive illi formandi sint adhuc, sive reformandi, sive recolligendi sive admittendi.«

207. Quibus praemissis quasdam statuemus propositiones de Ecclesiae membris.

I. *Praedestinati immediate et per se non constituunt Ecclesiae animam.* Quae propositio est contra Wicleffum, Huss et Calvinum, probatur

[1]) Unde colligimus, nullum protestantium coetum veram esse Ecclesiam. Sane protestantes, si sibi constare velint, docere solent, singulos proprio studio proprioque examine doctrinae revelatae systema ex divinis literis sibi componere debere. Atqui major hominum pars ad hoc efficiendum prorsus est incapax. Ergo secundum eos major hominum pars non esset materies remota Ecclesiae. Contra Ecclesia catholica auctoritate potissimum nititur, qua omnes homines facile ea, quae necessaria sunt, addiscere possunt et solent. Quare ex hac parte vera Christi Ecclesia esse potest.

vero hac ratione: Nemo pertinet actu ad Ecclesiae animam, nisi qui vitam vivit Ecclesiae estque membrum Christi vivum, in quod Christus tamquam vitis in palmitem virtutem influit. Atqui fieri potest, ut qui est praedestinatus, impie adhuc vivat, rebellis sit Ecclesiae, proinde propria Ecclesiae vita destituatur. Falsum est ergo *omnem* praedestinatum *immediate* et *per sese actu* pertinere ad Ecclesiae animam. Ad haec si praedestinati vi praedestinationis jam spectarent ad Ecclesiae animam, superflua esset vocatio ad Ecclesiam, sacramentorum susceptio, justificatio etc. Sed quamvis dici nequeat, praedestinatos *omnes actu* secundum praesentem justitiam (qua saepe modo et actu adhuc carent, ut ex. gr. Saulus, quando persequebatur Ecclesiam), esse in Ecclesia, dici tamen possunt pertinere ad illius animam secundum praescientiam divinam, qua Deus praevidet eos quondam Ecclesiae se dedituros, et ratione perseverantiae, quia ipsi soli ad finem usque perseverabunt in justitia atque idcirco in Ecclesia secundum animam. Multo vero minus *omnes* et *soli* praedestinati spectant ad *corpus* Ecclesiae; hoc enim admisso perit visibilitas Ecclesiae, qua in dubium vocata omnia nutant; nutant ipsae Scripturae, nutat ipsa revelatio, cum, quid de utraque sentiendum sit, ab Ecclesia doceri debeamus.

208. II. *Ad animam Ecclesiae pertinent primo ac praecipue justi, altero autem veluti gradu omnes ii, qui interiori aliquo dono gratiae gratum facientis potiuntur.* Anima enim Ecclesiae non distinguitur *a vita spirituali, interna, supernaturali.* Haec autem inchoatur omnibus iis, quae ad justificationem seu gratiae et caritatis infusionem disponunt quaeque describuntur conc. tridentini sess. 6. cap. 6; perficitur vero ipsa justificatione (de qua ib. cap. 7.). Quare justi, qui vitam jam vivunt supernaturalem, *immediate, per sese* et *formaliter* spectant ad Ecclesiae animam; *secundo* veluti *gradu* et *inchoative* omnes illi, qui jam aliquo interioris gratiae dono potiuntur, quo disponuntur ad vitam gratiae habitualem. Ita ex. gr. *catechumeni,* quamvis ad corpus Ecclesiae non pertineant, ad animam Ecclesiae spectare possunt.

209. **Corollarium.** Quare Ecclesiae anima latius patet ejusdem corpore, hujusque limitibus non circumscribitur. Sane anima Ecclesiae tantum patet, quantum ipsa se porrigunt dona sanctificantia et vel prima rudimenta atque primitiae vitae spiritualis; atqui haec reperiri quoque possunt extra Ecclesiae corpus, quod iis dumtaxat coalescit, qui in unum coetum ejusdem fidei professione, eorundem sacramentorum consortio eodemque regimine conveniunt; damnata siquidem est prop. 29. Quesnelli: „Extra Ecclesiam nulla gratia conceditur.“ Praeterea nisi Christus Ecclesiae caput multiplici modo in eos, qui extra Ecclesiam sunt, influeret gratiisque eos disponeret aptosque redderet, qui corpori suo mystico inserantur, sicut architectus lapides prius expolit, quibus ad exstruendam domum utitur: nullus adultorum Ecclesiae se adjungeret, itaque corpus ipsius mysticum neque crescere neque dilatari posset. Quare Ecclesiae anima non solum corpus Ecclesiae permeat atque vivificat, sed ulterius effusa progreditur eosque, qui adhuc ad materiam pertinent remotam, effingit, ut materies proxima esse possint, ejusque virtute concipiuntur, ut tamquam membra perfecta

nascantur corporique Ecclesiae inserantur. Neque hoc mysterium Ecclesiae proprium censeri debet; ejus siquidem analogia tum in ordine supernaturali, tum in naturali exstat. Ita spiritus bonus alicujus ordinis religiosi cor juvenis invadit, allicit, attrahit demum, ut se aperte illi adjungat; idem dic de spiritu proprio alicujus populi, qui alterius regis subditos arripit et invadit; de spiritu perversae cujusdam factionis[1]) etc.

210. III. *Infideles haeretici et schismatici non spectant ad Ecclesiae corpus.* Non enim alii referri debent inter membra corporis Ecclesiae, quatenus est coetus fidelium visibilis, quam qui **1.** authenticae credunt[2]) praedicationi; nam Ecclesia coetus est fidelium seu eorum, qui doctrinam Christi profitentur, unde dicuntur *superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum* Eph. 2, 20; et Paulus anathema dicit in eum, qui praeter id quod acceperunt, evangelizaverit Gal. 1, 9; qui **2.** initiantur baptismo Matth. 28, 19; Marc. 16. 16; Act. 19. 5; 2, 38. 41: *Qui ergo receperunt sermonem ejus* (Petri) *baptizati sunt, et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia;* ex quibus liquet, primum quod praeter fidem exigitur, ut quis sit Christi discipulus simulque *membrum* coetus sectatorum Christi, esse baptisma, quod propterea dicitur *janua Ecclesiae*; qui **3.** in unum idemque corpus coalescunt, quod sicut patet ex ipsa Ecclesiae seu coetus notione, ita etiam ex eo, quod Apostolus schisma summopere detestetur (1. Cor. 1, 10. ss.) et ad unitatem hortetur. Quapropter Act. 4, 32. multitudo credentium laudatur, quod esset *cor unum* et *anima una;* qui **4.** hanc corporis unitatem servant participatione eorundem mysteriorum et subjectione legitimo ministerio ecclesiastico exhibita, Matth. 18, 17: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Erant autem perseverantes,* legimus de primis fidelibus Act. 2, 42., *in do-*

---

[1]) Hinc **1.** axioma illud: *extra Ecclesiam non est salus,* in primis intelligendum est de Ecclesiae *anima.* Fieri tamen **2.** nequit, ut quis sponte sua sit extra Ecclesiae corpus, extra visibilem fidelium coetum et tamen pertineat ad Ecclesiae animam; nam membrum sponte sua avulsum non sequitur anima. Quod si **3.** quis ad Ecclesiae animam pertinet, sed bona adhuc fide est extra Ecclesiae corpus (quia nondum cognovit, quinam coetus visibilis vera sit Christi Ecclesia), *voto* saltem *implicito* seu animi praeparatione ad hoc pertinere est dicendus; est **4.** nisi gratiae ponat obstacula, gradatim Spiritu Dei agente inducetur, ut actu corpori Ecclesiae inseratur. Quae mirum in modum illustrantur ex biographia illorum, qui extra Ecclesiam nati, postmodum gratia divina exciti et moti veritatem quaesierunt miroque suavissimae providentiae ductu in sinum Ecclesiae redierunt.

[2]) *Qui crediderit* (vobis praedicantibus) *et baptizatus fuerit, salvus erit,* Marc. 16, 16; *Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine J. Christi baptizabantur viri et mulieres,* Act. 8, 12; *Ait eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: Credo Filium Dei esse J. Christum,* ib. v. 36.

ctrina apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus; quae conditio illustratur imagine instanter a Paulo inculcata qua Ecclesia confertur *corpori* (Rom. 12, 4; 1. Cor. 12, 12.). Quae conditiones confirmantur unanimi antiquitatis consensu et Ecclesiae historia. Atqui his conditionibus destituuntur *infideles, haeretici,* qui non totam Christi doctrinam authentice propositam profitentur et Ecclesiam docentem non audiunt; carent etiam *schismatici,* qui corporis unitatem scindunt atque a Christi corpore recedunt. Ergo ad Ecclesiae corpus non pertinent.

211. Quod si *haereticus* (idem dicatur de schismatico) *bona* est *fide,* ac proinde *materialis* tantum, cum Deus facienti, quod est in se, non deneget gratiam, poterit frui interiori aliquo dono gratiae, imo vivere vitam gratiae (ut ex. gr. si in haeresi valide fuerit baptizatus, gratiamque baptismi nullo adhuc peccato amiserit). Quare ad Ecclesiae *animam* pertinebit. Quod si vitam gratiae diligenter excolit, ad pleniorem veritatis agnitionem perveniet atque ipsi Ecclesiae corpori inseretur.

212. **Scholion.** Quaeritur **1.** utrum *haeretici occulti* ad corpus Ecclesiae pertineant. Dissentiunt nonnihil inter se theologi. Verum hic dissensus videtur esse magis *de verbo,* quam *de re.* Quod si secundum *rei veritatem* judices, haeretici occulti non pertinent ad corpus Ecclesiae, sicut nec digitus cereus ad corpus nec lupi in pellibus ovium pertinent ad gregem. Si vero judices secundum *apparentiam, videntur* esse de corpore Ecclesiae; et quia nos secundum speciem judicamus, quamdiu non constat de eorum haeresi, illos pro membris habemus. Quaeritur **2.** quid de *excommunicatis* sit tenendum. Respondemus, omnia quae de schismaticis dicta sunt, de excommunicatis repeti posse, scil. quamdiu iidem *juste* et *publice* sunt excommunicati, sunt simpliciter extra Ecclesiam. Quod si quis **3.** *injuste* fuerit excommunicatus, vel si juste excommunicatus ante absolutionem a censura poenitentiam egerit, ad Ecclesiae animam pertinere potest, non vero ad ejus corpus, quoadusque solutus fuerit a censurae vinculo[1]).

---

[1]) Ideo damnata fuit prop. 91. Quesnelli: „Excommunicationis injustae metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro; nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo atque ipsi Ecclesiae per caritatem affixi sumus.“ Et prop. 46. syn. pistoriensis: „Propositio asserens effectum excommunicationis exteriorem duntaxat esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriore communicatione Ecclesiae: quasi excommunicatio non sit poena spiritualis ligans in coelo, animas obligans (ex s. Augustini ep. 250; tract. 50. *in Joan.* n. 12.)“ damnata fuit a Pio VI. tamquam falsa, perniciosa, in art. 23. Lutheri damnata, ad minus erronea. Prae oculis hic habeantur praeclara Augustini verba *de vera relig.* n. 11: „Saepe etiam sinit divina providentia per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum seditiones expelli de congregatione christiana etiam bonos viros. Quam contumeliam et injuriam suam cum patientissime pro Ecclesiae pace tulerint, docebunt homines, quam vero affectu et quanta sinceritate Deo serviendum sit. Talium ergo virorum propositum est, aut sedatis remeare turbinibus, aut si id non sinantur, vel eadem tempestate perseverante, vel ne suo reditu talis aut saevior oriatur, tenent voluntatem consulendi etiam eis ipsis, quorum

213. Quamvis vero **4.** Paulus neget, juris sui esse de iis, qui foris sunt, judicare (1. Cor. 5, 13.); non tamen ex eo quod Ecclesia in haereticos animadvertat, sequitur eos non esse extra Ecclesiam. Potest enim aliquis duplici ratione foris esse: absolute atque ita, ut *nunquam* fuerit intus; et *quadamtenus* nec aliter quam ut profugus et desertor, qui quondam ad societatem pertinuit. Jam vero Paulus de iis loquitur, qui priori significatione foris sunt; at haeretici foris non sunt nisi significatione posteriori, proinde Ecclesia in eos animadvertere potest sicut societas quaelibet in rebelles et desertores. **5.** Augustinus subinde affirmat de haereticis (*de bapt.* l. 3. n. 26; l. 4. n. 18.), eos esse in magna domo (2. Tim. 2, 20.), quae est Ecclesia; sed hoc vel de haereticis occultis affirmat, antequam aperte deserunt Ecclesiam, vel asserit ipsos secus ac infideles et judaeos non pauca habere, quae ad Ecclesiam spectent et quibus aliquo modo ad Ecclesiam referantur.

214. IV. *Non soli justi spectant ad Ecclesiae corpus.* Statuitur haec propositio contra plures adversarios, in primis contra donatistas, quibuscum hac de re diu disputavit Augustinus. Est autem *de fide*, ut patet ex prop. 15. syn. pistoriensis a Pio VI. damnata: „Doctrina, quae proponit Ecclesiam considerandam velut unum corpus mysticum coagmentatum ex Christo capite et fidelibus, qui sunt ejus membra per unionem ineffabilem, qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus sacerdos, una sola victima, unus solus adorator perfectus Dei Patris in spiritu et veritate, intellecta hoc sensu, ut ad corpus Ecclesiae non pertineant nisi fideles, qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate, *haeretica.*" Suadetur autem **1.** variis, quibus Ecclesia adumbratur, parabolis, imaginibus et typis, ut sunt parabola *sagenae* missae in mare et ex omni genere piscium congregantis bonos et malos (Matth. 13, 47.); *convivii nuptialis,* ad quod ingressus est etiam homo non vestitus veste nuptiali, (ib. 22, 2.); imago *ovilis,* in quo sunt oves et hoedi (ib. 25, 32.); *domus magnae,* in qua sunt vasa in honorem et vasa in contumeliam (2. Tim. 2, 20.); typus *arcae Noe,* in quam praeter Sem et Japhet erat Cham; praeter animalia munda etiam immunda (*opusc.* III, 229.). Quae parabolae et imagines omnes in hoc conspirant, ut significent bonorum malorumque commixtionem in una eademque societate; qua significatione sublata jam sensu carent. Quo argumento usi sunt catholici in controversia cum donatistis sec. IV. et V., ex qua *alterum* ducimus argumentum; nam propterea etiam donatistae

---

motibus perturbationibusque cesserunt, *sine ulla conventiculorum congregatione usque ad mortem defendentes et testimonio juvantes eam fidem, quam in Ecclesia catholica praedicari sciunt.* Hos coronat in occulto Pater in occulto videns. Rarum hoc videtur genus, sed tamen exempla non desunt, imo plura sunt quam credi potest.‹

damnati sunt, quod contenderint, peccatores non spectare ad Ecclesiam. Accedit **3.** luculenta traditio theoretica et practica, quae elucet ex omnibus fere quae supersunt patrum homiliis et sermonibus, quibus fideles in Ecclesia constitutos sed *peccatores* ad poenitentiam vitaeque emendationem hortantur; ex administratione sacramenti poenitentiae; ex sacrificio eucharistico quotidie oblato pro fidelium peccatis; ex oratione dominica a fidelibus in primis recitanda et praecepto correctionis fraternae (Matth. 18, 15.). Ad haec **4.** si soli justi spectant ad Ecclesiae corpus, perit Ecclesiae visibilitas, cum enim nemo sciat quinam sit justus. Quare „firmissime tenendum nec ullatenus dubitandum est, ut docet Fulgentius *de fide ad Petrum* c. 43. n. 81. aream Dei esse catholicam Ecclesiam, et intra eam usque in finem seculi frumento mixtas paleas contineri h. e. bonis malos sacramentorum communione misceri.“

215. Plura excipiunt adversarii. Concedimus **1.** Ecclesiam esse *sanctam,* sed nunquam probabitur eam idcirco dici sanctam, quod sanctis *tantum* membris constet. Si vero Paulus fideles omnes indiscriminatim *sanctos* vocat, nondum sequitur Ecclesiam nonnisi ex justis coalescere. Nam secundum ipsum loquendi usum quotidianum de gente aliqua praerogativa quaedam indiscriminatim affirmatur, quin inde sequatur illam singulis hujus gentis individuis competere. Ceterum fideles dicuntur etiam *sancti,* quamvis a culpa non semper immunes, tum quod coetum constituant a reliqua hominum turba sejunctum, Deo dicatum atque sacrum; tum ratione status, qui est status justitiae et sanctitatis, et quem baptismo inierunt seque sectaturos esse polliciti sunt; tum ratione specialis conjunctionis cum Christo capite, ex quo etiam in fideles peccatores seu membra mortua quaedam sanctitatis aura redundat. Si enim sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem (1. Cor. 7, 14.), quanto magis virtute Christi capitis sanctitas quaedam conciliatur membris etiam non sanctis.

216. Objiciunt **2.** verba: *Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata* (Eph. 5, 25—27.). Hisce verbis significatur **a.** qualis Ecclesia esse debeat ex intentione Christi et quod Christus quantum est ex se omnia ea praestet, quae requiruntur, ut talis esse possit; **b.** Ecclesiam, qua opus Christi carere macula et ruga; inde vero **c.** non sequitur Ecclesiam jam modo in omnibus suis membris fore sanctam et immaculatam seu secundum elementum humanum, cum aliunde evidenter constet, eam, quamdiu peregrinetur in terris, habere membra non solum sana, sed et infirma et mortua, quorum cura ipsi sit concredita, ut iterum convalescant et sanctificentur. Sequitur tamen **d.** Ecclesiam *finaliter* secundum omnia sua membra talem fore, qualem eam Christus intendit i. e. sanctam et immaculatam[1]).

---

[1]) Hinc Augustinus *Retract.* l. 2. c. 18. monet: „Ubicunque in his libris (de baptismo contra donatistas) commemoravi Ecclesiam non habentem maculam

217. Multa **3.** ex Augustino objiciuntur, quae ut rite intelligantur et uberior de membrorum ratione explicatio habeatur, haec statuimus: **1.** ideam *membri* complectitur **a.** notam continuationis organicae et cohaesionis physiologicae cum aliis corporis membris; **b.** participationem vitae et virtutis, seu informationem et influxum principii vitalis, qui major minorve esse, quandoque etiam deficere potest. Hinc distinguimus membra *sana, infirma, mortua,* proinde membra secundum quid. **2.** Membrum spectari posse dupliciter: secundum essentiam ut est pars coporis et secundum quod est instrumentum et organum illius, cujus est membrum. Quare **3.** nil mirum, si de membris Ecclesiae pro variis respectibus, sub quibus considerari possunt, *diversa,* imo et *contraria* affirmentur, atque hinc pugnae, non quidem *de re, de verbis* tamen inter theologos oriantur. Negari scil. potest peccatores esse membra, si idea membri praeter organicam conjunctionem includit plenam vitae virtutisque possessionem; ideoque dici poterit, peccatores non esse de Ecclesia, de corpore Christi, quatenus non vivunt hujus vitam; quod si tamen in Ecclesia sunt, non aliter sunt in illa, nisi ut sunt membra mortua aut mali humores in corpore humano.

Hac ratione **4.** Augustini effata esse explicanda, patet ex eo, quod ipse integris operibus adversus donatistas propugnaverit, peccatores ad Ecclesiam pertinere, nec Ecclesiam ex solis coalescere justis. Deinde haud insolitum ipsi est, unam eandemque Ecclesiam nunc pressius et inadaequate, nunc latius et adaequate considerare, proindeque ad illam tamquam membra referre modo solos praedestinatos, modo omnes justos; modo etiam fideles peccatores. Sane Ecclesia considerari potest **a.** *triumphans* et sic ad eam pertinent *soli praedestinati;* **b.** *militans* et quidem *inadaequate* secundum quod est societas visibilis, secundum corpus, et ita ad eam pertinent fideles justi et injusti; **c.** secundum *partem suam nobiliorem,* et ita ad eam pertinent *omnes* et *soli justi;* **d.** ut est corpus *vivum,* et sic justi tantum perfecte ad eam spectant; **e.** *finaliter*, quatenus pertingit metam omnique caret ruga atque macula, et ita ad eam pertinent *omnes praedestinati;* denique **f.** potest Ecclesia considerari pro *utroque stadio militiae* et *triumphi,* et ita quoque nonnisi *praedestinatos* complectitur.[1])

---

aut rugam, non sic accipiendum est, quasi jam sit, sed quae praeparatur ut sit, quando apparebit etiam gloriosa;" nam ut idem advertit l. 1. c. 7. n. 5. „cum tota dicat, quamdiu hic est: *Dimitte nobis debita nostra,* non utique hic est sine macula et ruga aut aliquid ejusmodi." Haec distinctio pro *duplici* Ecclesiae statu *praesenti* et *futuro* multum inculcatur a s. doctore in *breviculo collationis* cum donatistis tertiae diei n. 9., n. 16. ss. et iterum in 1. *post. collat.* n. 10. ss., ubi sic concludit: „Ecce manifestum est quod dicebatur a nobis: distinguenda esse tempora Ecclesiae: non eam nunc esse talem, qualis post resurrectionem futura est: nunc malos habere permixtos, tunc omnino non habituram: ad illam ejus puritatem, non ad hujus temporis permixtionem illa divina testimonia pertinere, quibus eam Deus praedixit ab omni malorum permixtione penitus alienam."

[1]) Cf. Fontana, *Bulla Unigenitus theologice propugnata* t. 8. prop. 72. s. Stapleton in *relectione principiorum doctrinalium fidei* 1. q. 2. ad solvendas exceptiones haec annotat: „**1.** membra corporis Christi mystici quaedam esse *conjuncta* ipsi Christo, quaedam *conjunctiora,* quaedam *conjunctissima. Conjuncta* sunt

Articulus III.
De reliquis Ecclesiae causis.

218. *Triplex* assignari potest Ecclesiae causa *exemplaris:* **1.** ipsa ss. Trinitas Joan. 17, 20. col. v. 11. 23; **2.** ipsum Verbum Dei incarnatum (cf. pag. 92. annot. 2.) et **3.** Ecclesia angelica. Unde liquet, Ecclesiam non solum multitudine ac varietate membrorum debere gloriari, verum etiam excellere eorundem *unitate* orta ex recapitulatione, qua varium et multiplex per quosdam veluti gradus ad apicem unitatisque centrum revocetur, ex quo et per quod unitatis forma locupletetur. Nemini autem dubium esse potest prae ceteris coetibus Ecclesiam romanam ad hoc triplex exemplar esse expressam, quod haud spernendum est *praejudicium,* eam veram esse Ecclesiam.

219. Nomine causae *formalis* relate ad societatem illud intelligitur principium, quod sua communicatione, inhaesione et informatione id, quod multiplex est, varium atque ex sese dispersum, colligit, unit aptaque synthesi componens in societatem redigit. Illud autem pro qualibet societate est *duplex: internum* scil. et *externum;* neque enim sufficiunt, ut societas oriatur *humana,* vincula externa membrorum nisi etiam animi internis jungantur vinculis. Neque sufficiunt vincula *mere interna,* nisi *externis* juventur, compleantur firmenturque. Causa Ecclesiae formalis interna est *fides caritate formata,* vel generatim ea omnia, e quibus vita Ecclesiae spiritualis efflorescit (n. 205.). Imo latiori quadam ratione poterit ipse Christus caput dici causa Ecclesiae

---

omnia, quae Christum induerunt *per fidem,* aut per baptismum sacramentum fidei et applicatum sibi Christum habent per communionem sacramentorum . . . *Conjunctiora* membra sunt, quae non solum per fidem et sacramentorum usum, sed etiam *per caritatem* Christo adhaerent et unus cum eo spiritus fiunt . . . *Conjunctissima* membra sunt, quae non sola fide et caritate, sed etiam spe non frustrabili et *finali perseverantia* connexa Christo conjunguntur . . . Itaque primi quidem sunt membra per fidem, secundi cara membra per caritatem, tertii carissima membra propter electionem. Rursum primi ut *credentes* sunt *aliquanta* membra; secundi ut *amantes magna;* tertii ut *perseverantes praecipua* . . . **2.** notabimus Ecclesiam Christi propter haec tria membrorum suorum genera varias in Scriptura nuncupationes accipere. Propter primum genus vocatur *domus magna,* in qua sunt vasa in honorem et vasa in contumeliam (2. Tim. 20. etc.). Propter secundum genus vocatur Ecclesia *corpus Christi* . . *cujus* membra sunt *templum Dei* et *Spiritus s.* (1. Cor. 3. 16); . . . *sponsa Christi* . . . *domus spiritualis, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis* (1. Petr. 2, 5.) . . . Propter tertium genus vocatur Ecclesia *hortus conclusus, fons signatus, unica columba, una perfecta mea, amica mea tota pulchra* (Can. 4.) . . . **3.** notabimus quosdam esse in Ecclesia *numero* et *vocatione* tantum . . . alii sunt in Ecclesia et *numero* et *merito* . . . **4.** notabimus quosdam esse in Ecclesia ut *servos* in domo . . . alii . . . sicut *filii* Dei, sicut cives, amici, ac domestici ejus . . . alii denique . . . ut *heredes* . . . **5.** notabimus, primum genus membrorum Ecclesiae ad Ecclesiae corpus et unitatem seu etiam societatem *vere* et *proprie* pertinere, sed *non principaliter.*"

formalis secundum dicta n. 188. ss., vel Spiritus sanctus, qui Ecclesiam tamquam templum Dei inhabitat (2. Cor. 6. 16.) atque omnigenis donis locupletat, format et regit (n. 192.) fidelesque inter se unit et conjungit, ut sint cor unum et anima una.

220. Causa autem *formalis externa* est *quadruplex: Lex fidei,* qua omnes tenentur ad eam fidem profitendam, quam Ecclesia authentice proponit; *lex actionis*[1]), ex qua repetendum est, quod vita christiana sibi ubique sit similis iisdemque manifestetur officiis; *lex lithurgica,* qua omnibus, qui membra volunt esse Ecclesiae, inculcatur susceptio sacramentorum, baptismi in primis et eucharistiae; *lex* denique *hierarchicae subjectionis.* Cum autem haec lex supponat *ministerium, magisterium* et *regimen* ecclesiasticum, hoc vero rationem habeat *causae instrumentalis* Ecclesiae, de eo seorsim agemus et quidem de ministerii ecclesiastici *institutione, necessitate, perennitate, auctoritate.*

§. 1. De ministerii ecclesiastici institutione.

221. **Thesis XXVIII.** ***Vera Ecclesia credi debet societas inaequalis, atque ita Christo auctore comparata, ut alii in ea sint praepositi, alii subditi; alii doctores, alii discipuli; alii mysteriorum dispensatores, alii sanctificandi.***

Demonstratio p. I. Quamvis inter Ecclesiae membra nullum sit discrimen relate ad salutem, cum nemo ab ea adipiscenda sit exclusus: hoc tamen minime impedit, quominus eadem dici possit societas *inaequalis,* ita ut non omnia membra iisdem juribus, muneribus, praerogativis fruantur. Hanc inaequalitatem probant appellationes, quibus eadem dicitur *regnum, civitas, ovile, corpus,* quae omnes significant societatem inaequalem, et historia Ecclesiae, quae eam nullo non seculo sistit ut societatem inaequalem. in qua alii praeessent, subessent alii.

Verum *de facto* nulla est controversia, sed quaestio est *de jure.* Sunt enim qui contendant, plenitudinem potestatis residere penes fidelium coetum, qui cum per se non possit implere munia sacerdotio et magisterio adnexa, delegat ad haec obeunda peculiares ministros, in quos plus minusve derivet suae auctoritatis pro majori minorive in quo eos collocat gradu; a quo si amoveantur, omnem amittunt auctoritatem, sicut fieri solet in aliqua republica. Contra quos tenendum est, ipsum Christum ministerium instituisse ecclesiasticum, non ita, ut omnes fideles, eo ipso quod sunt fideles, juribus fruantur propriis hujus ministerii: sed ut sit coetus distinctus a reliquo fidelium coetu, cui *independenter* a fidelibus, et *immediate* auctoritatem regendi, docendi, sanctificandi fidelium multitudinem tribuerit. Et sane doctrina Richerii et Febronii a protestantibus hausta et a syn.

---

[1]) *Docentes eos* (baptizatos) *servare omnia quaecunque mandavi vobis* (Matth. 28, 20.); *Perambulabat autem* (Paulus) *Syriam et Ciliciam confirmans ecclesias; praecipiens custodire praecepta apostolorum et seniorum* (Act. 15, 41.); *Fides sine operibus mortua est* (Jac. 2, 20. ss.).

pistoriensi approbata damnata fuit a Pio VI.: »Propositio (2.), quae statuit, potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur pastoribus, qui sunt ejus ministri pro salute animarum: sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas, *haeretica*.« Cf. conc. trid. sess. 7. can. 20; sess. 23, can. 6. et 7. et cap. 4.

222. **Demonstratio p. II.** Discrimen inter Ecclesiae ministros reliquosque fideles *juris* esse *divini*, patet **1.** ex historia evangelica. Disertis enim verbis legimus ipsum Christum secrevisse quosdam a reliqua discipulorum turba, quos *apostolos* vocavit (Luc. 6, 12.), eos misisse auctoritate instructos, sicut ipse missus fuit a Patre (Joan. 20, 21.), ipsisque tribuisse munera atque praerogativas aliis non communes (cf. n. 101. 186.) Ergo ipse Christus auctor est hujus discriminis, neque illud pendet a nutu et arbitrio turbae fidelium[1]). Colligitur **2.** ex illis effatis, quibus ministerii ecclesiastici institutio modo adscribitur[2]) Deo Patri, modo Christo Domino, modo Spiritui sancto. Praeclare **3.** dataque opera id illustrat s. Paulus 1. Cor. 12, 12. ss. similitudine *corporis* organici. Sicut enim distinctio membrorum et varietas functionum munerumque refundi debet in voluntatem Dei *creatoris:* ita in corpore Christi mystico, in Ecclesia, distinctio membrorum ac varietas functionum ac ministeriorum refundi debet in *voluntatem Dei instituentis Ecclesiam.* Consentit **4.** universa antiquitas christiana, quae ministerii ecclesiastici institutionem repetit ex voluntate Dei, ut patet jam ex epistolis Clementis romani et Ignatii M. Hinc nunquam episcopi habiti sunt ut delegati populi, nunquam ab ipsis eorumque conciliis appellatum ad fidelium coetum; nunquam populus judicavit de episcopis, de controversiis fidei, nunquam leges tulit vel confirmando roboravit, nunquam episcopos jure proprio deposuit: quae omnia populus facere posset, si penes ipsum resideret potestas ecclesiastica et ex ipso in Ecclesiae ministros derivaretur. Quod si subinde

---

[1]) Hinc Petrus Act. 10, 40: *Hunc* (Jesum) *Deus suscitavit tertia die et dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo: nobis, qui manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis: et praecepit nobis praedicare populo et testificari* etc.

[2]) *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores . . . Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetae? numquid omnes doctores?* (1. Cor. 12, 28.). *Et ipse* (Christus) *dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi . . . ut jam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae* etc. (Eph. 4, 11.). *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* (Act. 20, 28.).

fideles in consultationis participationem admissi sunt, hoc non probat illorum jus, sed praesidum sive *prudentiam* sive *humanitatem*. Quare **5.** apostoli passim citra populi delegationem Ecclesiae ministros constituerunt, vel constituendos praeceperunt[1]).

§. 2. De ministerii ecclesiastici necessitate.

223. **Thesis XXIX.** ***Rejici debet anabaptistarum, quakerorum et separatistarum opinio, qua ecclesiastici ministerii necessitatem negant.***

Demonstratio. Ministerii ecclesiastici necessitas probatur **1.** inductione. De facto enim constat, nec exstitisse unquam, nec exsistere ullam vel minimam societatem, quin in ea alii praesint, subsint alii. Accedit **2.** comparatio cum *synagoga*. Licet enim **a.** synagoga loco et duratione esset circumscripta, et **b.** Deus eidem mediis extraordinariis, missis subinde prophetis, provideret, licet **c.** in ipsa credenda quidem pauciora, agenda vero clare in lege definita essent, ministerium tamen erat necessarium: ergo illud idem in Ecclesia quoque erit necessarium et quidem *a fortiori,* eo quod Ecclesia debeat esse tempore perpetua, loco universalis, totque diversas complecti gentes; quod credenda agendaque non adeo clare sint in Scripturis expressa, nec Deus amplius mittat prophetas. Quod **3.** s. Paulus illustrat argumento desumpto ex *corpore* humano 1. Cor. 12. docens ministerium esse necessarium, ne sit schisma[2]). Ad haec **4.** tum effata tum facta in Scripturis relata ostendunt, ordinem supernaturalem a Deo non dissimili administrari ratione[3]), qua ordo naturalis i. e. non citra causas secundas (cf. n. 101. s. et 186.) Ita eunuchus ille, quem Deus immediate potuisset instituere, evangelizandus traditur (et quidem per miraculum) Philippo (Act. 8, 26.); Saulus conversus mittitur Damascum (Act. 9, 7.) *et ibi,*

---

[1]) Act. 14, 22: *Et cum constituissent* (Paulus et Barnabas) *illis per singulas ecclesias presbyteros et orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino;* Tit. 1, 5: *Reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas et constituas per civitates presbyteros, sicut ego disposui tibi.*

[2]) *Deus temperavit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem, ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra . . . Vos autem estis corpus Christi et membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores* etc. 1. Cor. 12. 24. ss.

[3]) Qua de re sapienter disputat Augustinus in prol. *de doctrina christ.* n. 6. s. „Poterant utique omnia per angelum fieri, sed abjecta esset humana conditio, si per homines hominibus Deus verbum suum ministrare nolle videretur. Deinde ipsa caritas, quae sibi invicem homines nodo unitatis astringit, non haberet aditum refundendorum et quasi miscendorum sibimet animorum, si homines per homines nihil discerent.“

inquit Dominus ad eum, *dicetur tibi quid te oporteat facere.* Angelus, qui apparuit Cornelio centurioni, certe hunc docere poterat fidem christianam; et tamen nihil aliud agit, quam illum monere ut Petrum accersat, *hic dicet tibi quid te oporteat facere* (Act. 10, 6.).

224. Ad testimonia, quibus adversarii fidunt[1]), respondemus **1.** sensum, quem ipsi illis subjiciunt, esse inauditum per secula 16, ideoque suspectum in re tam practica tantique momenti; imo **2.** contrarium expositioni totius antiquitatis. Et sane **3.** admitti sensus ille nequit, quin plures hermeneuticae canones violentur, canon scil. **a.** quo cavetur, ne reales antilogiae in bibliis foveantur; regula **b.** qua monemur, receptum esse in s. Scriptura, ut quae Deus potissimum et qua causa princeps agit, sic illi tribuantur ac si solus ea faceret, nulla facta mentione causae instrumentalis. Cf. 1. Cor. 3, 7; Matth. 6, 26. ss.; 10, 20; Ps. 146, 8. etc.; **c.** regula, qua monemur, particulam *non* frequenter elliptice accipi pro *non solum,* adeo ut in altero membro cum particula adversativa *sed* suppleri debeant adverbia *in primis* vel *potissimum.* Cf. Act. 5, 4; Eph. 6, 12. 1. Thess. 4, 8. etc.

Quare **4.** illis in locis hoc tantum significatur, fideles esse θεοδιδάκτους *a Deo edoctos,* quia **a.** licet per homines edoceantur, *primus* fidelium doctor fuit *Deus incarnatus;* quia **b.** doctores humani scil. Ecclesiae ministri non aliud proponunt quam doctrinam a Deo acceptam 1. Cor. 2. 6. ss.; Gal. 1, 11. etc.; eamque **c.** docent non auctoritate propria sed auctoritate et missione divinitus accepta, nomine Dei, Rom. 10, 15. (n. 101. et 188.); quia **d.** in docendo Ecclesia Spiritus s. assistentia fruitur Joan. 14, 16.; quia **e.** dum homines foris aures pulsant, Deus interius illuminat intellectum et cor aperit atque ad credendum movet 1. Cor. 3. 6; Act. 16, 14. Ceterum **5.** quod Jer. 31, 34. attinet, adverti insuper debet, eo non inculcari, quod in T. N. *omnis* institutio humana *ministerialis cesset,* ut evidenter patet ex interpretatione *practica Christi* mittentis apostolos ad docendas gentes omnes, et ex verbis ejusdem Jeremiae 3, 15: *Dabo vobis pastores juxta cor meum et pascent vos scientia et doctrina:* sed *triplicem* institui comparationem inter N. et V. Testamentum, nempe **a.** cognitionem per Ecclesiam universaliorem fore non tantum ad fratres contribules atque proximos restringendam, sed etiam ad gentes, ad omnes a minimo usque ad maximum, etiam ad eos qui ante essent remoti (Ephes. 2, 17.) dilatandam; **b.** doctrinam *per abundantem gratiam* internam futuram esse *potiorem;* **c.** *primum promulgatorem* fore ipsum *Deum carofactum.* Neque desunt patres, qui hoc vaticinium nonnisi in coelis plene adimplendum esse censeant.

[1]) *Et ponam . . . universos filios tuos doctos a Domino* Is. 54, 13; *Et non docebit ultra vir proximum suum et vir fratrem suum dicens: Cognosce Dominum! Omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum* Jer. 31, 34; *Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas et sequuntur me* Joan. 10, 27; *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter* Jac. 1, 5; *Sed vos unctionem habetis a Sancto et nostis omnia . . . Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus* 1. Joan. 2, 20. 27. etc.

§. 3. De ministerii ecclesiastici perennitate.

225. **Thesis XXX.** ***Voluit autem Christus, ut docendi pascendique ministerium in apostolis inchoatum non antea desineret, quam ipsa adesset seculorum consummatio.***

Demonstratio. *Perennitas ministerii* sequitur **1.** per modum corollarii ex thesi XXIII. *de Ecclesiae perennitate* et ex thesi praec. Si enim Ecclesia est perennis et ministerium ecclesiasticum ad eam propagandam conservandamque necessarium, ipsum quoque perenne esse debet. **2.** Scripturae effatis significatur ministerium ecclesiasticum ex Christi intentione durare usque *ad consummationem seculi* (Matth. 28, 20.); *in aeternum, donec Christus secundo veniat* (1. Cor. 11, 26.). Et sane **3.** teste Paulo causa finalis instituti ministerii ecclesiastici est, ne circumferamur omni vento doctrinae, ne unitas violetur fidei, ut aedificetur corpus Christi Eph. 4, 11. (n. 222. annot. 2.): haec autem exigit *perpetuum* ministerium. Quam ob rem **4.** nunquam teste historia exstitit Ecclesia sine ministerio ecclesiastico, estque hoc Ecclesiae coaevum atque parallelum i. e. tam late patet atque ipsa Ecclesia; haec vero connexio nunquam ex arbitrio fidelium, sed ex Christi voluntate fuit derivata, ideoque nunquam interrupta pastorum series habita semper fuit *nota* verae Ecclesiae, proinde *proprietas essentialis.* Quare Cyprianus Ecclesiam propemodum definiens ita ad Florentium Puppianum scribit *ep. 69:* „Ecclesia est plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens. Unde scire debes, episcopum in ecclesia esse et ecclesiam in episcopo; et si quis cum episcopo non sit, in Ecclesia non esse.“

§. 4. De ministerii ecclesiastici auctoritate.

226. Advertatur **1.** ministerium ecclesiasticum seu Ecclesiam docentem et pascentem Christi in terris vices agere et pro eo legatione fungi (n. 186.); ideoque **2.** eam in consortium potestatis a Christo adsciscі (n. 101. s.). Jam vero **3.** Christus *triplici* excelluit potestate: *regia, sacerdotali, prophetica.* Quare **4.** triplex quoque Ecclesiae potestas distingui poterit, vi cujus ei competit *magisterium, ministerium* et *regimen.* Potest ea tamen commode revocari ad potestatem *ordinis,* quae potestate sacerdotali continetur, et ad potestatem *jurisdictionis*, quae potestatem regendi docendique complectitur. Cum autem **5.** jus canonicum in potestate Ecclesiae *regia* declaranda ex professo versetur, de potestate vero *sacerdotali* disseramus in tractatu *de sacramentis*, hic tantum agemus de *potestate docendi*, quae est triplex: est enim Ecclesia veritatis revelatae *testis* et *magistra* et obortis controversiis *judex;* in quo triplici munere obeundo Ecclesiae vindicamus *infallibilitatem*, de qua quatuor quaeremus: *factum, subjectum, objectum, naturam.*

A. Ecclesiae infallibilitas.

227. **Thesis XXXI.** ***Ecclesia Christo auctore praedita est auctoritate docendi eaque infallibili.***

Demonstratio p. I. Ecclesiae competere docendi jus et officium seu authenticum magisterium clarissime colligitur **1.** ex dictis de *medio divinitus selecto* ad propagandam doctrinam revelatam th. XV., deque Ecclesiae fine th. XXV.; **2.** ex agendi ratione apostolorum, qui ubique in docendo et praecipiendo auctoritatem sibi vindicant legatorum Christi Rom. 10, 15; 15, 18; 1. Cor. 1, 17., ubi Paulus scribit: *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare;* 2. Cor. 3, 6.; 5, 20; 1. Tim. 1, 11. etc.; miraculis fidem sibi conciliant Marc. 16, 20.; 1. Cor. 2, 4.; 2. Cor. 12, 12.; fidem atque obedientiam exigunt Rom. 16, 17.; Gal. 1. 6—9.; 2. Tim. 1, 13., 2. Cor. 10, 4: *Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo* (efficacia per Deum) *ad destructionem munitionum* (adversariorum), *consilia* (machinationes hostiles) *destruentes, et omnem altitudinem* (altam ac superbam scientiam et magniloquentiam) *extollentem se adversus scientiam Dei, et* (iisdem armis) *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam.* Quam agendi rationem Ecclesia quovis seculo est imitata. Colligitur **3.** ex ipsa *fidei natura*, sine qua nemo est christianus; *fides* enim *ex auditu, auditus autem per verbum Christi* idque praedicatum a legatis authentice missis (Rom. 10, 13. ss.). Colligitur **4.** ex ipsa humani generis indigentia, quod seclusa immediata revelatione singulis facta par non est assequendae tuto veritati, nisi via auctoritatis (cf. n. 9. et 104.).

228. Colligitur **5.** ex necessitate conservandae unitatis fidei, quae citra authenticum vivumque magisterium conservari nequit, seu ex necessitate *judicis controversiarum.* Nam **a.** attentis hominum indole, rationis humanae infirmitate, fidei difficultate atque obscuritate s. Scripturae. fieri non poterit, quin saepe oboriantur controversiae de revelationis ambitu, sensu etc., quod etiam revera contigisse historia dogmatum evidenter ostendit. Quare **b.** institutus sit oportet aliquis harum controversiarum judex, ne revelationis fructus pereat, et ne minus Ecclesiae sit provisum, quam cuilibet societati mere humanae. Hic autem **c.** judex, ut tanti muneri sit par, visibilis et quem omnes facile adire possint, tantaque auctoritate praeditus esse debet, ut *tuto* ejus judicium sequi possimus in re tanti momenti, qualis est fides, atque merito extorquere possit litigantium assensum. Talis judex **d.** non est *ratio singulorum,* ut per se patet (2. Petr. 1, 20.); neque ipse *populus* christianus: neque *princeps* societatis civilis, cum hic infidelis.

haereticus, schismaticus esse possit, et Ecclesia diffusa sit per plurimas regiones; neque **e.** Deus controversias *immediata* dirimit *revelatione* (cf. th. XXIX.). Quapropter orta quaestione de legis mosaicae observatione in ipsis Ecclesiae exordiis fideles non recurrerunt ad spiritum internum, licet tunc Spiritus sancti charismata abundanter diffunderentur, sed ad ministerium divinitus institutum (Act. 15.). Neque **f.** iste judex est ipsa *s. Scriptura,* ut patet ex dictis n. 106. s. et 166. Quare vel nullus erit controversiarum judex, quod absurdum, vel vivum authenticumque Ecclesiae ministerium judicis munere et auctoritate potitur. Quae illatio confirmatur inductione plane universali, cum nulla sit societas, in qua non sit authentica judicandi potestas de controversiis obortis, tum sensu theoretico et practico totius antiquitatis, cum controversiae de fide semper authentice dirimerentur coactis pastorum conciliis, vel consentiente episcoporum magisterio, vel sententia principis pastorum i. e. romani pontificis.

229. **Corollaria. 1.** Huic docendi juri, officio et auctoritati innititur etiam jus, officium et auctoritas doctrinas a revelatione divina dissonas proscribendi et damnandi: ex quo consequitur fidelium officium Ecclesiam audiendi non solum cum docet, quid credendum sit, verum etiam cum pro munere suo decernit, quid sit respuendum[1]). **2.** Merito damnavit Pius IX. plures propositiones[2]) *syllabi,* quibus pastorum Ecclesiae instructiones subjiciuntur censurae auctoritatis civilis, totumque scholarum publicarum regimen eidem asseritur. Omnia enim, quae ad homines, quatenus sunt cives, spectant, disponi dirigique ita debent, ut ordinentur in ejus ultimum finem, vel saltem ut hujus assecutionem non impediant. Ultimus autem finis hominum est salus aeterna per fidem et bona opera in Ecclesia obtinenda. Ergo publica institutio talis esse debet ex *jure* vel *naturali* et sana ratione, ut saltem non adversetur fidei ad salutem necessariae. Atqui omne judicium de fide deque doctrina ei contraria spectat ad Ecclesiam. Quapropter Ec-

[1]) *Sed licet nos, aut angelus de coelo evangelizet vobis praeter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit* Gal. 1, 8; *Rogavi te, ut remaneres Ephesi . . . ut denuntiares quibusdam, ne aliter docerent* 1. Tim. 1, 3; *Ex quibus* (qui naufragaverunt circa fidem) *est Hymenaeus et Alexander, quos tradidi satanae, ut discant non blasphemare* v. 20; 2. ep. 2, 25; Tit. 1, 13; 3. 10.

[2]) Prop. 44. „Civilis auctoritas potest se immiscere rebus, quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.“ Prop. 45. „Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianae alicujus reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicunque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.“ Cf. etiam prop. 46—48.

clesiae vindicanda est auctoritas ad directionem scholarum, quantum ipse finis Ecclesiae postulat, adeoque asserendum est ei jus et officium prospiciendi fidei et moribus christianis juventutis catholicae ideoque cavendi, ne pretiosa haec bona per ipsam institutionem in scholis corrumpantur.

230. Sequitur **3.** Ecclesiam pollere jure, officio et auctoritate proscribendi, damnandi, *prohibendi libros doctrinae revelatae contrarios* et animarum bono spirituali perniciosos. Absurde enim affirmaretur, doctrinam ore prolatam Ecclesiae judicio subesse, subtrahi vero, si literis consignetur: ac posse quidem Ecclesiam prohibere haeresum auditionem, minime vero *lectionem.* Quid quod quaelibet societas civilis jus hoc sibi vindicet proscribendi quidquid literis consignatum bono communi sit noxium rigidissimeque illud subinde exerceat? Asserendum proinde etiam est societati ecclesiasticae. Quapropter jam primis rei christianae seculis Ecclesia hoc jus sibi vindicavit, et quidem innixa exemplo Pauli, qui ingentem librorum perniciosorum copiam publice combustam voluit (Act. 19, 19.). Quare plane pueriles sunt clamores toties adversus congregationem *Indicis* excitati[1]).

231. **Demonstratio p. II.** *Duplex* distingui solet Ecclesiae *infallibilitas*; *activa,* quae est praerogativa testandi, docendi, judicandi in rebus fidei absque erroris periculo; et *passiva,* quae est immunitas ab errore in credendo. Illam vindicabimus magisterio ecclesiastico, haec vero sponte sua ex activa redundat in fidelium coetum ab ore magisterii ecclesiastici pendentem. Probatur autem Ecclesiae in docendo infallibilitas[2]) **1.** per modum corollarii tum ex Ecclesiae *indefectibilitate* th. XXII., nam „excideret Ecclesia Christi a sua immutabilitate et dignitate et desineret esse societas vitae ac necessarium salutis medium, si eadem a salutari fidei morumque veritate aberrare ac in ea praedicanda atque in ea exponenda falli vel fallere posset“[3]); tum ex

---

[1]) Cum jure docendi, proscribendi doctrinas perniciosas, damnandi libros noxios, verbo procurandi ovibus Christi sanguine redemptis pascua sana, cohaeret etiam *jus exigendi, ne libri saltem theologici citra authentici magisterii approbationem in lucem edantur.* Nam **a.** quaelibet societas malum grave prudenti quadam vigilantia potest praecavere. Et profecto **b.** Ecclesiae est approbare concionatores aliosque, qui fideles publice res fidei doceant, cum omne magisterium fidei sit ipsi concreditum. Quare cum etiam scriptores doceant, Ecclesia jure pollebit approbandi horum libros, si de fide agant. Cui jure **c.** eo promptius horum librorum scriptores se subjicere tenentur, quod vel sint ipsius Ecclesiae ministri vel sint laici, ac propterea ad docendum non vocati et persaepe minus apti. Hinc explicatur laudabilis illa scriptorum catholicorum praxis subjiciendi judicio Ecclesiae sedisque apostolicae scripta sua.

[2]) *Expresse* hanc praerogativam enunciat seu tamquam indubiam proponit conc. vaticanum sess. 4. cap. 4., in quo definit rom. pontificem ea pollere infallibilitate, *qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit.*

[3]) Ita schema constit. dog. *de Ecclesia Christi* pro con. vatic. paratum c. 9.

Ecclesiae *fine* th. XXVI., a quo deficeret, quam primum Christi doctrinam non amplius proponeret.

232. Probatur 2. ex disertis Christi effatis Matth. 16, 18: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam;* 28, 19: *Docete omnes gentes . . . et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi;* Joan. 14, 16: *Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis;* v. 26: *Ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis;* 16, 12: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quare solemniter declarat Matth. 18, 17: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* „Non debet ergo credi, quaerit merito Petrus cluniac. *adv. Petrobrussianos,* (in *bibl. cluniac.* p. 1133.) testimoniis Ecclesiae, cum qua Spiritus sanctus inseparabiliter permanet non heic tantum, sed in aeternum? Non debet credi testimoniis Ecclesiae, quae unum cum Patre et Filio est, sicut Pater in Filio et Filius in Patre? Cui eam claritatem Filius Dei dedit, quam a Patre accepit (Joan. 17, 22.)? Quomodo ergo potuit plus quam per mille annos et falli et fallere Ecclesia, *cum qua verax Pater, cum qua Veritas Filius, cum qua Veritatis Spiritus mansit?*“ Probatur 3. ex verbis s. Pauli (1. Tim. 3, 15.), qui Ecclesiam vocat *columnam et firmamentum veritatis,* quo titulo Ecclesia insigniri non posset, si vel semel proderet veritatem.

233. Praeterea 4. tenenter fideles, nisi salute excidere et anathema incurrere velint, Ecclesiae docenti credere (Marc. 16, 16.) tam firmo assensu, ut etiamsi angelus de coelo aliter doceat, non liceat dissentire (Gal. 1, 8.). Atqui injustum plane est rationisque indoli omnino contrarium tam firmum postulare assensum, si Ecclesiae magisterium non sit super omne dubium positum: ejusmodi non erit, si non omne errandi periculum ab eo sit exclusum per infallibilitatis praerogativam. Eadem veritas 5. colligitur ex *fine* instituti ecclesiastici magisterii, qui est, ut homines *tuto* i. e. assensu *omne dubium* excludente credere et dissipatis omnibus dubiis compositisque authentice omnibus controversiis in *unitatem fidei* possint conspirare. Atqui negata magisterii ecclesiastici infallibilitate jam nec *tuto* nec *inconcusse* fideles omnes, docti et indocti, credere, nec in unitatem fidei *immotam* conspirare possunt: quia semper vel saltem saepe oriri posset dubium, ne forte Ecclesia aliquo in dogmate definiendo erraverit: praesertim si virorum doctorum auctoritas vel rationis obstarent argumenta. Quare ut hunc obtineat finem, ecclesiastici magisterii auctoritas *supra omne dubium*

posita i. e. *infallibilis* esse debet, quod ad evidentiam usque confirmatur atque illustratur historia omnium sectarum, protestantium praesertim, qui magisterii ecclesiastici infallibilitatem negarunt; qua rejecta non habent quo consistant, perpetuo fidem mutant atque in fragmenta innumera dissipantur[1]). Necesse vero **6.** non est veritatem hanc ex sentiendi ratione totius antiquitatis theoretica et practica comprobare. Semper enim quaevis doctrina, quamvis speciosis rationibus niteretur, eo ipso falsa judicabatur, quod dissona esset a praedicatione magisterii ecclesiastici (cf. n. 110. 121.). Credebatur ergo haec supra omne dubium et examen posita, ideoque infallibilis. Hinc illa Hieronymi verba in *dial. adv. luciferianos* n. 28: „Poteram omnes propositionum (adversariorum) rivulos *uno Ecclesiae sole* siccare[2]).“

B. De infallibilitatis subjecto.

234. **Thesis XXXII.** ***Dilata interim quaestione de romani pontificis infallibilitate, subjectum hujus praerogativae est magisterium apostolicum divinitus institutum, quod constat ex episcopis sive per orbem dispersis sive in concilium oecumenicum congregatis.***

Demonstratio p. I. Episcoporum ordinem seu coetum subjectum esse tantae praerogativae probatur **1.** hac ratione: Illi habendi sunt heredes dotis hujus apostolis factae, qui sunt eorum successores legitimi in munere praesertim docendi. Atqui totius antiquitatis consensu episcopi primo veluti gradu proprioque jure apostolorum successores sunt in munere fideles pascendi. Hinc Hieronymus in *Ps. 44, 17.*

---

1) Hinc desperatione acti plures e protestantibus *novam* exspectant *Ecclesiam* vel oeconomiam (Zukunftskirche); vel *novum* praestolantur *Spiritus sancti adventum* et effusionem, illamque precibus hunc in finem fusis accelerare nituntur. Alii omni spe destituti ut unicum solatium regnum *chiliasticum* opperiuntur vel in purum putum rationalismum incidunt.

2) Posset haec veritas haud inepte erui ex 2. Petr. 1, 20: *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia* (i. e. expositio) *Scripturae propria interpretatione non fit.* Quare? *non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu s. inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Significatur ergo clare *eodem Spiritu* faciendam esse interpretationem prophetiae (idem dicatur generatim de *revelatione*), quo prolata fuit; hic vero Spiritus interpretationis non communicatur *singulis*, ut patet experientia, verum promissus fuit *Ecclesiae* seu *ecclesiastico magisterio* (Joan. 14, 16. 26; 16, 13.). Ergo authentica Scripturae seu revelationis expositio fit ab Ecclesia non *humana auctoritate*, sed *per Spiritum s.; nequit* proinde esse *erronea*, sicut nec ipsa revelatio ab ipso profecta. Absurdum proinde est **1.** illud novatorum *postulatum*, quo, supponentes Ecclesiae doctrinam immaculatam mansisse usque ad sec. III. vel IV. deinde obfuscari coepisse, exigunt, ut omnis de fide controversia ex primorum seculorum doctrina dirimatur. Cf. *opusc.* IX, 241. **2.** Quaelibet doctrina, quae dissidet a doctrina Ecclesiae, absque ulla alia demonstratione haberi debet falsa et erronea, proinde cavenda.

scribit: „Fuerunt, o Ecclesia, apostoli patres tui! quia ipsi te genuerunt; nunc autem, quia illi recesserunt a mundo, habes pro his episcopos filios.“ Ad haec 2. si non solis episcopis, sed etiam presbyteris competeret in docendo authentia, jus haberent sedendi in conciliis, in quibus dirimuntur controversiae fidei. Atqui presbyteri, licet subinde admitterentur ad concilia, non admittebantur quasi jure fruerentur in eis sedendi, sed tantum ex privilegio vel ex causa speciali. Quo factum est, ut innumera concilia celebrata sint, quibus nullus presbyter interesset. „Nusquam, docet conc. oecumenicum VIII. c. 17., sacri canones statuunt, ut ad synodos principes seculares veniant, *sed soli episcopi.*“ (Hard. coll. conc. 5, 1103.). Quod si presbyteri subscribebant decretis, subscribebant vel nomine episcoporum, quorum vices gerebant, vel ut a se haeresis suspicionem amoverent, vel ut suum consensum testarentur.

235. **Declaratio p. II.** Forma concilii oecumenici eo continetur, ut in ipso et per ipsum Christi Ecclesia *juridice repraesentetur,* est enim concilium oecumenicum quaedam docentis Ecclesiae Christi anacephalaeosis seu recapitulatio. Ad illud vero requiritur **1.** ex *parte romani pontificis* **a.** ut ab eodem vel saltem eo annuente *convocetur:* **b.** ut ipse per se vel suos legatos eidem *praesideat;* **c.** ut illud *confirmet,* quae est conditio praecipua ex parte romani pontificis; de quo triplici jure infra disputabimus. Ex parte *membrorum* **2.** requiritur, ut convocentur *episcopi* et quidem de cunctis provinciis, ipsi enim tantum jure suo sedent in concilio tamquam judices, nullum vero jus sedendi habent laici, imo nec sacerdotes secundi ordinis, quamvis nonnullis ex his summus pontifex locum et suffragium in concilio concedere possit. Quod vero *numerum* episcoporum spectat, nil certi statui potest. Id tantum affirmare licet, tot requiri episcopos, ut de eorum synodo dici possit, eam repraesentare Ecclesiam. Ad hoc autem, ut ex gestis conciliorum liquet, non requiritur **a.** ut quotquot sunt episcopi, omnes intersint, alioquin nunquam posset concilium congregari, unusque sufficeret ad illud impediendum; neque tamen **b.** sufficit numerus quilibet ut decem vel viginti episcoporum; sed tunc **c.** ratione numeri ex Ecclesiae consuetudine censeri potest concilium universale, si convocatio sit generalis, ita ut in praecipuis Ecclesiae partibus innotescat; ut nullus episcopus verus, qui jurisdictionem episcopalem habeat, excludatur; si ex remotioribus partibus saltem aliqui, ex vicinioribus vero plures adsint.

236. **Demonstratio p. II.** Concilia oecumenica esse infallibilia iisdem argumentis demonstratur, quibus Ecclesiae probatur infallibilitas. Sane vel nunquam Ecclesia est infallibilis, vel certe tunc est, cum quam potest solemnissime docet. Atqui hoc contingit in concilio oecumenico. Ergo tunc maxime infallibilitatis praerogativa in docendo gaudet Ecclesia. Quae illatio confirmatur persuasione *theoretica* et *practica* antiquitatis, quae perpetuo censuit conciliorum oecumenicorum definitiones esse ultima Ecclesiae judicia, responsa divina, idcirco irreformabilia, pro quorum defensione mala omnia, mors ipsa, sint tole-

randa, quaeque citra haeresim salutisque periculum negare vel in dubium vocare non liceat. Haec vero conciliari nequeunt cum judicio errori obnoxio. Quam veritatem confirmat s. Leo epist. 162. *ad Leonem Augustum* al. 78. n. 2. 3., ubi statuit, „non esse omnino inter catholicos computandos, qui definitiones venerabilis synodi nicaenae vel sancti chalcedonensis concilii regulas non sequuntur.“ Ita Simplicius ep. 4. al. 7. *ad presb. et archimandritas CP.* n. 1. de conc. chalcedonensi: „Quod quisquis desiderat retractari, in numero fidelium se pronunciat non haberi.“

237. **Demonstratio p. III.** Verum non solum episcopi in concilium oecumenicum collecti, sed etiam per orbem dispersi, si unanimiter aliquid in rebus fidei docent et praedicant, infallibilitatis praerogativa sunt praediti. Patet tum ex *promissionibus Christi* (n. 232.), quae pastorum coetui competunt praecisione facta ab eorum congregatione vel dispersione locali; tum *ex persuasione antiquitatis*, quae eas doctrinas censuit haereticas, quae ab unanimi praedicatione pastorum dissentirent, licet hi per orbem essent dispersi (n. 108. 121.). Hinc absque conciliis oecumenicis quamplurimae haereses exstinctae fuere sola unanimi episcoporum conspiratione [1]). Patet **3.** ex *absurdis*, quae ex negata hac veritate sequerentur, scil. episcoporum ordinem fere nunquam frui in docendo infallibilitate, cum rara admodum sint concilia oecumenica; hanc praerogativam plurimum pendere vel a conditione temporum vel a principum arbitrio, qui episcoporum conventum impedire possunt et revera saepe impedierunt.

238. **Scholion.** Conciliorum infallibilitas est plane independens a *consensu* et *acceptatione subsequenti Ecclesiae*. Quam conditionem idcirco excogitarunt janseniani horumque asseclae, ut facilius eluderent decretorum auctoritatem. Eam vero esse plane rejiciendam damnandamque patet **1.** quia

---

[1]) Cf. Thomassinus diss. 4. *de concil.*, qui ex plurimis effatis patrum, ut Tertulliani, Cypriani, Irenaei, Paciani, Hieronymi, Augustini etc. ostendit, ad haereses damnandas sufficere et suffecisse episcoporum per orbem dispersorum consensum. Notanda praesertim sunt Augustini verba ex. l. 4. ad Bonifacium *contra duas epist. Pelag.* c. ultimo: „Aut vero congregatione synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? quasi nulla haeresis aliquando nisi synodi congregatione damnata sit. Cum potius rarissimae inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit, multoque sint atque incomparabiliter plures, quae ubi exstiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per ceteras terras devitandae innotescere potuerunt. Verum istorum (pelagianorum) superbia, quae tantum se extollit adversus Deum, ut non in illo velit, sed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis et Occidentis synodus congregetur. Orbem quippe catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur.

innititur *immani errori* de potestate ecclesiastica a Christo immediate concessa fidelium coetui, e quo in Ecclesiae ministros derivetur; quia **2.** accedit ad protestantium errorem omnis verae Ecclesiae subversivum de *jure examinis privati;* quia **3.** adversatur *verbis Christi,* qui infallibilitatis praerogativam independenter a fidelium coetu *immediate* concessit apostolis eorumque in docendi munere successoribus; quia **4.** subvertit Ecclesiae constitutionem ordinemque, cum Ecclesiam discentem i. e. discipulos, fideles, oves Ecclesiae docentis i. e. magistrorum et pastorum constituat censores; quia **5.** pugnat cum perpetua ratione agendi Ecclesiae, quae a primo concilio (Act. 15, 6. ss.) decretis vim inesse credidit obligandi ante quamcunque fidelium acceptationem et confirmationem. Hinc Paulus, cum perambularet Syriam et Ciliciam aliasque civitates confirmans ecclesias, non exploravit eorum consensum in apostolorum seniorumque dogmata, sed praecepit et tradidit *eis custodire dogmata, quae erant decreta ab apostolis et senioribus, qui erant Jerosolymis,* Act. 15, 41; 16, 4. Quia **6.** evertit omnem conciliorum oecumenicorum ipsiusque infallibilitatis utilitatem, nam semper manebit dubium, qualis quantusque requiratur fidelium consensus, quamdiu sit exspectandum, ut satis innotescat, qua ratione innotescere debeat etc.

C. De infallibilitatis objecto.

239. **Thesis XXXIII.** ***Infallibilitas magisterii ecclesiastici non ad ea tantum restringitur, quae divina revelatione continentur, sed ad alias etiam veritates extenditur, quae necessario requiruntur, ut revelationis depositum integrum custodiatur; in primis vero ad facta, quae dogmatica, et ad textus humanae originis, qui dogmatici dici solent.***

Demonstratio p. I. Extensio seu objectum infallibilitatis colligi debet tum ex *verbis,* quibus Christus hanc praerogativam contulit, tum ex *fine,* quem in ea conferenda intendit. Atqui tam ex illis quam ex hoc eruitur, infallibilitatis objectum non minus patere, quam ipsa patet revelatio christiana. Promittit enim Christus Joan. 14, 16. col. 16, 13. Spiritum s., qui ducat Ecclesiam in *omnem veritatem* a se ex voluntate Patris hominibus manifestandam; promittit assistentiam suam omnibus diebus usque ad consummationem seculi magisterio ecclesiastico docenti *quaecunque* ipse *mandavit* (Matth. 28, 20.), et praedicanti *Evangelium* qua late patet (Marc. 16, 15.). Finis vero ecclesiastici magisterii est, totum revelationis depositum conservare, promulgare atque omnes circa illud obortas controversias peremptorie dirimere, ut omnes occurrant in unitatem fidei, nec circa Christi Evangelium omni vento doctrinae circumferantur (Eph. 4, 13.).

240. Hinc per modum *corollarii* sequitur **1.** Ecclesiam esse infallibilem in agnoscendis, recensendis exponendisque libris divinitus inspiratis aliisque revelationis i. e. traditionis divinae fontibus. Omnis enim error circa revelationis divinae fontes sive canales foret error capitalis circa ipsum revelationis depositum. **2.** Ecclesiam esse infallibilem in proponendis

enarrandisque symbolis et canonibus dogmaticis; hisce enim docet fideles, quid revelatum et proinde quid credendum sit, iisque consulit unitati fidei. 3. Ecclesiam esse infallibilem in explicandis praeceptis moralibus et consiliis evangelicis, cum haec quoque divina contineantur revelatione.

241. **Demonstratio p. II.** Erroneum plane est affirmare, Ecclesiae infallibilitatem se ad ea *tantum* porrigere, quae *immediate* et *directe* divina continentur revelatione. Tenendum enim omnino est, eam *secundo gradu* et *mediate* ad ea omnia quoque referri, sine quibus revelationis depositum incolume et fides integra servari nequit. Quod videtur **1**. per se satis evidens, nisi hanc praerogativam frustra Ecclesiae collatam dicere velimus. Dein **2.** certum id esse debet ex *persuasione practica Ecclesiae*, quae sibi jus potestatemque vindicavit decernendi etiam de iis, quae immediate et directe revelatione non continentur, et quidem judicio *peremptorio*, dubium nullum *deliberatum* permittente, consequenter *infallibili*, ut patet ex judiciis contra jansenianos editis et ex conc. constantiensis judicio sess. VIII. et XV. de doctrina articulis Wicleffi et Huss collatis art. 6. s., de quibus ex Martini praescripto interrogandi sunt ii, qui horum errorum sunt suspecti. Quare **3.** damnata est propositio 22. *syllabi:* „Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur [1]."

242. Idem **4.** exigit ipse revelationis divinae et ecclesiastici magisterii finis. Neque enim veritates revelatae sunt semina mortua, sed vera principia, semina fecunda, quae gradatim sub directione s. Spiritus mediante magisterio ecclesiastico, cooperante rationis lumine, totam vitam intellectualem et moralem fermenti instar (Matth. 13, 33.) pervadere et fermentare debent; easque Ecclesia custodire debet, ne ullis inficiantur vel obfuscentur erroribus, sicut et fideles ab erroribus fidei subversivis praeservare. Quod fieri nequit, ut par est, nisi Ecclesiae infallibilitas ultra proprie dictae revelationis porrigatur depositum seque extendat quoque **a.** ad dijudicandos *errores,* qui revelationi adversantur; **b.** ad *conclusiones,* quae veritates revelatas consequuntur et in quibus magnus revelationis fructus a Deo intentus consistit; **c.** ad *re-*

---

[1] Quare Pius IX. lit. encycl. *Quanta cura* 8. Dec. 1864., quibus annexus fuit syllabus: „Silentio praeterire non possumus, inquit, eorum audaciam, qui sanam doctrinam non sustinentes contendunt: illis apostolicae sedis judiciis et decretis, quorum objectum ad bonum generale Ecclesiae ejusdemque jura ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingant, posse assensum et obedientiam detrectari absque peccato et absque ulla catholicae professionis jactura."

ritates, quibus negatis vel in dubium vocatis ipsa revelatio nutat; **d.** ad *relationem* inter doctrinam aliquam sive mores et revelationem, quae normae instar divinitus nobis est data, ut secundum eam vitam omnem instituamus.

234. Quare **1.** ipsa philosophia non penitus subtracta censeri debet magisterio Ecclesiae infallibili; quocirca damnavit Pius IX. *syllabi* prop. 11: »Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum debet ipsius philosophiae tolerare errores eique relinquere, ut ipsa se corrigat.« Concilium vero vatican. sess. 3. cap. 4. *de fide et rat.* statuit: »Porro Ecclesia, quae una cum apostolico munere docendi mandatum accepit fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam (Coloss. 2. 8.). Quapropter omnes christiani fideles hujusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tamquam legitimas scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem prae se ferant, habere tenentur omnino.« Imo can. 2. definit: »Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tamquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint, A. S.«

244. Nequit **2.** Ecclesia sancire generalem quandam disciplinam omnesque obligantem, quae vel fidei adversetur vel bonis moribus vel in grave religionis detrimentum cedat; et hoc sensu *infallibilis* dici debet *in sanciendа aliqua disciplina,* non vero eo sensu, quasi nonnisi eam semper disciplinam statuere possit, quae omnibus expensis prae ceteris optima quoque sit magisque opportuna. »Ecclesia, inquit ad rem Augustinus ad *Januarium epist. 55.* n. 35., quae sunt contra fidem aut bonam vitam, nec approbat, nec tacet, nec facit.« Et *epist. 54.* n. 6. statuit: »Si quid totum per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare insolentissimae insaniae est.« Idcirco a Pio VI. declaratur prop. 78. synodi pistoriensis »quatenus pro generalitate verborum comprehendat et praescripto examini subjiciat etiam disciplinam ab Ecclesia constitutam et probatam, quasi Ecclesia, quae Spiritu Dei regitur, disciplinam constituere posset non solum inutilem et onerosiorem, quam libertas christiana patiatur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem et materialismum, *falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, piarum aurium offensiva, Ecclesiae ac Spiritui Dei, quo ipsa regitur, injuriosa, ad minus erronea.*"

245. Tenendum est **3.** cum Suarez tom. 3. l. 2. c. 17. *de Relig.* Ecclesiam errare non posse in *approbatione religionis* seu ordinis religiosi quoad judicium de honestate ac sufficientia talis modi vivendi, ut est status perfectionis acquirendae seu religionis. Tenendum est **4.** Ecclesiam in solemni sanctorum canonizatione esse infallibilem, quam propositionem innumeri theologi tuentur apud Benedictum XIV. *de beat. et canoniz. servorum Dei* l. 1. c. 43. s. Et sane *canonizatio* non est nisi publicum Ecclesiae testimonium atque judicium de alicujus hominis defuncti sanctitate ac gloria, quo quidem ille tamquam patronus et exemplar christianae virtutis et sanctitatis proponitur, fideles vero admonentur ac quandoque obligantur, ut illum colant atque imitentur. Atqui pugnat cum providentia

supernaturali, quam Christus caput et sponsus Ecclesiae corpori sponsaeque suae debet, ut permittat, eam colendum imitandumque proponere damnatum, Christi inimicum daemonisque servum.

246. **Demonstratio p. III.** *Facta dogmatica* ea vocantur, quae quamvis non sint revelata, ita tamen cum revelatione connectuntur, ut in dubium vocari nequeant, quin ipsa veritas revelata periclitetur. Ejusmodi sunt e. g. concilia nicaenum, ephesinum, tridentinum etc. fuisse legitima; Pium IX., Leonem XIII. etc. legitime fuisse electos ac proinde legitimos Petri in episcopatu romano successores. Sane fac quidpiam horum in dubium vocetur, illico consequetur editas definitiones in conciliis esse incertas, incertum esse centrum unitatis catholicae, scil. consequetur ipsius fidei excidium revelationisque pernicies. De ejusmodi factis judicium Ecclesiae *infallibile* esse statuimus. De his enim factis moveri possunt dubia plus minusve gravia, possuntque esse inter fideles controversiae. Cum autem hisce factis ita sint implexae veritates revelatae, ut illis nutantibus hae ipsae nequeant consistere, revelationis depositum unitasque fidei sarta tectaque servari non poterit, nisi Ecclesia judicio supra omne dubium posito, proindeque infallibili de hisce controversiis et adeo de ipsis factis dogmaticis judicare possit. Quare in illis dijudicandis infallibilis est censenda.

247. **Demonstratio p. IV.** Nomine *textus dogmatici* humanae originis intelligitur scriptum ab homine citra divinam inspirationem compositum, quod de dogmate agat. Cum statuitur Ecclesia in illo dijudicando infallibilis, etiam quando illud damnat in sensu ab auctore intento, sermo non est de sensu auctoris *subjectivo,* qui in ejus animo reconditus est, sed de sensu *objectivo,* quem verba vi contextus secundum regulas legitimae interpretationis exprimunt, quique merito supponitur ab auctore intentus: nam quilibet supponitur id velle significare, quod verba prolata significant. Rem habemus hic cum *jansenianis,* qui ultro quidem concedunt, Ecclesiam esse infallibilem in dijudicanda veritate revelata et errore huic opposito, sed singulari pertinacia negant, eam esse infallibilem, dum judicat Jansenium in suo l. *Augustinus* doctrinam docere haereticam, cum id non sit revelatum, Ecclesia autem infallibilis sit tantum circa revelationis depositum.

248. Assertum nostrum probatur **1.** ex verissimo theoremate, Ecclesiam esse infallibilem in declaranda *Vulgatae authentia,* in enarrandis symbolis et conciliorum canonibus dogmaticis aliisque divinae traditionis monumentis (n. 240.). Atqui tam versio vulgata, quatenus est versio, quam symbola, et canones qua tales sunt textus dogmatici humanae originis. **2.** Si quod defendimus negetur, nullus erit controversiarum finis, ut ad evidentiam usque patet ex ipsa jansenismi

historia. Semper enim patebit haereticis effugium, errorem nescio quem fuisse quidem damnatum, sed non doctrinam suam, doctrinam hujus libri etc., eo quod Ecclesia eam non intellexerit. **3.** Ecclesia non solum infallibilis est in dijudicanda doctrina revelata, verum etiam in dijudicando eo, quod illi conforme est vel contrarium. Atqui quaelibet tandem haeresis sive ore prolata sive literis consignata revocari potest ad textum dogmaticum: neque enim concipi potest haeresis, quae non aliqua propositione humana contineatur. Nisi ergo de hac infallibiliter posset judicare Ecclesia, nunquam de aliqua haeresi in concreto authenticum ei liceret proferre judicium.

249. Quod pleniorem infallibilitatis notionem (n. 226.) attinet, advertatur, eam non proficisci ex s. Spiritus inspiratione, sed ex ejusdem assistentia qua non permittit Ecclesiam errare sive in usu mediorum ad veritatem revelatam investigandam, sive in eadem proponenda. Neque ea praerogativa excludit in veritate inquirenda et judiciis ferendis hominum diligentiam et cooperationem, ut ex Act. 15, 6. s. probatur. Quapropter concilia oecumenica, quamvis absolute necessaria non sint ad infallibilitatis exercitium, admodum tamen sunt utilia, cum agitur vel de doctrina catholica statuenda vel damnandis haereticis vel de sanciendis decretis. Nam libentius a fidelibus iisque, quorum fides nutat, decreta accipiuntur, quae ab adeo conspicuo et numeroso pastorum coetu prodeunt vel confirmantur; facilius etiam partes dissidentes ad concordiam revocantur; episcopi alacrius exsequuntur decreta, quae ipsi cum aliis condiderunt; mutua collatione se instruunt, caritatem unionemque fovent, viribus unitis in haereses debellandas exstinguendaque schismata conspirant collatisque consiliis bono communi Ecclesiae melius prospiciunt. Nunquam tamen decreta concilii certo oecumenici in dubium vocare licet sub praetextu, adhibitam non fuisse sufficientem in iis condendis diligentiam.

Caput III.

De proprietatibus Ecclesiae.

250. Demonstrata Ecclesiae *exsistentia* atque exposita ejus *natura* et constitutione, inquirendum est, *qualem* Christus suam esse voluerit Ecclesiam, seu quaenam sint ejus *proprietates,* quae sponte sua Ecclesiae constitutionem atque finem consequantur. *Quatuor* prae primis recenseri solent, quae sunt: *unitas, catholicitas, apostolicitas* et *sanctitas.* Jam de his singillatim agemus.

Articulus I.

De unitate Ecclesiae.

251. **Thesis XXXIV.** ***Ecclesia Christi non solum numero una, sed etiam in se una est.***

Demonstratio p. I. Ecclesiam *unicam* esse demonstratione vix eget; nam **1.** Christus et apostoli de Ecclesia tamquam de *unica* lo-

quuntur[1]); 2. patres eam passim exhibent veluti *unicam salutis arcam* et *unicam Christi* Sponsi *sponsam;* 3. ea Christi est *corpus.*

252. **Demonstratio p. II.** Ecclesiam unam esse *in se* colligitur ex appellationibus *regni, ovilis, civitatis, corporis;* tum ex Joan. 10, 16: *Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient; et fiet unum ovile et unus pastor;* 11. 51: *Cum esset* (Caiphas) *pontifex anni illius, prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente. Et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.*

253. Inquirentes vero accuratius in hanc Ecclesiae unitatem affirmamus, Ecclesiam unam esse debere **1.** *unitate fidei,* quod probatur **a.** ex Eph. 4, 5: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Ad haec **b.** Paulus sicut passim hortatur ad hanc fidei unitatem, ita ab eadem dissidentes damnat[2]). Qua in re Ecclesia nunquam eum non est imitata sive solemnibus fidei definitionibus ac fidei professionibus ejusdem unitati consulens, sive a fide Ecclesiae dissentientes excludens, ut patet ex haeresiologia. Insuper **c.** inter revelationem Christi et Ecclesiam is exsistit habitus, qui inter doctrinam *objective* et *subjective* spectatam, inter doctrinam et coetum, qui illius virtute colligitur, constituitur et velut informatur; nam Ecclesia est coetus ille, qui Christi doctrinam profitetur. Doctrina autem Christi est una, eaque subjectiva redditur atque in Ecclesia transfunditur per fidem; ergo fides quoque Ecclesiae ad illam expressa una pariter esse debebit.

254. Ad hanc fidei unitatem requiritur: **a.** una fides *objective* spectata seu una doctrina quae omnibus credenda proponatur; **b.** ut haec fides objectiva fiat *subjectiva* per actum fidei sive explicitae sive implicitae, qui innitatur eidem motivo formali, quod est auctoritas Dei loquentis, eidemque principio determinanti professionem communem, quod est auctoritas Ecclesiae revelationem divinam promulgantis et proponentis. Nullatenus vero **c.** requiritur, ut singula Ecclesiae membra singulas revelatas veritates actu fidei explicitae attingant (cf. n. 137.); dummodo **d.** consulto nullam negent, potiores explicite credant, reliquas implicite, paratique sint si opus fuerit eas etiam explicite credere. Requiritur praeterea **e.** *principium idoneum* tum ad hanc unitatem fidei efficiendam et fovendam, tum ad eam sartam tectamque, si dissidia oriantur, conservandam.

---

[1]) Matth. 16, 18: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam;* Joan. 10, 16: *Et fiet unum ovile et unus pastor;* Eph. 5, 23: *Christus caput est Ecclesiae, ipse salvator corporis ejus.*

[2]) Phil. 2, 2: *Unanimes, idipsum sentientes;* Rom. 12, 16: *Idipsum invicem sentientes;* Gal. 1, 7: *Quod (Evangelium) non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant et volunt convertere Evangelium Christi. Sed licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit;* Tit. 3, 10: *Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita.*

255. Requiritur 2. praeter unitatem fidei etiam *unitas professionis* fidei. Sane **a.** hanc exigunt Pauli verba Rom. 10, 10: *Corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem;* 1. Cor. 1, 10.; et etiam Christi verba: *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est* Matth. 10, 33.; eam **b.** semper exegit Ecclesia, quae quovis tempore illos damnavit. qui exterius non eandem cum ipsa profiterentur fidem, neminemque recepit, qui non in eandem cum ipsa fidei professionem conspiraret. Eam **c.** postulat ipsa Ecclesiae visibilitas, nec non hominis natura: nam si omnes idem credere tenentur, idem profiteantur oportet, cum os concordare debeat menti.

256. Denique Ecclesia 3. *una* esse debet *unitate corporis,* unitate sociali, unitate legitimae subordinationis. Quod in primis tenendum est adversus anglicanos aliosque protestantes, secundum quos unitas Ecclesiae universalis conflatur e pluribus ecclesiis particularibus, quamvis fide vel communione ab invicem dissitis. Haec autem unitas socialis non prodit solum ex identitate finis, mediorum, legum; neque ex identitate capitis, sed ad eam requiritur conspiratio mutua omnium sociorum sub directione unius regiminis: quo posito omnes una conspirantes sub una auctoritate unum corpus, unam societatem constituunt. Haec ecclesiae unitas colligitur **a.** ex metaphoris *regni, civitatis, domus, corporis,* quibus passim adumbratur: **b.** ex dictis de ministerio ecclesiastico (th. XXIX.) et invicte ex dicendis de primatu; **c.** ex patribus, qui et disertis verbis hanc veritatem inculcant, et aequivalenter, cum schismatis crimen, quo ea unitas scinditur, tamquam atrocissimum crimen exhibent, cujus macula nec sanguine abluitur[1]).

257. **Corollarium.** Cum ergo summi facienda sit Ecclesiae unitas, cumque gravissimum sit schismatis crimen, nunquam licet se ab Ecclesia separare. Atqui protestantes sec. XVI. se separarunt ab omnibus ecclesiis, quae tum exstiterunt, inter quas fuit vera Ecclesia, proinde etiam ab hac

---

[1]) Ita ex. gr. s. Irenaeus l. IV. 33. n. 7. *adv. haer.*: „Qui schismata operantur . . . propter modicas et quaslibet causas, magnum et gloriosum corpus Christi scindunt et dividunt et quantum in ipsis est interficiunt . . .; nulla enim tanta ab eis potest fieri correctio, quanta est schismatis pernicies.“ Cyprianus *de unit. Eccl.*, ubi inter multa praeclara ita scribit n. 17: „Aversandus est talis atque fugiendus, quisquis fuerit ab Ecclesia separatus; perversus est hujusmodi, et peccat et est a semetipso damnatus. An esse sibi cum Christo videtur, qui adversus sacerdotes Christi facit, qui se a cleri ejus et populi societate secernit?“ Cf. n. 6, 19; *Constitutiones apostolicae* VI. 1: πρὸ πάντων φυλάσσεσθε, ὦ ἐπίσκοποι, τὰς δεινὰς καὶ χαλεπὰς καὶ ἀθεωτάτους αἱρέσεις φεύγοντες αὐτὰς ὥσπερ πῦρ, φλέγον τοὺς αὐτῷ πλησιάζοντας. Φεύγετε καὶ τὰ σχίσματα. Cf. fratres Walenburch *de unit. Eccl.* l. 2.; *opusc.* I, 75. ss.; XVII, 98. ss.; XXI, 131. ss. et 117. ss.; XXVII, 128. ss.

se diviserunt. Ergo vel hoc solo, quod schisma fecerint, gravissimi criminis sunt rei et a vera Christi Ecclesia alieni. Frustra vero suae separationis causam rejiciunt vel in morum corruptionem, vel in rom. pontificum, ut ajunt, tyrannidem, usurpationes etc. Licet enim nobis repetere, quod jam seculo III. Novatiano similes rationes praetendenti respondit Dionysius alex. apud Eusebium H. E. l. 6. c. 45.: „Siquidem invitus, ut asseris, eo adactus es (ut te ab Ecclesia separares), id nobis ostendes tua sponte redeundo. Satius quidem fuerat quidvis pati, ne Ecclesia Dei discindatur: nec minus gloriosum fuisset, idcirco subire martyrium, ne Ecclesiam scinderes, quam ut, ne idolis sacrificares; imo illud meo judicio illustrius fuisset. Hic enim pro sua unius anima, illic pro omni Ecclesia martyrium quis sustinet." Quin perversius etiam protestantes praetendunt sui schismatis rationem, quod Ecclesia defecerit ab Evangelii puritate; nam haec Ecclesiae defectio adversatur ejusdem perennitati et infallibilitati; et ea communis omnium haereticorum est praetextus.

258. **Thesis XXXV.** ***Discrimen articulorum fundamentalium et non fundamentalium a protestantibus eo consilio invectum, ut fines verae Ecclesiae amplificarent, extensionem vero necessariae unitatis in una eademque fide profitenda cohiberent, rejici omnino debet.***

Declaratio. Non rejicimus discrimen articulorum fidei in *fundamentales* et *non fundamentales,* si eo non aliud significetur, quam esse quasdam veritates, quas ut vitae christianae fundamenta prae ceteris *explicite* oporteat credere. Rejicimus vero illud in sensu protestantium, secundum quos **a.** citra haeresis crimen negari possunt articuli non fundamentales i. e. veritates, quae neque fundamentum fidei constituunt, neque necessario cum eodem cohaerent; **b.** Ecclesia ex omnibus iis coalescit, qui in fundamentalibus conspirant, licet in non fundamentalibus ab invicem dissentiant.

259. **Demonstratio.** Discrimen in sensu protestantium esse rejiciendum evincitur **1.** argumento ad hominem; nam auctoritate Scripturae, cui soli adversarii innituntur, stabiliri nequit, cum neque diserte, neque virtute in eadem tradatur, neque significetur, quod sit fundamentum, quinam sint articuli fundamentales. Ad rem enim non sunt verba Pauli[1]) 1. Cor. 3, 11. Refellitur **2.** Scripturae doctrina, cum Christo auctore Matth. 28, 18. s. coll. Marc. 16, 16. (n. 199.)

[1]) *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.* Licet autem hic occurrat *fundamenti vocabulum,* non tamen eo significatur protestantium *theoria,* nam licet J. Christus sit salutis fundamentum, et haec veritas *Jesus est Christus* veritas sit fidelibus maxime inculcanda, nihil tamen inde sequitur pro illa theoria, quae hac veritate data potius evertitur. Si enim in primis credendum est J. esse Christum seu *Dei legatum,* sequitur etiam omnia illa esse credenda, quae nomine Dei docuit et tradidit; si enim aliqua tantum crederentur, practice negaretur eum esse *authenticum* Dei legatum. Christus autem *jussit* Evangelium qua late patet praedicari, nosque credere omnia ea, quaecunque docere praecepit. Fide ergo omnia credantur necesse est.

tam late patere debeat fides fidelium, quam late pateat Evangelium seu revelatio; cum **b.** Paulus ad Gal. 1, 6. ss. anathema dicat ei, qui evangelizet praeter et contra id, quod apostoli praedicarint: in hypothesi vero adversariorum anathema non incurrit, qui evangelizat doctrinam oppositam veritatibus ab apostolis promulgatis, dummodo hae non sint fundamentales. Refellitur **3.** unanimi christiani nominis traditione; nam **a.** usque ad sec. XVI. haec doctrina est plane inaudita; et tamen ex adversariorum hypothesi vere est cardinalis. Imo **b.** nunquam non reapse rejecta fuit. Haeretici enim habebantur etiam ii, qui veritates secundum protestantes non fundamentales negabant e. g. exsistentiam purgatorii, valorem baptismi haereticorum, ut patet ex catalogis haeresum a patribus conscriptis. Quare Augustinus recensitis 88 haeresibus ita opus suum *(de haer.)* concludit: „Possunt et haereses aliae, quae in hoc opere nostro commemoratae non sunt, vel esse vel fieri, quarum aliquam quisquis tenuerit, *christianus catholicus non erit.*“ Norma siquidem **c.** secundum quam aliqua doctrina dijudicabatur orthodoxa vel haeretica, petebatur ex ejus habitu ad praedicationem ecclesiasticam seu ad revelationem per Ecclesiam propositam (n. 108.).

260. Ad haec **4.** hucusque nondum convenere adversarii in assignando criterio, quo discerni possint articuli fundamentales a non fundamentalibus, nam saltem 12 diversae de eodem vigent sententiae. Criteria vero, quae proponunt, vel arbitraria sunt, vel aequivoca et incerta ut e. g. criteria, quae statuunt, illos esse articulos fundamentales, *quibus negatis Dei gloria subvertatur* summusque hominum finis labefactetur, vel qui unanimi christianorum consensu credantur, vel qui in bibliis perspicue tradantur, vel qui apostolico symbolo comprehendantur. **5.** Admissa semel adversariorum doctrina, Christi Ecclesia coalesceret ex coetibus, inter quos summa dissidia symbolica, liturgica, socialia vigent, atque adeo unitatem civitatis, ovilis, corporis etc. non referret. Ejusmodi vero Ecclesia prorsus abhorret ab idea, quam Scriptura patresque exhibent. Quare protestantium theoria plane rejicienda est.

261. **Scholion.** Ad quaedam facta explicanda, quibus nituntur adversarii, ut evincant, neque omnem dissensum circa aliquas veritates revelatas, neque etiam dissidium sociale necessariam Ecclesiae unitatem laedere, advertatur **1.** fidei catholicae unitatem tunc vere et proprie laedi, cum **a.** negatur veritas *revelata*, quae ab Ecclesia omnibus ad credendum *sufficienter* proposita sit; si **b.** eadem negatur Ecclesiae *propositione* et definitione *certo cognita* et quidem **c.** cum *contumacia*, i. e. ita ut vel diserte vel ipso facto negetur Ecclesiae visibilis judicandi auctoritas; tandem **d.** si negatur *ipsa veritas*, non aliquid eam consequens. Sicut **2.** datur *haeresis formalis* et

materialis, ita et *schisma formale* et *materiale.* Hoc habetur, si quis ex ignorantia, non mala voluntate, se opposuerit legitimae auctoritati. Quo in casu patientia opus est juxta prudens Augustini consilium *ep.* 22. n. 5: »Non aspere, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur; magis docendo quam jubendo, magis monendo quam minando. Sic enim agendum est cum multitudine, severitas autem exercenda est in peccata paucorum.« Jam vero qui ex ignorantia se nonnunquam opponunt auctoritati, tolerari, dedoceri, corrigi, non statim ab Ecclesia excludi debent juxta Augustini consilium, quoadusque non fiant schismatici *formales.* Neque enim dissimili ratione consuli debet unitati ecclesiasticae, quam civili. Atqui princeps prudens subditos immorigeros non statim ut rebelles proscribit, sed nonnisi postquam omnia pacis consilia mediaque blanda cesserint in irritum. Hinc autem praepostere quis inferret, unitatem ac pacem socialem consistere posse cum turbis et tumultibus. Ergo inepte quoque infertur ex eo, quod nonnunquam dissidia in Ecclesia orta, dissidentes vero non statim exclusi fuerint, Ecclesiae unitatem amico foedere consistere posse cum haeresi vel schismate. Illud enim probat tantum, Ecclesiam matrem patientissimam infirma membra tolerare tamdiu, quamdiu salutis eorum spes affulgeat; ac tum demum illa resecare, cum insanabilia facta, alia rebellionis veneno inficiunt. Cf. *Comp.* I, 283. ss.

Articulus II.

De Sanctitate Ecclesiae.

262. **Thesis XXXVI.** ***Vera Christi Ecclesia sancta est.***

Declaratio. *Sanctitas* alia est ethica et *personalis,* alia *realis.* Illa haberi nequit sine assimilatione et conjunctione cum Deo et est generatim rectitudo moralis personae coram Deo. Sanctitas vero realis *triplex* distingui potest, quatenus res dicitur sancta vel quia est divino cultui dedicata, ut templum; vel quia principium est quomodocunque sanctitatis personalis, ut sacramenta, leges; vel quia effectus et signum est interioris sanctitatis et inhabitantis Spiritus s., ut charismata miraculorum. Utramque sanctitatem *personalem* et *realem* Ecclesiae vindicamus. *Realem* non tantum quatenus ea sit Deo dedicata, sed quatenus est principium sanctitatis personalis; *personalem* non tantum quatenus *possint* in ea esse sancti, sed quatenus *actu* semper sint. Ut vero Ecclesia dici possit sancta sanctitate *personali,* necessarium non est, ut singula ejusdem membra sint sancta, sed sufficit ut **a.** omnia possint esse sancta virtute Ecclesiae; ut **b.** plura actu sint sancta et quidem **c.** propter vivificum Ecclesiae influxum; ut ea **d.** quae sunt infirma vel etiam mortua, eatenus destituantur perfectione vel vita, quatenus se subtrahant Ecclesiae influxui.

263. **Demonstratio.** Ecclesia, cui symbola *sanctitatis* praerogativam vindicant, in primis essentialiter est sancta ratione suarum *causarum,* quas supra c. 2. expendimus. Sanctissima enim est ejusdem causa *efficiens* et *finalis,* sancta causa *ministerialis,* quae proprio effica-

cique gratiae ritu i. e. sacramento ordinis, constituitur, multiplici sanctificandi virtute est praedita et in docendo jugi fruitur Spiritus sancti assistentia; sancta est causa *exemplaris* et *formalis* tam interna, nempe fides caritate formata atque multiplex Spiritus sancti influxus, quam externa, quae est lex fidei, lex actionis christianae et hierarchicae subordinationis; denique sancta est vel ipsa ejusdem causa *materialis;* licet enim peccatores etiam spectent ad Ecclesiam, potior et nobilior tamen Ecclesiae pars sunt *justi,* et vel ipsi peccatores ad Ecclesiam spectant *non quatenus sunt mali,* sed *quatenus aura saltem aliqua sanctitatis afflantur,* quatenus scil. sunt baptizati, credunt, obediunt etc. Cum ergo *omnes* Ecclesiae causae sint sanctae, ipsa, quae ab illis pendet et exsistit, sanctitate carere nequit.

264. Verum Ecclesia eo speciatim nomine sancta est, quod in ea semper vigeat *cultura virtutum* consiliorumque evangelicorum observantia, quod colligitur **1.** ex Heb. 7, 18. s.; 8, 5. ss.; Ezech. 11, 19; 36, 26; Jerem. 31, 31. ss. etc., ex quibus liquet, **a.** V. Testamentum abrogatum fuisse ob infirmitatem suam, quodque nil ad perfectum adduxerit; **b.** substitutum eidem esse N. Testamentum tamquam longe praestantius; ne vero **c.** et hoc suo frustraretur effectu, Deum sancte promisisse, se nil neglecturum, quo fieret, ut fideles in suis praeceptis ambularent eaque facerent. Haec autem exigunt, ut Ecclesia sit immunis ab imperfectione semperque sint in ea, qui virtutibus excellant. **2.** Ecclesia nequit carere ea dote, quae scopus fuit missionis omnisque sollicitudinis Christi. Atqui hic est sanctitas vitae, quae cultura virtutum continetur. Splendere autem **3.** Ecclesiam etiam observatione evangelicorum consiliorum sicut ex facto patet, ita hac ratione quasi *a priori* illustratur: Ecclesia regitur Spiritu Christi; Christo autem maxime illorum consiliorum observantia placet, qua perfecta ipsius imitatio continetur. Semper ergo qua Ecclesiae caput, si non omnibus, saltem nonnullis illam inspirabit, et ea quidem inspiratione, quae effectu non semper frustretur.

265. Ecclesia sancta quoque dici debet *ob miraculorum charisma,* quo Deus suam erga Ecclesiam tutelam atque favorem demonstrat. Probatur autem **1.** ex Marc. 16, 17: *Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: In nomine meo daemonia ejicient etc.;* Joan. 14, 12: *Amen, amen dico vobis: qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet et majora horum faciet;* quibus in locis charisma miraculorum connexum exhibetur non solum cum fidei origine, sed simpliciter cum ipsa fide; quamdiu ergo in Ecclesia vera vigebit fides, tamdiu erunt, qui signa patrabunt. Probatur **2.** ex 1. Cor. 12, 4. ss., ubi Paulus recensitis charismatibus Spiritus s., quae fidelibus distribuuntur, con-

cludit: *Haec autem omnia* (superna charismata) *operatur unus atque idem Spiritus.* Superna ergo charismata sunt s. Spiritus operationes, quibus suam praesentiam testatur; quare et in Ecclesia semper suam praesentiam ejusmodi charismatibus plus minusve testabitur. „Nam ubi Ecclesia, inquit Irenaeus l. 3. c. 24., ibi et Spiritus Dei; *ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia.*" Accedit **3.** quod Ecclesia Christi missionem continuat. Nequit ergo respectu eorum, quibus ignotus est Christus, illo probationis genere destitui, quo Christus sibi conciliavit auctoritatem. Atqui Christus miraculis in primis hanc sibi comparavit. Ergo et Ecclesia pro opportunitate non carebit miraculis. quod **4.** ipsa historia propagatae religionis christianae confirmatur, qua Ecclesiam semper supernis charismatibus resplenduisse edocemur. Cf. thes. XIV.

Articulus III.
De Ecclesiae catholicitate.

266. **Thesis XXXVII.** ***Ad proprietates institutae jam per apostolos Ecclesiae pertinet, ut sit catholica i. e. ejusmodi quae communione contineatur simpliciter ampla, comparate vero longe ampliori coetu quovis, qui sibi nomen Ecclesiae immerito usurpat.***

Declaratio. Plura praemittenda sunt de ipso *catholicae* nomine. Tenendum scil. **1.** est illud esse antiquissimum, cum jam sec. II. Ecclesia smyrnensis suam de passione s. Polycarpi epistolam inscripserit: „Omnibus ubique terrarum sanctae et *catholicae Ecclesiae* paroeciis" (cf. etiam n. 8, 19.), et prius s. Ignatius M. docuerit *ep. ad smyrn.* n. 8: „*Ubi fuerit Christus, ibi catholica Ecclesia.*" Tenendum est **2.** eo veram Ecclesiam ab haereticorum coetibus illiusque filios ab haereticis et schismaticis distingui. Quapropter s. Cyrillus hier. *catech.* 18. n. 26. catechumenos ita instruit: „Si quando peregrinatus fueris in civitatibus, ne simpliciter requiras ubi sit dominicum (i. e. aedes sacra), nam et ceterae impiorum sectae atque haereses suas ipsorum speluncas dominicorum nomine honestare nituntur; neque ubi sit simpliciter ecclesia, sed ubi sit *catholica ecclesia,* hoc enim proprium nomen est hujus sanctae et matris omnium nostrum, quae quidem et sponsa est D. N. Jesu Christi." Cf. supra pag. 49. n. 93. Verum quidem est, haereticos etiam ambiisse hoc nomen, nunquam tamen eo designati sunt, sed nomine vel ab eorum auctore vel ab haeresi, quam amplexi sunt, derivato; Christi vero Ecclesia semper *catholica* vel ab ipsius inimicis dicebatur. „Velint nolint, inquit ad rem Augustinus *de vera relig.* n. 12., ipsi quoque haeretici et schismatum alumni, quando non cum suis sed cum extraneis loquuntur, catholicam nil aliud quam catholicam vocant. *Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam*

nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur." „Ex quo, ut idem infert, intelligi datur, judicantibus arbitris quos nulla impedit gratia, cui sit *catholicum* nomen, ad quod omnes ambiunt, tribuendum."

267. Sed quinam **3.** coetus sec. III., IV. et V. solebat dici catholicus? Si patres audimus, ille qui communione sociabatur romano pontifici. Hujus siquidem communione frui et esse catholicum, aut esse *catholicum* et *romanum* illis unum idemque fuit. „Fidem suam quam vocat? quaerit Hieronymus l. 1. *c. Rufinum* n. 4. Eamne qua *romana* pollet ecclesia, an illam quae in Origenis voluminibus continetur? Si *romanam* responderit, *ergo catholici sumus.*" Cyprianus ep. 52. *ad Antonianum* n. 1: „Scripsisti etiam, inquit, ut exemplum earundem literarum ad Cornelium collegam nostrum (tunc romanum episcopum) transmitterem, ut deposita omni sollicitudine jam sciret te *secum* h. e. cum *catholica* Ecclesia communicare." Praeclara vero sunt, quae refert s. Ambrosius de fratre suo Satyro adhuc catechumeno (*de ejus excessu* l. 1. n. 47.): „Advocavit ad se episcopum, nec ullam veram putavit nisi verae fidei gratiam (i. e. baptismum), percunctatusque ex eo est, utrum episcopis *catholicis* h. e. cum *romana* sede conveniret [1])."

268. De ratione autem *catholicitatis* **4.** est quaedam universalitas. Jam vero Ecclesiae *multiplex* convenit universalitas. Convenit universalitas **a.** ratione *temporis,* cum sit perennis; **b.** ratione *veritatis,* omnis enim revelata veritas ei est concredita; **c.** ratione *mediorum salutis,* cum omnibus sit instructa, quae Christus in hominum salutem instituit; **d.** ratione *destinationis* (n. 206.); in primis vero **e.** ratione diffusionis per orbem, ut patet ex controversia cum donatistis atque ex ipsa nominis definitione. Passim enim cum Isidoro hisp. l. 1. *sent.*

---

[1]) Hinc sequitur **1.**: Si appositum *catholicae* nomen fuit proprium ac tesserae instar, qua sec. III., IV. et V. vera Ecclesia distinguebatur a sectis haereticis et schismaticis, etiam sec. XIX. hoc nomine distinguetur vera Ecclesia a spuria. Quare infert s. Augustinus *de vera relig.* c. 7.: „Tenenda est nobis christiana religio et ejus Ecclesiae communicatio, quae catholica est *et catholica nominatur non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis.*" Sequitur **2.**: Si sec. III., IV. et V. communio cum *romano* episcopo nota et tessera erat, qua agnoscerentur et dignoscerentur membra Ecclesiae *catholicae*, proinde verae: criterio eodem cognoscentur et dignoscentur sec. XIX. veri fideles. Quare licet et nobis uti argumento, quod vehementer in Parmenianum donatistam intorquet Optatus l. 2. n. 9. *de schism. donat.*: „Jamne vides, frater Parmeniane, jamne sentis, jamne intelligis te argumentis tuis contra te militasse? cum probatum est, *nos esse in Ecclesia sancta catholica*, apud quos et symbolum Trinitatis est et *per cathedram Petri, quae nostra est,* per ipsam ceteras dotes apud nos esse." Cf. *opusc.* VI. 37. ss. annot.

c. 16. patres inculcant: „Sancta Ecclesia ideo catholica dicitur pro eo, quod *universaliter per omnem sit mundum diffusa.*“ Quare quoties Ecclesiae catholicitatem probare volunt, ad Scripturae effata provocant, quae ejusdem latissimam per orbem diffusionem praedicunt; et teste Optato l. 1. n. 26. Eunomius et Olympius episcopi in Africam missi, ut pronunciarent, ubi esset *catholica* (Ecclesia), edixerunt: *Illam esse catholicam, quae esset in toto orbe terrarum diffusa.* In hac vero notione distinguendum est elementum *materiale* et *formale;* illud continetur *diffusione;* hoc *unitate,* neque enim multitudini cuilibet, quamvis admodum diffusae, hoc praedicatum tribuere licet, si careat unitate.

269. Si autem 5. quaeritur, *quanta* requiratur diffusio, *duplex* prius distinguatur *catholicitas: actualis* altera, altera *successiva,* qua seculorum cursu gradatim ad omnes gentes Ecclesia diffunditur. Qua distinctione posita statuimus: **a.** non requiri diffusionem *actu* absolutam adeo, ut nemo sit extra Ecclesiam; sed **b.** sufficere *moralem et relativam*[1]), ut habeat scil. quendam in orbe cognito splendorem universalem; et cum Ecclesia, ut distinguatur ab haereticorum turbis, dicatur *catholica* (n. 266.), has amplitudine superare debet. Evidens vero est **c.** hanc proprietatem Ecclesiae nascenti destinatione tantum et virtute, formaliter vero Ecclesiae adultae convenire; et quamvis **d.** necesse non sit, ut ea *actu* gentes omnino omnes complectatur, ad omnes tamen temporis lapsu diffundi debet.

270. **Demonstratio.** Ecclesiae catholicitas **1.** praemonstrata fuit **a.** ipso *titulo crucis* conscripto tribus linguis illis, quae tunc totum fere orbem notum occupabant; **b.** *arca Noë* collata visione s. Petri Act. 10, 10. ss., qua ei significatum fuit ad omnes gentes Ecclesiam esse dilatandam (*opusc.* III, 228. ss.) **c.** *miraculo,* quod contingit in

[1]) Hanc graphice describit Augustinus *serm.* 46. al. 165. de tempore c. 8. n. 18: „Non omnes haeretici, inquit, per totam faciem terrae, sed tamen haeretici per totam faciem terrae. Alii hic, alii ibi, nusquam tamen desunt: ipsi se non norunt. Alia secta in Africa, alia haeresis in Oriente, alia in Aegypto, alia in Mesopotamia verbi gratia. Diversis locis sunt diversae . . . . . . Sed tamen illa (Ecclesia catholica) omnes novit, quia cum omnibus fusa est. Verbi gratia, est in Africa pars Donati, eunomiani non sunt in Africa; sed cum parte Donati est hic Catholica. Sunt in Oriente eunomiani, ibi autem non est pars Donati, sed cum eunomianis ibi est Catholica. Illa sic est tamquam vitis crescendo ubique diffusa: illi sic sunt tamquam sarmenta inutilia agricolae falce praecisa merito sterilitatis suae, ut vitis putaretur, non ut amputaretur. Sarmenta ergo illa, ubi praecisa sunt, ibi remanserunt. Vitis autem crescens per omnia et sarmenta sua novit, quae in illa manserunt, et juxta se quae de illa praecisa sunt.“ Quis non videt haec mutatis nominibus haeresum de *Ecclesia romano-catholica* repeti posse?

solemni Ecclesiae inauguratione die Pentecostes Act. 2, 4., cum discipuli linguarum charismate donarentur. Unde infert s. Augustinus *serm.* 71. n. 28: „Quemadmodum tunc ille apparebat accepisse Spiritum s., qui loquebatur linguis omnium gentium, ita se nunc ille agnoscet accepisse Spiritum s., qui tenetur vinculo pacis Ecclesiae, quae diffunditur in omnibus gentibus [1]."

271. Talis **2.** debet esse Ecclesia, qualis exhibetur et describitur in lege et psalmis, in prophetis et Evangeliis. Atqui in his constanter exhibetur regnum Christi universale, ubique terrarum diffusum, ita ut haec regni amplitudo proponatur characteris instar regni messiani, ut signum Messiae, qui jam advenerit (cf. n. 64.). „Prope omnis pagina (s. Scripturae), inquit Augustinus *serm.* 46. n. 33., nihil aliud sonat, quam Christum et Ecclesiam *toto orbe diffusam.*" Quare negari nequit perennis Ecclesiae catholicitas, quin signum permanens adventus Christi relatique ab eo triumphi negetur. Cujus argumenti vis authentica patrum sec. III., IV. et V. interpretatione confirmatur. Saepissime enim, praesertim contra donatistas, ad haec vaticinia provocant, ut ostendant, hinc quidem donatistas in vera Ecclesia non esse utpote in angulo Africae latitantes: inde vero catholicos esse veram Ecclesiam, cum ipsi sint per orbem diffusi. Cf. Optatus milev. *de schism. donat.* l. 2. n. 1. (*opusc.* X.) et Augustinus *de unit. Eccl.* n. 10. ss. (*opusc.* XXVII.).

272. **Scholion.** Excipi posset, haec Scripturae effata nihil vel non multum valere, quia nunquam fuerunt impleta, cum tot gentes ad Ecclesiam non pertineant. Ad quam exceptionem respondemus: **a.** ex usu loquendi Scripturae [2] ea sufficienter adimpleta censeri posse, modo Ecclesia quamplurimas complectatur gentes ac moraliter diffundatur per orbem notum; **b.** secundum patres ea sufficienter impleta fuisse jam sec. III., IV., V., licet innumeri adhuc paganae superstitioni vel haeresi fuerint mancipati. **c.** Concedimus ultro, haec vaticinia plene impleri, si praeter catholicitatem actualem *successivae* quoque ratio habeatur. Minime tamen nobis placet illa theologorum sententia, secundum quos maneret Ecclesia *catholica*, etiamsi ad unam provinciam redigeretur, modo constaret eam esse unam eandemque cum illa, quae quondam fuit in toto mundo. Nam **a.** ea ad-

---

[1] Saepissime Augustinus ad hoc miraculum provocat ad probandam Ecclesiae catholicitatem. Cf. *opusc.* XXVII, 187. annot. Unde sequitur, coetum, qui *una* tantum loquitur lingua, e. g. germana, bohema, russica etc. *non esse verum Ecclesiam.*

[2] Ita Daniel de Nabuchodonosor ait: *Potestas tua* (pervenit) *in terminos universae terrae* 4, 19; Paulus de fide romanorum: *Fides vestra annunciatur in universa terra* Rom. 1, 8. et de Evangelio, illud *fructificare et crescere in universo mundo* Colos. 1, 6; *Exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis* Luc. 2, 1. De Alexandro M. dicitur 1. Machab. 1, 3: *Pertransiit usque ad fines terrae* etc.

versatur constanti patrum explicationi, secundum quos Ecclesia ideo *est catholica, quia ubique est,* non fuit, *diffusa;* infirmat **b.** argumentationem patrum adversus donatistas, qua inde maxime inferunt, eos esse extra Ecclesiam, quod una provincia latitarent[1]); in discrimen vocat **c.** Ecclesiae visibilitatem[2]) et majestatem; negat **d.** proprietatem nominis (n. 266.), neque enim illud *proprium* Ecclesiae dici potest, quamprimum Ecclesia eo careat, quod significat.

Articulus IV.

De Ecclesiae apostolicitate.

273. **Thesis XXXVIII.** ***Succedit proprietas, qua Ecclesia est diciturque apostolica i. e. ejusmodi, quae ab apostolis profecta cum iisdem apostolis pastorum successione nunquam interrupta jungitur.***

Declaratio. Ecclesia esse debet *apostolica* tum ratione *originis,* quatenus videlicet a Christo per apostolos est fundata, tum ratione *doctrinae,* quam ab apostolis acceptam jugiter custodit ac profitetur. Verum insuper requiritur, ut Ecclesia sit *apostolica* ratione *ministerii* i. e. ut cum apostolis per *nunquam interruptam pastorum seriem* jungatur »ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem vel antecessorem,« ut utamur Tertulliani *de praescr.*

---

[1]) Ita passim Augustinus, qui *ep. 129.* n. 2. ita belle scribit: »Sicut non audimus contra Christum eos, qui dicunt corpus ejus de sepulcro furatum a discipulis; sic *non debemus audire* contra ejus Ecclesiam eos, qui dicunt *non eam esse nisi in solis afris et afrorum paucissimis sociis.* Apostolus quippe dicit, quoniam veraces christiani membra sunt Christi (Eph. 4, 25); sicut ergo non credimus furto cujusquam periisse carnem Christi mortuam de sepulcro, sic credere non debemus peccato cujusquam viva ejus membra periisse de mundo. Non est itaque difficile, quoniam caput est Christus et corpus Ecclesia, simul in Evangelio commendatum videre et caput contra calumnias judaeorum, et corpus contra criminationes haereticorum. Nam quod legitur: *Oportebat Christum pati et resurgere a mortuis tertio die,* contra eos est, qui dicunt mortuum de sepulcro esse sublatum; quod autem sequitur, *et praedicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes incipientibus a Jerusalem* (Luc. 24, 46), contra eos est, qui dicunt non esse Ecclesiam in orbe terrarum, ut uno brevi capitulo paucisque verbis et inimicus capitis et inimicus corporis repellatur et, si fideliter attenderit, corrigatur.«

[2]) Ne quis provocet ad haeresis arianae tempora, quibus secundum quorundam patrum dicta ariani videntur catholicos numero superasse. Nam **a.** ejusmodi querelae videntur *exaggeratae,* ut patet ex auctoribus coaevis, praesertim Athanasio; **b.** haeresis ariana fuit haeresis *episcoporum* potius, quam *gregum.* »Populi, inquit Athanasius *in hist. arianorum* n. 41, per singulas ecclesias, quam didicere fidem retinentes, magistros exspectant suos ac Christo adversariam haeresim, quam coacti recepere, omnes velut serpentem aversantur.« Ex episcopis **c.** plurimi fuerunt intrusi, alii nomine tenus tantum atque materiales haeretici cf. *opusc.* XVII. 187.; illis autem **d.** qui formales haeretici fuerunt, omnis unitas defuit.

n. 32. verbis. In qua *apostolicitate ministerii* duplex secernatur elementum *materiale,* quod continetur ipsa *pastorum serie,* et *formale,* quod continetur *legitima* proprieque dicta *successione.* Necesse scil. est, ut successor in antecessoris munus relationemque ad reliquum pastorum coetum atque Ecclesiam subeat, nulloque proinde schismate ab Ecclesiae unitate deficiat. Qui enim schismatis est auctor, ramus erit praecisus et novam quidem inchoare poterit pastorum seriem; haec tamen carebit continuatione *organica* et *vitali* cum antecessoribus[1]). Gloriari forte poterunt coetus aliqui schismatici Orientis *serie quadam materiali* pastorum, quae pertingat ad apostolos usque; sed carent elemento *formali:* assignari scil. poterit aliquis in hac serie pastor, qui nolens esse successor sui antecessoris ab ecclesiastica unitate defecerit novamque exorsus sit pastorum seriem.

274. **Demonstratio.** *Apostolicitas ministerii* (nam de duplici alia apostolicitate non est controversia) suadetur **1.** ex *analogia cum synagoga* Ecclesiae typo; in synagoga enim non erant ministri ab invicem sejuncti et dissipati, sed vinculo generationis per quosdam veluti gradus revocabantur ad Aaron, qui caput et radix exstitit sacerdotii in synagoga. Ergo etiam in Ecclesia ministerium alioquin perpetuum vinculo generationis spiritalis, scil. vi ordinationis et missionis legitimae ad Christum summum sacerdotem per apostolos revocetur oportet. Probatur **2.** ex divinis literis, ex quibus habemus: **a.** semper fore in Ecclesia pastores (th. XXX.); **b.** neminem vero Ecclesiae pastorem esse, nisi qui mittatur ejusque missionis sit particeps, qua Christus a Patre missus, apostolos misit[2]). **c.** Hanc vero missionem non immediate a Deo citra humanum ministerium praecedentium quorundam ministrorum communicari, sed ab apostolis in alios fuisse certo ritu derivatam atque ab his ipsis in alios iterum visibili ritu derivandam[3]). Proinde

---

[1]) Hanc conditionem praeclare describit G r e g o r i u s naz. orat. *in laudem Athanasii* n. 8.: „Neque enim qui per vim irrupit successor habendus est, sed qui vim perpessus est; nec qui leges violavit, sed qui legitime creatus est; nec qui contraria dogmata tenet, sed qui eadem fide praeditus est; nisi quis fortasse ita successorem dicat, quemadmodum morbum sanitati et tenebras luci et tempestatem tranquillitati et mentis alienationem prudentiae succedere dicimus.“

[2]) Hoc **a.** lege universali enunciat Paulus: *Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur?* Rom. 10, 15; a qua lege **b.** ne Christus quidem fuit exceptus: *Sicut me misit Pater, et ego mitto vos* Joan. 20, 21; *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te* Hebr. 5, 4. s. Et revera Christus, ut sibi fidem conciliaret, jugiter ad suam provocat missionem. Ceterum **c.** ut quis alterius nomine agere possit, missionem requiri *ex rei natura* est evidens, atque **d.** *quotidiana hominum praxi* confirmatur.

[3]) *Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ea, quae desunt, corrigas et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi* ad Tit. 1, 5. Hanc vero missionis communicationem et in alios derivationem fieri debere ab iis, qui ipsi legitime a decessoribus suis sunt missi, patet **a.** ex praxi Christi et apostolorum univer-

d. ita totam ministrorum seriem revocari ad apostolos, ut in his illos Christus alloqui potuerit [1]). Quibus continetur ministerii apostolicitas.

275. Idem evincitur **3.** ex *patribus,* qui **a.** canonis instar statuunt, illam doctrinam esse veram, quae doctrinae consonet ecclesiastici ministerii nunquam intercepti; eam vero falsam, quae ab illa discrepet. Quam nunquam interruptam successionem **b.** exhibent canalis instar, per quem ad nos decurrat Christi doctrina, atque pro tessera, qua vera Ecclesia a falsa secernatur (cf. n. 108. s.). Quicunque vero pastores **c.** non legitime successissent aut missi non fuissent, quasi usurpatores repellebantur. Quare s. Cyprianus de Novatiano peremptorie decernit ep. 76. *ad Magnum* n. 3: „Novatianus *in Ecclesia non est,* neque episcopus computari potest, qui apostolica traditione contempta *nemini succedens a se ipso ordinatus est.*" Ita Optatus l. 2. n. 3. 4. donatistas irridet, qui ut gloriari possent se frui communione cum cathedra romana, Victorem quendam suae factionis episcopum Romam miserunt. „Missus est igitur Victor, inquit; erat ibi filius sine patre, tiro sine principe, discipulus sine magistro, sequens sine antecedente, inquilinus sine domo, hospes sine hospitio, pastor sine grege, episcopus sine populo." Quare sicut rami extremi per intermedios et truncum nexu nunquam interrupto conjungi debent cum radicibus, ut succus vitalis transfundi et ipsi fructus ferre possint: ita Ecclesia singulorum seculorum nunquam interrupta pastorum serie conjungi debet cum apostolis, et per apostolos Christo et per Christum Deo Patri.

Caput IV.
De notis Ecclesiae.

276. Inquirendum restat, *quomodo vera* Christi Ecclesia agnosci dignoscique possit, et *ubi* eadem sit. Quamobrem investigandum est **1.** quae sint notae, quarum ope agnosci possit vera Ecclesia; **2.** cuinam ex tot coetibus, qui Christi nomine gloriantur, notae illae conveniant.

---

saeque antiquae Ecclesiae; postulat **b.** ministerii ecclesiastici natura; eatenus enim quis ministrum Christi agere potest, quatenus ab eo missionem accipit. Atqui Christus immediate non amplius mittere solet. Ergo necesse est, ut qui modo pro Christo legatione fungitur, mediate per alios qui legitime sunt missi et mittendi fruuntur praerogativa, particeps reddatur illius missionis, qua Christus misit primos dicens: *sicut misit me Pater, et ego mitto vos* Joan. 20, 21. Quod **c.** exigit ipsa etiam Ecclesiae visibilitas et ordo, ne quilibet pro lubitu sibi usurpet ministerium ecclesiasticum cum summo, quin imo certo schismatis periculo.

[1]) *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi* Matth. 28, 30. Sicut ergo Deus in Adamo universum genus humanum allocutus est, quod in illo lege generationis praecontinebatur, ita potuit Christus omnes apostolorum successores in illis alloqui, cum vinculo generationis spiritualis per ordinis sacramentum et missionem ad illos revocentur.

Notarum autem nomine intelliguntur signa atque tesserae, quarum ope aliquid tuto agnosci et ab aliis secerni possit. Quare notae Ecclesiae sunt externi et permanentes characteres, per quos facile vera cognosci potest Ecclesia. Ad rationem autem *notae* requiritur: **1.** ut sit aliquid in sensus incurrens; **2.** ut sit proprium, non commune; **3.** ut sit subjecto, ad quod agnoscendum adhibetur, notius.

277. Secundum protestantes notae Ecclesiae verae sunt pura Evangelii praedicatio et legitima sacramentorum administratio; quas tamen veras notas non esse facile probatur. Nam **1.** de ratione notae est, ut *facile* possit agnosci. Atqui doctrinae veritas relative et absolute est difficilis cognitu praesertim rudibus, cum omnes haeretici eam sibi vindicent. Ergo nequit esse nota. **2.** Absurdum est, illud pro verae Ecclesiae nota proponere, quod ab ipsa vera Christi Ecclesia nos discere oportet: ad quod proinde cognoscendum, jam cognita esse debet vera Ecclesia. Atqui ex universa N. T. oeconomia et constanti Ecclesiae praxi (cf. thes. XV.) vera Christi doctrina discenda est ab ea, *quae est columna et firmamentum veritatis* (1. Tim. 3, 15.). Innititur **3.** haec opinio confusione *proprietatis* et *notae*, ordinis *ontologici* et *logici*. Verum quidem est, Ecclesiae Christi *proprium* esse purum Evangelium et legitimam administrationem sacramentorum, sed inde non sequitur, ex hac proprietate eam posse agnosci; nam non quaelibet proprietas est manifesta: ita etiam ex Ecclesiae infallibilitate non possumus cognoscere quaenam sit vera Ecclesia.

278. Secundum catholicos *unitas, sanctitas, catholicitas* et *apostolicitas,* quae sunt proprietates Ecclesiae, ejusdem *notae* quoque sunt. Nam nota non est, nisi *proprietas visibilis.* Atqui recensitae quatuor dotes sunt verae Ecclesiae *proprietates* summaque *visibilitate* splendent; ergo sunt notae. Quod et patres agnoverunt ipso facto; nam gnosticos aliosque haereticos ex nota apostolicitatis, qua carebant, donatistas vero ex nota catholicitatis passim refellunt. Porro hae notae sufficiunt ad veram Ecclesiam agnoscendam, ut colligitur tum ex *symbolis,* in quibus aliae non recensentur; tum ex *patribus,* qui plerumque unam ex iis tantum contra haereticos adhibent; tum ex ipsa *notarum natura.* Coetu enim haeretico et schismatico necessario deest (ex dictis) *apostolicitas,* ideoque *unitas* saltem *juris;* proinde vel ipsa *catholicitas* in dubium vocatur. Adversatur vero providentiae divinae, ut talis coetus vera fulgeat *sanctitate.* Quam ob rem notae, quas defendimus, ad veram Ecclesiam dignoscendam sufficiunt.

279. **Thesis XXXIX.** ***Notae unitatis, sanctitatis, catholicitatis et apostolicitatis illi soli coetui competunt, qui communione cum romano pontifice sociatur. Proinde ille solus vera Christi Ecclesia est.***

Demonstratio. In thesi [1]) affirmamus, recensitas notas convenire

[1]) Tota haec disputatio facillima est, si supponatur institutio divina primatus, qui primum collatus fuerit Petro; qua supposita evidens est, coetum romanum

Ecclesiae romano-catholicae, et quidem *soli*, proinde nulli alteri coetui easdem convenire. Illud probamus **1.** *indirecte:* vel enim nulli coetui conveniunt hae notae, vel conveniunt romano. Illud affirmari nequit, alioquin periisset Christi vera Ecclesia. Ergo convenire debent alicui coetui. Atqui nullus assignari potest, in quo major habeatur unitas cum principio pari ad eam efficiendam, conservandam, tuendam, qui sit amplior, qui ita possit ad successionem ministrorum ab apostolorum aetate ad nostra usque tempora nunquam interruptam provocare. qui majori jure sibi vindicet sanctitatem, quam coetus romano-catholicus. Ergo hic coetus vera censeri debet Ecclesia.

280. Probatur **2.** *directe,* collatione cum Ecclesia priorum seculorum, cui perfecte respondet coetus romano-catholicus. Eodem enim modo tenax est unitatis, impatiens haeresis et schismatis, idem habet unitatis centrum scil. romanum pontificem; martyribus, virginibus, cultoribus consiliorum evangelicorum gloriatur, charismatibus s. Spiritus non destituitur; nunquam interrupta pastorum serie fruitur et per orbem ratione analoga (cf. 1. ann. p. 146.) diffunditur etc. Atqui vel nulla unquam exstitit vera Ecclesia vel ea fuit, quae dominabatur prioribus quinque religionis christianae seculis. Ergo Ecclesia romana, quae prae ceteris coetibus ad illam accedit illiusque lineamenta refert, *legitima* est *heres* seu vera Ecclesia.

281. Si **3.** Ecclesia romana non esset verae Ecclesiae legitima propago, sed ab eadem defecisset, possent assignari hujus defectionis *auctor, tempus, locus, occasio* et *genesis, adversarii,* qui eam primum impugnarunt, *solemnis damnatio* etc., prout haec de omni defectione sive haeretica, sive schismatica alicujus momenti assignari possunt. Atqui protestantes omni adhibito conatu horum nil unquam demonstrare potuerunt et innumerae sunt sententiae inter eosdem vel de solo tempore, quo defecerit Ecclesia catholica. Nam secundum alios jam sec. I. defecit; secundum alios nonnisi sec. XIII. Ergo evidens est ex hac ipsa adversariorum in demonstrando *impotentia*, nunquam romanam Ecclesiam defecisse a vera Ecclesia, sed esse ipsam veram Ecclesiam. Quod si Ecclesia romano-catholica vera est Ecclesia, sequitur eam omnibus potiri praerogativis, quas Ecclesiae suae Christus concessit, ideoque ejus doctrinam veram esse, esse doctrinam Christi, necnon omnes ab ea dissidentes ad veram Ecclesiam non pertinere, cum haec *una* et *unica* sit.

veram esse Ecclesiam, cum in eo maxime floreat primatus atque ipse possit ad Petrum usque ascendendo numerare pastores supremos, quod nulli alteri coetui convenit. Quare opportune admodum disputatio de notis Ecclesiae disputationi de primatu romani pontificis subjicietur.

282. Majoris tamen utilitatis gratia ostendemus, protestantium coetibus has notas deesse, proindeque verae Ecclesiae praerogativas eis non competere. Relate ad *notam unitatis* **1.** protestantes utpote *schismatis rei* ea carent, ut ostendimus n. 257.; **2.** eo tantum defensionis genere Ecclesiae Christi dignitatem suis asserere coetibus possunt, quo haeretici quovis tempore usi sunt, quibuscum supponere debent: **a.** omnem praecedentem Ecclesiam errasse; **b.** Ecclesiam visibilem interiisse; **c.** opus fuisse, ut novi in lucem prodirent doctores, qui depulsis tenebris fidei veritatem restituerent: quae manifesto sunt falsa gratisque affirmant. **3.** Ille coetus debita unitate in fide caret, in quo deest *principium* par ad unitatem sive determinandam sive reparandam. Atqui protestantes carent (cf. n. 105. s.) principio unitati efficiendae idoneo. **4.** Vel a priori statui potest, unitatem fidei in coetu illo penitus deesse, inter cujus doctores sive de Scripturarum canone, sive de criterio, quo articuli fidei necessarii a non necessariis discernantur, sive de auctoritate librorum symbolicorum nondum convenit. Atqui protestantes neque universim, neque singulorum quidem coetuum sectatores in hisce sufficienter conveniunt. Quare nunquam potientur ea fidei unitate, qua pollere debet vera Christi Ecclesia. **5.** Itaque mirum non est, si nec *re* unitas fidei in coetibus protestantium vigeat, sed potius maxima invalescant dissidia.

283. Protestantium coetus carere *nota sanctitatis* ita conficitur: **1.** Inductione constanti liquet, doctrinam evangelicam saluberrimos fructus vel in ferocissimis populis omnique sceleri deditis produxisse; historia vero teste constat, reformationem fructus tam salutares nullibi gentium protulisse. Quare ex fructibus protestantes sanctitatis notam suae ecclesiae vindicare non possunt. **2.** Qui expendit ea, quae primi reformatores de sola fide justificante, de servo arbitrio hominis lapsi, de bonis operibus ad salutem non necessariis etc. docuerunt, facile intelliget nullum esse flagitium, quod reformatorum doctrina excusari non possit, licentiam vivendi nullam, quae illa efficaciter non promoveatur [1]. **3.** Inductione pariter constat, viros illos, quibus Deus temporis successu sive ad fidem propagandam sive ad Ecclesiae decorem restaurandum est usus, sanctitate vitae animique constantia excel-

[1]) Cum dicimus protestantium doctrinam sanctam censeri non posse, eaque omne excusari flagitium, non propterea ipsis exprobramus ulla peccata, nec judices esse volumus vitae ipsorum. Quod enim plures ex ipsis honestam sane ducant vitam, peccata caveant, non doctrinae *propriae* adscribi debet, sed vel doctrinae *verae*, cujus *partem* saltem ab Ecclesia catholica recedentes adhuc retinuerunt, vel quod *sibi non constent*, et quod Lutherus docuit et inculcavit, ipsi aut pudore aut sano rationis naturalis judicio ducti *rejecerint*.

luisse; utrumque vero frustra quaeras in reformatoribus, quod vel protestantium testimoniis innixi affirmamus, qui passim Lutherum inconstantiae, contradictionis, arrogantiae etc. accusant [1]).

284. *Catholicitate* carere coetus protestantium, tum ex facto constat, tum inde sequitur, quod careant unitate (n. 282.). Eorum vero *missiones* prorsus steriles sunt, quod eos vita supernaturali destitutos esse arguit. *Apostolicitate* denique carent **1.** quoad *doctrinam*. Fatentur enim suam doctrinam dissentire ab antiquitatis doctrina, saltem ab ea, quae praevaluit et communis fuit inter christianos fere omnes a sec. XII. usque ad XVI.; carent ergo *continuitate* et *consanguineitate* doctrinae, nec censeri possunt *genuina propago* verae Ecclesiae. Tuentur **2.** quam plurima doctrinae capita, quae profitebantur antiqui haeretici; quibus recensitis sic concludit Bellarminus *de conc. et Eccl.* l. 4. c. 9.: „Habemus hactenus 20 haeresiarcharum haereses, quae damnatae sunt ab Ecclesia, quae fuit primis 700 annis, quas haereses cum nos pro haeresibus, adversarii nostri pro articulis fidei habeant, sequitur nostram doctrinam conspirare cum doctrina antiquae Ecclesiae; adversariorum autem cum haeresibus antiquis.“ Carent **3.** nunquam interrupta ab apostolis usque pastorum serie.

285. Carent in primis reformatores *authentica missione*, qui defectus admodum efficax praebet adversus haereticos omnes argumentum. Cum s. Paulus tam serio graviterque pronunciet: *Licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis praeter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut praediximus et nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit* (Gal. 1, 8. s.); imo cum Christus solemniter affirmet: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (Matth. 18, 17.): merito fideles, quotiescunque aliquis aliam, quam ab Ecclesiae pastoribus acceperint, doctrinam, annunciat, etiamsi se divinitus missum, reformatorem, puri evangelii praeconem jactet, postulare possunt et debent, ut *authentice* probet missionem suam. Neque enim ullus rex alterius regis legatum recipiet, nisi legationi suae redditis regiis literis fidem faciat. Porro duplex distingui potest missio, *ordinaria* alia et alia *extraordinaria*. *Ordinaria* ille

[1]) Cf. horum et alia testimonia apud Döllinger *die Reformation* t. 1. pag. 29, 37, 57. ss.; 97. ss.; 178. ss.; 354. ss.; 531. ss.; 552. ss. etc.; Wiest *instit. theolog.* t. 3. § 14, 166. ss.; opus inscriptum *Beleuchtung der Vorurtheile wider die kath. Kirche,* von einem protest. Laien Zürichs ed 3. Lucernae 1843. t. 1. part. 1. pag. 93. ss.; Storchenau *Philos. der Religion* passim t. 7. diss. 6. praesertim p. 267. ss.; Jodocus Coccius recenset in *thesauro catholico* 80 exempla variationum et contradictionum in doctrina Lutheri; Evers *M. Luther Lebens- und Charakterbild.*

fruitur, qui ab Ecclesiae pastoribus ad opus apostolicum vi ordinationis, electionis, mandati destinatur. Hac carent omnes illi, qui se Ecclesiae reformatores novosque apostolos jactant, cum Ecclesia illos novam aliamque proponentes doctrinam reprobet, damnet, docendi munere et jure privet. Verum ubi deest missio ordinaria, *extraordinaria* esse potest, quae tamen *extraordinariis* quoque signis argumentisque comprobari debet, ne fingendi simulandique libidini lata aperiatur via. Neque sufficit ad Scripturas provocare, cum id sit commune *omnibus pseudoapostolis* seu haereticis a primo usque ad novissimum. Ceterum jus Scripturas authentice interpretandi competit Ecclesiae (n. 115. s.). Quare notae quaedam prorsus singulares et divinae, ut sunt miracula aliaque charismata supernaturalia, requiruntur[1]). Quod etiam inductione illustrari poterit. Missus fuit Moyses missione extraordinaria ad Pharaonem pro populi israelitici liberatione, qui non contentus verbis, factis i. e. miraculis eam comprobavit; ita passim prophetae V. T. Quid ipse Christus missus in hunc mundum? *Si opera non fecissem in eis,* inquit, *quae nemo alius fecit, peccatum non haberent* (Joan. 15, 24.). Satis ei non erat, se Dei Filium affirmare, verbis suis miracula patrando fidem conciliavit. Ita et apostoli atque tot viri apostolici se gesserunt. Atqui protestantes ejusmodi signa *extraordinaria*, quibus suam missionem comprobarent, nunquam attulerunt, nunquam exhibuerunt. Proinde nullo modo sibi vindicare possunt missionem *extraordinariam.* Ergo *ne audiendi quidem* sunt. Profecto nimis *clare,* nimis *alta voce* intonat Paulus: *Licet . . . angelus de coelo evangelizet vobis praeter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit* Gal. 1, 8. Nimis territica sunt verba Christi: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* Matth. 18, 17. Ideoque pendeant fideles ab ore Ecclesiae romano-catholicae, quam veram Christi Ecclesiam esse comprobavimus; cum hac enim est Christus et Spiritus veritatis, extra hanc non est salus, haec fundata est supra petram, adversus quam portae inferi non praevalebunt.

Quare absolvimus tenera exhortatione s. Augustini, qua donatistas, omnesque ab Ecclesia romano-catholica dissidentes, ut ad illam redeant, invitat in *psalmo contra partem Donati:*

> Venite, fratres, si vultis, ut inseramini in vite.
> Dolor est, cum vos videmus praecisos ita jacere.
> Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede,
> Et in ordine illo patrum quis cui successit, videte:
> Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.
> Omnes, qui gaudetis de pace, modo verum judicate.

---

[1]) Cum tamen aliunde certum sit, Ecclesiam non deficere, proinde nec errare posse, neque enim unquam Christus vel Spiritus s. eam deseret; hinc novus apo-

PARS II.

DE ROMANO PONTIFICE.

286. Mutuo collatis regulis, quibus catholica credendi sentiendique de primatu romani pontificis ratio definitur, colligimus universam doctrinam *de Primatu* hisce absolvi capitibus: **1.** voluisse Christum, ut praeter episcopos particularium ecclesiarum rectores unus esset aliquis pastor, cui universum ovile dominicum crederetur; **2.** primum ejusmodi pastorem fuisse Petrum; cui **3.** alii deberent ad consummationem usque seculi succedere, atque hos successores esse antistites romanos; tandem **4.** Petri ejusque successorum primatum *plenitudinem potestatis* complecti. Quare ad *quatuor* capita tractatum hunc revocabimus. Quia vero Christi voluntas clare colligitur ex dicendis c. 2., initio evincemus quasi a priori primatus convenientiam et necessitatem *ex analogia dogmatum,* seu ostendemus, omnia, quae de Ecclesia sive credimus sive scimus, logica consequentia exigere et postulare *unum quendam supremum pastorem,* ne sit manca, ne imperfecta, neve collabatur Ecclesia.

Caput I.

De primatu in universam Ecclesiam ex fidei analogia.

287. Supponimus **1.** *ex voluntate Christi Ecclesiam excellere debere unitate,* et unitate non quacunque, sed **a.** *extensionem* si spectes, *catholica* et universali, quae proinde complectatur gentes moribus. indole et cultu quam maxime diversas; si vero *durationem* **b.** *perpetua;* **c.** unitate *interna,* quae totum afficiat et pervadat hominem, et *intellectum* per eandem *fidem,* in quam omnes conspirent, et *voluntatem* per *obedientiam,* et *cor* per eundem *cultum,* unitate proinde *sociali,* vi cujus omnes unum constituant ovile unumque corpus, vivum utique atque harmonicum (th. XXXIV.). Ejusmodi vero unitas constare sibi nequit sine externo authentico medio, quo jugiter efficiatur, servetur et defendatur. Et sane si homines, teste Paulo Rom. 10, 11. ss., ne ad fidem quidem ordinario adducuntur citra *externum* aliquod medium scil. ministerium hominum authenticum idque visibile) *quomodo enim credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante)*: multo minus tot hominum myriades in unitate fidei conservabuntur citra idem vel simile medium. Cf. supra n. 223.

---

stolus, qui aliam ab ecclesiastica doctrinam annunciat, semper respuendus atque anathemate percellendus foret secundum verba Pauli supra allata, et inter illos numerandus, quos venturos praedixit Christus: *Surgent pseudochristi et pseudoprophetae: et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. Ecce praedixi vobis* (Matth. 24, 24.).

288. Quaeritur jam **2.** quodnam sit illud medium authenticum et externum a Christo institutum ad efficiendam conservandamque Ecclesiae unitatem. *Illud non esse s. Scripturam* jam ostendimus n. 105. s. et 166. *Neque* **3.** *munus efficiendae conservandaeque unitatis ecclesiasticae concreditum est supremis rerum publicarum moderatoribus.* Sane unitas ecclesiastica conservari nequit eo medio, quod destitutum est jure interpretandi Scripturas, condendi symbola, haereses et schismata judicio constituto damnandi, potestate excommunicandi. Atqui haec potestas principibus neque jure naturae, neque jure positivo divino, neque jure ecclesiastico competit. Quod luculentissime confirmant patres suffragio suo. »Quando audisti, scribit Ambrosius ad Valentinianum juniorem ep. 20. n. 4., clementissime imperator, in causa fidei laicos de episcopis judicasse? Ita ergo quadam adulatione curvamur, ut sacerdotalis juris simus immemores, et quod Deus donavit mihi, aliis putem esse cedendum? Si docendus est episcopus a laico, quid sequetur? Laicus ergo disputet et episcopus audiat; episcopus discat a laico! At certe si vel divinarum Scripturarum seriem vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat in causa fidei, in causa, inquam, fidei episcopos solere de imperatoribus christianis, non imperatores de episcopis judicare?« Id fassi quoque sunt imperatores prudentiores, ut Constantinus, Honorius in sua sacra ad Arcadium de s. Joan. Chrysostomo: »Si quid de causa religionis inter antistites ageretur, episcopale oportuerit esse judicium; ad illos enim divinarum rerum interpretatio, ad nos religionis spectat obsequium;« Theodosius junior in *ep. ad syn. ephesinam* etc. Ratio autem, quare unitatis custodia non sit concredita principibus, perspicua est. Horum enim potestas circumscribitur limitibus ditionis suae. Atqui potestas limitibus ditionis circumscripta nequit esse ratio sufficiens catholicae unitatis, imo semen potius est jugis schismatis fonsque exitialis illius axiomatis: cujus regio, illius et religio. Hac praeterea hypothesi admissa Ecclesia caruisset diu principio unitatis et careret toties, quoties princeps est infidelis, haereticus, hostis etc.

289. *Neque* **4.** *hoc medium est universalis fidelium coetus;* nam ut aliunde constat, Ecclesiae coetus est *inaequalis* (th. XXVIII.), in quo alii praesunt, alii subsunt; et propter ipsam fidelium multitudinem requiritur medium, quod illam ad unitatem revocet; ergo ipsa multitudo tot hominum ad discordiam propter innatam fragilitatem prona concordiae efficiendae nequit esse medium[1]). *Neque* **5.** *unitatis tutela concredita est singulis episcopis,* tum quia hi ipsi inter se quam facillime possunt dissidere, tum quia

[1]) Frustra vero provocant nonnulli ad Matth. 18, 15. ss., ubi ipsa Ecclesia exhibetur tribunal componendorum inter fratres dissidiorum. Nam licet *Ecclesiae* nomen designet persaepe fidelium coetum, designare etiam potest *pastorum coetum;* neque enim infrequens est societati tribuere, quod illius praesides agunt. Hic autem revera nomine *Ecclesiae* designari *pastorum coetum* evincit **a.** contextus, qui ostendit Ecclesiam, de qua est sermo, constare iis, quibus concredita est potestas ligandi atque solvendi; haec vero collata fuit non indiscriminatim omnibus fidelibus, sed speciatim apostolis eorumque successoribus; confirmatur **b.** practica interpretatione Ecclesiae, ex cujus historia novimus, non fidelium coetum, sed pastores exercuisse judicia; quod **c** non aliunde Ecclesia didicit, quam ex aposto-

principium unitatis efficiens polleat necesse est auctoritate in Ecclesiam universam, qua singulares episcopi, ut per se patet, carent[1]).

290. *Neque 6. unitatis custodia aristocratico pastorum coetui commissa est.* Quod in primis tenendum est contra anglicanos seu *episcopales,* secundum quos Christus ecclesiarum particularium unitati consuluit episcoporum, qui singuli singulis praeessent, institutione: universalis vero Ecclesiae unitati non providit instituto pastore supremo, sed pastorum ecclesiarum particularium coetu. Verum adversus anglicanos animadvertimus **a.** si tantum fuit penes Christum unitatis cura, ut voluerit illius tutelam in particularibus ecclesiis singularibus praepositis commissam, quamquam impossibile non sit, unitatem ecclesiae particularis per presbyterorum coetum conservare: quanto magis voluit, ut catholica unitas universali crederetur antistiti. Praesertim **b.** cum unitas catholica jugis esse debeat atque perpetua; jugi proinde atque perpetuo instructa sit necesse est medio quodque semper in promptu sit; ejusmodi vero medium non sunt permanentes synodi universales. Quid, si **c.** episcopi inter se dissentiant, quod historia teste facile contingere potest? Carebit tunc Ecclesia unitatis principio, quando quam maxime illo eget. Denique **d.** ipse pastorum coetus, ut sit unus ac proinde ad unitatem efficiendam par, eget unitatis centro et radice. Aliquis enim esse debet, qui jure et auctoritate illum convocare possit et convocet, qui illi praesideat, qui negotia dirimenda proponat, decreta exsequatur etc.

291. **Thesis XL.** ***Jus officiumque servandae tuendaeque catholicae unitatis factum divinitus est singulari cuidam pastori, cui ceteri omnes obnoxii sint.***

Demonstratio. Hoc sponte sua per modum corollarii consequitur ex dictis, et confirmari insuper potest pluribus conjecturis rationibusque haud spernendis. **1.** Synagoga Ecclesiae typus, licet lege, qua ab ipsa servanda clare erant expressa, regeretur, novis in dies revelationibus edoceretur, regeretur divinitus, uno regno constaret unoque populo, Deo volente uno summoque visibili praeside non caruit. Conjicere ergo licet, neque Ecclesiam summo hierarcha destitui. **2.** Christus

---

lorum praxi, qui auctoritate divinitus sibi collata judicia exercuerunt. Cf. Act. 5, 2. ss.; 8, 19. ss.; 1. Cor. 5; 1. Tim. 1, 20.; 5, 20. Merito proinde Chrysostomus locum hunc ita explicat: *Dic Ecclesiae* h. e. praepositis.

[1]) Licet episcopi apostolorum sint successores, singuli tamen seorsim spectati non ex asse et in solidum heredes sunt apostolicae auctoritatis, nec jurisdictionis in Ecclesiam universam, sed eis succedunt vel quatenus apostoli rexerunt particularem aliquam Ecclesiam, vel ut membra coetus episcopalis, qui successit collegio apostolico, cui universum Christi ovile regendum pascendumque fuit commissum.

Ecclesiam suam passim confert ovili, corpori, domui, regno, quibus symbolis non alia adumbratur societas, quam quae ad unum revocatur praepositum visibilem. Illud **3.** Ecclesiae regimen Christum praetulisse haud injuria censetur, quod prae ceteris magis opportunum atque efficax est ad unitatem, quae tantum ei cordi fuit, efficiendam conservandamque. Attenta autem hominum conditione prae ceteris formis aptum est atque efficax regimen *monarchicum;* quod **a.** non solum patres, sed et veteres philosophi docent; **b.** confirmatur auctoritate divina, cum illud Deus selegerit pro familia, synagoga et ordine mundano; necnon **c.** inductione, cum respublicae sint rarae, monarchia vero fere ubique viguerit vigeatque; quod factum saltem suadet, hanc regiminis formam naturae humanae magis esse consonam. Hoc **d.** evincit ipsa rei natura. Quo enim unitatis principium magis est unum et ipsum magis a scissione remotum, eo facilius unitatis formam multitudini imprimere poterit: quod autem *physice* est unum, magis est unum eo, quod pluribus constans morali tantum fruitur unitate. Quo latius patet regnum, eo potentius esse debet unitatis centrum magisque in promptu ad laesam unitatem mox resarciendam; sed quo magis ad unum revocatur potestas minusque per plures diffunditur ac velut scinditur, eo efficacior eadem est et magis in promptu. Hoc denique **e.** luculentissime probant facta. Unde enim in Ecclesia romana tanta unitas, qua ipsa non obstante tam lata diffusione omnes longe praecellit coetus religiosos? Inde quod ejus regimen per consertos gradus ad singularem tandem supremumque pastorem revocetur. Unde vero protestantium coetus quam remotissime absunt ab hac unitatis idea, et in dies semper magis in fragmenta dissipantur innumera? Quia rejecto pastore universali carent omni medio, quod par sit efficiendae unitati. Quare ipsa historia religionis christianae evincit, medium tutandae ecclesiasticae unitatis divinitus selectum esse regimen monarchicum[1]).

---

[1]) Cum loquimur de regimine monarchico, praescindimus modo, utrum illud sit absolutum an temperatum quadam aristocratia vel etiam democratia; intelligimus enim eo formam illam regiminis, quae tandem revocatur ad unum, qui ceteris jurisdictionis potestate praesit. Ad rem s. Thomas ita disputat *contra gentes* l. 4. c. 76: „Nulli dubium esse debet, quin Ecclesiae regimen sit optime ordinatum, utpote per eum dispositum, per quem *reges regnant et legum conditores justa decernunt* (Prov. 8, 15.). Optimum autem regimen multitudinis est, ut regatur per unum, quod patet ex fine regiminis, qui est pax: pax enim et unitas subditorum finis est regentis; unitatis autem congruentior causa est unus, quam multi. Manifestum est igitur regimen Ecclesiae sic esse dispositum, ut unus toti Ecclesiae praesit . . . . Si quis autem dicat, quod unum caput et unus pastor est Christus, qui est unus unius Ecclesiae sponsus, non sufficienter respondet. Mani-

292. Quae illatio **4.** confirmatur luculento suffragio patrum, qui passim docent cum Hieronymo l. 2. *contra Jovinianum* n. 26., propterea inter duodecim (apostolos) unum fuisse electum, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio. Nam, ut idem in *dialogo adv. luciferianos* advertit n. 9., »Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens tribuatur potestas, tot in Ecclesia schismata orientur quot sacerdotes.« Quam autem hoc consilium rerum naturis sit congruum, exemplorum inductione ostendit in epist. *ad Rusticum* monachum. »Etiam muta animalia, ita ille n. 15., et ferarum greges ductores sequuntur suos. In apibus principes sunt: grues unam sequuntur ordine liberato [1]). Imperator unus, judex unus provinciae. Roma ut condita est, duos fratres simul habere reges non potuit, et parricidio dedicatur. In Rebeccae utero Esau et Jacob bella gesserunt (Gen. 25, 22.). Singuli ecclesiarum episcopi, singuli archipresbyteri, singuli archidiaconi, et omnis ordo ecclesiasticus suis rectoribus nititur. In navi unus gubernator, in domo unus dominus, in quamvis grandi exercitu unum signum exspectatur.« Cf. s. Cyprianus in aureo l. *de unit. Eccl.* n. 4. et Optatus milev. *de schismate donat.* l. 2. n. 2. ita Parmenianum alloquens: »Igitur negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est; in qua *una* cathedra *unitas ab omnibus servaretur,* ne ceteri apostoli singulas sibi quisque defenderent: ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret.«

Quare dubitari nequit, quendam in Ecclesia exsistere primatem, cui unitatis cura et custodia sit commissa. Quem instituti primatus scopum expressit quoque conc. vaticanum in exordio sess. 4. docens:

---

festum est enim, quod ecclesiastica sacramenta ipse Christus perficit; ipse enim est, qui baptizat, ipse est, qui peccata remittit, ipse est verus sacerdos, qui se obtulit in ara crucis et cujus virtute corpus ejus in altari quotidie consecratur: et tamen quia corporaliter non cum omnibus fidelibus praesentialiter erat futurus, elegit ministros, per quos praedicta fidelibus dispensaret, ut supra (c. 74.) dictum est. Eadem igitur ratione, quia praesentiam corporalem erat Ecclesiae subtracturus, oportuit ut alicui committeret, qui loco sui universalis Ecclesiae gereret curam. Hinc est quod Petro dixit ante ascensionem: *Pasce oves meas* (Joan. 21, 17.) etc.«

[1]) Hugo Grotius in *Voto pro pace* ad art. 7. ad rem ita scribit: »Gradus praepositorum in Ecclesia esse debere et per illos gradus compaginari Ecclesiam, docuit nos Paulus Eph. 4. 11. Ordo sive in partibus, sive in toto continetur principatu quodam sive praepositi unitate. Et hoc est quod in Petro nos Christus docuit. Hoc a Christo didicit Cyprianus; idem cum Cypriano dicit Hieronymus adversus Jovinianum . . . Tale caput est inter presbyteros episcopus; inter episcopos metropolitanus aut alio quis modo electus, ut ceteris praesit. Tale inter omnes episcopus romanus.« A quibus sejungi non debent quae advertit *animadv. in animadv. Riveti* ad art. 7: »Sicut exercitus, sicut navis regi non potest nisi per gradus praefectorum, qui gradus in unum desinant: ita nec Ecclesia. Etsi omnes, qui sunt in Ecclesia, essent dilectione summa praediti, tamen tali ordine esset opus. Deus non amat facere semper miracula, sed ad res optimas etiam optimas monstrat vias, qualis est ad unitatem certus ordo.«

„Ut vero episcopatus ipse unus et individuus esset et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, b. Petrum ceteris apostolis praeponens (Christus) in ipso instituit perpetuum unitatis principium ac visibile fundamentum, super cujus fortitudinem aeternum exstrueretur templum, et Ecclesiae coelo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurgeret." Cf. *Comp.* I, 309. ss.; praef. *opusc.* X. n. 8. ss.

293. **Corollarium I.** Quod si Christus voluit unum suae Ecclesiae praeesse pastorem, supra omne dubium est, primum fuisse inter apostolos Petrum, et hujus dein successores romanos episcopos; nam praeter hos nullus unquam episcoporum ausus est sibi primatum in *universam* asserere Ecclesiam; adeo est evidens vel nullum in Ecclesia primatui esse locum vel eum deberi romano antistiti. Et revera *splendidissimum factum conservati tamdiu atque adhuc florentis primatus hujus sedis divinam illius orginem manifestat.*

Sane consideretur **1.** tam diuturna per tot secula primatus *duratio* absque interruptione; **2.** *chorographica amplitudo* certo quodam sensu oecumenica; **3.** *character biographicus* eorum, qui primatus praerogativa fuere insignes. Quot enim refulserunt omnis virtutis splendore, studio propagandae religionis christianae, animi magnitudine? tot fuerunt, quot in nulla alia sede, ecclesia, regno. Consideretur **4.** character illorum, in quos sui primatus jura et munera exercuerunt ac porro exercent. Non enim praefuerunt rudibus tantum, sed et viris doctis, sanctis, propriorum jurium tenacibus, quique erant antiquitatis jurisque divini gnari, potentibus quoque hujus seculi. Expendatur **5.** objectum tam theoreticum quam practicum, ad quod hujus primatus jura referuntur; exigit enim obsequium non tantum externum, sed et internum, non tantum corporis, sed et mentis et cordis circa objecta haud facilia. Recenseantur **6.** hostes interni externique in primatus perniciem conjurati (cf. thes. XI.), sed vicissim quoque amor filialis et strenuus catholicorum erga romanos episcopos, qualis maxime nostra aetate elucet. In memoriam **7.** revocentur triumphi de hostibus omnis generis relati. Quibus expensis manifestum erit, primatum non esse usurpationis humanae, sed institutionis divinae.

294. Solent **1.** protestantes primatum, quem romani pontifices exercuerunt atque adhuc exercent, partim horum adscribere astutiae, partim ignorantiae medii aevi etc. Sed quare **a.** solus romanus episcopus consilium cepit asserendi sibi primatum in universam Ecclesiam? Quare **b.** huic uni pro votis omnia successerunt nullosque **c.** habuit aemulos, si unum excipias episcopum CP., qui tamen diu romani antistitis agnovit primatum et qui non in universam Ecclesiam, sed tantum in Oriente principatum meditatus est? Quare **d.** hic episcopus, licet imperatorum juvaretur potentia suffra-

gioque plurimorum antistitum aulicorum, ad tempus tantum consecutus est patriarchatum in Orientem, redactum nunc ad primatus umbram?

Neque 2. adscribatur primatus romani antistitis urbis splendori; tunc enim maxime primatus effulsit, cum civitatis hujus splendor obscurari coepit imperii sede Constantinopolim translata, cumque saepius a barbaris capta, spoliata atque vastata fuit. Imo potius dicendum est ex primatu novum majoremque splendorem redundasse in Urbem. Quare nunquam patres, concilia et pontifices ad Urbis majestatem provocant pro asserendo episcopo primatu, sed constanter ad Christi verba: *Tu es Petrus* etc. Urbis splendor et majestas ratio esse potuit, cur s. Petrus seu verius Christus per suum vicarium hic potius voluerit quam alibi sedem primatus figere, sed nunquam ratio erat et fons ipsius primatus.

295. Neque 3. adscribatur primatus dotibus personalibus romanorum praesulum. Nam hae dotes non erant exclusive ipsorum, cum et alii aliarum sedium antistites virtutibus essent insignes; neque omnes romani episcopi iis excelluerunt, imo Deo permittente contingit, ut aliqui maculis haud carerent, *ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus* (1. Cor. 1, 29.). Scil. sicut Deus noluit, ut apostoli eminerent dotibus naturalibus, scientia, eloquentia, divitiis etc., ne conversio mundi his potius adscriberetur quam ipsius virtuti, sed *quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia* etc. (ib.), *ut non glorietur omnis caro in conspectu Dei:* ita sapientissimo Dei consilio permissum est, ut subinde minus digni imo et indigni sederent in cathedra Petri, ne episcoporum prudentiae, sapientiae aliisque naturalibus vel etiam supernaturalibus praerogativis tribueretur primatus. Quare tantum abest, quominus scandalo afficiamur propter quorundam pontificum maculas, ut potius in hoc admiremur laudemusque Dei sapientiam et providentiam atque fateamur: *Digitus Dei est hic* (Ex. 8, 9.).

296. **Corollarium II.** Si autem Christus voluit, ut ad unitatis catholicae custodiam et tutelam unus Ecclesiae praesit pastor, ejus formandae et continendae potestatem, primatum proinde jurisdictionis illi contulit. Neque enim tanta hominum ad discordiam pronorum multitudo in tam consertam unitatem compingi potest, nisi adsit praecipiendi, obligandi, puniendi potestas.

297. **Corollarium III.** Imo ex hac romani pontificis praerogativa sponte sua sequitur ejus in fidei decretis, cum universam Ecclesiam authentice docet, *infallibilitas.* Sane 1. unitas Ecclesiae maxime exigit unitatem fidei, cum fides sit Ecclesiae fundamentum, Ecclesia schola Christi, quae fide regitur, sit regnum veritatis. Proinde 2. primatus institutus ad conservandam unitatem esse debet per se sufficiens ad eam maxime in fide efficiendam; quare 3. vim habere debet obligandi omnes ad consensum in eandem fidem; ubi enim nulla obligatio, ibi permissus est dissensus: ubi dissensus vel saltem dissentiendi jus, nulla consonantia seu fidei unitas esse potest. Cum vero 4. primatus per se vi suae institutionis sit principium unitatis, non depen-

denter ab Ecclesia, quam ad unitatem revocare debet, habebit vim obligandi ad consensum in eandem fidem independenter ab Ecclesiae assensu. Fidei autem unitati **5.** non satisfit mera exteriori observantia et obsequio oris, sed ea omnino exigit mentis assensum atque obsequium. Quare romano pontifici vi primatus, ut idoneum sit principium unitatis in fide, tribuenda est potestas, qua possit obligare ad assensum et obsequium mentis. Cum vero **6.** fidei assensus esse debeat firmissimus excludens omne dubium deliberatum, auctoritas exigens assensum fidei posita sit supra omne dubium necesse est. Quam primum enim dubitare licet de veritate definitionis, non possumus prudenter illi assentire assensu, qui excludat omne dubium. Verum 7. sola auctoritas infallibilis est supra omne dubium posita; quoties enim aliqua auctoritas errare potest, toties, saltem si graves rationes adsint in contrarium, de ejus sententia dubitare licet, proinde ea assensum supra omne dubium positum exigere nequit; quare tunc tantum par est ad exigendum assensum, qui non obstante quavis ratione vel difficultate in contrarium excludat omne dubium, si ipsa nulli sit errori obnoxia, ideoque infallibilis. Ergo ex ipso fine instituti primatus ejusdem infallibilitas consequitur.

Caput II.

De Primatu Petri Apostoli.

298. *Quadruplex* primatus distingui potest: Primatus **1.** *honoris* seu *ordinis,* qui praeeminentia continetur quoad actus honorificos v. gr. ut quis primum occupet locum sive in sedendo sive in incedendo etc.; 2. *auctoritatis,* qui est praeeminentia in negotiorum directione; 3. *excellentiae,* illius proprius, qui in certo ordine ceteros aliqua dote praecellit, quo sensu Demosthenes v. gr. princeps dicitur oratorum; et 4. *jurisdictionis,* qui potestate regendi subditos non solum directiva, sed *praeceptiva* continetur, ac proinde potestatem *legiferam, judiciariam* et *coactivam* complectitur. Jam vero protestantes libenter concedunt b. Petro primum et si vis alterum etiam primatum, quem vel ob aetatem vel fervorem ei Christum concessisse haud infitiantur, et haud pauci ex catholicis recentioris aetatis principum adulatoribus, Petri primatum ad quandam tantum honoris praerogativam redegerunt. Contra quos docet conc. vaticanum sess. 4. cap. 1., „juxta Evangelii testimonia primatum jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe b. Petro apostolo promissum atque collatum fuisse;" et iterum: „Si quis igitur dixerit b. Petrum ap. non esse a Christo Domino constitutum apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput, vel eundem honoris tantum, non autem

verae propriaeque jurisdictionis primatum ab eodem D. N. J. Christo directe et immediate accepisse, A. S.“ Quare ex ordine ostendemus, Christum Petrum ceteris praetulisse apostolis, primatum ei promisisse promissumque contulisse, atque Petrum inde ab ipsis Ecclesiae originibus primatum, quantum id exposcerent temporum adjuncta, exercuisse.

299. **Thesis XLI.** ***Ex singulari Christi Domini in Petrum oeconomia et ex universa evangelistarum loquendi scribendique ratione merito infertur, Christum ceteris apostolis praeposuisse Petrum.***

Demonstratio p. I. Hac in thesi Petro nondum vindicabimus jurisdictionis primatum, sed contenti sumus ostendere, Christum eum saepius ceteris apostolis anteposuisse, adeo ut primus inter eos emineret. Expendantur enim **1.** quae leguntur *de nominis Cephae promissione* Joan. 1, 42.: *Et adducit* (Andreas) *eum* (Simonem) *ad Jesum. Intuitus autem eum Jesus dixit: Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Quod nomen ei revera imposuit Marc. 3, 16.: *Et imposuit Simoni nomen Petrus.* Vim vero nominis interpretatus est Matth. 16, 18: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Jam vero advertatur **a.** Christum res magni momenti antea promittere vel praedicere Matth. 16, 21.; Joan. 6, 52. ss.; 16, 4. etc.; **b.** nomen *Cephas* designare praerogativam Christi propriam Is. 28, 16.; Ps. 117, 22.; Matth. 21, 42. etc.; tantam **c.** esse Christi bonitatem et gratiam, ut nomina sua discipulis communicaverit; **d.** Dei esse proprium non nuda et vacua imponere nomina, sed simul quod nomine significatur elargiri, quod egregie illustratur iis, quae legimus de mutatione nominis Abram in Abraham, Sarai in Sara Gen 17, 5. 15. Cf. quoque Gen. 32, 28.; Matth. 1, 21.; Paralip. 22, 9. Quare **e.** cum Christus *uni* Petro hoc imposuerit nomen, praerogativam quoque eo expressam prae ceteris illi tribuisse inferendum est, ut manifesto colligitur ex Matth. 16, 18. „Quid est quod ait? inquit Hieronymus *in Matth.* 16, 18. *Et ego dico tibi.* Non sermone casso et nullum habente opus, sed dico tibi, quia meum dixisse fecisse est: *quia tu es Petrus* etc. Sicut ipse lumen apostolis donavit, ut lumen mundi appellarentur, ceteraque ex Domino sortiti sunt vocabula, ita et Simoni, qui credebat in Petram Christum, Petri largitus est nomen.“

300. Legimus **2.** Matth. 17, 23. ss. inter alia Christum ad Petrum dixisse: *Vade ad mare et mitte hamum, et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle et aperto ore ejus invenies staterem; illum sumens, da eis pro me et te.* Prosequitur autem evangelista 18, 1.: *In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Quis, putas, major est in regno coelorum?* Quibuscum cf. Matth. 20, 25. ss. et Luc. 22, 24. ss., ubi Christi responsum ad hanc quaestionem refertur. Ex quibus habemus **a.** Christum in solvendo tributo Petrum sibi conjunxisse; tantam **b.** visam esse reliquis apostolis hanc praerogativam, ut suspicati sint, sibi praeficiendum esse Petrum; hinc **c.** ortam esse controversiam, quis eorum esset major; Christum vero **d.** non solum non negasse aliquem ex ipsis eorundem fore praepositum, verum id quantum satis est significasse, atque **e.** tantum ab eodem voluisse fastum ac pompam exclusam, ait enim Luc. 22, 26.: *Qui major* (ὁ μείζων) *est in vobis, fiat sicut minor; et qui praecessor* (ὁ ἡγούμενος) *est sicut mi-*

nistrator. Ergo cum Christus satis clare hic insinuet aliquem fore eorum praepositum, Petrum vero quavis occasione ceteris praetulerit, suadetur hunc praepositum non alium fore a Petro.

3. Ex Matth. 17, 1. ss.; 26, 36. ss.; Marc. 5, 37; 16, 7.; Luc. 12, 24; 24 34.; 1. Cor. 15, 5. consequitur **a.** Petrum semper adesse, quando Christus eximium aliquid operatur, ut in transfiguratione, in resuscitatione filiae Jairi, in horto olivarum ante passionem etc.; ipsum **b.** inter praesentes primum nominari, prae ceteris a Christo compellari, pro reliquis loqui specialem de eo geri curam, verbo praecipuam inter apostolos gerere personam. Nequit ergo negari Christum reliquis apostolis praetulisse Petrum et quidem ita, ut inter eos omnino emineret.

301. **Demonstratio p. II.** Petrus **1.** in ss. literis *nominatim* compellatur, cum alii nonnisi *generatim*, appendicis instar memorantur: ex. gr., *Simon et qui cum illo erant* Marc. 1, 36.; Luc. 8, 45.; 9, 32.; *Dicite discipulis ejus* (Christi) *et Petro* Marc. 16, 7.; *Petrus cum undecim* Act. 2, 14.; 1. Cor. 15, 5.; Dixerunt ad *Petrum et ad reliquos apostolos* Act. 2, 37.; 5, 29.; eadem scil. saepe est loquendi forma, qua vel evangelistae utuntur, cum de Christo ejusque apostolis loquuntur: illum *nominatim,* hos *globatim* significant v. gr.: Multi publicani et peccatores venientes discumbebant *cum Jesu et discipulis ejus* Matth. 9, 10. etc.; vel qua Scriptura et generatim humana consuetudo utitur, cum sermo est de principe ejusque comitibus. Hujus vero loquendi modi ratio sufficiens reddi nequit, nisi admittatur Petrum capitis instar auctoritate potiori inter apostolos praecelluisse: nam de aliis apostolis Scriptura ita loqui non solet, quod mirum, si fuissent prorsus pares. **2.** Matth. 10, 2. ss.; Marc. 3, 16.; Luc. 6, 14.; Act. 1, 13. catalogus texitur apostolorum; constanter Petrus *primo* recensetur loco, cum tamen reliquorum apostolorum ordo non sit constans; imo deserte apud Matthaeum *primus* dicitur. Praeterea alias quoque nominatur *primo loco* Matth. 17, 1.; Marc. 5, 37; 13, 3; 14, 33.; Luc. 8, 51; 22, 8.; Joan. 21, 3.; neque ullius apostolorum post Christum tam frequenter occurrit mentio in N. T. ac Petri; cujus loquendi modi ratio sufficiens non reperitur nisi in ejusdem primatu.

302. **Thesis XLII.** ***Verbis Christi Domini Matth. 16, 18. s. promittitur Petro jurisdictionis primatus in universam Ecclesiam.***

Demonstratio. Jam ad locos accedamus *classicos,* quibus Petri primatus comprobatur. Primus occurrit apud Matth. 16, 17. ss., ubi Petrus, postquam confessus est: *Tu es Christus, Filius Dei vivi,* meruit a Christo audire: *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Haec *immediate* referuntur ad Petrum. Sicut enim **1.** omnibus respondentibus omnes alloquitur Christus, ita uno respondente Petro hunc unum alloquitur. Idem **2.** censeri debet subjectum v. 18., quod v. 17. et 19: *Et tibi dabo claves regni coelorum,* intime enim cohaerent singula incisa, unamque efficiunt responsionem ad eundem directam. **3.** Verba Christi

tum interpretationem continent novi nominis *Petri,* tum remunerationem pro insigni fidei confessione. Atqui unus Simon dictus fuit Petrus, unusque Petrus confessus est Christum Dei Filium. Quare ad ipsum solum ea referri debent[1]). **4.** Omne dubium excluditur, si ratio habeatur linguae, qua usus est Christus. Locutus nimirum est Christus syriace, ideo dixisse putandus est: Tu es *Cepha* et super hanc *Cepha,* seu tu es *saxum* et super hoc *saxum* aedificabo Ecclesiam meam[2]). Quod si in utroque inciso idem est nomen, praesertim si in altero inciso repetitur cum pronomine demonstrativo, ad idem referri debet subjectum. Verba ergo *et super hanc petram* referri debent ad *Petrum.*

303. Sermonem autem hic esse de Ecclesia *universa,* manifestum est ex verbis Christi illimitatis *Ecclesiam meam.* Haec vero refertur ad Petrum tamquam ad praepositum universalem et caput, ut perspicuum est ex simplici analysi metaphorae *fundamenti:* ex qua liquet, triplicem esse habitum *dependentiae* aedificium inter et fundamentum. Aedificium enim **1.** ex fundamento suam mutuatur *firmitatem:* ideo enim non corruit sapientis architecti domus irruentibus in illam pluviis, fluminibus ventisque, quia *fundata erat super petram* (Matth. 7, 25.); nec **2.** alibi esse potest aedificium, nisi ubi est fundamentum, ex quo etiam **3.** suam habet unitatem. Quare et Ecclesia ex Petro fundamento suam habet unitatem et firmitatem, adeo ut sejuncta a Petro esse nequeat. Horum nihil est, quod non perspexerint significaverintque patres. „Quis nesciat, scribit ad Eulogium Gregorius M. l. 6. *ep. 37.,* s. Ecclesiam in apostolorum principis soliditate firmatam?" „Ubi ergo Petrus, infert Ambrosius in *Ps. 40.* n. 30., ibi Ecclesia; ubi Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita aeterna. Et ideo addidit (Christus) *et portae inferi* etc. Beatus Petrus, cui non inferorum porta praevaluit, non coeli porta se clausit, sed e contrario destruxit inferni vestibula, patefecit coelestia. In terris itaque positus coelos aperuit, inferos clausit."

---

[1]) Eoque magis, quod Christus non dixerit: Tu *vocaris* Petrus, sed tu *es* Petrus; quare ipsi non asserit solum *nomen,* sed *praerogativam* in ordine objectivo *hoc nomine expressam,* quam mox inciso sequenti explicat. In sententia adversariorum verba Christi ironiam quandam prae se ferrent. Is enim tandem aliquando esset sensus: *Vocaris* quidem petra, *sed non es* petra; te uti non possum.

[2]) Syri nullam habent agnominationem, unde Christus in utroque inciso ponere debuit Cephas. Graeci porro promiscue utuntur πέτρος et πέτρα; hinc interpres Matthaei masculinum genus πέτρος personae Petri, foemininum vero rei, quae significabatur, accommodavit. Latinus interpres secutus est graecum. Reliquae versiones habent utrobique idem nomen; ita versio armena, aethiopica, coptica, persica, chaldaica, syriaca, evangelium hebraeum, quod pro originali s. Matthaei venditavit Sebastianus Münster.

Passim propterea Petri cathedra a Cypriano *radix* et *matrix unitatis ecclesiasticae* exhibetur. „Petro primum Dominus, scribit ep. *ad Jubajanum* n. 7., super quem aedificavit Ecclesiam, et unde unitatis originem instituit et ostendit, potestatem istam dedit, ut id solveretur in coelis, quod ille solvisset in terra." Atqui nequit triplex hic habitus Ecclesiae ad Petrum concipi citra verissimum jurisdictionis primatum: neque enim ad tantam Ecclesiam in unitate continendam sufficit umbratilis aetatis, vocationis, honoris etc. primatus. Quare b. Petro jurisdictionis primatus promissus dici debet.

304. **Scholion.** Ad horum verborum splendorem obscurandum corraserunt romano pontifici plus minusve infensi theologi praeeunte in primis Launojo epist. l. 5. ep. 7. *ad Voëllum,* quotquot reperiri poterant patrum testimonia, in quibus verba: *Et super hanc petram etc.* explicantur vel *de Christo,* vel de *fide in Christi divinitatem,* vel quod in idem fere recidit, *de professione solemni a Petro edita,* inferentes propter hanc interpretationum varietatem, ex Christi verbis vel nihil vel saltem non tam splendidas primatus praerogativas erui posse.

Quibus non obstantibus contendimus, *commentarium a nobis defensum esse ad traditionem expressum ac* proinde authenticum et *omnino retinendum,* nam **1.** reliquos excellit *antiquitate,* solus enim occurrit apud patres sec. III.; alii commentarii sec. IV. non sunt antiquiores. Excellit **2.** *universalitate* et *perennitate,* nam sec. III. ut vidimus communis fuit, et quamvis deinceps alii occurrant commentarii, noster nunquam fuit exclusus, semper a patribus summae auctoritatis adhibitus; dein iterum ita invaluit et praevaluit, ut recentiori aetate vix sit exegeta catholicus, qui aliam defendat interpretationem tamquam *magis literalem* et *ad hermeneuticae regulas magis expressam.* Excellit **3.** *usu;* receptus siquidem fuit non solum in scripta patrum *dogmatica,* sed et *in formulas fidei,* ut in formulam ab Hormisda orientis episcopis, qui schismatis acaciani participes fuerant, praescriptam (n. 345.); in *institutiones catecheticas,* ut ab Augustino in *psalmum c. partem Donati* (n. 285.); in *hymnos ecclesiasticos;* ita enim scribit s. Augustinus *Retract.* l. 1. c. 21: »Dixi in quodam loco de apostolo Petro, quod in eo tamquam in petra fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus b. Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait:

Hoc ipso petra Ecclesiae
Canente culpam diluit.«

Receptus fuit in *documenta maxime solemnia,* ut a legatis sedis apostolicae in sententiam adversus Dioscorum in conc. chalcedonensi prolatam (Hard. 2, 346.), ubi recensitis Dioscori sceleribus pronunciant: »Unde ss. et bb. archiepiscopus magnae et senioris Romae Leo per praesentem sanctam synodum una cum ter bb. et omni laude digno b. Petro ap., qui est petra et crepido catholicae Ecclesiae et rectae fidei fundamentum, nudavit eum tam episcopatus dignitate, quam etiam et ab omni sacerdotali alienavit ministerio.« Receptus fuit vel a *sectis Orientis*[1]).

[1]) Cf. Jos. David in op. *Antiquae ecclesiae syro-chaldaicae traditio circa Petri ap. ejusque successorum rom. pontificum divinum primatum,* Romae 1870., e quo

305. Quare traditionis inspecto suffragio praeferendus est noster commentarius, eoque magis **4.** quod reliquae interpretationes eum non excludant, imo potius cum eo conspirent, adeo ut iidem patres nunc hoc utantur, nunc altero, quandoque etiam duos conjungant simul eodem in contextu. Et sane eatenus tantum Petrus petra esse potest Ecclesiae, quatenus hanc praerogativam ei largitur Christus princeps petra. Eo ipso ergo quod Christus Petrum constituit Ecclesiae petram, se ipsum significavit esse Ecclesiae petram principem. Merito igitur Leo IX. ad Mich. Caerularium scribens ait. c. 7: »Sancta Ecclesia super petram i. e. Christum et super Petrum aedificata est.« Cum autem Petrus non sit Ecclesiae fundamentum secundum corpus, sed ratione fidei, nimirum tum propter insignem fidei professionem (causa *meritoria*), tum quatenus fide indefectibili instructus fidem quoque in Ecclesia universali docere tuerique pro munere debet (causa *formalis*), super fidem, non abstracte spectatam, sed quatenus Petrum informat, in eo concreta redditur et ceteris est norma credendi, Ecclesia dici poterit aedificata. Quare sicut dum Hieronymus *c. Jovin.* n. 35., Ambrosius *de interpellat. Job.* l. 1. c. 5. et 15. et Pseudo-Ambrosius *de Trinit.* c. 29. (Mig. *patrol.* 17, 541.) dicunt, super aquas Petri corpus non ambulasse, sed fidem, non negant Petrum vere aquis inambulasse, sed tantum significant, virtuti fidei miraculum tribuendum esse: ita quoque patres, dum Ecclesiam super Petri fidem vel confessionem fundatam praedicant, super Petrum fundatam non negant. Ad rem Basilius l. 2. *c. Eunomium* n. 4: »Illico per hanc vocem *Petrum* intelligimus Jonae filium... qui *quoniam fide praestabat*, Ecclesiae aedificationem in se recepit.«

306. Sequuntur apud Matthaeum 16, 19. haec alia Christi verba: *Et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Haec spectare ad unum Petrum probatur iis fere omnibus, quae diximus n. 302. et pronomine *tibi*. Proinde sicut Christus supremus architectus unum Petrum facit v. 18. Ecclesiae *petram*, ita hic qua summus rex Petrum ceu servum fidelem et prudentem constituit super familiam suam.

Ut vim argumenti nostri evadant adversarii, supponunt Petrum aliorum nomine et quasi ex eorum delegatione illam edidisse professionem: *Tu es Christus, Filius Dei vivi:* ideoque et verba ad eum dicta ad omnes spectare apostolos. Sed haec opinio est *praeter* Scripturam, in qua de ejusmodi delegatione nil legitur; est **b.** *contra* Scripturam: cum enim Christus primum interrogaverit discipulos suos dicens: *Quem dicunt homines esse Filium hominis,* non respondit Petrus ceterorum nomine, sed quilibet pro scientia sua; ergo neque cum secundo interrogavit Christus: *Vos autem*

---

florilegium exhibet cl. Bickell *Katholik* 1871. I. 18. ss.; ecclesiae armenae suffragium exhibet Azarian in l. *traditio de rom. pontificis primatu jurisdictionis et inerrabili magisterio*, Romae 1870. Pro ecclesia coptica cf. Denzinger, *Ritus orientalium* 1. 437; testimonium ecclesiae russiacae cf. apud Rudis, *Petra romana* p. 128. s.; 135. s. et testimonium ex liturgia graeca cf. apud Nilles *Kalendarii manualis* Oeniponte 1879. pag. 72. et 193.

quem me esse dicitis, respondit Petrus aliorum nomine; imo Christus *diserte* testatur, eum responsum non a carne et sanguine, sed Patris coelestis revelatione edoctum protulisse. »Ecce *ceteris non agnoscentibus,* ita Optatus *de schism. donatistarum* l. 7. n. 3., Filium Dei *solus* Petrus agnovit;« et Hilarius *in Matth.* c. 14, 17.: »Et hoc in Petro considerandum est, fide eum ceteros anteisse: nam *ignorantibus ceteris* primus respondit: *Tu es Filius Dei.*« Quare **c.** patres non solum *diserte* affirmant haec verba ad Petrum pertinere, sed etiam pertinere *principaliter, praecipue, singulariter.* Ita Optatus l. c. l. 1. n. 10.; l. 7. n. 3: »Praeferri (Petrus) apostolis omnibus meruit et claves regni coelorum communicandas ceteris *solus* accepit.« Cujus hanc bellam reddit rationem: »Stant tot innocentes et peccator accipit claves, ut unitatis negotium formaretur. Provisum est, ut peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores et quae necessaria est unitas esse non posset.« Cf. *opusc.* X, 247. an.

307. Formula autem *dare claves regni* symbolice adhibita ex usu loquendi profano et sacro *auctoritatem* prae se fert; victoribus enim traduntur claves urbis captae in subjectionis signum; et si pater familias famulo solemniter traderet domus claves, nemo dubitaret eum constitui rei domesticae dispensatorem, quod illustratur Is. 22, 19. ss.; Apoc. 3, 7. Jam vero claves regni coelorum seu Ecclesiae illi traduntur, qui jam in praecedentibus designatus est *fundamentum* et proinde caput Ecclesiae visibile, et quidem ab eo, cui data est omnis potestas in coelo et in terra (Matth. 28, 18.), qui est lapis angularis et caput princeps Ecclesiae. Cum igitur extensio subjecti regni coelorum sit plane universalis omnesque comprehendat fideles; cum is, qui hanc confert praerogativam, sit ipse supremus Ecclesiae Dominus; cum is, cui ea confertur, sit fundamentum Ecclesiae ipsaque formula potestatem significet: idcirco hisce verbis ea disignatur auctoritas, cui quotquot sunt regni dominici cives, ipsis etiam apostolis non exclusis, subjiciuntur. Quae illatio confirmatur ipsa *solemnitate*, qua Christus *soli* et *uni* Petro coram ceteris apostolis hanc facit promissionem. Merito igitur Gregorius M. *l. 5. ep. 20.* ad Mauritium imp. scribere potuit: „Cunctis Evangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto et omnium apostolorum principi Petro apostolo totius Ecclesiae cura commissa est... Ipsi dicitur: *Tu es Petrus... Et tibi dabo claves regni coelorum* etc. Ecce claves regni coelestis accipit, potestas ei ligandi ac solvendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiae et principatus committitur."

308. **Scholion I.** Provocant adversarii pro sua sententia ad quaedam Augustini testimonia, ex. gr. in *Ps. 108.* n. 1.: »Quaedam dicuntur, quae ad apostolum Petrum proprie pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gestasse personam, propter primatum, quem in discipulis habuit, sicuti est: *Tibi dabo claves regni coelorum.*« Cf. etiam tr. 50. *in Joan.* n. 12.; tr. 124. n. 5.; Beda *in Joan.* 21. etc. Unde inferunt

Ecclesiam esse hujus potestatis subjectum, ideoque eam Petro ejusque in primatu successoribus nonnisi ex Ecclesiae delegatione convenire. Verum **1.** *duplex* distingui potestatis subjectum debet, subjectum nimirum *utilitatis* et subjectum *inhaesionis.* Ecclesia est subjectum, in cujus utilitatem concessa fuit clavium potestas, non vero est etiam inhaesionis subjectum. *Triplex* vero **2.** est repraesentandi modus: **a.** *parabolicus,* qui in parabolis obtinet, in quibus factum narratur non verum, sed fictum, ad aliud significandum; **b.** *typicus,* qui quidem multiplex est; in re vero nostra ille praecipue mentione est dignus, qui competit exemplari, paradigmati, quod aliquo modo repraesentat omnia ea, quae ad illud sunt expressa; **c.** *juridicus,* qui duplex est: potest enim quis alterum repraesentare vel ex hujus delegatione, vel ratione sui muneris, characteris, dignitatis, independenter ab alterius delegatione, ex jure sive naturali sive positivo, eoque vel divino vel humano. Ita paterfamilias repraesentat familiam. Quibus **3.** praemissis negamus **a.** Petrum repraesentasse *parabolice* Ecclesiam Matth. 16, 19; neque enim l. c. parabola narratur, sed verum factum. Concedimus **b.** Petrum *typice* quoque repraesentasse Ecclesiae pastores; est enim Petrus omnium clavigerorum in Ecclesia paradigma et exemplar. Contendimus **c.** Petrum repraesentasse Ecclesiam *juridice,* non ex hujus delegatione, sed tamquam ejus a Christo designatus primas et praepositus. Hanc **4.** Augustini esse doctrinam patet vel ex ipso testimonio supra allato et ex tract. ult. *in Joan.* n. 5.: »Ecclesiae Petrus apostolus *propter apostolatus sui primatum* gerebat figurata generalitate personam.«

309. **Scholion II.** Excipi posset eadem, quae Christus Matth. 16, 19. uni promittit Petro, mox ib. 18, 18., omnibus eum postmodum polliceri apostolis: *Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.* Nihil ergo unius Petri proprium prioribus verbis enunciari, atque adeo ejus primatum illis probari non posse. Verum advertimus **1.** non omnino eadem verba ad reliquos dici apostolos, sed nonnisi aliqua. Quare non sequitur, nihil proprii hoc in l. promitti b. Petro. **2.** Verba Matth. 16, 19. praemii habent rationem, quam amitterent, si nihil proprii iis promitteretur Petro. **3.** Eorundem verborum potestas augetur atque intenditur vel remittitur *pro varia dignitate subjecti;* atqui jam vidimus Petrum petrae fundamentique dignitate[1]) prae reliquis fuisse insignitum apostolis; ergo non

[1]) Ne quis provocet ad Eph. 2, 20: *Superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu,* et inde inferat, etiam in praerogativa *fundamenti* apostolos Petro fuisse aequales. Nam quilibet **1.** videt magnum esse discrimen inter solemnem Christi promissionem et verba Pauli. Ad haec **2.** mentio quidem fit *fundamenti apostolorum,* sed fundamentum apostolorum non videtur esse idem ac *fundamentum quod sunt apostoli.* Nam etsi Petrus centies dicatur fundamentum Ecclesiae, non tamen solet Ecclesia dici superaedificata super *fundamentum Petri.* Sed etiamsi **3.** a Paulo apostoli dicantur fundamentum Ecclesiae, fundamentum appellantur *una cum prophetis,* qui profecto fundamentum Ecclesiae sunt nonnisi ratione *doctrinae* divinitus acceptae, quam annunciarunt, non vero ratione jurisdictionis et potestatis, quam in Ecclesia exercuerint. Petro autem ita tribuitur fundamenti munus, ut hoc plenam includat *jurisdictionis potestatem.* Non negamus quidem apostolos dici etiam posse funda-

eodem prorsus modo eadem verba ad eum reliquosque apostolos spectant. Insuper **4.** quo *solemnius* haec verba ad *unum* directa sunt Petrum, cui dicta sunt et illa: *Et tibi dabo claves regni coelorum,* quae nulli alii apostolorum dicta legimus, *eo pleniori* significatione ad eum pertinere censenda sunt. Traditione enim clavium, quae soli Petro concreditae leguntur, satis aperte significatur potestatem ligandi solvendique in Petro esse *originalem,* independentem ac veluti *in fonte,* quod verbis ad apostolos dictis non ita exprimitur. Quod jam patres significarunt, ut supra vidimus n. 306.

310. **Thesis XLIII.** ***Primatus praerogativa Petro promissa confirmatur verbis Salvatoris Luc. 22, 31. ss. et Joan. 21, 15. ss.***

Demonstratio p. I. Verba Christi ad Petrum Luc. 22, 31. s. sunt: *Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos;* quibus **1.** promittitur Petro *fides indefectibilis.* Confirmatur haec illatio collatione cum Matth. 16, 18. Sicut enim ibi exhibentur portae inferi pugnaturae contra Ecclesiam, ita et hic satanas cribraturus apostolos tentatione gravissima. Sicut ibi Petri soliditatem adumbrat Christus petrae symbolo, ita hic diserte promittit non defecturam Petri fidem. Sicut ibi Ecclesiae impugnandae consulit eam aedificando supra petram, quae illam sustentet: ita hic fratribus tentandis consulit injungendo Petro, cujus fidem reddidit indefectibilem, munus confirmandi fratres in fide. Significatur **2.** Petri fidem habere rationem *authentici archetypi* quoad fidem fratrum. Nam de ratione archetypi est, ut *in se sit rectum,* et prae aliis *norma recti.* Atqui ex dictis Petri fides in se semper est recta, quia indefectibilis, ideoque *potest* esse etiam norma recti; quin imo revera *est* norma, quam alii sequi tenentur, ob injunctum ministerium alios confirmandi, quod sine fratrum officio Petro confirmanti obtemperandi nequit intelligi. Quare **3.** sponte sua consequitur insignis Petri praerogativa, qua primatu fidei et magisterii inter fratres eminet. Qui primatus **4.** illustrior etiam est, quod *fratrum* nomine ipsi intelligi debeant *apostoli:* eos enim confirmandos suscepit Petrus, quos satanas cribrandos expetierat; hi autem in primis erant apostoli: *Satanas expetivit vos.*

---

mentum Ecclesiae et ratione fundationis et ratione potestatis, quam in eam acceperint: sed hoc ex textu, qui objicitur, erui non poterit; quod si ita appellantur, ea notentur, quae infra n. 315. de aequalitate et inaequalitate apostolorum opportunius dicemus. Revera **4.** discrimen esse inter modum, quo Petrus est Ecclesiae petra, et modum, quo reliqui apostoli Ecclesiae sunt fundamentum, patet etiam ex universa antiquitate, quae neque apostolos universim, neque apostolos singillatim, ne Paulum quidem, tanta emphasi et tanta constantia salutat Ecclesiae fundamentum, petram, crepidinem, ut salutat Petrum. Quare antiquitas christiana hunc non vidit parallelismum, sed potius hac praerogativa Petrum a ceteris discrevit apostolis.

311. **Demonstratio p. II.** Joannis 21, 15. ss. legimus: *Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: Etiam, Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, amas me? et dixit ei: Domine, tu omnia nosti: tu scis, quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas.* Quibus verbis non continetur mera *exhortatio* et *admonitio,* sed ministerii potestatisque collatio. Sane pascere idem est ac exercere officium pastorale, quod tria complectitur: **a.** praebere pabulum et ad pascua ducere; **b.** oves in unitatem redigere atque in unitate conservare, hinc Ez. 34, 5: *Dispersae sunt oves meae, eo quod non esset pastor;* et illud Christi: *Et fiet unum ovile et unus pastor* Joan. 10, 16; **c.** oves tueri ab incursantibus lupis Joan. 10, 9. ss. Quod si sermo est de ovibus *rationalibus,* complectitur potestatem *legiferam, judiciariam* atque *coactivam,* ideoque ex usu loquendi biblico (atque etiam profano) pascere idem est ac *praeesse, regere, gubernare.* Ita Ps. 2, 9: *Reges* (ποιμανεῖς) *eos in virga ferrea;* Matth. 2, 6: *Ex te enim exiet dux, qui regat* (ποιμανεῖ) *populum meum Israel;* et Christus, qui profecto potestate legifera, judiciaria atque coactiva in omnes fruitur fideles, saepe *pastoris* nomine ejusque auctoritas *pascendi* potestate designatur. Quare Christus abiturus in coelum hisce verbis contulit Petro jurisdictionis potestatem, seu omnem illam potestatem, quam reliquit in fidelium utilitatem. Haec autem potestas se porrigit ad ovile Christi, qua late patet, ne *apostolis* quidem exclusis, ut eruitur **a.** ex verbis *agnos meos, oves meas,* quae infinite patent; **b.** ex Matth. 16, 18., ubi universa qua late patet Ecclesia (*Ecclesiam meam*) eidem sustentanda praedicitur; quod vero ibi promittitur, hic confertur. Apostolos autem **c.** non esse exclusos patet etiam ex Luc. 22, 31. s. (n. 310.). Quare saltem ex hoc capite Petri potestas pascendi reliquorum apostolorum potestatem praecellit[1]), quod illa se ad ipsos extendat apostolos, horum vero nulla in Petrum sit auctoritas; unde sponte sua sequitur Petri primatus in universam Ecclesiam.

[1]) Neque quis putet, hisce verbis Petro *apostolatum* trina negatione amissum a Christo fuisse *restitutum.* Nam licet ex sententia patrum idcirco Petrum Christus *ter* de amore interrogaverit, ut *trina confessione trinam* repararet *negationem;* tamen probari nequit **1.** Petrum trina negatione *amisisse* apostolatum; hujus enim amissionis nullum vestigium in divinis literis. Deinde **2.** dato etiam quod Petrus illum amiserit, eum jam iterum receperat in prima apparitione apostolis congregatis facta, tum cum illis Christus dixit: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum* etc. Joan. 20, 21.

312. **Thesis XLIV.** ***Ipsa agendi ratio Petri post Domini in coelum ascensionem, quantum satis est ostendit, haud aliter ipsum se gessisse ac illum semet gerere oportuit, qui auctore Christo omnibus praelatus omnes regendos pascendosque suscepit.***

Demonstratio. Immerito postulant protestantes, ut ex factis atque historia nascentis Ecclesiae comprobetur Petri primatus. Etiamsi enim nihil de hujus praerogativae exercitio legeretur, sufficerent Christi effata; neque etiam defectus exercitii alicujus juris semper est argumentum, aliquem eo carere. At non desunt facta, quae saltem conjunctim spectata, quantum satis est, evincunt, Petrum jurisdictionis primatum in Ecclesia exercuisse, et quorum sufficiens ratio reddi nequit, nisi ejus primatus supponatur. Collatis enim **1.** Act. 2, 14. ss.; 3, 12. ss.; 4, 8. ss.; 10, 1. ss. liquet **a.** Petrum primum judaeis et deinde gentibus verbum salutis annunciasse; **b.** illius conciones, sicut in Evangeliis Christi sermones, a Luca diligenter referri, dum **c.** aliorum apostolorum vix occurrat mentio; aliisque **d.** tacentibus ipsum solum loqui. **2.** ex Act. 3, 2. ss.; 5, 15. ss. coll. Joan. 5, 5. ss.; Luc. 4, 40; Matth. 15, 30. consequitur, Petrum prae ceteris miraculorum charismate fuisse insignem, adeo ut analogia exsistat inter Christum, *qui pertransiit benefaciendo* (Act. 10, 38.), et Petrum, qui transeundo umbra sua infirmos sanabat; quare sicut ad Christum in terris degentem infirmi undique concurrebant, ita undique et ad Petrum aegri deferebantur[1]). **3.** Act. 1, 15. ss. primus loquitur Petrus atque necessitatem eligendi alium in Judae locum proponit ac comprobat, eligendi quoque dotes definit, reliqui vero omnes in Petri abeunt sententiam. **4.** Act. 5, 1. ss. unus est Petrus, qui judicat ejusque judicium Deus miraculo confirmat. **5.** Act. 10, 9. ss.; 11, 4. unus iterum Petrus *speciali* a Deo edocetur ratione de gentium vocatione, ut ipse alios quoque hac de re edoceret. Collatis **6.** Act. 1, 15. ss.; 2, 14. ss.; 9, 32. coll. 15, 36; 12, 2. ss. liquet Petrum sollicitum fuisse de ipso collegio apostolico deque Ecclesia universa. Quocirca **7.** eo comprehenso conjectoque in carcerem *oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo* (Act. 12, 5.). Quae omnia satis ostendunt, Petrum primatum exercuisse, nec satis explicari possunt nisi supposito ejus primatu.

313. **Scholion.** Opponunt protestantes *primo* verba Pauli[2]), qui 1. Cor. 12, 28. et Eph. 4, 11. ministros divinitus institutos recenset nulla facta primatus mentione: hujus ergo institutionem non videtur cognovisse.

---

[1]) Cf. Luc. 4, 40: *Cum autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum* (Christum). *At ille singulis manus imponens curabat eos.* Act. 5, 14. s.: *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum: ita ut in plateas ejicerent infirmos et ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem et multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes aegros et vexatos a spiritibus immundis, qui curabantur omnes.*

[2]) Eph. 4, 11: *Et ipse* [Christus] *dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores: ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei.*

Verum **a.** haec exceptio tunc solum foret alicujus momenti, si constaret Paulum voluisse gradus *hierarchicos* et quidem *omnes* recensere. Atqui neutrum constat; non illud, probabilius enim est, eum voluisse recensere *charismata* varia, quae Deus in utilitatem fidelium Ecclesiae concessit, ideoque 1. Cor. 12, 28. recenset etiam *virtutes, gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum*; non alterum, quia omittit *presbyteros* et *diaconos*. Etiamsi vero **b.** Paulus recensuerit gradus hierarchicos, nondum profecto consequitur, apostolos inter se aequales fuisse sub omni respectu: sicut ex eo, quod concilium trid. sess. 23. can. 6. recensens hierarchiae ecclesiasticae ordines primo loco ponat episcopos, nemo inde inferet, concilium illud statuisse omnium episcoporum cum episcopo romano absolutam aequalitatem. Neque **c.** urgeant protestantes Ecclesiam dicendam esse *Petri corpus* (quod inauditum), si Petrus ejus *caput* appelletur. Negamus enim consequentiam. Rex etiam vocatur caput regni, quin tamen ullus regnum appellet ejus corpus; et pater caput est familiae, non tamen familia dicitur ejus corpus. Nam tunc tantum aliqua societas capitis sui corpus dici potest, si caput illud societatem non tantum moderetur exterius, sed si in ejus membra vim vitalem atque virtutem inspiret et si societatis membra ipsius sint vere propria. Atqui haec quoad Ecclesiam de uno Christo affirmanda sunt. Ceterum non est insolitum, ut ejusdem societatis duplex possit statui caput, princeps alterum, alterum vicarium.

314. *Altera* exceptio, qua maxime protestantes post gnosticos et marcionitas, post Porphyrium et Julianum apostatam gloriantur, petitur ex Gal. 2, 11., ubi Paulus de se narrat: *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat . . . Cum vidissem, quod non recte ambularent* (Cephas et Barnabas) *ad veritatem Evangelii, dixi Cephae coram omnibus: Si tu, cum judaeus sis, gentiliter vivis, et non judaice, quomodo gentes cogis judaizare?* Verum **a.** Petri reprehensio non adversatur ejus primatui, cum et inferior quandoque possit debita cum reverentia superiorem corrigere; praesertim **b.** cum tam ex Gal. 1, 18., quam ex hoc loco *Petri primatus* haud obscure possit colligi. Ex Gal. 1, 18. quidem, quia secundum patres idcirco Paulus prae ceteris invisit *Petrum*, quod primatis instar reliquos praecelleret. »Tantae auctoritatis fuit (Petrus), inquit Hieronymus ep. 112. n. 8., ut Paulus in ep. sua scripserit: *Deinde post annos tres veni Jerosolymam videre Petrum et mansi apud eum diebus quindecim* (Gal. 1, 18.), rursumque in consequentibus: *Post annos quatuordecim ascendi iterum Jerosolymam cum Barnaba assumpto et Tito. Ascendi autem secundum revelationem, et exposui cum eis Evangelium, quod praedico in gentibus* (2, 1.), ostendens se non habuisse securitatem praedicandi Evangelii, nisi Petri et ceterorum, qui cum eo erant, fuisset sententia roboratus.« Ex ipso vero loco objecto primatus praerogativa colligitur; neque enim ratio sufficiens reddi potest praeter potiorem Petri auctoritatem, quare praevaluerit ejus exemplum in re alioquin difficili prae exemplo Pauli, adeo ut ipsum quoque individuum Pauli comitem Barnabam ad observationem legalium et *gentes* exemplo suo *cogeret* judaizare. Ceterum **3.** patribus adeo fuit Petri primatus certus, ut alii propter hanc difficultatem contra omnem veri speciem negarent, *Cepham* a Paulo reprehensum fuisse Petrum; allii cum Hieronymo putarent, Pauli reprehen-

sionem fuisse non nisi *simulatam* et quasi *ex condicto*, ut pia oeconomia gentes efficacius a persuasione de legalium necessitate deterrerentur. Qui vero cum Augustino admittunt Petrum vere a Paulo fuisse reprehensum, extollunt illius *humilitatem*: »nam nec Petrus, inquit Cyprianus ep. 71. *ad Quintum*, quem primum Dominus elegit et super quem aedificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter sibi assumpsit, ut diceret se primatum tenere et obtemperari a novellis et posteris sibi potius oportere.« Quae laudat s. Augustinus l. 2. *de bapt.* n. 2.

315. *Tertia* difficultas petitur ex haud paucis patrum effatis, quibus affirmant, apostolos fuisse *aequales*: si vero fuerunt aequales, nullus est primatui locus. Non negamus **1.** plures patres affirmare apostolos fuisse *aequales*. Verum **2.** longe plures sunt, qui id negant, et id quidem vel aequivalenter, quoties scil. Petrum vocant *apostolorum primum, principem, coryphaeum, caput* etc., vel etiam diserte, ut ex pluribus testimoniis, quibus in hoc tractatu utimur, liquet. Quare concludendum est **3.** hanc inter apostolos aequalitatem non esse, si Petrum spectes, undequaque *adaequatam*, sed *inadaequatam* et secundum quid. Aequales scil. **4.** erant quoad apostolatus velut *substantiam*, quatenus hic includit immediatam a Christo missionem, infallibilitatem in docendo, plenam jurisdictionem et potestatem promulgandi ubique locorum Evangelium, fundandi et administrandi ecclesias etc.; sed **5.** cum hac aequalitate erat juncta inaequalitas. In Petro enim **a.** haec potestas, quatenus complectebatur jurisdictionis plenitudinem, erat *ordinaria* scil. propaganda in suos successores, adeo ut romani episcopi Petri sint quoad hanc heredes in solidum et ex asse: in ceteris vero apostolis potestas haec erat *extraordinaria*, adeo ut, licet episcopi dicantur et sint apostolorum successores, singuli non sint heredes totius potestatis, sed tantum partis ejusdem [1]. Petri potestas **b.** erat immunis ab aliorum apostolorum auctoritate; reliqui vero apostoli suum munus exercere non poterant citra respectum ad Petrum, sejuncti a Petro, suasque ecclesias Petro subordinare debebant, utpote unitatis centro et origini, ut praeclare docet Optatus l. 2. n. 2. *de*

[1]) Idem paulo secus ita exponi potest, si advertatur **1.** delectos a Christo Domino apostolos duplicem sustinuisse personam scil. *apostolorum* et *episcoporum*; proindeque **2.** facultates praerogativasque apostolis tributas in duplici differentia ita versari, ut aliae sint apostolatus propriae et idcirco cum apostolorum morte exstinguendae, ut v. gr. immediata missio, inspirationis charisma, amplissima in toto orbe potestas etc.; aliae facultates vero propter ordinem atque indelebilem characterem episcopalem cum successoribus episcopis communicandae; in Petro vero **3.** praeter dignitatem *episcopalem* et *apostolicam* fuisse potestatem *primatialem*, quae consisteret in plenitudine potestatis pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam, a plenitudine potestatis aliorum apostolorum iis characteribus

schismate donat. ita Parmenianum alloquens: „Igitur negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit apostolorum omnium caput Petrus . . . in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri apostoli singulas sibi quisque defenderent: ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret." Quapropter **c.** Petri potestas et cura se ad reliquos quoque extendebat apostolos: ceteri vero apostoli in se invicem nullam habebant auctoritatem. Fatendum tamen ultro est, pro eximiis quibus apostoli excellebant charismatibus extraordinarioque Ecclesiae stadio, hujus primatus exercitio in ipsos apostolos locum nullum aut vix ullum dari potuisse. Cum vero apostolorum charismata cessarent ac stadio charismatum extraordinario ordinarium succederet, tota semet primatus vis pro variis rerum personarumque adjunctis multifariam explicavit, adeo ut in Petri successoribus manifestum fieret, quanta ad Ecclesiam regendam continendamque principi apostolorum in alios pastores omnes potestas tributa fuisset.

Caput III.

De romano pontifice Petri in primatu successore.

316. **Thesis XLV.** ***„Quod autem in b. apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Jesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem seculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est."***

Demonstratio. Haec thesis est *de fide:* quod enim enunciat saepius Ecclesia saltem aequivalenter tradidit, novissime vero in conc. vaticano, cujus verbis sess. 4. c. 2. utimur, quibus subjecit can.: „Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu jure divino, ut b. Petrus in primatu per universam Ecclesiam habeat perpetuos successores, aut romanum pontificem non esse b. Petri in eodem primatu successorem, A. S." Et revera **1.** si Christus ad servandam Ecclesiae unitatem jam apostolorum tempore primatem in

---

distinctam, quos recensemus in textu: **4.** episcopos non esse apostolorum in *apostolatu* successores, sed tantum in episcopatu, nihilominus tamen pollere veri nominis imperio divina ordinatione per pontificem romanum accepto, ut dioeceses suas tamquam proprias regant Act. 20, 28; **5.** hanc successionem episcoporum in principatu ecclesiastico non ita esse accipiendam ac si singulis episcopi successissent, sed ita intelligendam, ut toti collegio apostolico generatim successisse dicatur in Ecclesiae regimine collegium episcoporum, nemine ex apostolis praeter unum Petrum proprium determinatumque successorem (in episcopatu scil. et in primatu, non vero in apostolatu) habente.

Ecclesia esse voluit, cum is propter singulorum apostolorum infallibilitatem et omnis gratiae plenitudinem non adeo fuerit necessarius, quanto magis voluit subsequentibus seculis in *uno* ovili pastorem *unum* ad ejusdem unitatem efficiendam conservandamque? **2.** Matth. 16, 18. constituitur Petrus petra et fundamentum Ecclesiae, fundamentum scil. quod virtute sua Ecclesiam in unitate et firmitate continere debeat (n. 303.) quodque propterea potestatis plenitudine clavium symbolo expressa sit instructum (n. 307.) Atqui fundamenti munus tamdiu durare debet, quamdiu ipsa Ecclesia, scil. ad consummationem usque seculi. Manet ergo Petrus petra, ideoque primas Ecclesiae, non quidem in *propria* persona, sed in *persona successorum suorum.* Hinc solemnissima illa patrum doctrina, Petrum in accepta fortitudine petrae perseverare susceptaque Ecclesiae gubernacula non reliquisse, etiamnum Ecclesiam in persona suorum successorum docere, regere, confirmare fratres etc. (cf. *opusc.* X, 81. ss.); ideoque patres in conc. chalcedonensi audita Leonis epistola in has proruperunt voces (act. 2.): *Petrus per Leonem locutus est;* quae repetierunt patres conc. VI. act. 18. dicentes: *per Agathonem Petrus loquebatur;* et Petrus Chrysologus ad Eutychen n. 2. scribit: „In omnibus hortamur te, frater honorabilis, ut his, quae a beatissimo papa romanae civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam b. Petrus, qui in propria sede et vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem.“ **3.** Omnia ministeria ordinata in jugem Ecclesiae utilitatem tamdiu durare debent, quamdiu manet Ecclesia. Atqui primatus maxime in Ecclesiae utilitatem fuit institutus; institutus enim fuit ad sustentandam Ecclesiam, confirmandos fratres ovesque dominicas pascendas; proinde perennis censendus est. Quae illatio confirmatur **4.** practico antiquitatis suffragio, quae semper romanos pontifices habuit pro legitimis *Petri in primatu successoribus.*

317. **Thesis XLVI.** ***B. Petri in primatu successores sunt romani episcopi, qui proinde ejus suprema auctoritate et praerogativis excellunt.***

Demonstratio. Thesis est de fide [1]), ut patet ex conc. vaticani sess. 4. cap. 2. (cf. n. praeced.), quo renovavit professionem fidei a Mich. Palaeologo in conc. lugdunensi II. oblatam et definitionem conc. florentini in decreto unionis graecorum (cf. infra n. 346. 332.)

---

[1]) Supponimus in hac thesi **1.** Petrum Romam venisse ibique esse mortuum: quod factum historicum demonstratione non eget, cum monumentis omnigenis comprobetur et nonnisi sec. XIV. pro arbitrio a nonnullis in dubium fuerit vocatum; neque solum **2.** Romam venisse, verum etiam romanum episcopatum ad mortem usque tenuisse, quod iisdem fere argumentis comprobatur.

Probatur autem hoc argumento: Aut nullus est Petri in primatu successor, aut hic est romanus episcopus. Illud rejecimus thesi praeced. Ergo hoc est tenendum. Propositio disjunctiva major demonstratur ex historia ecclesiastica, qua teste nullus unquam episcopus successionem in Petri primatu serio sibi vindicavit excepto episcopo romano. Ergo si ne hic quidem legitimus est successor, nullus erit successor. 2. „Petri successores, inquit Bossuet in *defens. declarationis cleri gallic.* l. 10. c. 5., cum ordinandi fuerint, e coelo lapsuri non sunt, neque ad creandos eos, ubi opus fuerit, totam Ecclesiam citari commoverique oportebat. Necesse est ergo, aliqua ut sit Ecclesiae catholicae pars, ex qua exsistant aliique aliis subrogentur.“ Atqui nulla alia Ecclesia potest assignari excepta romana, quam ut episcopus ad mortem usque rexit Petrus, cui propterea ipso facto alligavit primatum. Merito ergo censetur is, qui in episcopatu romano ejus est successor, primatus quoque heres. Praetermisso 3. theoretico majorum nostrorum consensu, quem omnigena monumenta luculenter testantur [1]), provocamus ad consensum *practicum* i. e. ad facta, quae clare demonstrant, quovis seculo *practice* agnitum fuisse romani antistitis primatum in universam Ecclesiam. Talis autem consensus *loco* atque *tempore universalis* circa veritatem fundamentalem, a qua pendet Ecclesiae constitutio, quique viguit jam in Ecclesia primitiva, cui certo aderat s. Spiritus tam solemniter a Christo suae Ecclesiae promissus (n. 232.), nequit adscribi ignorantiae vel fraudi, sed repetendus est ex ipso revelationis fonte.

---

[1]) De quo satis constat ex effatis, quae vel in hac epitome exhibemus. Cum vero saepius utamur pontificum romanorum verbis, ne ea alicui hac in quaestione suspecta videantur, advertatur 1. plurium romanorum pontificum, praesertim antiquiorum, epistolas, in quibus de suo primatu loquuntur, *synodicas* esse, scil. non citra consensum approbationemque plurimorum episcoporum conscriptas, ut ostendit Costant in *praef. gener. ad epist. rom. pontificum* p. 1. n. 33. Hinc Julius I. ep. 1. *ad eusebianos* n. 8. scribere potuit: „Necessum est vobis notum facere, etiamsi *solus* scripserim, non ideo mei solius, sed *omnium* episcoporum, qui in Italia sunt et qui in his partibus degunt, esse illam sententiam.“ Quae 2. affirmant, plerumque eos probare adductis Scripturae effatis vel antecessorum suorum factis. 3. Ipsam confidentiam, qua loquuntur, haud ultimum esse indicium juris auctoritatisque ab omni fraude et usurpatione alienae. Omnem 4. usurpationis suspicionem excludere notam loquentium doctrinam et sanctitatem, cum omnes ad a. 530. usque, Liberio excepto, inter sanctos ab Ecclesia numerentur. Quod vero 5. maximum pontificum verbis pondus auctoritatemque adjicit, concentum esse atque conspirationem aliorum, qui eodem tempore floruerunt, patrum: nihil enim est, quod sibi vindicent romani episcopi, quod non pariter a coaevis episcopis ipsis tribuatur, ut ex testimoniis afferendis manifesto patet. Merito proinde in quaestione de primatu ejusque juribus audiuntur etiam romani pontifices.

Quare credendum omnino est romanum praesulem Petri in primatu esse successorem.

318. Jam ad facta, quae romani pontificis primatum testantur, veniamus. Hunc testantur 1. tot *consultationes* ex *quavis orbis plaga* ad romanos episcopos missae, ut patet ex eorundem epistolis, quae adhuc supersunt.

Quibus speciminis gratia adde consultationem Dionysii alex., qua de cujusdam baptismo Xystum II. († 258.) consulit (apud Eusebium H. E. VII, 9.), ita ad eum scribens: „Profecto opus habeo, frater, consilio tuo et sententiam tuam exspecto, ne forte ipse halluciner, tali ad me negotio delato,“ quod dein exponit. Hieronymus de se refert: „Cum in chartis ecclesiasticis juvarem Damasum romanae urbis episcopum, et Orientis Occidentisque synodicis consultationibus responderem etc.“[1]). Ad episcopos Illyrici scribit Coelestinus (c. a. 425.) ep. 3: „Inter ceteras curas et diversa negotia, quae ad nos ex *cunctis* veniunt *semper* ecclesiis, propensiorem nos etiam vestri sollicitudinem gerere . . . poteritis advertere.“ Cujus facti rationem mox reddit: „Nos praecipue circa omnes cura constringimur, quibus necessitatem de omnibus tractandi Christus in s. Petro ap., cum illi claves aperiendi claudendique daret, indulsit.“ Quid vero luculentius illis, quae legimus in literis synodi sardicensis (a. 343—44.) ad Julium n. 1: „Hoc enim optimum et valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput i. e. ad Petri apostoli sedem de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes[2])?“

319. Verum 2. non solum consulebant majores nostri sedem apo-

---

[1]) Epist. 123. *ad Ageruchiam* al. 11. n. 10. Expende hic quatuor: 1. consultationis *factum;* 2. ejus quoad locum *amplitudinem,* consulebant enim Damasum non solum romani vel itali, sed universim occidentales, imo et *orientales;* 3. consulentium *auctoritatem,* consulebant enim non solum indocti de plebe, vel episcopi singulares, sed et *synodi;* 4. consultationis *frequentiam,* de brevi enim illo tempore (382—384.), quo Romae apud Damasum versabatur, loquitur s. Hieronymus.

[2]) Scimus equidem et alios episcopos vel viros scientia et sanctitate eminentes undique passim fuisse consultos in quaestionibus fidei et disciplinae, ut Augustinum, Basilium, Hieronymum et alios, sed hae consultationes erant, si ita fas est loqui, *personales:* consulebantur scil. hi episcopi propter insignem sapientiam, quae cum in eorum successores non transiret, ideo etiam consultationes morte ipsorum secuta cessabant: neque enim eorum successores ita consulebantur ut ipsi. Consulebantur deinde a *singularibus,* non ab integris synodis; et responsa dabant cum modestia, non cum auctoritate, qua obligare vellent. Praxis vero consulendi romanos episcopos, si *tempus* et *locum* spectes, est *universalis,* est *constans;* si consulentium numerum vel dignitatem, est *solemnis;* si titulum, non innititur dotibus personalibus, sapientiae, prudentiae etc., sed eorum muneri, quo sunt *petra fidei, Ecclesiae fundamentum, unitatis centrum,* quo debent pascere non solum agnos sed et oves, confirmare nutantes fratres. „Sicut a persona b. Petri apostoli, scribit Caesarius arelat. ad Symmachum (a. 513.), episcopatus sumit initium, ita necesse est, ut disciplinis competentibus Sanctitas vestra singulis ecclesiis, quid observare debeant, evidenter ostendat.“

stolicam, sed ad eam recurrebant in negotiis ecclesiasticis, ut episcopi romani pro suo munere et sollicitudine bono prospicerent sive ecclesiarum particularium sive universalis Ecclesiae.

Hujus recursus testes sunt martyres lugdunenses, qui teste Eusebio H. E. V, 3. pro pace ecclesiarum Asiae erroribus Montani turbatarum apud Eleutherium (a. 177.) legatione functi sunt. Testis est jam ante illos s. Polycarpus episcopus smyrnensis, quem non piguit ex remoto Oriente sub Aniceto (157-168.) propter nonnullas controversias Romam venire. Testis conc. arelatense (a. 314.) binis ad Silvestrum epistolis, quarum prima rogat, ut *juxta consuetudinem* literas ad omnes ipse dirigeret, quibus significaret, quo die singulis annis celebranda sit paschalis solemnitas, ut uno die et uno tempore *per omnem orbem* ab episcopis celebraretur. Testis est Basilius ep. 70. ad Damasum (c. a. 371.), in qua tristissimum Orientis statum exponit atque subjicit: »Horumce malorum unicum esse remedium duximus vestrae commiserationis visitationem,« quam dein enixe efflagitat; qua de re etiam ita ad Athanasium *ep. 69.* al. 52. n. 1. scribit: »Nobis autem operae pretium esse visum est ad episcopum Romae scribere, ut res nostras invisat, et consilium dare, ut cum illinc communi ac synodico decreto aliquos mitti difficile sit, ipse hoc negotium suo marte aggrediatur eligens homines idoneos ad perferendos itineris labores, idoneos ad eos, qui apud nos perversi sunt, lenitate ac animi constantia corrigendos etc.« Juvenalis hierosol. episc. principatum ambiit in synodo Palaestinae. Illico Romam literas misit (a. 431.) Cyrillus alex. per Leonem tum archidiaconum Coelestino reddendas »sollicita prece multum exposcens, ut nulla illicitis conatibus (Romae) praeberetur assensio.« Archimandritae et monachi secundae Syriae ab eutychianis pessime habiti ad »sanctissimum et beatissimum universae orbis terrae patriarcham Hormisdam, continentem sedem principis apostolorum« confugiunt (a. 517.), quem »Christus Deus noster principem pastorum et doctorum et medicum animarum constituit (ep. 39. ed. Thiel). Recurrunt vel ipsi episcopi schismatici Eutherius thyanensis et Helladius tharsensis nomine plurimorum episcoporum ex utraque Cilicia, secunda Cappadocia, Bithynia, Thessalia et Thracia ad Xystum III. (a. 433.), ut orbi succurrat. »Et olim siquidem, inquiunt n. 2. rationem hujus postulationis reddentes, *saepius* jam ex Alexandria hujusmodi haereticis zizaniis insurgentibus *suffecit vestra apostolica sedes* per universum tempus illud ad mendacium convincendum impietatemque reprimendam et corrigenda, quae necessarium fuit, muniendumque orbem terrarum ad gloriam Christi tam sub illo ter beato et inter sanctos habendo episcopo Damaso, quam sub pluribus aliis gloriosis atque admirabilibus.«

320. 3. Ad hanc sedem provocarunt et *appellarunt* episcopi Orientis Occidentisque afflicti, depositi vel sede sua pulsi.

Ita Athanasius et Petrus alexandrini antistites, qui »quasi ad tutissimum communionis suae portum Romam confugerant (Hieronymus *ep.* 127. n. 5.).« Confugit (a. 404.) Chrysostomus ad Innocentium I.; confugit (a. 449.) Theodoretus in conc. ephesino a Dioscoro depositus, et confugit quidem tum in causa universalis Ecclesiae et in propria: pro illa scribens ad Leonem post Ecclesiae romanae laudes: »Nos spiritualem

sapientiam tuam admirati Spiritus s. gratiam, quae per vos locuta est (in epist. ad Flavianum), laudibus extulimus, rogamusque et obsecramus et precamur et supplices oramus Sanctitatem tuam, ut tempestate jactatis Dei ecclesiis opem ferat.« Mox transiens ad causam propriam exposita ferali tragoedia ephesina ita prosequitur: »At ego apostolicae vestrae sedis exspecto sententiam, et oro atque obtestor Sanctitatem tuam, ut mihi *ad rectum ac justum tribunal vestrum provocanti* opem ferat, jubeatque ad vos venire et doctrinam meam apostolicis vestigiis inhaerentem ostendere . . . Ante omnia ut a vobis docear oro, an me oporteat in hac injusta depositione acquiescere an non, vestram enim sententiam exspecto. Quod si in judicatis manere me jusseritis, manebo, neque ulli hominum deinceps molestus ero, sed rectum Dei Salvatorisque nostri judicium exspectabo etc.« Confugit Flavianus episcopus CP. a. Dioscoro, episcopo alex., eadem occasione cum Theodoreto in conciliabulo ephesino depositus (a. 449.), ut testatur Valentinianus imperator in ep. *ad Theodosium* (inter ep. s. Leonis 55.) rationem simul hujus appellationis aperiens: »Debemus, inquit, dignitatem propriae venerationis b. apostolo Petro intemeratam et in nostris temporibus conservare, quatenus bb. romanae civitatis episcopus, cui principatum sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide et sacerdotibus judicare . . . Hujus enim rei gratia secundum solemnitatem seu *morem conciliorum* constantinopolitanus episcopus eum per libellos *appellavit.*« Plura facta refert Gelasius I. ep. 10. seu in *commonitorio ad Faustum magistrum* legationis fungentem officio Constantinopoli (a. 493.). »Ipsi sunt canones, ita ille n. 5., qui appellationis totius Ecclesiae ad hujus sedis examen voluere deferri: ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt; ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquam praeceperunt judicio judicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potius decreta sequenda mandarunt. In hac ipsa causa Timotheus alex. et Petrus antioch., Petrus, Paulus, Joannes et ceteri, non solum unus, sed plures utique nomen sacerdotii praeferentes, sola sedis apostolicae sunt auctoritate dejecti . . . Quod utique sicut apostolicam sedem juxta formam synodicam fecisse manifestum est, sic neminem resultare potuisse certissimum[1].«

321. Neque frustra 4. episcopi ad sedem apostolicam confugerunt, ut patet ex plerisque factis, quorum meminimus; liquet quoque ex iis, quae refert Sozomenus, qui plurium episcoporum ab arianis

[1]) Contra *appellationes* ad romanum pontificem praecipuum argumentum petitur ex ecclesia *africana*, quae ejusmodi appellationes clericis prohibuit in conc. carthaginensi a. 418. et can. 28. concilii anni sequentis. Sed **1.** quid si ecclesia africana hac in re errasset, sicut Cypriani tempore erravit in quaestione de haereticorum baptismate? Tamen **2.** constat ex ep. conc. africani ad Bonifatium, et ex altera ad Coelestinum, ex ep. 209. s. Augustini ad Coelestinum; ex ep. 12. s. Leonis ad episcopos Africae c. 12., morem appellandi ad romanum pontificem viguisse sicut in aliis ecclesiis ita etiam in Africa tum ante illa concilia, tum illorum tempore, tum etiam post eadem. Quare **3.** dicendum est, episcopos africanos non tam voluisse hoc jus denegare romano pontifici,

sede pulsorum facta mentione ita prosequitur H. E. l. 3. c. 8: „Episcopus igitur romanus (Julius), cum singulorum causas cognovisset omnesque in nicaenae fidei doctrinam consentientes reperisset, tamquam idem cum ipso sentientes in communionem recepit. Et *quoniam propter sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectabat,* suam cuique ecclesiam restituit."

322. Saepe vero **5.** in ejusmodi causis romani pontifices non solum episcopos sua sede pulsos, sed et ipsos judices ad suum citant tribunal ad reddendam rationem, conditionesque praescribunt ad declinandam sententiam sive jam latam sive ferendam.

Sic teste Theodoreto H. E. l. 3. c. 4. »Julius ecclesiasticam sequens regulam et ipsos (eusebianos) Romam venire jussit (ἐκέλευσε) et divino Athanasio ad judicium diem dixit (εἰς τὴν δίκην ἐκάλεσε). Qui simul ac citationem (τὴν κλῆσιν) accepit, in viam quam primum se dedit (a. 341.) etc.« Cum Theophilus alex. episcopus per summam injuriam s. Joan. Chrysostomum deposuisset isque Innocentii implorasset auxilium, romanus pontifex literis ad episcopum alex. datis (a. 404.) hunc ita compellat (5.): »Tu igitur, si judicio confidis, siste te ad synodum, quae secundum Christum fuerit, et ibi expositis criminationibus sub testibus nicaeni concilii canonibus . . . securitatem habebis contradictionis expertem.« Damnaverat Flavianus Eutychen (a. 448.): Eutyches Romam appellat; Leo I. Flaviano scribens (ep. 23.) de ejus silentio conqueritur additque: »Facti tui volumus nosse rationem et usque ad nostram notitiam cuncta deferri,« atque iterum postulat ab eo, ut sibi »plenissime et lucide universa, quod ante facere debuit, indicare festinet.« Quibus excitus Flavianus judicii acta ad Leonem transmittit epistolam (inter ep. s. Leon. 26.) ita absolvens: »Solita fiducia utere, sicut sacerdotio convenit, et vindicans communem rem sanctarumque ecclesiarum compositionem dignare per proprias quidem literas suffragari depositioni canonice adversus eum factae: confirmare vero et piissimi Christumque amantis nostri imperatoris fidem. Res namque solo indiget ex vobis impulsu atque subsidio, quod per vestram prudentiam ad tranquillitatem et pacem cuncta statim translaturum est. Sic enim et quae insurrexit haeresis et ob eam excitatus tumultus facile cessabit Deo cooperante per vestras ss. literas: prohibebitur vero et quae evulgatur futura esse synodus, ut ne sanctissimae totius orbis ecclesiae perturbentur.«

323. Quapropter **6.** videmus illos, quorum fides in suspicionem adducebatur, sollicitos fuisse, ut se purgarent apud Petri cathedram.

---

quam abusum reprobare. Hinc modeste ad Coelestinum (ep. 2.) scribunt n. 2: „Impendio *deprecamur,* ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non *facilius* admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere." Ceterum **4.** concedi potest episcopos africanos in hac controversia et aegre tulisse ejusmodi appellationes, saltem frequentes, et propter abusus, qui ex illis oriri poterant, illas voluisse impedire. Cf. Phillips, *Kirchenrecht* t. 5. §. 217; Palmieri th. XVII. et XX.; Zaccaria *Antifebronii* p. 2. l. 3.

Ita Origenes teste Eusebio H. E. VI, 36. et Hieronymo, qui epist. 84. *ad Pamachium et Oceanum*, n. 10. refert: »Ipse Origenes in epistola, quam scribit ad Fabianum romanae urbis episcopum († 250), poenitentiam agit, cur talia scripserit, et causas temeritatis in Ambrosium refert, quod secreto edita in publicum protulerit.« »Cum Dionysius episcopus (alex.), refert Athanasius *de sent. Dionysii* n. 13., . . . contra Sabellii haeresim ad Ammonium et Euphranorem studio religionis permotus scripsisset, quidam ex Ecclesia fratres sanae quidem doctrinae homines, non sciscitati tamen eum, qua de causa ita scripsisset, Romam se contulere illumque apud cognominem Dionysium romanum episcopum accusarunt. Quibus ille auditis . . . misit quoque ad Dionysium literas (c. a. 262.), ut indicaret, qua de re accusatus ab illis fuisset. Ille vero quam primum sui purgandi causa libros edidit, quos inscripsit *Elenchus* et *Apologia*.« Fidei suae rationem reddidit (a. 342.) apud Julium Marcellus ancyranus. »Cum nonnulli ex iis, ita ille in sua ep. n. 1., qui, quod recte non crederent, antea condemnati sunt quique a me in nicaena synodo convicti sunt, contra me ad pietatem tuam scribere non dubitaverint, me nec recte neque secundum Ecclesiae doctrinam sentire, crimen suum in me nitentes transferre: propterea necessario mihi Romam veniendum et te commonendum putavi, quo eos, qui contra me scripserunt, accerseres: ut cum advenissent, de duobus a me convincerentur etc.«

324. Imo 7. ipsos haereticos admodum sollicitos videmus retinendae vel recuperandae communionis cum sede apostolica.

Romam confugit (a. 142.) Marcion teste Epiphanio *Haer.* 42. n. 1.; confugerunt montanistae, qui hypocrisi sua a pontifice literas pacificas extorsisse videntur, quas tamen Praxea suadente ille revocavit; confugerunt socii in schismate Felicissimi, de quibus ita ad Cornelium scribit (a. 252.) Cyprianus *ep. 55.* n. 14: »Post ista (scelera, quae recensuerat) adhuc insuper pseudoepiscopo sibi ab haereticis constituto navigare audent et ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis literas ferre, nec cogitare eos esse romanos, quorum fides Apostolo praedicante (Rom. 1, 8.) laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.« De Pelagio et Coelestio testes habemus libellos, quos romano pontifici obtulere; et Coelestius quidem (a. 417.) in suo profitetur: »Ea, quae de prophetarum et apostolorum fonte suscepimus, vestri apostolatus offerimus probanda esse judicio, ut, si forte ut hominibus quispiam ignorantiae error obrepsit, vestra sententia corrigatur.« Nestorium quoque sollicitum fuisse de communione cum sede apostolica probant ejus ad Coelestinum epistolae (a. 430.). Ad rem sunt asseclarum Nestorii literae ad Xystum III., quem in subscriptione sanctissimum compellant *patrem,* licet essent episcopi. In illis enim Eutherius thyanensis et Helladius tharsensis nomine episcoporum Thessaliae et Thraciae rogant Xystum, ut eis succurrat contra Cyrillum, cum ipsorum sit, »ad eum clamare, qui a Deo productus est gubernator . . . tuae autem gratiae . . . emendationem imponere cum tota constantia et Deo dilecta fiducia.« »Rogamus vero, scribunt n. 12., et sanctis tuae religiositatis pedibus provolvimur, ut manum porrigas salutarem et auferas mundi naufra-

gium, omniumque horum inquisitionem jubeas fieri et his illicitis coelestem superduci correctionem, ut revocentur quidem sancti pastores etc.[1]).«

325. Vel ipsi **8.** imperatores non solum solemnibus formulis in publicis instrumentis hunc sedis romanae primatum agnovere (n. 320.), verum factis etiam, cum consensus in fide et communione cum hac cathedra ipsis esset norma, secundum quam dijudicarent, quinam catholici essent, quinam a vera Ecclesia extorres.

Ita Gratianus, Valentinianus et Theodosius edicto de fide catholica ad populum CP. statuunt (a. 390.) *cod. theodos.* l. 16. tit. 1. leg. 2: »Cunctos populos, quos clementiae nostrae regit temperamentum, in tali volumus religione versari, quam divinum Petrum apostolum tradidisse romanis, religio usque ad nunc ab ipso insinuata declarat; quamque pontificem Damasum sequi claret, et Petrum Alexandriae episcopum, virum apostolicae sanctitatis: ut secundum apostolicam disciplinam evangelicamque doctrinam, Patris et Filii et Spiritus s. unam deitatem sub parili majestate et sub pia trinitate credamus. Hanc legem sequentes christianorum catholicorum nomen jubemus amplecti; reliquos vero dementes vesanosque judicantes, haeretici dogmatis infamiam sustinere, nec conciliabula eorum ecclesiarum nomen accipere etc.« Eadem regula usus statuit Gratianus teste Theodoreto *H. E.* V, 2., »ut qui in exsilium ejecti fuerant, redirent suisque gregibus restituerentur, atque aedes sacrae iis traderentur, qui Damasi communionem amplecterentur.« Quid quod ipsi imperatores gentiles exstiterint testes hujus inter christianos vulgatae opinionis et methodi, non alios censendos esse membra Ecclesiae Christi, quam qui communione fruerentur episcopi romani, ut Aurelianus (c. a. 272.)? »Cum enim Paulus (samosatenus a synodo antiochena depositus), narrat Eusebius *H. E.* VII, 30., e domo ecclesiae nullatenus excedere vellet, interpellatus imperator Aurelianus *rectissime* hoc negotium dijudicavit, iis domum tradi praecipiens, quibus italici christianae religionis antistites et romanus episcopus scriberent.«

326. Ad haec **9.** romanae sedis primatus effulget *in haeresum damnatione,* in qua primae potioresque partes obtigerunt illius praesulibus.

Ita Victoris nutu[2]) plura habita fuere concilia (c. a. 196.), in quibus quaestio tractata fuit de tempore celebrandi paschatis; ipse quatuordecima-

---

[1]) *Ep. 4.* inter Xysti III. ep. a. 433. Qua occasione advertit Constantius in annot.: »Hic notatu digna videtur ea in tota Nestorii causa festinatio, qua Nestorius ipse, Cyrillus, Joannes (antiochenus) ac socii, Eutherius ac reliqui episcopi cum iis consentientes h. e. *haeretici, catholici, schismatici* seu a schismate discedentes seu in eodem pertinaces, apostolicae sedis praesulem antevenire ac sibi conciliare contenderunt. Simile quidpiam in Joannis Chrysostomi causa contigisse ex iis, quae in notitia epistolarum non exstantium Innocentii collegimus, probatur.«

[2]) Id diserte testatur apud Eusebium V., 24. Polycrates de synodo a se celebrata. »Possem etiam, scribit ipse ad Victorem, episcoporum, qui mecum sunt, facere mentionem, *quos cum a me convocari petiissetis, convocavi.*« Hinc con-

norum errorem damnavit ejusque sententiam postmodum amplexa est synodus nicaena. Montanistarum rigorem, quo gravium criminum reis veniam omnem negarunt, ecclesia romana reprobavit. Cathedra Petri „nefandi erroris (pelagiani) capita mucrone apostolico percussit" et „ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium (scil. episcoporum per orbem) armavit[1])." Quare etiam Augustinus receptis Innocentii ad concilia carthaginense et milevitanum rescriptis (a. 417.) dicere potuit *serm.* 131. n. 10. al. de verb. Ap. 2: „Jam enim de hac causa duo concilia missa sunt ad sedem apostolicam, inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est, utinam finiatur aliquando error." Quam *peremptorie* autem s. doctor putaverit hanc causam esse *finitam,* liquet ex ejus ad Julianum, qui cum aliis episcopis ad concilium *oecumenicum appellaverant,* verbis l. 3. c. 1. n. 5: „Vestra apud *competens* judicium communium episcoporum modo *causa finita* est, *nec amplius vobiscum agendum est,* quantum ad *jus examinis* pertinet, nisi ut prolatam de hac re *sententiam cum pace sequamini:* quod si nolueritis, a turbulenta vel insidiosa inquietitudine cohibeamini." Romanae sedis primatus resplendet in damnatione haeresis nestorianae. Sane Cyrillus non audet Nestorium damnare, antequam totam causam ad sedem apostolicam retulerit; Coelestinus damnationis sententiam profert atque ubique promulgat (ep. 4.); ad synodum interim convocatam legatos mittit, sed qui tantum curent, ut sententia lata exsecutioni mandetur (ep. 17.); concilium sententiam latam approbat ita scribens ad imperatorem: „Hujus rei causa Nestorium quidem a sacerdotio et pestilente doctrina cessare jussimus canonicam in eum sententiam proferentes et collaudantes ss. episcopum magnae Romae Coelestinum, qui ante nostram sententiam haeretica Nestorii dogmata damnavit, et ante nos sententiam in ipsum tulit prospiciens securitati ecclesiarum et piae sanctaeque fidei etc." Et iterum (Hard. 1, 1422.): „*Coacti* per ss. canones et epistolam ss. *patris* nostri et comministri Coelestini . . . ad lugubrem hanc contra eum sententiam *necessario* venimus." Damnato Nestorio sollicitus fuit Coelestinus, ut quam longissime amoveretur atque orthodoxus episcopus in ejus locum subrogaretur.

327. Denique **10.** ex ipsa romanorum pontificum agendi ratione, prout ea colligitur ex eorundem literis a Clemente usque ad Leonem (nam de posterioribus nemo dubitat), manifestum est, eos ita se gessisse, prout decet illos, quibus vineae dominicae custodia fuit concre-

---

jicere licebit idem de aliis synodis, tum quia tot synodi de eodem argumento eodemque tempore celebratae fuere, tum quia omnes literas ad eundem praesulem dederunt. Cf. Eusebium H. E. V, 23. s. et Constantium in diss. *de controversia circa Pascha.*

[1]) Ita de Innocentio et de Zosimo Prosper *adv. collat.* c. 21. n. 68. *opusc.* XXXVI., qui c. 5. n. 14. scribit: „Sanctissima b. Petri sedes ad universum orbem Zosimi ore loquitur." Qui vero subscriptionem detrectarunt, sede sua privati sunt, „ex quibus plurimi, teste Mario Mercatore in *commonit.* 2., resipiscentes et a praedicto errore correcti regressi sunt supplices ad sedem apostolicam, et suscepti suas sedes receperunt."

dita[1]), quibus incumbit sollicitudo omnium ecclesiarum, quique constituti sunt a Domino super omnem familiam totiusque dominici ovilis pastores. Hoc testantur omnia hucusque expensa, quibus nonnulla alia addemus.

Vix audierat Innocentius I. de molestiis Hieronymo apud Bethlehem per pelagianos illatis, ad eum scribit (a. 417.) ep. 34: »Excitati tanta malorum scena, arripere auctoritatem sedis apostolicae ad omne comprimendum nefas festinavimus, sed in quem insurgeremus nec nomine appellatum legimus, nec criminis aliqua ratione taxatum . . . Si deposueris autem apertam manifestamque in homines aliquos accusationem, aut judices competentes tribuam, aut si aliquid urgentius sollicitiusque a nobis fieri potest, non retardabo, fili dilectissime. Tamen episcopo fratri meo Joanni (hierosolymitano) scripsi, ut circumspectius agat, ne circa ecclesiam sibi creditam adhuc tale aliquid fiat.« Et revera ad hunc literas dedit *minaces* (35.) praecipiens, ut haec deinceps corrigeret aut retunderet, »ne jus ecclesiasticum de labefactatis causas (i. e. rationem) eum, qui non defenderit, praestare compellat.«

328. Pro hac universalis Ecclesiae cura obstrictos se reputabant romani praesules invigilare etiam diligentissime, ne canones statutaque conciliorum et antiquitatis violarentur. Quot sunt epistolae praesertim a Siricii tempore, tot hujus obligationis argumenta. Pro temporum vero adjunctis canonum legumque ecclesiasticarum rigorem molliunt, sensum explicant, vel etiam novas condunt. Poenas minantur contumacibus vel negligentibus episcopis. Sui juris suique muneris pariter esse censebant, episcoporum, etiam primarum sedium, approbare vel reprobare electiones. Ita Damasus literis ad Acholium thessalonic. et alios Macedoniae episcopos datis (8. 9:) Maximi cynici ordinationem in episcopum CP. damnat illosque hortatur, ut in synodo proxime Constantinopoli celebranda dignus huic praeficiatur episcopus (a. 380.). Perigenis in Corinthiorum episcopum electionem refragantibus pluribus Bonifatius ratam habuit (a. 422.). Defuncto s. Flaviano episcopo CP. ejusque in locum ordinato Anatolio scribit Theodosius ad Leonem, ut pontifex in illius consentiat electionem. »Agat, respondet Leo (a. 450.) ep. 69., clementiae vestrae devotissima fides, ut quam primum ad nos constantinopolitani episcopi, qualia debent, scripta perveniant, aperte scil. et dilucide protestantia, quod si quis de incarnatione Verbi aliquid aliud credat aut asserat, quam catholicorum omnium et mea professio protestatur, hunc a sua communione secernat, ut ei fraternam in Christo caritatem merito possimus impendere.« Tantumque autem tribuit suae approbationi, ut ad eundem scribens imperatorem dicere potuerit ep. 104. c. 3: »Satis sit praedicto (Anatolio), quod vestrae pietatis auxilio et mei favoris assensu episcopatum tantae urbis obtinuit.« Electo Proterio in episcopum alexan-

---

[1]) Ita concilium ephes. ep. ad *Coelestinum*. Idcirco etiam romanorum pontificum epistolae dicebantur jam olim *auctoritates*. Haec cura et custodia elucet jam ex s. Clementis ad corinthios epistola, praesertim ex ultima ep. parte recenter reperta (a. 1875.). Neque enim horum causa delata fuit ad s. Joannem, qui adhuc tum vivebat: neque hic ad illos scripsit, sed Petri cathedrae heres i. e. Clemens. Cf. *Zeitschrift für kath. Theologie*, Oeniponti 1877. p. 309. ss.

drinum haec Juliano coënsi refert (a. 454.) idem pontifex ep. 127.: „Fratrem Proterium alexandrinae urbis episcopum gratulor plenas satisfactionis de fide sua ad nos literas direxisse, et manifestius quid teneat indicasse, cui me dignam gratiam necesse est pro fidei ipsius sinceritate praestare, ut honorem in nullo suae perdat ecclesiae, sed sedis suae privilegia paternae antiquitatis exemplo juxta canonum illibata jura possideat.“ Non solum approbabant vel reprobabant episcoporum electiones, verum etiam episcopos causis exigentibus deponebant. Ita s. Leo Dioscorum alex. episcopum [1]) auctoritate episcopali spoliavit (cf. n. 304.). Cf. etiam n. 326.

329. Romani episcopi concilia vel generalia cassabant aut approbabant, ut infra ostendemus th. XLVII. Cum vero omnium ecclesiarum sollicitudo onus sit gravissimum, romani pontifices vicarios constituerunt variis in regionibus, qui negotiorum partem expedirent et de potioribus referrent. Ita episcopum thessalonic. suum in illis regionibus constituebant vicarium, ad quem ex gr. Innocentius ep. 13. scribit: „Arripe itaque, dilectissime frater, nostra vice per suprascriptas ecclesias salvo eorum primatu curam, et inter ipsos primates primus, quidquid eos ad nos necesse fuerit mittere, non sine tuo postulent arbitratu. Ita enim aut per tuam experientiam quidquid illud est finietur, aut tuo consilio ad nos usque perveniendum esse mandamus etc.“; ita Zosimus legationem injunxit ep. 190. et 193. Augustino, qui propterea cum aliis episcopis literis sedis apostolicae *compulsis* fuit ob necessitatem ecclesiasticam in Mauritaniam venire (Possidius in ejus *vita* c. 14.). De Juliano episcopo coënsi scribit Leo ad Marcianum [2]): „De fidei ejus sinceritate confidens vicem ipsi meam contra temporis nostri haereticos delegavi, atque propter ecclesiarum pacisque custodiam, ut a vestro comitatu non abesset, exegi: cujus suggestiones pro concordia catholicae unitatis tamquam meas audire dignemini.“

330. Ex his omnibus patet quanta fuerit romanorum pontificum

---

[1]) Hujus crimina recensentur in ep. conc. chalced. *ad Leonem,* in qua legimus: „Et post haec omnia et contra ipsum, cui vineae custodia a Salvatore commissa est, extendit insaniam i. e. contra tuam quoque diximus Sanctitatem, et excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiae unire festinas.“ Cf. Leonis *ad Theodoretum* ep. 120. c. 3.; ep. 10. *ad episcopos per prov. vienn.* c. 1. scribit: „Nobiscum vestra fraternitas recognoscat, apostolicam sedem pro sui reverentia a vestrae etiam provinciae sacerdotibus *innumeris relationibus* esse consultam, et per diversarum, *quemadmodum vetus consuetudo poscebat,* appellationem causarum aut *retractata* aut *confirmata fuisse judicia.*“ Cf. *suggestionem* conc. oecum. VIII. ad Hadrianum II. (Migne 129, 111.); Bernaldum in tract. *de solutione juramentorum* n. 3., qui recensitis pluribus exemplis depositionis episcoporum per romanos praesules factae concludit (Migne 148, 1242.): „Sed incassum laborabimus, si singulas hujusmodi depositiones enumerare voluerimus; prius nobis diem, quam exempla de talibus deficere non dubitamus.“

[2]) Ep. 111. n. 3. Hic Juliani coënsis in *Oriente* vicariatus ex pluribus aliis Leonis ep. colligitur ut 112, 113. etc.; Hormisdas ep. 80. Epiphanio episcopo CP. vices suas committit ad recipiendos schismaticos; Coelestinus Cyrillo alex. in causa Nestorii ep. 14. n. 8. *opusc.* XVIII, 244.

in *universam* Ecclesiam, non solum Occidentis *sed et Orientis*[1]), auctoritas, tanta, ut eam vix magnificentioribus verbis posteriores pontifices potuerint describere, quam illam nobis proponunt jam Siricius, Innocentius, Zosimus et Bonifatius, cujus in primis legenda sunt verba ep. 14. n. 1. Verum ad omnem difficultatis umbram abigendam juverit quaedam statuisse principia, quibus attente ponderatis plura elucidabuntur. Et **1.** quidem sicut in ordine naturali omne corpus organicum et vivum, sicut in ordine sociali societas quaelibet, in ordine logico quodlibet veritatum systema seu disciplina quaevis, in ordine supernaturali ipsa justificatio, in ordine revelationis ipsa veritatis revelatae intelligentia ac generatim ipsa Ecclesia habet sua stadia explicationis et consummationis: ita et primatus institutum temporum lapsu magis magisque semper explicari potuit. Quare mirum esse non debet, si **a.** primis Ecclesiae temporibus non adeo splendida primatus argumenta reperiantur; si **b.** primatus splendor temporis successu creverit: si **c.** romani pontifices temporum cursu nonnulla exercuerint jura *explicite*, quae *implicite* ac veluti in semine latebant in primatu.

2. Sicut reges potestatis suae plenitudinem non exserunt necessitate nulla urgente, cum omnia ordinate et pacate procedunt: ita necesse non est, ut romani episcopi, quo Ecclesiae primates haberi possint, quovis momento quovis in orbis angulo omnem exserant auctoritatem: proinde immerito postulatur, ut tam continuum primatialis potestatis exercitium demonstretur. Sicut autem regia majestas et praerogativa in causis negotiisque gravioribus se prodit, ita quoque romani episcopi primatum videmus in causis Ecclesiae majoribus maxime effulsisse.

3. Sicut temerarii forent, qui reges antiquorum populorum regia caruisse auctoritate assererent, eo quod antiquitas de hujus potestatis exercitio persaepe sileat: ita immerito exigunt adversarii, ut veterum pontificum gesta in medium proferantur. Ex legitimorum successorum agendi ratione, quam universa probavit Ecclesia, jure colligimus

---

[1]) Tot autem attulimus facta et testimonia ex *primariis* ecclesiis, scil. alexandrina, antiochena, constantinopolitana, ut nullus pateat locus quorundam effugio, factis et testimoniis, quae afferri solent, non probari primatum in *universam* Ecclesiam, sed tantum nescio quae jura metropolitanis vel patriarchis propria quibus romani episcopi praediti conceduntur, quod essent patriarchae ecclesiae *occidentalis*. Atqui facta allata probant nullum esse fere jus alicujus momenti, quod romani episcopi in occidentali exercuerunt Ecclesia, quod non etiam pro temporum adjunctis, universa Ecclesia suffragante, in Ecclesia orientali exercuerint.

praedecessorum agendi rationem vel saltem *agendi jus.* Ceterum plura antiquitatis monumenta periere; ex paucis vero quae supersunt, satis ut vidimus colligitur romanorum praesulum primatus.

4. Ordo supernaturalis externaque Ecclesiae facies plurimum ab ordine naturali pendet, ut anima in suis functionibus a corporis valetudine. Hinc ratio redditur, quare persecutionum, bellorum etc. tempore minus resplendeat primatus, effulgeat vero magis tempore pacis sub imperatoribus piis (sicut ipsa Ecclesia, si externum spectes splendorem). Cumque modo maxime expeditum sit commercium sociale inter populos, mirum quoque esse non debet, si primatus fastigium suum attigit, quod attinet ejus munus ad unitatem revocandi, qui sunt undique pastores et oves.

5. Principes et nobiles, imo et plebs quandoque regi adversantur, resistunt, ad revocandas quoque leges impellunt. Nemo tamen exinde inferet, vel regem regio leges ferendi carere jure, vel subditos jure agere suo. Quare aeque praeposterum erit ex eo, quod nonnunquam aliqui episcopi romano restiterint praesuli, huic usurpationem criminari. Nihil enim est adeo sanctum in Ecclesia, cui non se opposuerint aliqui, nunquam Ecclesia, quamdiu est militans, solis justis constabit.

331. **Scholion.** Institutionis divinae, *juris* proinde *divini* esse primatum ostendimus. Romani ergo episcopi, qui legitimi illius sunt heredes, *jure divino* illum exercent. Et quamvis ab hominibus designetur successoris persona, non tamen ab his habet primatus potestatem. Sicut etiam homines designare possunt subjectum ordinandum in sacerdotem, quod tamen non propterea ex *delegatione* humana fruitur potestate consecrandi, sed vi *ordinationis,* quae divinae est institutionis [1]). Quaeritur autem, utrum etiam ex *jure divino* romanus episcopus potius quam alius sit Petri in primatu successor, an vero tantum *jure ecclesiastico?* seu, utrum jure divino, an ecclesiastico tantum primatus alligatus sit cathedrae romanae, adeo ut aliam in sedem transferri possit? quae quaestio post Febronium celebris facta est. Hic enim

[1]) Distinguunt theologi inter *legem* seu *jus successionis* et *conditionem* seu *factum* successionis. Lex seu jus successionis est divinae institutionis, voluit enim Christus, ut Petrus habeat successores in primatu, qui eadem auctoritate ac Petrus fruerentur; quod vero hic potius quam ille sit successor, pendet a multiplici facto et voluntate humana. Hominum enim (quorundam, ut puta *cardinalium*) est eligere, designare eum, qui sit successor; electione vero facta, tamquam conditione posita, vi institutionis divinae electus potestatem consequitur primatus: sicut posito ritu sacramentali, qui pendet in sua exsistentia a voluntate hominum, is virtute institutionis divinae efficax est gratiae.

post paucos quosdam theologos scholae censet, Ecclesiam gravi de causa posse primatum in aliam transferre sedem. Pius IX. tamen hanc damnavit propositionem *syllabi* (35.): „Nihil vetat alicujus generalis concilii sententia aut universorum populorum facto summum pontificatum a romano episcopo atque Urbe ad alium episcopum aliamque civitatem transferri." Et merito, cum nullum ejus vestigium reperiatur in universa Ecclesia per secula tredecim; nec ullus episcopus schismaticus, vel imperator, Ecclesiae licet hostis infensus, in animum induxerit, ut primatum aliam in sedem transferret. Quod evidens argumentum est, omnibus fuisse adeo persuasum jure *immutabili*[1]), proinde divino primatum cathedrae romanae esse annexum, ut ne cogitarent quidem de translationis possibilitate. Accedit argumentum gravissimum petitum ex immutabilitate definitionum de fide ab Ecclesia editarum: credendum enim est *romanum* pontificem in universum orbem tenere primatum (n. 332. 316. 346.). Atqui haec definitio non amplius esset vera, si primatus transferri posset in aliam sedem. Ergo jure *immutabili* annexus est primatus cathedrae romanae.

Caput IV.

De vi et ratione primatus romani pontificis.

332. Post ea, quae hucusque demonstravimus, haud difficile erit accuratius primatus *praerogativas* et *jura* determinare. Quid *generatim* de eo tenendum sit, statuit conc. florentinum *in decreto unionis* hisce verbis: „Diffinimus, sanctam apostolicam sedem et romanum pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum pontificem romanum successorem esse b. Petri principis apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium christianorum

[1]) Cf. Palmieri *de rom. pontif.*, qui statuit thesim (10.): „Quocirca cum Petrus romanum episcopatum suscepit, ut in eo perpetuos successores in primatu haberet, Deus ratam habuit hanc Petri electionem; ideoque de *jure divino saltem consequente, nempe consequente factum Petri, praevertente autem factum successionis* est, quod romanus episcopus succedat Petro in primatu. Imo probabilem satis censemus sententiam: voluntate scil. antecedente Dei jussum esse Petrum hanc formam perpetuam successionis statuere, nimirum per episcopalem sedem et inter sedes eligere romanam." Cui videntur favere verba conc. vaticani sess. 4. cap. 2.: „Qui (Petrus) ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus episcopis sanctae romanae sedis ab ipso fundatae ejusque consecratae sanguine vivit et praesidet et judicium exercet. Unde quicunque *in hac cathedra* Petro succedit, is *secundum Christi ipsius institutionem* primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet." Neque probabile est, Deum qui in bonum Ecclesiae imperium romanum disposuit, rem *tanti momenti*, cujusmodi est *fixa sedes centri unitatis* ecclesiasticae, permisisse voluntati *mutabili* humanae.

patrem ac doctorem exsistere; et ipsi in b. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. J. Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur [1]." Haec innovat atque fusius evolvit conc. vaticanum, explicationemque hac definitione absolvit: „Si quis itaque dixerit, romanum pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremae potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles, A. S."

333. Secundum has Ecclesiae definitiones haec de romani pontificis juribus et praerogativis tenenda sunt:

1. *Primatum romani pontificis complecti* non tantum officium inspectionis et directionis, ut contendunt M. A. de Dominis, Febronius, Tamburini etc., sed *potestatem jurisdictionis, quae vere episcopalis sit,* ut definit idem conc. vaticanum. Auctoritas autem *epi-*

---

[1]) Haec verba avidissime arripiunt jurium primatus adversarii, sed secundum textum graecum καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται, quem putant esse vertendum „secundum eum modum, mensuram, limitem, qui ss. canonibus continetur", proindeque putant, concilium romani pontificis potestatem synodorum canonibus obnoxiam iisque circumscriptam exhibere. Verum **1.** dum hoc adversarii autumant, supponunt textum graecum esse originalem et authenticum, textum vero latinum esse tantum versionem, et quidem minus fidelem, imo corruptam. Atqui uterque textus est originalis et authenticus. Constat siquidem, definitionem prius fuisse latine conscriptam, deinde graece versam, ac nonnullis ex utriusque partis consensu mutatis, utrumque textum fuisse subscriptum. Quare **2.** verba editionis latinae genuinum exhibent concilii sensum. Et revera **3.** verba graeca secundum omnes grammaticae regulas reddi possunt *quemadmodum etiam* etc. Verum **4.** non solum ita reddi *possunt,* sed etiam ita reddi *debent,* etiamsi concilium illorum sensum authentice non determinasset. Sane **a.** in praecedentibus *plenitudo* potestatis asseritur romano pontifici, nequeunt ergo verba immediate sequentia hujus potestatis *limitationem* significare; praesertim **b.** cum concilium hanc potestatis plenitudinem *jure divino* inesse rom. pontifici declaret, jus vero divinum circumscribi nequeat jure *ecclesiastico* seu conciliorum canonibus. Neque **c.** ejusmodi limitatio exstat in gestis conc. oecumenicorum, sed potius primatus confirmatio. Quare jam Bonifatius I. ep. 14. *ad episc. Thessaliae* (*opusc.* XVIII, 162.) scribit, nicaenam synodum „non aliquid super eam (sedem Petri) ausam esse constituere, cum videret, nihil supra meritum suum posse conferri: omnia denique huic noverat Domini sermone concessa."

scopalis consistit in potestate pascendi, regendi ac gubernandi gregem sibi commissum. Hanc collatam esse Petro, et in Petro ejus successoribus, colligitur **a.** ex Christi effatis, quibus primatum vel promisit vel contulit: munus enim *petrae* sustentantis Ecclesiam, *confirmatoris* fratrum, *pastoris* ovilis dominici jurisdictionis potestatem complectitur; **b.** ex traditione practica, quam exposuimus n. 318. ss.; **c.** ex fine instituti primatus (n. 296.)

Tenendum est **2.** *hanc jurisdictionis potestatem esse plane universalem,* „erga quam, ut statuit conc. vaticanum, cujuscunque ritus et dignitatis pastores atque fideles tam seorsim singuli, quam simul omnes officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent." Quae praerogativa probatur iisdem rationibus, ex amplitudine scil. verborum *Ecclesiam meam,* quam sustentare debet, et verborum *oves meas,* quas concreditas accepit; ex factis, cum pontifices suam sollicitudinem in universam extenderint Ecclesiam; ex fine, qui est non partem Ecclesiae, sed universam qua late patet, ad unitatem revocare: „ita ut custodita, quemadmodum prosequitur idem concilium, cum romano pontifice tam communionis quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest."

334. Quare **3.** *romanus pontifex duplicis unitatis, fidei* scil. et *communionis est centrum,* quocum pastores omnes cum suis gregibus conspirare debent; quod sicut est corollarium praecedentis praerogativae, ita evidenter colligitur ex primatus fine (cap. I.), ex notione obvia fundamenti Ecclesiae et pastoris ovilis dominici. Quare jam Irenaeus inculcat l. 3. c. 3: „Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est *omnem* convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles;" et Cyprianus *de unit. Eccl.* n. 4: „Qui cathedram Petri, supra quem fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?" Quam ob rem communio cum rom. pontifice jam olim *tessera* erat *catholicitatis* et *orthodoxiae* (n. 267. et 325.).

335. Tenendum est **4.** *hanc potestatem esse ordinariam* [1]), scil. non solum in casibus extraordinariis, cum ex. gr. episcopus suum negligit munus, rom. pontificem jurisdictionis potestate frui in ecclesia aliqua

[1]) „Potestas sive jurisdictio ordinaria usu ecclesiastico dicitur ea, quae dignitati vel magistratui vel praefecturae ipso jure sive divino sive humano annexa est, quam quis proinde non vi specialis delegationis, sed vi suae dignitatis suique officii exercet. Ita omnes canonistae." Palmieri th. XIII.

particulari, sed *semper* et *ordinario;* neque enim petrae in aedificio vel pastoris munus in grege censeri potest munus *extraordinarium,* sed ordinarium plane est, quamdiu aedificium consistere, grex adunari debet. Fatendum tamen est, primatum jura sua magis exserere, si instet necessitas vel periculum, magisque tunc salutarem suam in omnem Ecclesiam vim splendescere.

»Tantum autem abest, advertit ad rem conc. vaticanum, ut haec summi pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis jurisdictionis potestati, qua episcopi, qui positi a Spiritu sancto in apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud s. Gregorii M.: Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere cum honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur *(ep. ad Eulog. alex.* l. 8. ep. 30.).«

336. Tenendum est 5. *potestatem hanc esse immediatam* et quidem **a.** quoad *originem* i. e. non esse ipsi Ecclesiae seu fidelium coetui concessam, e quo dein in romanum pontificem per quandam delegationem vel translationem derivetur, sed immediate a Christo pontifici legitime electo communicari; quod manifesto colligitur ex Christi verbis, quibus *immediate* ad Petrum, non ad Ecclesiam dixit: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; tibi dabo claves regni coelorum; confirma fratres tuos; pasce agnos meos.* Et immediata **b.** quoad *exercitium,* quatenus pontifex hanc potestatem exercere non solum per episcopos, sed per sese suosque legatos possit.

337. Tenendum est 6. *hanc potestatem esse plenam,* et quidem *extensive* (n. 333.) et *intensive,* cui nil desit potestatis requisitae ad pascendam, regendam ac gubernandam universalem Ecclesiam, ut patet ex verbis amplissimis: *Tibi dabo claves regni coelorum* (n. 307.) et *pasce agnos meos, oves meas* (n. 311.), et ex primatus exercitio (n. 318. ss.); nulla enim est potestatis ecclesiasticae functio, quam non in Ecclesia universa subinde exercuerint romani pontifices.

338. Quare 7. potestas romani pontificis est in Ecclesia *suprema,* qua superior nulla est. Quocirca concilium vaticanum statuit: „Quoniam divino apostolici primatus jure romanus pontifex universae Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus, eum esse *judicem supremum fidelium,* et in *omnibus* causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium recurri; sedis vero apostolicae, *cujus auctoritate major non est,* judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio. Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere a judiciis romanorum pontificum ad oecumenicum concilium tamquam ad auctoritatem romano pontifice

superiorem appellare [1]." Quocirca verissimum est illud axioma: *Prima sedes a nemine judicatur*, quod jam enunciat *Ennodius* in *lib. apologetico* pro synodo palmari a. 501., quem jubente syn. romana a. 503. exaravit et numerosa synodus approbavit, in quo ita scribit: „Aliorum forte hominum causas Deus voluerit per homines terminare, sedis istius praesulem suo sine quaestione reservavit arbitrio. Voluit b. Petri ap. successores coelo tantum debere innocentiam et subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam etc." Si autem pontificis potestas est supra concilia, et major quavis alia auctoritate, *ab ea non licet appellare.* Quod jam diserte inculcat Gelasius epist. 26. *ad episc. Dardaniae* (ed. Thiel) n. 5: „Non reticemus, quod *cuncta per mundum novit Ecclesia,* quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum sedes b. Petri apostoli jus habeat resolvendi, utpote quae *de omni Ecclesia fas habeat judicandi,* neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio;

---

[1]) Quare jam peremptorie soluta est celebris diu ac subinde acriter agitata controversia *de superioritate romani pontificis* (certi, legitime electi, viventis) *super concilium.* Prima semina oppositae sententiae de superioritate conciliorum ex universa Ecclesia congregatorum super rom. pontificem comparent sec. XIII. ad finem vergente tempore et occasione dissidii inter Bonifatium VIII. et Philippum Galliae regem; celebris vero evasit initio sec. XV. occasione schismatis occidentalis. Idcirco vero tunc temporis plures in hanc abierunt sententiam, quod medium aliud ad tollendum tristissimum schisma non repererint: proinde hanc superioritatem defendisse non videntur nisi *pro casu schismatis* sive *pontificis incerti.* Illam deinde illimitate ultro amplexi sunt richeriani, febroniani, regalistae etc., secundum quos potestas ecclesiastica principalius et immobilius, ut ajunt, residet in Ecclesia, ex qua in pontificem velut in caput *ministeriale,* ideoque ipsi Ecclesiae obnoxium, redundet. Fatendum tamen est, praeter hos etiam alios theologos, praesertim gallicanos, innixos in primis conc. constantiensis decretis tueri, ita rom. pontificem esse super concilia particularia, ut tamen sit subjectus synodo universali; quam doctrinam solemniter amplexus est clerus gallicanus in famosa *declaratione* a. 1682. art. 2. Eam tamen *aequivalenter* jam reprobavit conc. florentinum (n. 332.), *diserte* Leo X. bulla in conc. lateranensi V. edita, qua statuit: „Solum romanum pontificem pro tempore exsistentem *tanquam auctoritatem super omnia concilia habentem* tam conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum *plenum jus ac potestatem* habere, nedum e s. Scripturae testimonio, dictis ss. patrum ac aliorum rom. pontificum, etiam praedecessorum nostrorum, sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorundem conciliorum confessione manifeste constat." *Facto* illam reprobarunt Liberius *cassando* syn. ariminensem licet frequentissimam, et Leo M. can. 28. a conc. chalcedonensi alioquin oecumenico sancitum. Reprobavit Nicolaus I. ep. 86. *ad Michaelem* imp. scribens (Migne 119, 954.): „Cum secundum canones, ubi est major auctoritas, judicium inferiorum sit deferendum ad dissolvendum scil. vel ad roborandum, patet profecto, sedis apostolicae, *cujus auctoritate major non est,* judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio."

siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus." Quocirca licet saepius a conciliis provocatum fuerit ad rom. pontificem (n. 320.), nullum tamen appellationis ab eo ad concilium universale reperitur exemplum usque ad Fridericum II. imp., teste ipso Petro de Marca *de concordia sacerdotii et imperii* l. 4. c. 17. n. 5.

339. Ut vero 8. accuratius romani pontificis *ad concilia oecumenica* determinetur *relatio*, hanc statuimus thesim:

Thesis XLVII. ***Jus romani pontificis est convocandi concilia oecumenica, illis praesidendi eaque confirmandi.***

Demonstratio p. I. Non solum contendimus *triplex* quod indicavimus jus competere romano pontifici, sed etiam ita ipsius esse proprium, ut *nulli alteri* tribui possit. Et revera **1.** convocatio concilii oecumenici *authentica* est actus *jurisdictionis* ecclesiasticae; illi ergo tantum competit, qui jurisdictione potitur in *universam* Ecclesiam, id est romano pontifici. Quod **2.** confirmatur analogia. Sicut enim episcopi est synodum dioecesanam, metropolitae provincialem, primatis plenariam seu nationalem convocare synodum: ita *a fortiori* ei, qui jure *divino* praeest capitis instar universae Ecclesiae, jus competet convocandi synodum oecumenicam. Cum autem **3.** principes politici esse possint extra Ecclesiam, et licet sint christiani careant jurisdictione ecclesiastica in universam Ecclesiam, immerito eis tribuitur *jus* convocandi concilia oecumenica.

340. Negari tamen nequit, plura concilia, etiam *oecumenica* ab *imperatoribus* convocata videri. Verum **a.** nos modo non de *facto*, sed de *jure* sumus solliciti; facta vero **b.** illa, nisi apte explicentur, *legitima* censeri non posse; qua in sententia confirmamur ipso etiam exitu tristi plerorumque illorum conciliorum, quae imperatores citra rom. pontificis consensum pro suo convocarunt arbitrio. **c.** Demonstrari potest, pleraque concilia oecumenica ad octavum usque, quorum convocatio tribui solet imperatoribus, non fuisse ab iisdem indicta citra assensum episcoporum, in primis vero rom. pontificis; quare **d.** hoc exstitit discrimen inter rom. episcopos et imperatores convocantes concilia, quod illi accepto per Christum *jure veri* exstiterint *convocationis auctores*, hi vero *honorem convocationis* obtinuerint. Neque desunt rationes propter quas romani praesules haud minimam concesserint imperatoribus partem in convocandis conciliis oecumenicis. Ejusmodi rationes fuerunt **a.** quod Ecclesiae romanisque pontificibus cordi semper fuerit sacerdotii atque imperii pax; quod **b.** egregia fuerint aliquot imperatorum in Ecclesiam merita; quod **c.** nonnisi ab imperatoribus exspectandum foret praesidium, quo pravi et haeretici compescerentur homines; quod **d.** necessaria esset imperatoris munificentia, ut impensis pro instituendis itineribus consuleretur; quod **e.** nonnisi imperatorum consensu eligi posset civitas, in quam episcopi magno numero ex orbe universo convenirent.

341. **Demonstratio p. II.** Solius romani pontificis est concilio

oecumenico *praesidere*. Concilium enim **a.** oecumenicum repraesentare debet Ecclesiam, qualem ipsam Christus instituit: Ecclesiam vero ita instituit Christus, ut illi jugiter praeesse debeant Petrus ejusque successores legitimi. Et sane **b.** vel nemo est, cui jus hoc competit, si illud neque rom. pontifici convenit, quod absurdum; vel si cui convenit, is erit romanus pontifex, qui adeo eminet jurisdictionis potestate in universa Ecclesia. Quod **c.** confirmatur conciliorum historia. Si enim excipias conc. oecumenica II. et V., quae spectata *celebratione* oecumenica censeri nequeunt, omnibus reliquis praefuisse rom. pontifices vel per se vel per suos legatos ostendi potest.

Quod si legimus *imperatores* nonnullis *praefuisse* synodis, adverti debet, *triplicem* secerni posse modum praesidendi concilio, quorum *primus* est, ut quis in decretis condendis praesideat episcopis ut membris caput; alter in eo est situs, ut quis judiciorum consultationumque ordini prospiciat conventusque tranquillitatem tueatur; *tertius* denique praesidendi modus principe et honoratiore loco continetur. Jam vero concedi potest, imperatores conciliis praesedisse altero atque tertio modo; quod etiam suadetur verbis epist. (98.) conc. chalcedonensis ad Leonem M. c. 1: »Quibus (episcopis) tu quidem *sicut membris caput* praeeras, in his, qui tuas vices gerebant benevolentiam praeferens: imperatores vero fideles ad ornandum decentissime praesidebant sicut Zorobabel Jesu (1. Esdrae. 2, 2.) Ecclesiae tamquam Jerusalem aedificationem renovare circa dogmata invitantes.«

342. **Demonstratio p. III.** Praecipua romani pontificis praerogativa relate ad concilia est jus confirmandi decreta, ut *authentica* sint vimque habeant omnes obligandi. Sane **1.** conciliorum oecumenicorum decreta inde suam mutuantur vim obligandi, quod ab Ecclesia legitime repraesentata dimanent. Nulla vero legitima habetur Ecclesiae repraesentatio, si desit Petrus. Quare **2.** romani pontifices passim hoc jus sibi vindicant nemine reclamante. Illud insinuat jam Julius I. in *ep. ad eusebianos*, qui inscio romano pontifice auctoritate propria Athanasium deposuerant, n. 22. (cf. *opusc.* XVII, 178.) scribens: „An ignoratis, hanc esse *consuetudinem*, ut primum nobis scribatur et hinc quod justum est decernatur?" Haec enim causa non spectabat ad concilium *particulare* citra romani antistitis consensum solo principis nutu coactum. Clarissime vero hoc jus enunciat Gelasius I. in tr. IV. *de anathematis vinculo* n. 9: „Totum, ut dictum, est in sedis apostolicae positum potestate. Ita quod firmavit in synodo (chalcedonensi) sedes apostolica, hoc robur obtinuit; quod refutavit, habere non potuit firmitatem: et sola rescindit, quod praeter ordinem congregatio synodica putaverat usurpandum[1]).

---

[1]) Plura testimonia Ecclesiae graecae pro hoc triplici jure cf. apud Nilles *Kalendarium manuale* pag. 51. 107. 138. s. 171. 241. 323.

343. Hanc praerogativam **3.** facta luculenta comprobant. Nam Liberius cassavit acta conc. ariminensis, cui ultra 400 interfuerunt episcopi; huc deinde spectant facta, ad quae provocat Gelasius ep. 26. (n. 321.); huc instructio a Coelestino legatis suis, quos ad conc. ephesinum misit, data. »Ut interesse conventui debeatis, ita ille; ad disceptationem si fuerit ventum, vos de eorum sententiis judicare debeatis, non subire certamen.« In primis vero hoc jus pontificium gestis concilii chalcedonensis confirmatur. Unanimes sanxerant patres can. 28., quo sedi constantinopolitanae primus post sedem apostolicam gradus tribuitur. Verum non obstante tot episcoporum (c. 600) universi Orientis consensione, existimarunt ipsi vim huic canoni non inesse, nisi a Leone confirmaretur. Quare concilium enixe petiit confirmationem: »Rogamus igitur, scribunt patres ep. 98., et tuis decretis nostrum honora judicium, et sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam; sic et summitas tua filiis, quod decet, adimpleat.« Et iterum: »Omnem vobis gestorum vim insinuavimus ad eorum, quae a nobis gesta sunt, firmitatem et consonantiam.« Petiit et Marcianus imperator; petiit et Anatolius, qui se ab ambitionis vitio quasi purgans canonis condendi causam in clerum CP. rejecit addens n. 1: »Oportebat omnia *necessario* ad notitiam tuae Sanctitatis referri, quae consecuta sunt;« et n. 2: »Quoniam vero post ipsos (legatos tuos) par erat, ut reliquae chartae, quae debent *necessario* ad vestram cognitionem venire, per nostros homines mitterentur, eo quod specialiter quaedam a nobis acta sunt . . . ut cum alia quidem per literas, alia vero per seipsos manifesta fecerint, convenienti vobisque digno responso ad nos cum gaudio revertantur etc.« Sed non obstante tanta intercessione Leo recusavit confirmationem, quocirca »cuncta acta illius synodi (circa hunc canonem) sede contradicente apostolica soluta sunt,« inquit Gregorius M. l. 5. ep. 21. Hinc factum est, ut eutychiani tumultus excitarent occasionemque sumerent dubitationis ingerendae de ipsa chalcedonensi definitione fidei, quasi et haec non fuerit a pontifice confirmata. »Illi enim, ut refert s. Leo ep. 117., occasione velandae perfidiae suae infirma vel dubia videri volunt statuta concilii, quae nulla sint consensus mei sententia roborata.« Quare Marcianus ad eundem scribens (ep. 110.) enixe rogat: »Ob eam rem tua pietas literas mittere dignabitur, per quas omnibus ecclesiis et populis manifestum fiat, in sancta synodo peracta a tua beatitudine rata haberi.«

344. Ad solvendas difficultates adverte **1.** de quorundam conc. oecumenicorum confirmatione nil legi, vel quod interciderint acta, vel quod concilia illa sua decreta exegerint ad praeeuntem pontificis romani definitionem, quo in casu nova confirmatio necessaria non fuit. Quod si **2.** episcopi tum seorsim, tum in synodos particulares congregati leguntur confirmasse concilia oecumenica, eorum confirmatio non ejusdem rationis fuit cum pontificia. »Neque enim licuit aliquando, scribit Pelagius I. *ad Valerianum* (Migne 69, 413.), nec licebit, particularem synodum *ad dijudicandam* generalem synodum congregari.« Eo proinde spectabat, ut consensio catholici nominis illustrius splenderet, quo splendore ipsa conciliorum oecumenicorum auctoritas adversarios vehementius percelleret. Legimus quidem **3.** *imperatores* quoque synodorum decreta confirmasse. Verum ab hac confirmatione repeti non posse internam decretorum valorem patet, cum illi ecclesiastica penitus careant potestate ac ne jus quidem habeant judicum

instar sedendi in conciliis. Quare ex confirmatione *caesarea* auctoritas tantum *externa externusque splendor* decretis accedit, quatenus nimirum imperatores confirmando conciliorum statuta, ea in suam recipiunt tutelam, atque in censum legum civilium referunt eorumque promovent custodiam. »Res enim humanae, advertit s. Leo ep. 60. *ad Pulcheriam*, aliter tutae esse non possunt, nisi quae ad divinam confessionem pertinent, et regia et sacerdotalis defendat auctoritas.«

345. Denique **9.** vi primatus romano pontifici competit *infallibilitas* in docendo, quam praerogativam sequenti thesi vindicabimus.

Thesis XLVIII. ***Romanus pontifex, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit*** [1]***, per assistentiam divinam ipsi in b. Petro promissam, ea infallibilitate pollet qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit, ideoque ejusmodi romani pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles sunt.***

Demonstratio. Thesi continetur ipsa *vaticana definitio* sess. 4. cap. 4. Tot autem suppeditant pro hac praerogativa argumenta, ut difficile sit in iis adducendis servare modum. Consequitur enim romani pontificis infallibilitas sponte sua **1.** per modum corollarii ex variis Ecclesiae universalis definitionibus vel judiciis authenticis [2]:

---

[1]) Ita distincte notionem definitionis *ex cathedra* concilium determinat, ut omnes adversariorum cavillationes de hujus locutionis ambiguitate jam seclusae sint. Exigit scil. *quatuor* conditiones: **1.** ex parte *pontificis*, ut doceat non qua theologus, qua doctus, sed sensu reduplicativo, qua omnium christianorum pastor et doctor: **2.** ex parte *materiae*, ut proponat doctrinam de fide et moribus; **3.** ex parte *formae* ut definiat, ut finem imponat controversiae, peremptoriam sententiam proferat, non tantum hortetur, consulat etc.; **4.** ex parte *termini*, ut licet non omnes actu alloquatur, aliquid definiat ab universa Ecclesia tenendum. Quod si subinde incertum sit, utrum aliqua pontificis sententia definitio sit e cathedra, advertatur, non minus difficile persaepe esse statuere, utrum certa quaedam concilii oecumenici verba synodalem contineant definitionem. Sicut ergo hoc dubium optime conciliari potest cum fide in conciliorum oecumenicorum infallibilitatem, ita singulare dubium, an aliquid definitum censeri debeat e cathedra, dogmati de romani pontificis inerrantia non adversabitur. Ceterum juverit jam a disputationis exordio prae oculis habere, plerasque difficultates adversus hoc dogma petere etiam conciliorum oecumenicorum infallibilitatem, quorum infallibilitas omnibus diligenter expensis vix facilius firmiusque probari potest romani pontificis inerrantia.

[2]) Quocirca conc. vaticanum volens rom. pontificis infallibilitatem sancire, primum provocat ad conc. oecumenicorum decreta, ut etiam ostendat, dogma hoc non esse *novum* novitate *originis*, sed forte novum novitate *explicationis* seu melius novitate tantum *propositionis*. Continebatur enim antiquis fidei regulis

quare in dubium vocari nequit, quin illa vocentur in discrimen. Huc spectat Hormisdae formula Orientis episcopis, qui schismatis acaciani participes fuere, praescripta hujus tenoris: „Prima salus est regulam rectae fidei custodire et a constitutis patrum nullatenus deviare. Et quia non potest D. N. J. Christi praetermitti sententia dicentis: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (Matth. 16. 18.), haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica immaculata est semper catholica reservata religio et sancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo fide et doctrina separari minime cupientes . . . speramus, ut in una communione, quam sedes apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera christianae religionis soliditas, promittens etiam sequestratos a communione Ecclesiae catholicae i. e. non consentientes sedi apostolicae, eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria." Porro consideretur **1.** hujus formulae auctoritas, nam nonnisi praemissa ejus subscriptione recipiebantur episcopi, qui fuerant participes schismatis acaciani; eadem subscripta fuit ab episcopis 2500, ab imp. Justiniano, patriarchis CP. Epiphanio, Joanne et Menna, denique in synodo VIII. act. 1. a patribus graecis et latinis. Jam vero **2.** in ea *factum* infallibilitatis enunciatur: „in sede apostolica immaculata est *semper* servata religio [1])." Quod **3.** non contigit casu; nam hujus facti ratio

non quidem explicite et formaliter, sed implicite et virtualiter: ita tamen clare, ut innumeri theologi illud inde eruerint (hinc negavimus novitatem *explicationis*). Tamen ad omnem dubitationis nubeculam abigendam Ecclesia illationem hanc et explicationem authentico comprobavit judicio, quod ante nondum fecerat: en *propositionis* novitatem. Habes hic specimen illius fidei profectus, quem describit Vincentius lirin. *commonit.* c. 23. s. (*opusc.* IX, 212. ss.) et de quo supra egimus n. 137. ss. Quocirca corruunt, quae Döllinger *Erwägungen* n. 1. de hujus dogmatis novitate animadvertit.

[1]) Idem factum saepius inculcat s. Agatho in sua ad Augustos ep., in qua facti hujus originem aperit scribens (Mig. 87, 1168): „Ejus (Petri) vera confessio a Patre de coelis est revelata, pro qua a Domino omnium beatus esse pronunciatus est Petrus: qui et spiritales oves Ecclesiae ab ipso Redemptore omnium terna commendatione pascendas suscepit, *cujus annitente praesidio,* haec apostolica ejus Ecclesia *nunquam* a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est: cujus auctoritatem, utpote apostolorum omnium principis, semper omnis catholica Christi Ecclesia et universales synodi fideliter amplectentes in cunctis secutae sunt omnesque venerabiles patres apostolicam ejus doctrinam amplexi." Jam vero si sedes apostolica immaculatam *semper* servavit religionem, ut dicitur in formula Hormisdae, et *nunquam* a via veritatis deflexa est, ut quater saltem Agatho inculcat, excluditur **1.** quorundam effugium, indefectibilitatem in fide competere tantum pontificum seriei seu successioni, non vero singulis; sequitur **2.** nil novisse Agathonem et patres conc. VIII. act. 1. de lapsu Honorii in definitione fidei, quae fuerit *e cathedra.*

redditur verbis Christi ad Petrum: *Tu es Petrus* etc., quae cum *semper* vera sint atque ad *omnes* ejusdem spectent successores, similem *semper* effectum habebunt. Haud obscure vero 4. hujus divini consilii finis aperitur verbis: „in qua est integra et vera christianae religionis soliditas;“ cum enim aedificii soliditas pendeat a fundamenti firmitate (Matth. 7, 24. ss.), cathedra vero Petri Ecclesiae sit fundamentum (16, 18.): mirum esse non debet, quod Christus, ut integra et vera christianae religionis sit soliditas, ita cathedram Petri firmaverit, ut in ea et per eam semper immaculata servetur religio. Hinc 5. practicum infertur corollarium, dissensum a sede apostolica divellere a communione Ecclesiae catholicae, et ne a vera excidamus fide, communionem cum sede apostolica esse servandam (cf. n. 291.): quod utrumque falsum foret, si unquam Petri cathedra erraret. Quare hac formula dogma nostrum plenissime continetur.

346. »Approbante vero, prosequitur 2. conc. vatic. l. c., lugdunensi concilio II. graeci professi sunt: Sanctam romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in b. Petro apostolorum principe sive vertice, cujus romanus pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit; et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent judicio definiri.« Quibus exhibetur rom. pontifex controversiarum judex et quidem *supremus*, qui judicio non quocunque, sed *peremptorio* fidei quaestiones dirimat. Tribuitur enim ipsi potestatis *plenitudo*, statimque subjicitur hujus potestatis unum ex pluribus munus, defendere veritatem atque idcirco definire quaestiones fidei; ergo et in hoc munere plenitudinem possidebit potestatis: judex ergo, qui *pleniori* potestate hoc munere fungatur, in Ecclesia non est. Quapropter peremptorium erit ejus judicium, a quo non datur appellatio, et quod proinde est *infallibile.*

347. Provocat 3. conc. vaticanum ad synodi florentinae definitionem (n. 332.), qua asseritur rom. pontifici *plena* potestas pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam. Cum autem in hac potestate potestas docendi quoque includatur, profecto et haec *plena* erit. Atqui ea plena non foret, si aliquid certitudinis et authentiae ei deesset, si plenum et absolutum non posset determinare assensum, si non sufficeret ad peremptorium de controversiis fidei judicium ferendum, si ejus auctoritas firmanda et complenda esset assensu episcoporum, si non *aequaret* docendi potestatem Ecclesiae infallibilis, verbo si haec docendi potestas non esset infallibilis. Ergo eo ipso, quod asseritur romano pontifici *plena* docendi potestas, vindicatur ei etiam infallibilitas, qua docendi potestas completur et consummatur.

348. 4. Colligitur haec pontificis praerogativa ex Christi verbis:

Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam etc. (Matth. 16, 18.). Sane vi horum verborum Petrus cum suis successoribus (n. 316.), in quibus vivit, petra et fundamentum constituitur Ecclesiae universalis (n. 303.), et quidem ratione fidei; Ecclesia enim schola est Christi, quae in fide fundatur et fide regitur. Ita vero Petrus fundamentum est Ecclesiae, ut haec ex illo suam invictam mutuetur firmitatem (cf. Matth. 7, 24. s.). Atqui Petrus ejusque successores non essent petra, a qua Ecclesia suam invictam adversus regnum erroris et tenebrarum mutuetur fortitudinem, si et ipsi omni circumferri possent vento doctrinae et erroris, si firmitate in fide carerent, vel si eorum decreta, ut firma sint, consensu illius Ecclesiae essent confirmanda, quae tota ab illis pendet. Ergo cum ipso petrae munere infallibilitatis praerogativa cohaeret [1]).

349. Confirmatur **5.** verbis Christi Luc. 22, 32: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos,* quibus significatur fides Petri, quatenus est fratrum confirmator, *non defectura,* nulli proinde errori obnoxia. Quare si haec verba ad ejus quoque in primatu *successores* pertinent, de horum dubitari nequit *infallibilitate.* Ea autem ad Petri spectare successores, tenendum est **a.** propter insignem *parallelismum* (cf. n. 234. arg. 1.) cum Matth. 16, 18.; quod **b.** confirmandi functio, propter quam Christus impetravit Petro fidei indefectibilitatem, transeat in ejus successores; quod **c.** episcopi multo magis indigeant confirmatione quam apostoli; quare si Christus his consuluit injuncto Petro officio eos confirmandi, transivit multo magis hoc officium in Petri successores: proinde et haec Christi verba ad Petri spectabunt successores, ad quos etiam ea retulit christiana antiquitas.

350. Ea colligitur **6.** ex verbis Christi Joan. 21, 15. ss., quibus

---

[1]) Tria praeterea hujus loci occasione adverti possunt: **1.** ex eo liquet, quando Petrus ejusque successores infallibilitatis dote fruantur: tunc scil. cum munus petrae fidei exercent, atque Ecclesiam in fide qua petra sustentant; fidei puritati, unitati, firmitati consulunt atque portas damnant inferi. **2.** Etsi in ordine objectivo (vi hujus textus) prior sit infallibilitas primatus, quam Ecclesiae, sicut ordine prior est fundamenti firmitas, quam stabilitas aedificii: fieri tamen potuit, ut in ordine logico et cognitionis prius innotuerit dogma de Ecclesiae infallibilitate, quam dogma de inerrantia romani pontificis. Logica tamen illatione ex illius analysi ad hoc progredi licebit, adeo ut fides in romani pontificis infallibilitatem sequatur ex articulata magis fide in Ecclesiae infallibilitatem. Quare definitio infallibilitatis rom. pontificis non est fidei innovatio, sed explicatio atque profectus. **3.** Negata pontificis infallibilitate vix defendi poterit ex Matth. 16, 18. Ecclesiae infallibilitas. Secundum sententiam enim ipsius Christi aedificii firmitas pendet a firmitate fundamenti (Matth. 7, 24. ss.).

Petrum agnorum et ovium pastorem constituit (n. 311.). Juri enim et muneri pascendi respondet in ovibus sequendi et obediendi officium. Quare si supremus Ecclesiae pastor, cui vel episcopi obnoxii sunt, pro munere gregem dominicum doctrina pascit, eum fideles omnes sequi tenentur, alioquin de ejus auctoritate actum erit. Atqui si iis in adjunctis supremus pastor ab errore non servatur immunis, actum esset de Ecclesia. Fac enim eum, dum petrae confirmatorisque fratrum munus gerit, erroneam proponere doctrinam; vel Ecclesia pastorumque coetus eum audit atque sequitur, et en universa Ecclesia ducitur in errorem, quod nefas est dicere; vel fidelium aut pastorum coetus doctrinam examini subjicit, ut cognoscat, an sit revelationi consona necne, errantem pontificem non sequitur: et ubi tunc est illa *plenitudo* potestatis pascendi et docendi, cum oves doceant pascantque suum pastorem? actum jam est de romani pontificis auctoritate, nec ubi Petrus, ibi est Ecclesia; non confirmat ipse fratres confirmandus potius ab illis. Quare ipsum *supremi pastoris munus* Petro ejusque successoribus collatum infallibilitatem in docendo flagitat.

351. Quam ob rem **7.** jam veteres romani pontifices si non diserte, aequivalenter saltem infallibilitatem sibi asserunt.

Huc spectant verba Zosimi, qui confidenter affirmat *ep. 12.* n. 1.: »Quamvis patrum traditio apostolicae sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de ejus judicio disceptare nullus auderet etc.« »Nemo unquam, inquit Bonifatius I. *ep. 15.* n. 5., apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit: nemo in hoc rebellis exstitit, nisi qui de se voluit judicari.« Huc spectant repetita s. Leonis effata, ut cum dicit *serm. 3.* n. 2. 3: »Soliditas illa fidei, quae in apostolorum principe est laudata, *perpetua* est . . . Manet ergo dispositio veritatis et b. Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit.« Et iterum *serm. 5.* c. 4: »Soliditas enim illa, quam de petra Christo etiam ipse (Petrus) petra factus accepit, in suos quoque se transfudit heredes, et ubicunque aliquid ostenditur firmitatis, non dubie apparet fortitudo pastoris.« Verba s. Agathonis supra jam audivimus (n. 345. in annot.). Inter interrogationes circa fidem a Clemente VI. ecclesiae armenae propositas, ut in unitate cum romana esse possit, haec est 13: »Si credidisti et adhuc credis, solum romanum pontificem dubiis emergentibus circa fidem catholicam posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhaerendum, finem imponere, et esse verum et catholicum quidquid ipse auctoritate clavium sibi traditarum a Christo determinat esse verum (ap. Raynaldum ad a. 1351. n. 3.)?« Sixtus IV. damnavit hanc Petri oxomensis propositionem (7.): »Ecclesia urbis Romae errare potest;« Alexander VII. hanc alteram (29.): »Futilis et toties convulsa est assertio de pontificis romani super concilium oecumenicum auctoritate atque in fidei quaestionibus decernendis infallibilitate;« et Innocentius XI. cum Alexandro VIII. rejecit artic. 4. declarationis gallicanae: »In fidei quoque quaestionibus praecipuas summi pontificis esse partes ejusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit.«

352. Verum 8. non solum pontifices sibi hanc asseruerunt praerogativam, sed quam plurima concilia provincialia (quorum in Ecclesia

haud spernenda est auctoritas, praesertim si plura conspirent nemine refragante), splendidissimis verbis infallibilitatis decus iisdem adscribunt. Ex quamplurimis unum tantum alterumve audiamus.

Ita ex. gr. scribunt episcopi tarraconenses (a. 463—464.) ad Hilarum papam *epist. 13.* n. 1. ed. Thiel: „Etiamsi nulla exstaret necessitas ecclesiasticae disciplinae, expetendum revera nobis fuerat illud privilegium sedis vestrae, quo susceptis regni clavibus post resurrectionem Salvatoris per totum orbem beatissimi Petri singularis praedicatio universorum illuminationi prospexit: cujus vicarii principatus sicut eminet, ita metuendus est ab omnibus et amandus. Proinde nos Deum in vobis primitus adorantes, cui sine querela servitis, ad fidem recurrimus in apostolico ore laudatam, inde responsa quaerentes, unde *nihil errore,* nihil praesumptione, sed pontificali totum deliberatione praecipitur.“ Ita concilium remense a. 1857. docet, pontificis romani „utique officium esse ac munus, non solum veritatem catholicam defendere, et si quae de fide morumve regulis subortae fuerint quaestiones, suo *irreformabili* quidem judicio definire, sed etiam eadem auctoritate quidquid universali Ecclesiae expedire judicaverit, in iis quae ad populi christiani disciplinam pertinent, statuere. ita, ut vera illius decretis et constitutionibus, cujuscunque sint generis, obedientia praestari debeat ab omnibus fidelibus ac etiam ecclesiarum praelatis etc.“ Conc. westmonasteriense a. 1852. statuit decr. 7: „Quidquid ab ipsa (Petri cathedra) semel definitum est, *eo ipso ratum* et certum tenemus.“ Secundum conc. ravennatense a. 1855. p. 1. c. 3. rom. pontifex „tanta et tali pollet auctoritate, ut . . . sententia prorsus *irreformabili* controversias (fidei et morum) dirimere possit per se solum ac ex cathedra definiens reapse dirimat.“ Conc. strigoniense a. 1858. tit. 5. de hierarchia c. 2: „Petro, inquit, in rebus fidei et morum per os pontificis loquenti omnes per orbem fideles et pastores *citra omne dubium* assensum semper praebuerunt.“ Conc. baltimorense a. 1858. in ep. ad rom. pontificem: „Saepe tradimus et vehementer etiam atque etiam inculcamus, esse aliquam in terris cathedram, quae veritatem *ab omni erroris labe immunem* mortales homines doceat.“ Conc. coloniense a. 1860. p. 1. tit. 6. c. 24: „Ipse (rom. pontifex) est omnium christianorum pater et doctor, cujus in fidei quaestionibus *per se irreformabile est judicium.*“ Conc. ultrajectense a. 1865: „Romani pontificis judicium in iis, quae ad fidem moresque spectant, *infallibile* esse indubitanter retinemus.“ Jam vero episcoporum ordo etiam per orbem dispersus in unitate cum romano pontifice docens est infallibilis. Atqui episcopi per orbem dispersi rom. pontificis infallibilitatem docuerunt jam ante conc. vaticanum tot in conciliis provincialibus. Ergo concilii vaticani definitio nonnisi solemnior est manifestatio fidei illius, quae diffusa jam vigebat in Ecclesia infallibili. Quapropter admiranda est sapiens Dei providentia, quae *ad obturanda ora adversariorum* tam universalem solemnemque fidei manifestationem praemisit ipsi concilio vaticano.

353. Romani pontificis praerogativa colligitur 9. ex *sensu theoretico* et *practico* antiquitatis. Quid enim a. aliud supponunt tot consultationes undique romanae cathedrae propositae, nisi quod omnibus esset

persuasum [1]), inde fluere fontes doctrinae purae nullo errore turbatos? Deinde b. fides sedis apostolicae habebatur tamquam norma tuta orthodoxiae. Quapropter is qui communione jungebatur romano pontifici, verus censebatur catholicus (n. 267.); ii vero, quorum fides in suspicionem vocabatur, apud hanc sedem purgare se nitebantur (n. 323.), ejusdemque approbationem et communionem ambiebant. Ideoque etiam romani pontifices fidei formulas subscribendas proponebant, quo haeretici in Ecclesiam reciperentur vel de haeresi suspecti orthodoxi haberentur (n. 345.), illorum constitutiones decretis conciliorum jungi solebant tamquam paris auctoritatis [2]); atque eorum sententia par censebatur ad sopiendas controversias (n. 326.) tantaeque auctoritatis, ut ipsi nullam de ea, ac si esset dubia, permitterent vel admitterent disputationem. Atqui fides, quae tuta sit orthodoxiae norma cum omnibus hisce consectariis, super omne dubium posita, *infallibilis* sit necesse est.

Praeclara sunt, quae in causa Pyrrhi disputat Maximus M. († 662.) ep. *ad Petrum illustrem* (Migne *patrol. gr.* 91, 144.): „Itaque si vult haereticus non esse, neque audire, non isti aut illi satisfaciat, superfluum quippe hoc et irrationabile est; quia sicut uno contra eum scandalizato omnes scandalizati sunt: ita quoque uno satisfacto omnes procul dubio satisfiunt. Festinet prae omnibus sedi romanae satisfacere. Hac enim satisfacta communiter ubique omnes pium hunc et orthodoxum praedicabunt. Nam frustra solummodo loquitur, qui mihi similes suadendos putat, et non satisfacit et implorat sanctissimae romanorum ecclesiae beatissimum papam, i. e. apostolicam sedem, quae ab ipso incarnato Dei Verbo sed et omnibus sanctis synodis secundum sacros canones et terminos universarum, quae in toto terrarum orbe sunt, sanctarum Dei ecclesiarum in omnibus et per omnia percepit et habet imperium, auctoritatem et potestatem ligandi atque

---

[1]) Factis supra n. 343. allatis alia addi possent. Proposuerat Severus scholasticus CP. Fulgentio Ferrando diacono carthaginiensi quaestionem, utrum J. Christus dici possit *unus de sancta et individua Trinitate.* Qui respondit *ep.* 5. n. 1: „Interroga, vir prudentissime, si quid veritatis cupis audire, principaliter apostolicae sedis antistitem, cujus sana doctrina constat judicio veritatis et fulcitur munimine auctoritatis.“

[2]) Ita ex. gr. Coelestinus ep. 21. *ad episc. Galliae* n. 12. sanctiones sedis apostolicae vocat *inviolabiles;* Simplicius scribit (a. 477.) Zenoni imp. *ep. 6.* n. 4: „Chalcedonensis synodi constituta vel ea, quae beatae memoriae praedecessor meus Leo apostolica eruditione perdocuit, intemerata vigere jubeatis: quia nec ullo modo retractari potest, quod illorum definitione sopitum est, nec ullatenus recipi toties uno undique ore damnatus.“ Eutychius ep. CP. in ep. *ad Vigilium,* postquam professus est se suscipere quatuor concilia oecumenica, prosequitur (Migne 69, 64): „Suscipimus autem et amplectimur *et epistolas praesulum romanae sedis apostolicae* tam aliorum quam Leonis sanctae memoriae de recta fide scriptas et de quatuor sanctis conciliis vel uno eorum.“ Quam professionem plurimi episcopi Orientis subscripserunt.

solvendi.« Misit Hormisda legatos suos in Orientem ad recipiendos episcopos a schismate acaciano redeuntes cum libello fidei (n. 345.) ab omnibus subscribendo, insuper adjecit indiculum de modo, quo se in hoc negotio gererent. »Cui (imperatori) praesentati, ita Hormisda (a. 519.) *epist. 49.* n. 2., salutantes literas nostras offerte, suggerentes, magnum nos de ejus imperio gaudium percepisse et nimium gratulari, quod eum Deus omnipotens ad hoc evexit juxta ejus sacras literas, ut secundum ea, quae sunt ab apostolicae sedis constituta praesulibus, Deo auctore et regno ejus adnitente, ecclesiarum et pax et unitas his temporibus desiderata proveniat. Quod si vos hortatus fuerit, ut constantinopolitanum videatis episcopum, intimate vos praefinita habere, quae etiam ab eis saepe sint cognita, quae ab universis episcopis catholicam unionem amplectentibus professio debeat celebrari. Haec si episcopus constantinopolitanus implere paratus est, ei gratanter occurrimus; si vero sedis apostolicae adhortationem sequi contemnit, quid necesse est, ut ad occasionem contentionis salutatio nostra proficiat, quibus non est disputationis aut certaminis causa in mandatis?« Qua in re Hormisda secutus est exemplum s. Coelestini (n. 343.)

354. Censebatur **c.** Petrus in romano pontifice, qui pro munere suo Ecclesiam docet, loqui, docere, Ecclesiam regere atque quaerentibus praestare fidei veritatem (n. 316.). Atqui profecto Petri fides nunquam deficiet; ergo nec fides heredis Petri, per quem hic veluti docet. „Perstat enim, scribit Simplicius pontifex (a. 476.) ad Basiliscum Aug. *ep. 3.* n. 5., in successoribus suis haec et eadem apostolicae norma doctrinae, cui Dominus curam totius ovilis injunxit, cui se usque in finem seculi minime defuturum, cui portas inferi nunquam praevalituras esse promisit.“ Ad haec **d.** cathedra romana in damnandis haeresibus primatum habuit (n. 326.) ac plures haereses tum demum censebantur peremptorie damnatae, cum Roma locuta esset (n. 343.). Atqui eo ipso, quod in damnandis haereticis tantum sibi vindicet romana sedes, merito infertur, haeresim ad eam accessum habere non posse. Quomodo enim ejus judicium censeri posset peremptorium et causa finita, si illud non supra omne dubium sit positum, si non sit infallibile? „Hoc est, inquit Gelasius (a. 494.), quod sedes apostolica magnopere praecavet, ut quia munda radix est apostoli gloriosa confessio, nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculetur[1]).

---

[1]) Ep. 12. *ad Anastasium* Aug. n. 6. Quaeritur, quid tenendum sit de opinione, secundum quam rom. pontifex, quatenus est persona *privata*, in haeresim incidere possit. Nobis placent, quae de ea cum plurimis theologis statuit Suarez *de fide* disp. 10. sect. 6. n. 11.: »Procedunt (accusatores pontificum) supponendo, verum pontificem (ut privatam personam) posse incidere in haeresim. Quod licet multi verisimiliter affirment, mihi tamen breviter et magis pium et probabilius videtur, posse quidem papam ut privatam personam errare ex ignorantia, non tamen ex contumacia. Quamvis enim efficere Deus possit, ut haereticus papa non noceat Ecclesiae, suavior tamen modus divinae providentiae est,

Nam si (quod Deus avertat, quod fieri non posse confidimus) tale aliquid proveniret, unde cuiquam resistere auderemus errori, vel unde correctionem errantibus posceremus [1])?"

355. Ad haec omnia argumenta [2]) accedit invictum illud, quod ex dogmatum analogia atque ex primatus fine derivavimus (n. 297.). Quae si accurate omnia expendantur, manifesto apparebit, dogma hoc longe majori argumentorum numero et pondere muniri, quam plura alia dogmata. Fateor quidem multa contra illud quoque excipi, sed quodnam est dogma, contra quod non multa opponi soleant? atque haud pauci fidei catholicae sunt articuli, contra quos forte plures etiam gravioresque opponi possint exceptiones, quibus tamen non obstantibus

---

ut, quia Deus promisit papam definientem nunquam erraturum, consequenter provideat, ne unquam ille haereticus sit." Quod si tamen quis opinionem illam sequi vellet, prae oculis habeat, quae in hac hypothesi statuit cum Viva *thes. damn.* parte 2. Tanner *theol. scholast.* disp. de fide q. 4. dub. 6: „Nec privata haeresis (pontificis) in ullum Ecclesiae praejudicium cedit. Aut enim notoria est aut occulta: si primum, jam hoc ipso pontifex sua potestate excidit, etiam ante concilii declarationem; si secundum, jam hoc ipso ea Ecclesiae nihil incommodat."

[1]) Neque dicant gallicani ad horum vim elevandam, rom. pontificum decreta habita fuisse infallibilia propter expressum vel tacitum Ecclesiae assensum, qui illa comitari solebat. Quae quidem theoria pluribus arrisit, quod veluti media videretur inter duo extrema ideoque ad conciliandos animos discordes aptissima, sed ea vanam inutilemque reddit pontificis infallibilitatem. Nam in ea semper dubium erit, qualis assensus requiratur, ut pontificis decretum censeri possit irreformabile. Tacitusne an expressus? et quomodo hic assensus innotescet? quamdiu exspectandum erit, donec de eo certi esse possimus, praesertim si tacitus sufficiat? an per mensem, per annum, per decennium? quantus vero requiritur? et quid faciendum in dubio de sufficientia ejusmodi assensus? haec vero et similia jure nostro quaerere licebit. Quis autem putet, supremi pastoris docendi authentiam pendere a tot tamque incertis conditionibus, quae eam dubiam semper reddent?

[2]) Ex his etiam liquet, quam *temeraria* sit assertio, qua nonnulli contendunt, sententiam de romani pontificis infallibilitate nonnisi sec. XIII. ad finem vergente per s. Thomam eumque spuriis testimoniis deceptum in theologiam scholae fuisse inductam, theologosque deinceps mercibus pseudoisidorianis antiquitatis auram illi conciliasse. Verum **a.** tam antiqua est haec doctrina, quam antiqua sunt verba: *Tu es Petrus* etc. seu generatim promissa Christi Petro facta, quorum vim nunquam convellent adversarii; quare **b.** s. Thomas hanc fidem non invexit, sed in Ecclesia jam reperit. Neque confictus est **c.** textus Luc. 22, 32., cui in primis innititur s. Thomas 2. 2. q. 1. a. 10. Nonnisi *praecipitanter* **d.** affirmatur textus illos patrum, quibus Thomas utitur in opusculo *adv. graecorum errores*, esse confictos et spurios, ut ostendit Uccelli in opusc. *Dei testi esaminati da s. Tomaso Aquino nell opusc. contro gli errori dei greci* etc. Non infitiamur theologos in probando hoc dogmate usos subinde esse textibus spuriis, sed inscitia vel calumnia esset affirmare, eorum argumenta inniti *tantum* textibus confictis; innituntur enim verbis Christi, dogmatum analogiae innumerisque patrum effatis prorsus genuinis.

inconcusse a quovis creduntur catholico. Jam potiores exceptiones paucis expendamus.

356. Concedimus quidem **1.** nunquam a patribus rom. pontificem *diserte* dici *infallibilem*, sed neque concilia oecumenica ab illis dicuntur infallibilia. Sufficit quod *aequivalenter* et *practice* agnoverint et professi sint romani pontificis infallibilitatem. Negamus **2.** patres nunquam mentionem facere supremae docendi auctoritatis episcopi romani, tamquam medii expediti ad dirimendas controversias tutoque agnoscendam sinceram doctrinam, ut nimis confidenter asserunt adversarii. Huc enim spectant verba Irenaei (n. 334.), consilium Fulgentii Ferrandi Severo scholastico (n. 353. in an.), et Petri Chrysologi Eutycheti datum (n. 340.); Augustini gaudium de finita responso romano causa pelagiana (supra n. 326.); Maximi M. disputatio in causa Pyrrhi (supra n. 353.) et Flaviani insigne testimonium (n. 322. 357.) Neque solum theoretice patres hoc medium insinuant, sed persaepe eo in dubiis sunt usi, ut jam pluribus factis ostendimus.

357. Ex dogmate de rom. pontificis infallibilitate **3.** non sequitur, ut plures contendunt, concilia oecumenica fore superflua vel inutilia. Ea enim **a.** etiam concessa synodi universales persaepe possunt esse summae utilitatis, tum quia pontifex non pro arbitrio definire potest, quid divinitus sit revelatum, sed diligenti facta in traditionem divinam inquisitione, ad quam peropportuna est mutua episcoporum undique congregatorum collatio; tum quia obortis dissidiis aptum est remedium mutuum pastorum Ecclesiae consilium et colloquium, cum ipsorum etiam sit decreta in bonum Ecclesiae edita exsecutioni mandare; tum quia tot venerandorum patrum unanimis sententia et definitio magis movet titubantium in fide mentes, magisque confundit haereticorum perfidiam osque eorum obturat, quam unius episcopi romani licet infallibilis auctoritas. Quocirca **b.** vel ipsi apostoli, licet *singuli* essent infallibiles, in synodum convenere, in qua facta est *magna conquisitio* (Act. 15, 7.); et ipsi pontifices concilia oecumenica convocarunt eorumque convocationem non obstante sua infallibilitate ardenter desiderarunt. Falsum vero est **c.** antiquitus creditum fuisse, solum conciliorum auctoritate legitime componi posse dissidia et quaestiones de fide: agnovit hoc jus antiquitas etiam in romano pontifice. Cf. n. 356. Ita Flavianus exposita Eutychetis haeresi Leoni I. (a. 449. inter ep. Leonis 26.) et petens gestorum a se confirmationem scribit: »Res namque solo indiget ex vobis impulsu atque subsidio, quod per vestram prudentiam ad tranquillitatem et pacem cuncta statim translaturum est. Sic enim et quae insurrexit haeresis, et ob eam excitatus tumultus facile cessabit, Deo cooperante, per vestras sacras literas; prohibebitur vero et quae evulgatur futura esse synodus, ut ne sanctissimae totius orbis ecclesiae perturbentur.« Cum monachi scythae in Oriente turbas excitarent propter formulam: *Unus ex Trinitate crucifixus est*, ad sedem apostolicam recurrerunt ipsi et catholici, inter quos etiam Justinianus (nondum imperator): »Petimus, rogat ipse (a. 519.) Hormisdam (ep. 89. inter ep. Hormisdae ed. Thiel), ut si possibile est, celerrime dato responso et satisfactis religiosis monachis Joannem et Leontium ad nos remittatis: nisi enim precibus et diligentia vestra ista quaestio soluta fuerit, veremur, ne non possit ecclesiarum sanctarum

pax provenire.« Et in ep. 99. scribit: »Imponite igitur vobis semel susceptum laborem, sancte ac venerabilis pater, *etiam in hoc praedecessores vestros sequentes,* quorum memoriam et amplectimini et consortio pontificatus ornatis, et de hac intentione liberos nos properate reddere et securos. *Hoc enim credimus esse catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum* . . . Haec enim omnia ideo petimus vos disponere cautius, ut ne locus mendacio vel insidiis detur: quoniam summo cum desiderio fidem catholicam amplectentes *vestra doctrina unitatem universo orbi petimus condonari.*“

358. Excipiunt **4.** rom. pontificum epistolas in conciliis examini fuisse subjectas, proinde non fuisse habitas infallibiles. Verum advertatur, *multiplex* alicujus doctrinae examen distingui, alium atque alium esse posse hujus examinis finem. Potest **a.** doctrina subjici examini, ut reprobetur et damnetur; ut **b.** comprobetur revelata ac de ea definitio edatur. Potest **c.** etiam dogma catholicum examini subjici, non quasi id dubium foret, sed »ut, inquit s. Leo ep. 120. *ad Theodoretum* n. 1., veritas clarius renitescat et fortius retineatur,« scil. ut inquiratur in ejusdem fundamenta, ambitum, sensum; ut comprobetur conquisitis Scripturae effatis traditionisque testimoniis; ut refellantur haereticorum argumenta et dissipentur nutantium dubia. Hoc sensu concilia posteriora subinde examini subjecerunt ea, quae jam in prioribus vel a rom. pontificibus [1]) *peremptorie* definita fuerant, quod examen non supponit *dubium* de definitionis *veritate,* sicut

---

[1]) Ejusmodi examen suae epistolae ad Flavianum, qua damnatur haeresis eutychiana, permisit s. Leo in conc. chalcedonensi (ad quod factum nominatim provocari solet), hujus permissionis et examinis praeclaram reddens rationem l. c. »Gloriamur in Domino, ita pontifex scribit ad Theodoretum, cum propheta canentes: *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit coelum et terram* (Ps. 123, 8.): qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit, sed quae nostro prius ministerio definierat, universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu: ut vere a se prodiisse ostenderet, quod prius a prima omnium sede formatum, totius christiani orbis judicium recepisset: ut in hoc quoque capite membra concordent. In quo amplior nobis accrescit gaudendi materia, dum tanto magis se perculit inimicus, quanto contra Christi ministros saevius insurrexit. Nam ne aliarum sedium ad eam, quam ceteris omnium Dominus statuit praesidere, consensus assentatio videretur, aut alia quaelibet subrepere posset adversa suspicio, inventi prius sunt (episcopi scil. illyriciani et palaestini), qui de judiciis nostris ambigerent. Et dum nonnulli a dissensionis incitati auctore ad contradictionum bella prosiliunt, ad majus bonum malo ejus, auctore totius bonitatis dispensante, perventum est. Dulcius siquidem munera gratiae divinae proveniunt, quoties non sine magnis sudoribus acquiruntur: et minus bonum videri solet pax continuata per otium, quam reddita per labores. Ipsa quoque veritas et clarius renitescit, et fortius retinetur, dum quae fides prius docuerat, haec postea examinatio confirmarit. Multum denique sacerdotalis officii meritum splendescit, ubi sic summorum servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas. Et ad majorem Dei gloriam proficit finis examinis, quando ad hoc se accepit exserendi fiducia, ut vincatur adversitas: ne quod per se probatur reprobum, silentii praejudicio videatur oppressum.«

nec examen theologi probe orthodoxi, quo accurate expendit dogmata catholica.

359. Provocant adversarii **5.** ad s. Cyprianum, qui cum episcopis africanis rejecit Stephani definitionem in quaestione de valore baptismi ab haereticis collati, et quem Augustinus non aliter excusat, quam quod ejus tempore haec quaestio nondum fuerit concilii universalis auctoritate dirempta; ergo neque Cyprianus neque Augustinus Stephani sententiam tamquam peremptoriam agnovit. Verum **a.** decretum s. Stephani non fuit *fidei definitio,* sed *praeceptum* de servanda consuetudine tradita, quare hoc factum non est ad rem. Ad haec **b.** Cyprianus restitit non soli s. Stephano, sed universae fere Ecclesiae; proinde si hoc factum aliquid probaret, sequeretur, Cyprianum negasse etiam ipsius Ecclesiae infallibilitatem. **c.** Cyprianus renitendo decreto s. Stephani graviter in fide erravit, errore, quem forte bona fides excusaverit. Quare sicuti ex resistentia s. Cypriani contra dogma catholicum de valore baptismi ab haereticis collati non sequitur illud esse falsum, ita etiamsi s. doctor practice seu ipso facto romani pontificis negasset infallibilitatem, non sequeretur hanc esse rejiciendam. Exemplum tibi potius sit, quantum quis erret, qui renititur decretis romani pontificis. Idcirco vero **d.** Augustinus, qui alioquin Cyprianum non ab omni culpa liberat, concilii defectum ad eum excusandum urget, quod contra donatistas agat, qui, licet controversia jam in concilio plenario authentice ventilata et definita esset, catholicam veritatem impugnare pergebant, in quo certe minus venia et excusatione erant digni. Quanti autem fecerit s. Augustinus cathedrae apostolicae definitionem supra vidimus (n. 326.) et liquet ex verbis *serm.* 30. (in *bibl. nova* patrum edit. card. Mai t. 1. p. 273.), ubi de haeresi ariana ait: „Non crederis veram fidem tenere catholicae, *quae fidem non doces esse servandam romanam.*"

360. Maxime vero **6.** provocant adversarii ad Honorium [1]), qui secundum ipsos solemniter professus est errorem monotheleticum atque propterea anathema incurrit conc. VI. oecumenici, quam damnationem universa Ecclesia, imo ipsi quoque romani pontifices receperunt. Quid de hac tenendum sit, paucis dicemus. Certum est **1.** Honorium nullam ex cathedra edidisse definitionem, ut patet **a.** ex consensu gravissimorum theologorum etiam gallicanorum; **b.** ex defectu promulgationis; nam Honorii literae usque ad pontificis et Sergii obitum erant ignotae; ubi autem deest promulgatio, quomodo dici potest romanum pontificem omnium christianorum pastoris ac doctoris munere fungi et doctrinam de fide vel moribus *ab universa Ecclesia tenendam* definire, in quo tantum casu infallibilis pronunciatur? Patet **c.** ex ipsis Honorii verbis (ep. 2.): „Auferentes ergo, sicut diximus, scandalum no-

[1]) Admiranda est divina providentia, quae tot seculorum lapsu ita sedem apostolicam protexit, ut dum reliquae sedes patriarchales misere lapsae sint in errores, haeresim, schisma, romana sedes impervia fuerit omni haeresi: adeo ut adversarii ex tot pontificibus vix uni erroris maculam inurere possint, a qua tamen et hic pronunciandus est liber.

vellae adinventionis, non nos oportet unam vel duas operationes definientes praedicare etc." Nullibi etiam *praecipit,* sed *hortatur* tantum et consulit abstinendum esse a *vocabulo* unius vel duplicis voluntatis: neque enim **d.** Sergius postulaverat fidei definitionem, sed tantum silentii oeconomici quoad voces unius vel duplicis operationis approbationem. Colligitur **e.** ex literis Agathonis ad Constantinum imp., in qua testatur romanos pontifices nunquam destitisse hortari episcopos CP., „ut a pravi dogmatis errore saltem *tacendo* desisterent (Migne 87, 1172.)."

361. Honorii epistolae **2.** nullum continent errorem contra fidem, ut colligitur **a.** ex authentica interpretatione Joannis abbatis, cujus opera usus fuerat Honorius in conscribendis illis literis[1]), et Joannis IV., qui *apologiam* scripsit pro Honorio, cujus mentem ita explicat: „Praedictus ergo decessor meus docens de mysterio incarnationis Christi dicebat, non fuisse in eo, sicut in nobis peccatoribus mentis et carnis contrarias voluntates: quod quidam ad proprium sensum convertentes, divinitatis ejus et humanitatis unam eum voluntatem docuisse suspicati sunt, quod veritati omnimodis est contrarium."

Neque mirum **b.** cum id pateat ex ipsis Honorii literis. Satis clare proponit doctrinam catholicam scribens (ep. 2.): »Pro una, quam quidam dicunt operatione, oportet nos unum operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridice confiteri: et pro duabus operationibus ablato geminae operationis vocabulo[2]) ipsas potius *duas naturas* i. e. divinitatis et carnis assumptae in una persona Unigeniti Dei Patris *inconfuse,* indivise atque inconvertibiliter nobiscum praedicare *propria operantes.*" Si enim caro i. e. natura humana operata est propria et inconvertibiliter fuit assumpta, ea operata est operatione humana: nam natura humana carens propria operatione maxime est conversa et facta alia; agnoscit igitur Honorius in

---

[1]) Hinc s. Maximus in *disput. cum Pyrrho* (Migne *patrol. gr.* 91, 327): „Quis fide dignus, inquit, istiusmodi epistolae interpres, is qui eam ex persona Honorii scripsit, cum et adhuc vitae superstes sit, ac qui cum aliis suis virtutibus pietatis dogmatibus omnem Occidentem illustrat, an ii, qui Constantinopoli loquuntur quod in mentem venit?" Respondet Pyrrhus: „Qui hanc composuit." „Is igitur ipse, prosequitur Maximus, cum ad sanctum Constantinum imp. ex persona rursus s. Joannis papae de hac epistola scriberet, dixit: „Unam voluntatem diximus in Domino, non divinitatis ejus et humanitatis, sed humanitatis duntaxat. Cum enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, respondit: Unam voluntatem diximus Christum, non duas contrarias voluntates habuisse, carnis scil. et spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantum, quae naturaliter ejus humanitatem insigniret."

[2]) Ergo si Honorius erravit, non erravit circa *rem,* dogmatis substantiam, sed circa *modum loquendi,* quod timens de *vocabulis* altercationem, maluerit, ut abstineretur a *vocabulis* unius vel duplicis operationis, contentus ea fidei formula, qua *virtute* continetur *duplicis* operationis confessio.

Christo praeter operationem divinam etiam humanam, proinde duplicem operationem. Cum vero in Christo *unam* tantum videtur agnoscere voluntatem, non excludit voluntatem humanam praeter divinam, sed duas voluntates contrarias sibique repugnantes, voluntatem carnis, concupiscentiam repugnantem tum voluntati divinae tum voluntati rationali, ut clare colligitur ex ejus verbis: »Unde et unam voluntatem fatemur D. N. J. Christi, inquit ipse ep. priori, quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa: illa profecto, quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata . . . Non est itaque assumpta a Salvatore vitiata natura, quae repugnaret legi mentis ejus, sed venit quaerere et salvare quod perierat i. e. vitiatam humani generis naturam. Nam lex alia in membris aut voluntas diversa non fuit vel contraria Salvatori, quia super legem natus est humanae conditionis.« Quot incisa, tot fere argumenta pro hac interpretatione.

362. Quare 3. anathema a concilio VI. in Honorium dictum non propter errorem, quem docuerit, latum censeri debet, sed propter *consilium* illis in adjunctis admodum imprudens datum[1]), quo haud parum errorem promovit monotheleticum. Et etiamsi forte patres concilii aliud intenderint, *hunc tantum in sensum anathema est authenticum.* Nam cum patres concilii non potuerint de Honorio judicare nisi consentiente sede apostolica, ut significat Hadrianus II. in ep. in conc. oecumenici VIII. act. 7. lecta, synodi judicium erit decretorium, in quantum confirmatum est ab eadem sede. Jam vero quo sensu sedes apostolica illud approbaverit, docet nos Leo II. ad Hispaniae episcopos scribens: „Aeterna condemnatione mulcati sunt Theodorus, Cyrus, Sergius etc. cum Honorio, qui flammam haeretici dogmatis, non ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem exstinxit, sed *negligendo* confovit.“

363. Provocant 7. adversarii ad conc. constantiense et basileense, quae docuerunt romanum pontificem in rebus fidei et morum conciliis oecumenicis esse obnoxium, quod e diametro adversatur pontificis infallibilitati. Verum de conc. constantiensi haec teneantur:

---

[1]) Conferri potest haec condemnatio non una de causa cum reprehensione, qua Paulus in causa legalium *in faciem Cephae restitit, quia reprehensibilis erat* (Gal. 2, 11.). Sicut enim Petrus neque **a.** erravit in fide, neque **b** peccavit objective aliquid illicite agendo (legalia enim servare tunc adhuc erat licitum); imo **c**. nec subjective peccavit, cum servare legalia esset licitum atque ipse in his servandis duceretur motivo honesto, sollicitudine pro judaeis ipsi specialiter concreditis (ib. v. 8.); idcirco vero **d**. reprehensibilis erat, quod ejus agendi ratio illis in adjunctis minus esset prudens, imo et gentibus recens conversis noxia (colligebant enim ex hac agendi ratione principis apostolorum, observationem legalium esse necessariam, quae persuasio multos remorari poterat ab amplectenda fide): ita Honorius reprehensibilis erat non propter errorem in fide, sed propter imprudens consilium silentio premendi vocabula unius vel duplicis operationis in Christo, quod admodum fovebat monotheletarum errorem tunc gliscentem.

a. decreta sess. 4. et 5. prodiisse schismate adhuc vigente ab una obedientia Joannis XXIII. pontificis admodum dubii et quidem post ejus recessum; **b.** non prodiisse *conciliariter,* sed praeter morem et consuetudinem, seclusis cardinalium suffragiis, admissisque ad suffragia etiam clericis et laicis, atque suffragiis secundum nationes latis. Neque **c.** ea decreta approbata fuere a Martino V., qui declaravit se „omnia et singula determinata, conclusa et decreta in materiis fidei per praesens concilium *conciliariter* tenere . . . ipsaque sic *conciliariter* facta approbare et ratificare et non aliter, nec alio modo.“ Neque posteriores pontifices plus approbarunt. Etiamsi **d.** Martinus V. ea approbasset, sequeretur tantum, concilium esse supra pontificem *dubium* in casu schismatis, non vero extra hunc casum, cum pontifex est legitimus et certus [1]). **e.** Teste ipso Gersone jam Martinus V. ita se gessit, ut facto destrueret decretorum illorum robur fundamentale. Quocirca nunquam haeretici habiti sunt, qui eorum auctoritatem negarent; et in ipso concilio plurimi fuere, qui romani pontificis infallibilitatem docuerunt, et post illud haec doctrina praevaluit, sicut etiam jam antea inter theologos fuerat communis. Quibus **f.** responsum est ad conc. basileense, cujus decreta hoc in argumento forte pluribus etiam defectibus laborant.

364. Denique aliis praetermissis [2]) opponi posset, decretum Eugenii IV. pro armenis, admissa romani pontificis infallibilitate, fore infallibile; quo posito jam de ordinationibus episcoporum et presbyterorum in universa Ecclesia esset merito dubitandum, siquidem primis Ecclesiae seculis hi ordines collati eo ritu non fuerint, qui secundum hoc infallibile decretum censendus sit essentialis, neque modo in Ecclesia orientali hoc ritu conferuntur. Verum **a.** ipsa immania absurda, quae inferuntur, exceptionem reddunt

---

[1]) Cf. bullam Eugenii IV. *Moyses* a. 1439. cum notis Justiniani apud Hard. *coll. conc.* 9, 1004. ss., in qua damnatur prop.: „Veritas de potestate concilii generalis universalem Ecclesiam repraesentantis supra papam et quemlibet alterum declarata per constantiense et hoc basileense generalia concilia est veritas fidei catholicae.“

[2]) Plura brevitatis gratia praetermittimus, ad quae solvenda haec prae oculis habeantur: **1.** Non quidquid romani pontifices laudarunt, instituerunt, promoverunt, judicarunt etc., tamquam e cathedra definitum haberi debet: imo nec omnia, quae in bullis vel maxime dogmaticis leguntur, objectum sunt definitionis dogmaticae; verum eaedem regulae in determinando hoc objecto servari debent, quae sequendae sunt in statuendo ambitu definitionis conciliorum. **2.** Plura, quae a pontificibus definita falsitatis, exaggerationis, usurpationis etc. accusantur, jam a seculis tacito vel etiam expresso Ecclesiae consensu recepta sunt: quare ejusmodi criminationes petunt (pro more) ipsam Ecclesiae infallibilitatem. **3.** Damna et incommoda, quae nonnulli puerili timore societati civili timent, sunt plane fictitia, non minus ac illa damna, quae ex revelatione et fide in scientiam redundare increduli pueriliter et inscite jactant.

suspectam; et revera innumeri theologi certe sagaces non obstante hoc decreto, tranquillissime propugnarunt romani pontificis infallibilitatem, quin tantam Ecclesiae timerent perniciem; sciebant nimirum **b.** hoc decretum quoad hanc partem esse instructionem[1]), quid secundum *praesentem* Ecclesiae romanae praxim in sacramentorum administratione sit servandum. Quare **c.** etiamsi statuat materiam sacramenti ordinis esse illud, per cujus traditionem ordo confertur, non propterea dirimit quaestionem, utrum haec sit materia integra et ita essentialis, ut nunquam citra illam valuerit ordinis sacramentum; quocirca **d.** theologi probe catholici etiam post hanc instructionem, nunquam reclamante romano pontifice, hac de re disputant, quod edita definitione e cathedra non amplius liceret.

365. Ex his omnibus liquet, rom. pontificis infallibilitatem intime cohaerere cum Ecclesiae infallibilitate, adeo ut illa impugnata et haec in discrimen vocetur[2]). Neque mirum; idcirco enim domus sapientis architecti non corruit orta tempestate, quia *fundata erat super petram* (Matth. 7, 25.). Idcirco ergo non praevalebunt portae inferi adversus Ecclesiam, sapientissimi architecti domum, quia aedificata est *super hanc petram* (ib. 16, 18.). Si autem quaeris, quaenam sit *haec petra,* pronomen demonstrativum *haec,* non aliam *petram* designat, quam eam, quae praesens sistitur inciso immediate antecedenti: *Tu es Petrus.* Ergo manifestum est „s. Ecclesiam in apostolorum principis soliditate firmatam esse," ut scribit s. Gregorius M. *epist.* l. 6. ep. 37.

---

[1]) Denzinger in suo *enchiridio symb. et definit.* ad illud advertit: „Qua de instructione praemittendum est, eam non esse definitionem de ministro, materia et forma sacramentorum, ut multi putabant, sed instructionem tantummodo practicam, quae tamen ut talis plenam habet auctoritatem. Ipsum decretum in fine distinguit inter *capitula, declarationes, definitiones, praecepta, statuta et doctrinam,* quae in ipso contineantur."

[2]) Si quaeritur, quodnam sit subjectum infallibilitatis, admodum bene respondet em. card. Franzelin tr. *de div. traditione et Script.* ed. 2. post thes. XII. schol. 1. coroll. 1.: „*Subjectum infallibilitatis* a Christo promissae . . . non est duplex *adaequate distinctum,* sed est tum visibile caput Ecclesiae per se spectatum (propter promissionem ipsi soli factam Matth. 16, 18. et Luc. 22, 32.), tum hoc ipsum visibile caput velut componens est informans corpus Ecclesiae docentis, quae ipsamet sic constituta (corpus cum capite) est infallibilis per assistentiam Spiritus veritatis (Joan. 14, 16. 26. et Matth. 28, 20.)." Nam, ut antea monuerat pag. 78., „corpus Ecclesiae docentis non est simpliciter Ecclesia docens, cui promissa est assistentia veritatis et tutela Christi in docendo, nisi quatenus suo visibili capite velut informatur, ut sit simpliciter Ecclesia docens;" et p. 115: „Conditio sine qua successores apostolorum non sunt Ecclesia docens, et causa formalis per quam constituuntur in ratione docentis Ecclesiae, cui promissa est tutela Christi et assistentia Spiritus veritatis in docendo, est visibile caput Ecclesiae a Christo institutum et unio atque consensio membrorum cum hoc capite, sicut universim forma unitatis visibilis est ipsum visibile caput Ecclesiae."

Tractatus IV.

De genesi et regula fidei.

366. Multifariam multisque modis olim Deum esse locutum patribus in prophetis, novissime vero per J. Christum ostendimus; hanc porro revelationem s. Scriptura divinisque traditionibus contineri atque per Ecclesiam ad quasque gentes, quae singulis seculis incolunt orbem, derivari hominibusque promulgari et explanari pariter demonstravimus. Jam quaestio oritur, quomodo homo rationalis ad revelationem propositam promulgatamque se habeat; quinam sit processus seu quaenam genesis actus, quo homo revelationem amplectitur quique *fides* appellatur; quae hujus fidei proprietates; quo modo authenticum Ecclesiae magisterium revelationem sibi traditam applicet ad regulandam universam credendi sentiendique rationem fidelium. Quibus quaestionibus respondebimus praesenti tractatu, quem quidem in *tres* sectiones dividemus; quarum *prima* processum seu *genesim actus fidei* ex parte ipsius hominis credentis, *altera habitum,* qui inter revelationem et rationem, inter fidem et scientiam intercedit, *tertia* propositionem doctrinae revelatae ex parte Ecclesiae docentis seu *regulam fidei* in concreto [1]) considerabit.

Sectio I.

De fidei genesi.

367. Dici nequit quantae praestantiae atque excellentiae sit actus fidei. Sane **1.** fides est *fundamentum Ecclesiae* illius, quam nec atrocissima inferni rabies vincet unquam; *radix* arboris illius magnae et fortis, quam

[1]) Dicimus in *concreto:* nam *in genere,* ac proinde veluti *in abstracto,* regula fidei *remota* est *revelatio divina* s. Scriptura atque traditione divina contenta, *proxima* vero Ecclesia seu *authenticum Ecclesiae magisterium.* Modo de *synthesi* utriusque agendum i. e. de *revelatione proposita* promulgataque vel de propositione doctrinae revelatae, quatenus ea dirigitur fidelium assensus internus. Quare haec disputatio accuratiorem exhibebit magisterii ecclesiastici atque modi, quo idem exercetur, notionem.

Nabuchodonosor vidit in somnio (Dan. 4.); est **2.** *humanae salutis initium,* fundamentum et radix omnis justificationis (conc. trid. sess. 6. cap. 8.). Quod ratio est in ordine naturali, idem est fides secundum quandam analogiam in ordine supernaturali salutis. Nam sicut natura nonnisi rationalis capax est proprie dictae beatitudinis, ita *sine fide impossibile est placere Deo* (Hebr. 11, 6.), proindeque consequi beatitudinem supernaturalem; et quemadmodum ratio radix et fundamentum est omnis moralitatis, vitae bonae, quae deceat hominem: ita nonnisi praefulgente fide (vel saltem illustratione supernaturali, quae ad gratiam fidei revocari possit) actus eliciuntur salutis, Deo in praesenti rerum ordine grati et accepti, eaque radix est bonitatis supernaturalis, et vitae, quae Dei filios deceat. Fides **3.** aurora quaedam est atque *anticipatio visionis beatificae;* nam *haec est vita aeterna: ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti J. Christum* (Joan. 17, 3.), utique modo *obscure, per fidem:* in altera vero vita *per speciem,* facie ad faciem. Quare **4.** fides est *novus* quidam *oculus,* novus sensus, nova quaedam διάνοια, mens (1. Joan. 5, 20.), qua mundus aperitur incognitus, novi panduntur ordines, altiora bona, qua ea, quae oculus (naturalis) non vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt (1. Cor. 2, 9.), patefiunt; qua introducimur in ipsa profunda Dei, participesque reddimur secretorum, quae Filius unigenitus in sinu paterno recumbens nobis enarravit (Joan. 1, 18. col. 15, 15.).

Fides **5.** *tuta* est in hoc praesentis vitae mari turbido contra tot errorum dubiorumque molestorum procellas *pharus,* quae recti itineris semitam salutisque portum ostendit; est *stella matutina* nobis praelucens, quae suavi sua luce tot dissipat tenebras, atque problemata, quibus involvimur, *peremptorie* solvit; est *luminare majus,* cui disciplinae ceterae ancillari debent. Est fides **6.** *specialissimum ss. Trinitatis donum* atque effectus: ad eam enim inchoandam, fovendam nutriendamque omnis dirigitur *Patris revelatio;* ad hanc docendam promulgandamque non dedignatus est Deus Verbum fieri caro nosterque *magister;* ad hanc animis inserendam omnis tendit *Spiritus sancti superna illustratio;* ad hanc praedicandam conservandamque institutum est infallibile Ecclesiae magisterium. Est fides **7.** *nobilissimus rationis humanae* gratia illustratae atque roboratae *flos,* homagium, obsequium, holocaustum, quo fidelis praestantissimam animae facultatem auctoritati divinae subjicit, impendit atque immolat. Unde liquet **8.** quantus sit *fidei thesaurus:* nempe tantus, ut pro illo nunquam satis grates agere possimus; tantus, ut pro illo conservando *innumeri* martyres crudelissima tormenta sint passi ipsumque suum fuderint sanguinem; tantus, ut pro illo in alios derivando milleni viri apostolici nulli pepercerint incommodo vel labori; est *armatura invicta,* qua instructae tot virgines et puellae, tot senes et infantes vicerunt atque calcarunt mundum omnesque ejus insidias, fraudes, tyrannidem; nam *haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra* (1. Joan. 5, 4.); est (si tamen non desint opera) *syngraphus aeternitatis,* nam *accedentem ad Deum oportet credere* (Hebr. 11, 6.). Quare fides **9.** a qua christiani *fideles* dicuntur, *undique* supernaturalis est. *Supernaturalis* est ratione suae *originis* ex gratia; ratione *objecti,* mysteria enim attingit superrationalia; ratione *motivi,* quod est ipsa veritas increata, quae sua auctoritate movet ad assentiendum; ratione *firmitatis,* qua inhaeret suo motivo, quae excedit imbecillitatem humanam; ratione *fontis,*

quae est positiva Dei revelatio superans exigentiam humanam; ratione *primi magistri,* qui est ipsa Sapientia caro facta: ratione *normae,* quae est infallibile Ecclesiae magisterium; ratione *effectuum* hac in vita, et ratione termini seu *visionis beatificae,* quam aspirat.

368. *Multiplex* quidem est notio voci *fidei* subjecta, sed nos in praesentia de ea fide loquimur, qua credimus ea, quae a Deo per Christum nobis revelata sunt et a qua credentes *fideles* et *christiani* denominantur. Jam vero de hac fide in primis tenendum est, eam *proprie* et *formaliter* consistere in *actu intellectus,* licet non negemus, eam praesupponere actus etiam voluntatis, qui ipsam partim comitentur, partim sponte sua consequantur. Quod per se patet, continetur enim *assensu* veritatibus seu mysteriis exhibito, cui opponitur *haeresis* seu *error.* Quare etiam universa schola fidem virtutibus *intellectualibus* accenset. Si vero fides *assensu mentis* continetur, in quolibet autem assensu duo distingui possunt, objectum scilicet *materiale* et objectum *formale,* etiam in actu fidei duplex hoc objectum secernere oportet. Nomine autem objecti materialis generatim illud intelligitur, quod potentia respicit, attingit, circa quod actio versatur; objectum vero formale est causa seu ratio, propter quam facultas objectum attingit, quae, praesente objecto materiali, illam ad operandum movet (hinc etiam motivum dicitur).

369. Cum autem motivum *formale* assensus mentis veritati alicui exhibiti *triplex* esse possit, scilicet vel *evidentia* illi veritati *insita* et immediata, vel *evidentia* mediata ac *derivata,* vel *auctoritas loquentis:* tenendum est, motivum formale assensus fidei non esse evidentiam veritatis sive immediatam sive mediatam sed *revelantis Dei auctoritatem,* ut clare enunciat conc. vaticanum sess. 3. cap. 3. *fidem* definiens: „Virtutem supernaturalem, qua Dei aspirante et adjuvante gratia ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed *propter auctoritatem ipsius Dei revelantis,* qui nec falli nec fallere potest.“ Suadetur autem hoc **1.** *analogia* cum fide *humana,* quae non innititur asserte veritatis evidentia, sed auctoritate et veracitate comperta loquentis. Patet id **2.** ex *divinis literis* sive cum fidem dicunt *argumentum* ἔλεγχον, persuasionem, convictionem veritatum *non apparentium* Hebr. 11, 1., quae proinde excludat evidentiam: *beati qui non viderunt et crediderunt* Joan. 20, 29; sive cum significant, fidem habere idem esse ac *credere Deo* Rom. 4, 3. ss., 1. Thess. 2, 13., vel cum asserunt, eam *inniti testimonio Dei* 1. Joan. 5, 9. s., vel esse quandam *captivitatem,* qua omnis intellectus redigatur in obsequium Christi 2. Cor. 10, 5., esse *obedientiam* Rom. 10, 16; atque propterea eam non esse sapientium

in se confidentium, sed parvulorum et humilium. Necesse vero non est idem ex patribus et auctoritate scholae comprobare.

370. Fatendum quidem est, *fidei* nomen saepe sive secundum *quandam analogiam* sive per *abusum* aliis tribui mentis assensibus, a qua tamen loquendi licentia maxime in theologia est abstinendum. Proinde distingui debet fides **1.** ab *opinione,* quacum convenit quidem in defectu evidentiae et libertate; **2.** *a religioso animi sensu* vel *interiori sensibili experientia* seu pietistarum fide, quae ad coecum quendam instinctum revocatur, qui caret motivo rationali atque innititur imaginationi; **3.** a *scientia,* quacum quidem fides convenit, quatenus est *assensus firmus* et *rationalis,* sed differt *motivo;* quare rejicienda est doctrina Hermesii, secundum quem omnis firma persuasio rationibus cogentibus theoreticis vel practicis inducta fides est dicenda; **4.** a *cognitione mediata* causae ex effectu, substantiae ex phaenomenis, quo sensu secundum Güntherum cognitio Dei ex creaturis est fides; haec enim fides nil aliud est quam *scientia a posteriori,* a qua plane distinguitur fides christiana. Quocirca conc. vaticanum sess. 3. *de fid.* can. 2. statuit: »Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut veritas revelata propter auctoritatem Dei revelantis credatur, A. S.« **5.** Ab *assensu immediato,* quo assentimus primis rationis principiis, quem patres graeci subinde fidem dicunt, cum docent fidem priorem esse scientia. Est quidem aliqua *analogia* inter hunc assensum et fidei assensum, cum uterque innitatur *auctoritati* alicui ac velut loquelae: hic loquelae *Dei revelantis,* ille loquelae *evidentiae* se ipsam manifestantis; uterque est *immediatus* citra demonstrationem, firmissimus, indubius et in suo ordine *principium* subsequentis cognitionis: differunt autem, quod assensus fidei non sit evidens, ille vero lucidissimus sit et evidens.

371. **Scholion.** Licet fidei assensus non innitatur veritatis evidentiae sive immediatae sive mediatae, nil tamen impedit, quominus propter auctoritatem Dei revelantis *credatur* objectum, quod aliunde a nobis scitur; seu fieri potest, ut de eodem objecto distinctis actibus *fidem* et *scientiam* habeamus. Quam *communiorem* sententiam hisce cum de Lugo limitibus circumscribimus (disp. 2. *de fide* sect. 2. n. 67.): »Aliquae sunt cognitiones evidentes, cum quibus videtur repugnare assensus fidei; ita Vasquez 3. p. disp. 53. n. 5; d. 62. n. 63.; Suarez d. 3. sect. 9. n. 19. et alii recentiores. Hanc conclusionem probat mihi sola experientia, quam negare non possum; dum enim actu video solem, quantumvis mihi aliquis dicat diem esse, et quantumvis coner assentiri propter testimonium dicentis, non possum, sed solum judico diem esse, quia id video. Ratio autem a priori hujus repugnantiae licet plures afferantur, nulla videtur conficere.« Expensis vero diversis theologorum rationibus iisque rejectis n. 86: »Ea regula, inquit, potest in universum statui, ut tunc solum moveri possit intellectus a medio ad assensum conclusionis, cujus objectum aliunde immediate vel intuitive cognoscit, quando cognitio immediata non aufert omnino indigentiam, cui indigentiae aliquo modo saltem ex parte occurri possit per assensum genitum ex illo medio. Si enim haec cognitio per medium non deservit ad tollendam vel minuendam indigentiam illam, nec tunc poterit intellectus a medio moveri. Hinc est quod communiter loquendo circa ea,

quae clare intuemur, non moveamur a testimonio alterius hominis ad ea credenda, nisi quando minus fidimus nostrae experientiae et quando magis confirmamur ex aliorum consensu.«

372. **Thesis XLIX.** ***Ut homo credere possit, praeter cognitionem auctoritatis divinae necesse est, ut certo sibi constet, Deum esse locutum.***

Demonstratio p. I. Cum ex dictis in actu fidei assentiamur veritati propositae propter auctoritatem Dei revelantis, patet, ad hoc, ut possimus credere, requiri **1.** ut cognoscamus Dei exsistentiam atque in testando *auctoritatem* parem ad determinandum assensum; **2.** *factum revelationis;* **3.** revelationis *objectum.* Quaeritur ergo qua *via* haec nobis innotescant. Dilato interim puncto **3.** ad sectionem seq., gradatim ad tria priora hac in sectione respondebimus.

Censent nonnulli cum Suarez *de fide* disp. 3. sect. 6. *auctoritatem* Dei, prout movet ad credenda revelata, debere cognosci per ipsam revelationem, qua Deus suam revelat veracitatem, et propter ipsam credi; qua in re ipse fatetur magnum esse fidei mysterium, de Lugo vero testatur d. 3. s. 3. n. 50., eam opinionem semper sibi fuisse inintelligibilem. Vel enim praesupponitur, cum Deus aliquid revelat, ejus veracitas et auctoritas vel non praesupponitur. Si praesupponitur aliunde nota, jam non innititur assensus in Dei veracitatem, a qua formaliter pendet fides, ipsa revelatione; si non praesupponitur, ergo assensus in Dei veracitatem, qui est omnis fidei fundamentum, fundari debebit in ipsa Dei revelatione; sed quomodo potest fundari in ipsa Dei revelatione, cum haec eatenus assensui fundamentum praebere possit, quatenus habetur seu censetur *verax* et *auctoritate praedita?* Fac enim de hac dote oriri dubium, quis prudenter credere poterit? Quod si per revelationem immediate innotescit Dei veracitas, sicut ex loquela loquentis manifestatur exsistentia vel rationalitas: tunc assensus non innititur proprie auctoritati loquentis, revelationi formaliter qua tali propter loquentis veracitatem, sed assensus est *evidens* nititurque *lumine rationis.* Quare *prima* saltem cognitio Dei exsistentis et in loquendo summe veracis *praeambula* est ipsi actui fidei, nec formaliter fundatur in ipsa Dei revelatione.

373. **Demonstratio p. II.** Omnis fidei actus praesupponit cognitionem divinae revelationis, neque enim actu credere possum alicui loquenti, nisi mihi constet, eum esse locutum. Jam vero volenti credere *revelationis factum certo* innotescere debet. Quare Innocentius XI. damnavit propositionem (21.): „Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum *probabili* revelationis: imo cum *formidine,* qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.“ Et Pius IX. *in literis encycl.* 9. Nov. 1846. solemniter docet: „*Humana* quidem *ratio,* ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinae revelationis factum *diligenter* inquirat oportet, ut *certo* sibi constet, Deum esse locutum, ac eidem, quemadmodum sapientissime

docet Apostolus, *rationabile* obsequium exhibeat (Rom. 13, 1.)." Quod exigit ipsa rei natura. Nam actus fidei actus esse debet *plane certus,* firmus, omne excludens dubium; prudenter autem excludi nequit dubium omne, quotiescunque fidei fundamentum seu principium, cujusmodi est *revelationis factum,* dubio prudenti est obnoxium. Ergo revelationis factum credenti debet esse indubium. Et sane si sufficeret ad credendum *probabilis* tantum *revelationis notitia,* lata via aperiretur levitati in credendo, cum probabilitatis notio sit satis laxa; unde etiam monet Joannes 1. ep. 4. 1: *Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum;* et fieri posset, ut quis duas opiniones probabiles, sed sibi plane contrarias fide divina credat.

374. **Scholion.** Gravis quaestio oritur, *cujusmodi certitudo* de revelationis facto requiratur et sufficiat, ut *prudenter* credere possimus et ad credendum obligemur. Qua de re haec prae oculis habeantur: **1.** Licet collectio omnium motivorum credibilitatis *summam* quandam gignat certitudinem (cf. n. 89.), haec tamen necessaria non est, ut patet ex facto, cum rari sint fideles, qui dum credere velint, omnium motivorum summam prae oculis habeant. Multo minus **2.** requiritur revelationis *evidentia.* „Nimium tribueretur rationi, inquit conc. coloniense tit. 1. cap. 6., si ad demonstrandam revelationem ejusmodi requirerentur argumenta, quae non solum *omne dubium prudens* excluderent, sed quae evidentia omnem homini *potestatem dubium quodcunque quamvis imprudens concipiendi* adimerent. Majorem enim libertatem, quam quae argumentis ejusmodi evidentia sua nos urgentibus reliqua esset, Deus, qui insignis meriti occasionem homini praebere volebat, teste experientia, cum fide conjunxit. Si argumentis certis quidem, non tamen semper tanta, de qua dictum est, evidentia fulgentibus, in negotiis etiam gravissimis vitae communis duci solemus, neque ut alteri fidem habeamus, evidentiam illam semper exigimus, cur, ut revelationi prudenter assentiamur, alia exigeremus argumenta?" etc. Imo sententia *communis* et *verior,* ut eam vocat de Lugo disp. 2. s. 1., docet, actum fidei proprie dictae (scil. liberae et meritoriae, prouti ea esse debet in praesenti vita) consistere non posse cum *evidenti* revelatione divina: unde inferunt theologi, fidem daemonis (Jac. 2, 19.), cui divina revelatio est evidens, non esse fidem proprie dictam [1]). Quare

---

[1]) Ita s. Thomas *de verit.* q. 14. a. 9. ad 4.: „Daemones non voluntate assentiunt his, quae credere dicuntur, sed *coacti evidentia signorum,* ex quibus convincitur, verum esse, quod fideles credunt; quamvis illa signa non faciunt apparere id, quod creditur, ut per hoc possint dici visionem eorum, quae cre-

3. sufficit *certitudo moralis*[1]) excludens *omne prudens* dubium, ut revelatio fiat *evidenter credibilis* (n. 90).

375. Quod autem nominatim *pueros* attinet, haec advertantur: **a.** etiam parvulorum esse fidem, *talium est enim regnum coelorum* (Matth. 19, 14.); quare **b.** cum Deus impossibilia non praecipiat, his quoque revelationem ita posse fieri credibilem, ut pro tenuitate ingenioli sui *tuto* possint credere. Multo vero pauciora **c.** ad hoc requiruntur in puero quam in adulto α. propter minus excultum ingenium dubiique non adeo capax; β. propter innatam animi humilitatem et credendi propensionem; γ. quia parvuli anima tabula est rasa nondum spinis praejudiciorum errorumque nebulis obsita; δ. quia pauciora eaque minus explicite credere tenetur. Hinc **d.** quoties in Ecclesia vera revelatio eo modo, qui parvulorum capacitati respondeat, proponitur, pueri anima propter quandam habitus fidei in baptismo infusi sympathiam cum revelatione exterius proposita veluti sua sponte suavique ratione ad credendum inducetur. Quod **e.** repetatur de pueris inter haereticos natis, respectu quorum parentes licet haeretici instrumentum sunt Ecclesiae ad gignendam fidem actualem circa eas saltem veritates, quas ex revelatione adhuc retinent. Quod si f. haeresi imbuuntur, si sint *bonae voluntatis* et gratiae, postquam adoleverint, morem gerant, errorem agnoscent, vel manebunt in *bona fide*, quae eos ab haeresis crimine excusat coram Deo.

---

duntur, habere. Unde et credere *aequivoce* dicitur de hominibus fidelibus et daemonibus: nec est in eis fides ex aliquo lumine gratiae infuso (hoc est aliud discrimen inter fidem daemonum et fidem christianorum), sicut est in fidelibus.«

[1]) Haec certitudo moralis non est *uniusmodi* pro omnibus, sed, ut ajunt theologi, *respectiva* esse debet i. e. consentanea et proportione respondens captui illius, qui fidem vult amplecti. Igitur eo majorem esse oportet, quo hic est doctior et ad perspiciendas difficultates, quae opponi solent vel possunt, perspicacior; eo vero pauciora credibilitatis requiruntur motiva, quo minus est instructus, qui fide est imbuendus, quo minus difficultatibus in contrarium perspiciendis est idoneus, quo minus dubii prudentis capax vel ei obnoxius. Quapropter de Lugo disp. 5. n. 36. ad objectionem, quomodo rusticus parocho credens fidem proponenti, ejusmodi certitudinem ad credendum *sufficientem* habeat, respondet: »Rusticum illum vel puerum non judicare absolute et in universum, quod motiva sibi proposita obligent *quemlibet* ad credendum firmiter, sed solum quod obligent ipsum, et hoc quidem verum et evidens est; cum enim non occurrant ei rationes, quae homini docto occurrerent ad prudenter formidandum, non potest ipse prudenter formidare, et pro ejus captu motiva illa fortissima sunt, quae debilia essent in ordine ad alios.« Memores etiam semper esse debemus, *multum* conferre supernam *gratiam*, ut vel minima credibilitatis motiva respectivam gignant certitudinem, sive *illustrando intellectum*, ut illa ea ratione apprehendat, ut suadeant et persuadeant: sive *bene disponendo voluntatem*, ut prompte obaudiat vocem veritatis eamque corde generoso amplectatur; cf. n. 384. Quocirca s. Thomas 2. 2. q. 2. a. 9. ad 3. statuit: »Ille qui credit, habet sufficiens inductivum ad credendum: inducitur enim auctoritate divinae doctrinae miraculis confirmatae, et quod plus est, interiori instinctu Dei invitantis;« quae confirmantur et illustrantur *biographiis* illorum, qui suae ad veram fidem conversionis historiam literis consignarunt.

376. Factum autem revelationis, quod certo cognosci debet, ut credere possimus, innotescit motivis credibilitatis (n. 18.). Haec *rationem* posse cognoscere, doctrina est catholica, ut patet ex prop. Bautainio ad subscribendum propositis 2. 3. 4. 5. et 6., quae ultima ita habet: „Ratio cum certitudine authenticitatem revelationis judaeis per Moysen et christianis per J. Christum factae probare valet[1];“ et ex conc. vaticani sess. 3. can. 4. *de fide:* „Si quis dixerit . . . miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari, A. S.“

377. Licet vero homines credibilitatis motivis moveantur, inducantur, disponantur ad fidem[2], et licet illis revelationis factum *certum* reddatur, nunquam tamen ea constituunt ipsum *motivum formale fidei christianae.* Quod statuimus contra scholam hermesianam, secundum quam fideles credunt veritates revelatas propter *credibilitatis motiva,* quae illorum revelationem divinam demonstrant. Verum haec opinio adversatur **1.** universali sentiendi rationi nominis christiani. quod pro motivo *formali* fidei christianae ipsam habet *summum Dei revelantis auctoritatem.* **2.** Motivum *formale fidei* theologicae pro omnibus fidelibus *unum* est atque idem: motiva vero credibilitatis, quibus

---

[1]) Ex his liquet theologos illos, qui, ut revelationis necessitatem extollant, rationem deprimunt omnemque cognitionis rationalis originem vel certitudinem *ex revelatione* repetunt, revelationi potius nocere eamque subvertere. Sicut enim gratia universim naturam praesupponit, cui veluti inseritur, ut eam perficiat, ita speciatim fides *praesupponit rationem:* „credere enim non possemus, inquit Augustinus ep. 120. al. 222. n. 3., nisi animas rationales haberemus.“ Neque solum praesupponit rationis *facultatem,* verum etiam *rationis usum.* „Sic fides praesupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam et ut perfectio perfectibile.“ Ita Thomas 1. p. q. 2. a. 2. ad 1. Quocirca Bautain atque (12. Dec. 1855.) Bonetty hanc prop. debuerunt subscribere (5): „Rationis *usus* fidem praecedit et ad eam hominem ope revelationis et gratiae conducit;“ et conc. coloniense tit. 1. c. 5. statuit: „Tam consona rationi est fides. ut *illa ad hanc inducat* viamque sternat. Non enim credimus, nisi *ratione* perspicientes, Deo esse credendum eumque esse locutum.“

[2]) Haec enim motiva seu argumenta probant revelationis factum, seu Deum revera hanc vel illam revelasse doctrinam; qua cognitione posita sponte sua naturali dictamine conscientiae monetur homo de obligatione credendi Deo revelanti, quae est *juris naturae;* et ideo si bonae sit voluntatis, assensum praebebit propter Dei auctoritatem. En, qua ratione haec motiva *moveant, disponant, praeparent, inducant* ad fidem. Quod ita expressit Pius IX. in *encyclica* d. 9. Nov. 1846.: „Itaque humana ratio ex splendidissimis hisce aeque ac firmissimis argumentis clare aperteque cognoscens, Deum ejusdem fidei auctorem exsistere, ulterius progredi nequit, sed quavis difficultate ac dubitatione penitus abjecta atque remota, omne eidem fidei obsequium praebeat oportet, cum pro certo habeat, a Deo traditum esse, quidquid fides ipsa hominibus credendum et agendum proponit.“

iidem inducti credunt, *alia* atque *alia* sunt pro diversis; motivum formale refertur ad *ipsas veritates* credendas, motiva credibilitatis referuntur per se et immediate solum ad *factum revelationis*, non vero ad ipsas veritates credendas; motivum formale fidei gignere debet certitudinem, quae sit *super omnia:* motiva autem credibilitatis pariunt tantum certitudinem *moralem.*

378. Quamvis autem motiva credibilitatis non sint *ipsum motivum* formale (adaequatum, princeps, proprium) fidei theologicae, possunt tamen dici motivum *partiale*, quatenus conjuncta cum revelatione divina, hanc manifestant, ut locutionem *divinam*, quae nos immediate ad credendum movet, quod de Lugo ita illustrat d. 1. n. 131: „Sicut apparatus et comitatus, quo legatus regius venit ad pontificem, ostendit illum esse legatum regium, et quidem quando loquitur, ego judico eum loqui ex parte sui regis non quidem propter auctoritatem famulorum, qui ipsum comitantur sistendo in ipsis, sed quia ex terminis constat mihi, orationem cum tanto apparatu et talibus circumstantiis factam esse orationem legati regii et non privati hominis: sic etiam ex terminis non equidem *evidenter*, sed *obscure* apparet doctrinam, quae mihi cum tantis miraculis et cum tanto apparatu proponitur, proponi quidem non auctoritate privata, sed divina: itaque non credo hoc propter testimonium hominum proponentium, sed quia est legatio divina, quam componunt etiam partialiter in ratione legationis ipsa miracula et reliquus apparatus famulorum et circumstantiarum, quae integrant hanc propositionem, qua mihi proponitur mysterium credendum.“ Quare assensus, quo assentimur facto revelationis, censeri debet **a.** *immediatus*, quatenus ratio in ipsa revelatione adaequate spectata characteres detegit, qui illam ostendunt divinam; non tamen **b.** *evidens*, quia illa indicia non tanto splendore revelationis factum perfundunt, ut ad assensum vel inviti rapiamur; sed **c.** est *certus*, quia indicia illa sufficiunt ad omne dubium prudens excludendum de divina revelationis origine. Quocirca piae credulitatis affectu impulsa et gratiae lumine adjuta mens factum revelationis (una cum summa Dei auctoritate) firmissime complectitur illique innixa credit, adeo ut actus, quo hoc motivum formale immediate attingit, *actus fidei* censeri debeat, *alterius* tamen *rationis*, quam sit ille, quo propter motivum formale attingit objectum materiale, quod ita de Lugo explicat d. 1. n. 116: „Habet habitus fidei virtutem eliciendi assensum non solum circa mysteria revelata, quae se habent sicut conclusiones, sed etiam circa ipsa principia: et sicut diximus sect. 6. potest elicere assensum circa veracitatem Dei, quae est unum principium fidei, quo movetur ad credenda mysteria: sic etiam potest elicere assensum circa revelationem ipsam, quae est aliud principium ipsius fidei . . . Quare habitus fidei (seu intellectus gratia fidei roboratus) elicit tres assensus distinctos realiter vel virtualiter omnino diversos. Primus est assensus *immediatus* aliquando evidens, quo judicat Deum esse primam veritatem. Secundus est assensus etiam *immediatus* semper obscurus, sed certus, quo judicat Deum revelasse v. gr. Trinitatem. Tertius denique est, quo judicat Deum esse trinum, qui est obscurus et *mediatus*, nempe innitens aliis duobus; et hic tertius appellatur potissimum *actus fidei*, licet etiam secundus sit actus credendi et ad quem potis-

simum indigemus pia affectione, nam si semel credimus Deum revelasse hoc vel illud mysterium, facile erit credere ipsum mysterium.«

379. **Thesis L.** ***Cognita revelationis exsistentia, innotescit quoque homini, quo obstringitur revelationi sibi factae assentiendi seu credendi officium, et assensu quidem tali, qui sit super omnia et quodvis dubium deliberatum excludat.***

Demonstratio p. I. Cognita revelationis exsistentia homini *sponte sua* seu *rationis lumine* innotescere *officium,* quo obstringitur, revelationi sibi divinitus factae credendi, videtur per se evidens. Si enim *jure naturae* filii tenentur parentibus credere, quanto magis *creatura Creatori,* cui *perfectam* debet obedientiam, proinde etiam *intellectus* obedientiam, si hanc Deus exigit; eam vero exigit ipsa revelatione. „Cum homo a Deo, ita conc. vaticanum sess. 3. cap. 3., tamquam Creatore et Domino suo totus dependeat et ratio creata increatae Veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur.“ Et sane si homini prudenti et gravi nolle credere jam magna persaepe est injuria, quanto magis Deo loquenti detrectare fidem. Praeterea evidens est rationis lumini **a.** Dei esse praescribere conditiones, citra quas salus aeterna, praesertim si haec omnem naturae superet exigentiam, nequeat obtineri; easque **b.** creaturam rationalem, si velit esse beata, servare debere. Atqui evidenter **c.** in revelatione proposita, de cujus veritate dubitari nequit, est expressum, *sine fide impossibile esse placere Deo* (Hebr. 11, 6.); *qui non crediderit, condemnabitur* (Marc. 16, 16.). Ergo posita revelatione solo rationis lumine agnoscere potest homo, se sub aeternae salutis periculo ad credendum teneri.

380. **Demonstratio p. II.** Deo autem revelanti *non quomodocunque* esse credendum, sed assensu *super omnia* ad exclusionem *cujusvis* dubii *deliberati,* probatur inde **1.** quod assensus firmitas esse debeat in ratione ponderis et gravitatis motivi. Atqui motivum fidei scil. *auctoritas Dei,* qui est ipsa veritas, omnium motivorum est gravissimum. Merito igitur Pius IX. in *lit. encycl.* d. 9. Nov. 1846. docet: „*omnem* Deo loquenti fidem esse habendam.“ Cf. 1. Thess. 2, 13; 1. Joan. 5, 9. s. Quare etiam Paulus Gal. 1, 8. s. exigere potuit, ut etiamsi angelus de coelo aliter doceret, non audiatur, anathematizetur. Ad haec **2.** ea fides isque assensus Deo revelanti est exhibendus, quem Deus pro supremo suo primatu in ordine intellectuali et qua summa veritas jure exigit. Atqui Deus sicut *summum bonum* exigit amorem *ex toto corde,* qui sit super omnia, ita ut *summa veritas* postulat fidem pariter *ex toto corde*[1]), seu ex tota mente Act. 8, 37; 2, 36.; Rom. 4, 20. s.

[1]) *Dixit autem Philippus* (eunucho): *Si credis ex toto corde, licet* (baptizari)

381. **Thesis LI.** ***Fidei assensus non est fructus demonstrationis necessarius, sed liber est et nonnisi ex voluntatis imperio pioque credulitatis affectu elicitur.***

Demonstratio. Fidem christianam esse *liberam* non obstante omni demonstratione, qua apologetae revelationem christianam evidenter credibilem credendamque demonstrant, *dogma* est *catholicum* in conc. vaticano sess. 3. can. 5. *de fide* definitum: „Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci . . . A. S." Cum autem fidem dicimus *liberam,* id non affirmamus eo tantum sensu, quo etiam aliquis assensus demonstratione partus liber dici potest, quatenus scil. non tenemur attendere ad demonstrationem, quae illum necessario producit, proindeque in actu tantum *primo:* sed omnino tenendum est, fidei assensum esse liberum etiam in actu *secundo,* posita omni ad demonstrationem attentione et ea quidem libertate, qua etiam reliqui virtutum actus sunt liberi [1]). Et sane **1.** fides in divinis literis praecipitur, laudatur, praemio donatur, incredulitas vero prohibetur, damnatur, punitur. Cf. Rom. 4, 3. 20. ss.; 10, 9. ss.; Joan. 3, 15. ss.; 16, 27; Marc. 16, 16. etc. Atqui praeceptum, poena, praemium etc. supponunt *libertatem.* Non alia **2.** est patrum universaeque scholae doctrina. „Intrare quisquis in Ecclesiam potest, inquit Augustinus tract. 26. *in Joan.* n. 2., nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere potest sacramentum nolens, credere non potest nisi volens:" „quia, ut rationem reddens ait conc. toletanum IV. cap. 55., sicut homo propria arbitrii voluntate serpenti obediens perit, sic propriae mentis conversione quisque credendo sal-

---

Act. 8, 37. *In repromissione etiam Dei non haesitavit diffidentia* (Abraham), *sed confortatus est fide, dans gloriam Deo: plenissime sciens, quia quaecunque promisit, potens est facere. Ideo et reputatum est illi ad justitiam.* Rom. 4, 20—22. Hoc etiam inculcant *patres.* Ita Clemens alex. *Stromatum* l. 7. c. 15: „Non exspectamus testimonium hominum, sed voce Domini probamus quod quaeritur, quae est magis fide digna, quam quaevis demonstratio, vel potius, quae est sola demonstratio, per quam scientiam, qui solum gustaverunt Scripturas, sunt fideles." Quare acute l. 2. c. 4. advertit: „Fidem autem imitatur opinio sicut adulator amicum et lupus canem."

[1]) Hoc praeclare ita exprimit s. Thomas 2. 2. q. 2. a. 9. ad 2.: „In scientia duo possunt considerari, scilicet ipse assensus scientis in rem scitam et consideratio rei scitae. Assensus autem scientiae non subjicitur libero arbitrio, quia sciens cogitur ad assentiendum per efficaciam demonstrationis, et ideo assensus scientiae non est meritorius. Sed consideratio actualis rei scitae subjacet libero arbitrio: est enim in potestate hominis considerare et non considerare. Et ideo consideratio scientiae potest esse meritoria, si referatur ad finem caritatis, id est ad honorem Dei vel utilitatem proximi. Sed in fide utrumque subjacet libero arbitrio, et ideo quantum ad utrumque actus fidei potest esse meritorius."

vatur." Ceterum **3.** hanc fidei libertatem testatur vel propria *experientia.* Ejus vero **4.** ratio est, quod intellectus ad assensum rapiatur et determinetur sola veritatis evidentia. Atqui demonstratio christiana non reddit veritates revelatas evidentes [1]), licet reddat revelationem evidenter *credibilem* (cf. n. 90.). Quare poterit quidem mens determinari demonstratione ad judicium, has veritates esse *prudenter credibiles*, esse *credendas*, proindeque voluntatem posse et etiam debere imperare intellectui assensum: sed evidens etiam cognitio *officii* seu obligationis non necessitat voluntatem ad imperandum actum praeceptum.

382. **Scholion.** Ad rem docet concilium coloniense tit. 1. cap. 6.: »Longissime vero aberrant qui hanc homini vindicant libertatem, ut fidem divinam abjiciat aut suspendat scrutaturus interim argumenta, quibus inductus sit ad credendum. Etenim credendi obligatio perpetua est, nec ullo unquam tempore ei se homo subducere debet; perpetuo etiam gratia sua nos Deus, ut credamus, movet et adjuvat, cui unquam resistere nefas est. Argumenta demum, quibus ad credendum homo inductus est, hujusmodi sunt, ut quo magis perpenduntur, eo clariora et graviora appareant, unde consequitur causam, cur homo, quasi illa non sufficiant, fidem suspendat, exsistere nunquam posse. Itaque sententiam, quae dubium *positivum* basim statuit omnis theologicae inquisitionis, jam proscriptam (Brevi Gregorii XVI. d. 26. Sept. 1835.) denuo proscribimus.« Et concilium vatic. sess. 3. *de fide* statuit [2]) canonem (6): »Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici justam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiae magisterio jam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint, A. S.« Quibus damnatur Hermesii theoria, quae commendat catholicis aeque ac heterodoxis suspensionem fidei et reale dubium, donec demonstrationem secundum normas scientiae humanae ipsi absolverint.

---

[1]) De Lugo disp. 2. sect. 1. docet **1.** eam tantum revelationis evidentiam conciliari non posse cum fidei libertate, quae est *summa*; ad hanc vero **2.** non sufficere miracula, quae coram fiant, cum semper dubium *saltem imprudens* oriri possit, utrum ea revera sint miracula, utrum facta sint in confirmationem doctrinae propositae etc.; propterea forte **3.** ne apostolos quidem, neque b. Mariam V., evidentiam habuisse revelationis. Illi vero theologi, qui videntur concedere fidem consistere posse cum evidenti revelationis cognitione, verbis forte tantum a nobis dissentiunt, quatenus in hac hypothesi non loquuntur de fide *libera, meritoria, christiana,* sed *in genere* de fide; nomine autem fidei intelligunt assensum quemlibet veritati in se obscurae, quamvis propter evidentem testificationem authenticam extrinsecus evidenti, exhibitum (ut ex. gr. assensus in exsistentiam Americae), quem alii theologi *scientiam* potius vocant.

[2]) Atque iterum sess. 3. cap. *de fide* docet: „Quocirca minime par est conditio eorum, qui per coeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis falsam religionem sectantur; illi enim qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt justam

383, **Thesis LII.** ***Ut autem homo credere possit ut oportet, fide scil. salutari atque christiana, quae initium sit et radix justificationis, necesse est, ut gratia illustrationis inspirationisque praeveniatur atque juvetur.***

Demonstratio. Thesis catholicum complectitur *dogma* jam alias ab Ecclesia sancitum, iterumque recentissime a concilio vaticano propositum sess. 3. cap. 3. *de fide,* ubi docet: „Licet autem fidei assensus nequaquam sit motus animi coecus, nemo tamen evangelicae praedicationi assentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati (conc. arausicanum II. can. 7.). Quare fides ipsa in se, etiamsi per caritatem non operetur, donum Dei est, et actus ejus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae ejus, cui resistere posset, consentiendo et cooperando." Et can. 5: „Si quis dixerit . . . ad solam fidem vivam, quae per caritatem operatur, gratiam Dei necessariam esse, A. S." Probatur autem generatim ex *dogmate catholico* de gratiae ad *omnes* actus salutares necessitate, tum speciatim ex dogmate contra semipelagianos statuto de gratiae vel *ad primum fidei initium* necessitate, de quo utroque tamen data opera in tract. *de gratia* disputabimus.

384. Quare hic gratiae necessitate ad fidei actum *supposita* potius in hujus necessitatis inquiremus *fundamenta.* Requiritur ergo **1.** gratia, quae dissipet *intellectus tenebras,* errores, praejudicia, ut facile revelationem divinam agnoscat, certitudinemque illam (cf. n. 373. s.) assequatur respectivam, citra quam prudenter credere nequit. Requiritur **2.** ad infringendam *voluntatis duritiem,* inflectendas perversas ejus inclinationes, sanandam incredulitatem, adeo ut credibilitatis motiva voluntatem moveant et suadeant ita, ut *persuadeant,* cum illorum vis et efficacia plurimum pendeat a bona voluntatis dispositione. Eoque magis **3.** gratia requiritur, quo difficilior est actus fidei. Est difficilis **a.** quia fidei actus est *praeceptus:* nitimur autem in vetitum; quia **b.** fides exigit assensum circa veritates nulla reddita ratione *interna,* quod plus minusve est contra intellectus saltem exculti propensionem; imo **c.** exigit assensum circa veritates, quae rationis captum plane exsuperant et ipsi rationi omnique experientiae saepe adversari videntur, quin **d.** exhibeat revelationem *evidentem* vel saltem *immediatam,* sed tantum *moraliter certam* et *mediatam,* quae saepe proponitur per

---

causam mutandi aut in dubium fidem eandem revocandi." Quocirca damnata fuit ab Innocentio XI. prop. 20.: „Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat, supernaturalem," in quam cf. Viva *thes. damnatae.*

homines *rudes* et *illiteratos;* quia **e.** exigit assensum *super omnia* ad exclusionem *omnis dubii deliberati,* etiamsi **f.** in contrarium proponantur *gravissimae* rationes et difficultates; quia exigit **g.** assensum *perennem*, quem *nunquam* retractare licet, etsi damna immineant gravissima, mors intentetur; quia denique **h.** exigit assensum non theoreticum tantum, sed et *practicum,* vi cujus homo *totus* intus *innovetur,* adeo ut fides sit *norma* et vitae intellectualis (saltem in plurimis) et totius vitae practicae (nam fidelis ex fide vivere debet) exigens observantiam praeceptorum naturae corruptae difficilium. Jam vero ad conscendendam tantam fidei altitudinem opus est suppeditatione spiritus et roboris, nec sufficit imbecillitas naturae humanae.

385. Verum haec probant quidem magnam gratiae necessitatem, sed *moralem* tantum propter actus *difficultatem,* non *absolutam ,* et gratiae solum *medicinalis,* non *elevantis* necessitatem. Atqui tenendum est (ut suo loco videbimus) gratiam non solum medicinalem, sed *et elevantem* esse necessariam, et quidem necessitate *non tantum morali,* sed et *absoluta.* Quare dicendum est gratiam idcirco potissimum esse ad fidem necessariam, quod fides sit fundamentum, initium, semen et *radix justificationis* et visionis beatificae. *Justificatio* autem et *visio beatifica eminenter* sunt ordinis *supernaturalis.* Quare ejusdem ordinis sit fides oportet.

386. Cum nulla ratio sit dubitandi, hominem vel creaturam aliquam rationalem Deo revelanti viribus etiam naturae, proinde fide *naturali* credere posse (si enim homini loquenti credere potest, quare non etiam Deo loquenti, quam primum de hac locutione sufficienter constet?), quaeritur ad pleniorem fidei nostrae i. e. *christianae* et *salutaris* notionem, quodnam sit discrimen inter hanc fidem *naturalem* et fidem *salutarem ,* fidem ut oportet, quae radix sit vitae vere christianae. Ejusmodi discrimen est *multiplex.* Differunt enim **a.** *principio* eliciente, ut patet ex thesi; ideoque **b.** *entitate ,* cum altera sit naturalis, altera supernaturalis; **c.** *fructu,* ut patet pariter ex dictis; **d.** *efficacia,* cum merito omni fidei vere salutari adscribi possint in ordine *spirituali,* nisi gratiae ponantur obstacula, effectus illi, quos recenset Christus Marc. 16, 17. s.; **e.** *qualitate,* cum fides supernaturalis sit necessario *vera,* neque enim gratia concurret ad assensum erroneum [1]); **f.** *indole,* cum non negemus gratia assensum ita elevari, roborari

[1]) Si quis assensum exhiberet revelationi apparenti, quam existimat veram, ut contingere potest in pueris et rudibus credentibus propter parentum vel parochi propositionem, qui possunt esse haeretici vel indocti, assensus non foret supernaturalis, neque fidei christianae assensus, sed actus *naturalis.* Advertit tamen Lugo *de fide* disp. 4. s. 6. n. 91: „Fateor in praedicto casu rusticum habere piam voluntatis affectionem et supernaturalem quidem, qua vult credere fide divina mysterium falso propositum; fateor etiam mereri per illam voluntatem credendi, et peccare etiam aliquando, si eam non habeat; nego tamen posse elicere assensum fidei *divinae* circa illud objectum.“

atque ad motivum formale attrahi, ut mens tota illi se dedat atque subjiciat, ab eoque penitus imbuatur nullaque amplius ratione humana ducatur et informetur, quod ea intensione et efficacia nunquam fiet, si mens sibi relicta sit. Denique fides naturalis est assensus *servi* domino exhibitus; fides supernaturalis, nisi gratiae ponantur obstacula, fides est vel saltem reddetur assensus *filii* et *amici*, qua particeps fit secretorum consiliorumque paternorum, atque intimam init familiaritatem cum Deo.

387. **Thesis LIII.** ***Summae fidei certitudini et firmitati non officit, quod credibilitatis motiva moralem tantum praebeant certitudinem.***

Demonstratio. Thesis statuitur adversus assertores prop. 19. ab Innocentio XI. damnatae, quae ita sonat: „Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei per se sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.“ Sane motiva credibilitatis non sunt ipsius fidei motivum (cf. n. 377.), sed in quantum revelationis factum demonstrant, inducunt voluntatem ad imperandum assensum fidei propter Dei loquentis auctoritatem. Quo vero *gravius* motivum, eo *firmior* esse debet assensus. Atqui gravissimum motivum est *auctoritas Dei loquentis.* Quare non motiva credibilitatis, quae sunt conditionis tantum praeviae instar, determinant assensus firmitatem, sed Dei *auctoritas*, cui debetur assensus *super omnia,* summus Deoque dignus, partim ex reverentia erga Deum, partim ex amore salutis, ad quam ejusmodi actus conditio est necessaria, partim ob ipsam actus honestatem[1]). Haec autem firmitas assensus ex reverentia et obsequio erga infinitam primae veritatis auctoritatem profecto redundabit in ipsum assensum circa duo illa principia, a quibus omnis actus fidei pendet, scil. circa summam Dei loquentis auctoritatem et factum revelationis. Proinde ille ipse pius credulitatis affectus, qui impellit nos ad assensum propter summam Dei auctoritatem super omnia et ex tota mente exhibendum, impellit nos quoque ad amplectendam ipsam Dei auctoritatem et factum revelationis assensu, qui excedat pondus motivorum credibilitatis, assensu qui sit ex tota mente et super omnia.

388. **Scholion.** Nonnulla hic dicenda sunt de *certitudine* fidei comparato ad *certitudinem aliarum cognitionum* nostrarum. „Communissima enim, inquit Lugo disp. 6. sect. 3. n. 34., et verissima theologorum sen-

[1]) Quod theologi illustrare solent illius exemplo, qui naufragii tempore ex *timore* poenae aeternae inducitur ad eliciendum actum *perfectae caritatis,* citra quem illo in casu damnationem aeternam evadere nequit. Quo in casu damnationis periculum non est *motivum* amoris Dei, sed *occasio* inducens voluntatem ad eliciendum actum caritatis ex motivo huic virtuti proprio, in quo actu eliciendo juxta pretium et pondus tanti motivi eliciet actum, ac proinde amorem Dei super omnia.

tentia est, fidem esse *certiorem* aliis cognitionibus evidentibus naturaliter, quas regulariter habemus.« Quae doctrina ut rite intelligatur, haec prae oculis habeantur: **1.** Excessus certitudinis fidei supra scientiae certitudinem potissimum desumendus est *ex firmiore adhaesione*, qua intellectus ex voluntatis imperio adhaeret fidei objecto, quam aliis scientiae veritatibus, quibus etiam, quamvis certissimis, potius renunciaret, quam veritatibus revelatis. Haec autem **2.** firmior adhaesio a pio credulitatis affectu praecipitur ob *praecellentius* motivum formale. Hinc liquet **3.** hanc assensus firmitatem non esse tantum actui ipsi *externam* et *mere affectivam*, nimirum a voluntate firmum assensum imperante, ut cum quis opinioni probabili firmissime et pertinaciter inhaeret; sed esse firmitatem actui *internam* propter motivi firmitatem, ortam exinde, quod motivum formale fidei seu auctoritas divina sinatur agere secundum suum pondus ac pretium. Liquet **4.** hunc assensum esse quidem *appretiative* majorem, non vero necessario *intensive* (seu secundum sensum) majorem assensu ex evidentia oborto, et cum majori fidei certitudine non pugnare assensum *intensive majorem* veritati naturali exhibitum, sicut cum amore Dei *super omnia* non pugnat *amor creaturae* alicujus *intensive major*. Negari tamen nequit **5.** scientiam non solum *claritate* et *evidentia* excedere fidem, sed etiam in aliqua *majori exclusione formidinis* et dubii. Nam licet fides, omne dubium et *formidinem actualem* excludat, magis quam scientia, non tamen excludit *potentiam physicam* antecedentem *ad dubitandum* et formidandum, quam excludit *evidentia* exstinguendo vel *dubii possibilitatem*. Denique **6.** quod spectat illam animi dispositionem negandi potius veritates evidentes quam revelatas, statui poterit cum de Lugo l. c. n. 51. haec regula: sufficere, ut fidelis paratus sit ad negandas potius omnes eas veritates evidentes, quas saltem *ex voluntatis imperio* negare poterit: neque enim potest esse paratus negare veritates, quas *nullo modo potest* negare; proinde neque talis animi promptitudo exigitur: sicut ad amorem Dei super omnia non est necessarium, ut voluntas parata sit ad blasphemandum Deum, si per hypothesim hoc placeret Deo. Ejusmodi enim hypotheses sunt plane *chimaericae*, ideoque *omnino* cavendae.

Sectio II.

De habitu inter revelationem et rationem, fidem et scientiam.

389. Exposita *fidei genesi*, jam quaedam statuenda sunt de *habitu* inter *rationem* et *revelationem*, fidem et scientiam, circa quem alii per *defectum*, per *excessum* alii errant. Quae autem tenenda sunt, ad quaedam *principia* revocabimus. **1.** „*Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest:* cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta

pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus." Ita conc. vaticanum sess. 3. cap. 3. Quam doctrinam jam inculcarunt Leo X. et Pius IX. in lit. encyclicis d. 9. Nov. 1846. eamque profiteri debuit Bonetty prop. 1. ab ipso a. 1855. subscribenda: „Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissensio, nullum dissidium inter ipsas inveniri unquam potest, cum ambae ab uno eodemque immutabili veritatis fonte, Deo optimo maximo, oriantur atque ita sibi mutuam opem ferant."

390. Tenendum **2.** est *non totum objectum fidei christianae rationi esse pervium, verum plures ad illud spectare veritates seu mysteria, quae humanae rationis captum excedunt.* Hoc definitum est a concilio vaticano sess. 3. can. 1. *de fide et ratione:* „Si quis dixerit, in revelatione divina (utique christiana) nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari, A. S." Sane **1.** ex divinis literis[1]) consequitur **a.** plures esse revelationis christianae veritates, quae experientiam rationemque excedant, quae proinde **b.** *solo rationis lumine* agnosci nequeant, sed tantum **c.** *revelatione* divina; idcirco autem **d.** revelatione tantum eaque prorsus gratuita, quod earum cognitio sit praerogativa et dos propria atque singularis Filii, qui sit in sinu Patris, et Spiritus sancti, qui scrutetur profunda Dei; **e.** revelatione etiam facta eas manere incomprehensibiles et investigabiles.

391. Praetermisso patrum suffragio, cum nimis evidens sit, hanc esse constantem eorundem doctrinam, huc **2.** referri possunt, quae diximus de *motivo* fidei formali. Idcirco enim propter Dei auctoritatem credendae sunt veritates revelatae, quod sint inevidentes, obscurae, et quod rationis captum superent. Et sane **3.** quilibet sincerus theologus propria experientia innixus fateri debet, post diuturnum assiduumque studium se *vix aliquas* veritates revelatas ita rationis acumine attingere, ut eas perspicere possit: imo quo *magis* proficiet in studendo, eo *sincerius* fatebitur, religionis christianae mysteria rationis humanae captum superare verique nominis esse mysteria,

---

[1]) Huc spectant 1. Cor. 2., ubi Paulus inter alia scribit: *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est . . . quam nemo principum hujus seculi cognovit . . . Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum; Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei* (v. 7. 8. et 10.); 13, 9. ss.; Joan. 1, 18: *Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit;* Matth. 11, 27: *Nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui Filius voluerit revelare;* Job. 26, 14; Sap. 9, 13; Rom. 11, 33: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viae ejus;* Colos. 1, 26; Hebr. 1, 1. s. etc. Huc spectant etiam pulcherrimae s. Joannis Chrysostomi *homiliae adversus anomoeos* et s. Gregorii naz. *orationes theologicae,* quas habes *opusc.* t. XXIX.

suamque libenter fatebitur ignorantiam. Ideoque **4.** damnavit Gregorius XI. prop. 96. Raymundi Lulli: „Omnes articuli fidei et Ecclesiae sacramenta ac potestas papae possunt probari et probantur per rationes necessarias, demonstrativas, evidentes;" et 97: „Fides est necessaria hominibus rusticis, insciis, ministralibus et non habentibus intellectum elevatum, qui nesciunt cognoscere per rationem et diligunt cognoscere per fidem: sed homo subtilis facilius trahitur ad veritatem christianam per rationem quam per fidem." Damnarunt quoque oppositam doctrinam Gregorius XVI. in *literis* encyclicis 15. Aug. 1832. et Pius IX. in *alloc.* 9. Dec. 1854; in *Brevi* ad card. coloniensem d. 15. Jun. 1857., in quo eam ait ab apostolica sede saepe damnatam; in *literis* ad archiep. monacensem 11. Dec. 1862. etc.

392. Ex iisdem rationibus tenendum est **3.** *revelationem christianam ita complecti mysteria, ut ea non solum initio superaverint, non solum modo excedant rationis captum, sed etiam ita, ut nulla unquam rationis explicatione jugique cultura, quamdiu in terris degimus, eadem naturali acumine detegantur detectaque demonstrentur vel intellectui pervia reddantur.* Ideoque reprobata fuit prop. 9. *syllabi:* „Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae sunt objectum naturalis scientiae seu philosophiae; et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo haec dogmata ipsi rationi tamquam objectum proposita fuerint." Cf. verba conc. vaticani n. 140.

393. **Corollarium.** Ex quibus colligitur duplicem admittendum esse ordinem veritatum, alterum rationalium, superrationalium alterum; neque unquam sine ingenti idearum perturbatione licere unum cum altero confundere. Quod inculcat conc. vaticanum sess. 3. cap. 4. *de fide et ratione:* „Hoc quoque perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet, *duplicem* esse *ordinem cognitionis,* non solum principio, sed objecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, altero fide divina cognoscimus; objecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt." Quare errant omnes ii, qui vel **a.** statuunt, *proprium* divinae revelationis *criterium* esse *positivam* ejusdem cum ratione consonantiam; vel **b.** docent, omnia, quae revelatione christiana continentur, *ad rationis normam* tamquam ad regulam supremam esse intelligenda et explicanda, quod damnavit Gregorius XVI. (*Brevi* 26. Sept. 1835.) in Georgio Hermes, qui statuerat, „rationem principem normam ac unicum medium esse, quo homo assequi possit supernaturalium veritatum cognitionem." Haec enim statui nequeunt, quin supponatur revelationis christianae objectum rationi esse plane *pervium,* quod falsum demonstravimus. Errant pariter **c.** qui revelationem et rationem statuunt esse duos fontes veritatis *non subordinatos,* sed *coordinatos* et parallelos. Neque enim parallela et coordinata censeri possunt, quae differunt *objecto, motivo* et *perfectione.* Atqui ratio et revelatio distant *objecto,* cum illius objectum sit rationale, hujus vero non solum rationale, sed etiam

praeterrationale et superrationale; distant *motivo,* nam illa regitur *evidentia* naturali, haec divina *auctoritate;* distant *perfectione,* illa enim est *naturalis,* haec *supernaturalis;* illa angustior, haec amplior; illa anceps saepe est atque haeret, haec certa semper est ac fixa. Quapropter reprobata fuit a Pio IX. *syllabi* prop. 8.: »Cum ratio humana ipsi religioni *aequiparetur,* idcirco theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt.«

394. **Thesis LIV.** ***Tantum abest, ut fides sanae adversetur rationi, ut potius tenendum sit 1. fidem esse secundum rationem; 2. fide rationem multipliciter juvari, eaque 3. homines ad novum altioremque provehi scientiae ordinem, in quo et per quem ad futuram gloriae claritatem praeparentur; sed et vicissim 4. plura rationi munera competere in fidei utilitatem.***

Demonstratio p. I. Revera *fidem esse secundum rationem* ea **1.** omnia probant, quibus philosophi ostendunt, auctoritatem fontem esse veri seu secundum rationem esse credere testibus fide dignis, proinde in primis Deo. Probant **2.** omnia ea, quibus Augustinus cum aliis patribus evincit (cf. *opusc.* VI, 59.), nullam iniri conservarique posse societatem sive inter parentes et filios, sive inter conjuges, amicos, cives, sive inter reges et subditos absque fide. Si ergo secundum rationem est credere parentibus, amicis, regibus etc.: a fortiori secundum rationem quoque erit Deo credere, qui unus verus est pater ac rex noster. Eoque magis **3.** quod summi momenti et theoretice et practice sit, accuratius nosse quae ad Deum spectent quaeque ejus sit circa homines voluntas, quae ejus decreta. Haec vero vel nullo modo vel nonnisi imperfecte cognosci possunt citra revelationem et fidem (n. 13. ss.).

Eatenus deinde **4.** fides christiana rationi adversaria dici posset, quatenus illa vel laederet *rationis jura,* vel ratio *fidei* improbaret *postulata.* Neutrum vero affirmare licet. Neque enim **a.** impedit fides *jus,* quo pollet ratio *inquirendi in eas veritates, quae rationis ambitu continentur.* Neque impedit **b.** *jus nil citra rationem sufficientem admittendi;* quod adeo verum est, ut Tertullianus diserte pronunciet l. 5. *c. Marc.* c. 1: „Nihil credam, nisi nihil esse temere credendum.“ Neque **c.** laedit fides *tertium rationis jus reprobandi* nimirum *errorem,* quoties illum evidenter vel certo agnoscit. Caveat sibi tamen humana ratio, ne, quidquid vel intelligere vel comprehendere vel concipere nequit, inter errores reputet. Sicut autem fides nullum laedit jus rationis, ita vicissim ratio omnia approbat *fidei postulata.* Postulat **a.** fides, ut ratio se subjiciat auctoritati divinae. Sed quid dignius et justius, quid aequius et magis salutare, quam ut ratio creata limitibusque circumscripta, hinc erroribus obnoxia, quae toties magno suo commodo auctoritati se subjicit humanae, rationi increatae nullique errori obno-

xiae se in disciplinam tradat? Postulat **b.** fides assensum firmum, quo nihil justius (n. 379. s.). Postulat **c.** fides, ne *temere* scrutemur mysteria, quo nihil aequius. Postulat denique **d.** fides, ut acquiescamus certitudini morali de facto revelationis, cum haec sufficiat ad dirigendam vitam hominum universam. Cf. n. 89. et 374. Tandem **5.** fides inde quoque se rationi commendat, quod nobilissimum sit naturae rationalis obsequium rationi increatae omnisque veri fonti exhibitum tum propter actus difficultatem, tum propter professionem, quam involvit, et summae Dei veracitatis et nostrae ab eo dependentiae.

395. **Demonstratio p. II.** Fides rationem multipliciter juvat, plurimumque commodi ex revelatione in hanc redundat. *Ampliatur* **1.** *supellex cognitionis humanae.* Cf. thes. II. Revelatio **2.** *liberat rationem a tot erroribus* et dubiis molestis circa res scitu maxime necessarias, quibus remotis pacem securitatemque animis de altera vita ac de sua salute sollicitis conciliat. Quocirca sicut homo christianus gratiae innixus dicere potest: *Omnia possum in eo, qui me confortat* (Phil. 4, 13.), ita revelatione edoctus cum regio psalte gloriari: *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in aeternum mihi est. Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. Super senes intellexi, quia mandata tua quaesivi* (Ps. 118, 98. ss.) Cf. n. 56. Revelatio **3.** *viae ducis instar dirigit* inquisitionem rationis, ut citius, securius, plenius veritatem assequatur; metam indicat, quo sit investigatione perveniendum. Denique **4.** revelatio *veri cupidinem excitat* stimulosque addit, vel ut alacrius veritatum investigationi insistamus, veritates revelatas quantum fieri potest intelligamus ac in earum intelligentia proficiamus; vel ut easdem tueamur adversus fidei hostes, quod absque studio solertique rationis usu apte fieri non poterit.

396. **Demonstratio p. III.** Fide homines ad novum altioremque provehi scientiae ordinem docent **1.** Scripturae sive cum affirmant, Filium Dei venisse nobisque *dedisse sensum* (διάνοιαν), *ut cognoscamus verum Deum* (1. Joan. 5, 20.); sive cum tradunt hominem animalem i. e. naturalem gratia et fide destitutum non percipere ea, quae sunt Spiritus Dei, eo quod stulta ei videantur; imo ne posse quidem ea intelligere (1. Cor. 2, 6. ss.); sive cum gratiam illam, qua ad fidem in Christum adducimur, conferunt cum verbo illo, quo Deus dixit *de tenebris lucem splendescere* (2. Cor. 4, 6.). Docent **2.** *patres*, cum generatim fidem rationi scientiaeque opponentes, fide dicunt nos attingere veritates, quas ratio ne suspicari quidem potuerit; fidemque novum esse lumen, lumen plane coeleste, quo fideles illuminati vident quae fugiunt oculos rationis. „Si enim fidelis nil videret, ex fide illuminatio non esset, nec dicerentur *illuminati* fideles," inquit Hugo a s. Victore *de sacram.* l. 1. p. 10. c. 9. Docet **3.** s. Thomas *c. gent.* l. 3. c. 152: „In quolibet cognoscente modus cognitionis consequitur modum propriae naturae; unde alius modus cognitionis est angeli, hominis et bruti animalis, secundum quod eorum naturae diversae sunt . . . Sed homini ad consequendum ultimum finem additur aliqua perfectio super propriam naturam scil. gratia. Oportet igitur, quod etiam super cognitionem

naturalem hominis addatur in ea aliqua cognitio, quae rationem naturalem excedat et haec est cognitio fidei.

397. **Demonstratio p. IV.** Haec sunt potiora munera, quae rationi circa ipsam fidem competunt. Rationis est **a.** fidei fundamenta seu *revelationis credibilitatem* ostendere (n. 372. ss.); **b.** *veritates revelatas notitiis consentaneis apprehendere,* quod exemplo illustrat Augustinus *de Trinit.* l. 8. c. 8. scribens: „Credimus Jesum Christum natum de Virgine, quae Maria vocabatur. Quid sit autem *virgo,* quid sit *nasci,* quid sit *nomen proprium* non credimus, sed prorsus *novimus.*" Rationis est **c.** *veritates revelatas apte disponere* atque in *concinnum* redigere ordinem, quod ipsa historia theologiae literaria probatur; ex qua etiam liquet rationem posse **d.** *multiplici analogia vel ipsis mysteriis lucem affundere.* Inductione enim constat nullum esse mysterium, quod patres et theologi conati non sint analogiis derivatis ex creaturis illustrare, adeoque fuisse hac in parte felices, ut occasio nonnullis exstiterint erroris, qui harum analogiarum luce decepti sibi persuaserint, mysteria vel demonstrari vel comprehendi posse. Rationis est **e.** suscepta semel fide pro viribus, modeste tamen, *in mysteriorum aliqualem intelligentiam adniti* in eaque proficere.

»Absit namque, scribit Augustinus *ad Consentium* ep. 120. al. 222 n. 3., ut hoc in nobis Deus oderit, in quo nos reliquis animantibus excellentiores creavit. Absit, inquam, ut ideo credamus, ne rationem accipiamus sive quaeramus, cum etiam credere non possemus, nisi rationales animas haberemus. Ut ergo in quibusdam rebus ad doctrinam salutarem pertinentibus, quas ratione nondum percipere valemus, sed aliquando valebimus, fides praecedat rationem, qua cor mundetur, ut magnae rationis capiat et perferat lucem, hoc utique rationis est. Et ideo rationabiliter dictum est per prophetam: *Nisi credideritis, non intelligetis.*" »Sicut rectus ordo exigit, docet Anselmus *cur Deus homo* l. 1. c. 2., ut profunda christianae fidei credamus, priusquam praesumamus ratione discutere, ita *negligentiae* mihi videtur, si postquam confirmati sumus in fide, non studemus quod credimus intelligere.« Ceterum hujus assertionis commentarius luculentus est universa theologia scholastica, cujus scopus est in primis profectus intelligentiae in fidei dogmatibus, de quo pulcherrime disserit Vincentius lirin. *commonit.* c. 23. (Cf. n. 139.).

398. Rationis est **f.** *veritates revelatas argumentis aptis* ex locis seu fontibus theologicis haustis *comprobare* et stabilire, et **g.** *dogmata tueri* adversus exceptiones omnes, quod patres et theologi seculorum omnium egregie praestiterunt. nam „fides nostra, scribit Anselmus l. 2. ep. 41., contra impios *ratione defendenda est* . . . illis *rationabiliter* ostendendum est, quam *irrationabiliter* nos contemnunt." Quae omnia confirmat Pius IX. *literis encycl.* de 9. Nov. 1846. docens: „Etsi enim fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissensio nullumque

dissidium inter ipsas inveniri unquam potest, cum ambae ab uno eodemque immutabilis aeternaeque veritatis fonte Deo Optimo Maximo oriantur, atque ita sibi mutuam opem ferant, ut recta ratio fidei veritatem demonstret, tueatur, defendat; fides vero rationem ab omnibus erroribus liberet, eamque divinarum rerum cognitione mirifice illustret. confirmet atque perficiat." Et concilium vaticanum sess. 3. cap. 4. *de fide et ratione:* „Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat."

399. Tenendum est praeterea, si *revelatio* et *ratio,* fides et scientia, theologia et philosophia *objective* spectantur, *revelationem esse supra rationem, fidem supra scientiam, theologiam supra philosophiam;* et in hypothesi dissidii, rationem per revelationem, scientiam per fidem, philosophiam per theologiam esse *corrigendam,* cum inter veritates revelatas et rationales nulla esse possit (n. 389.) pugna. Quare revelatio prae ratione, fides prae scientia, theologia prae philosophia *normae* instar est directricis et dominae. „Quocirca Ecclesia, ut docet Pius IX. in *epist. ad archiep. monacensem* 11. Dec. 1862., ex potestate sibi a divino suo Auctore commissa non solum jus, sed et officium praesertim habet non tolerandi, sed proscribendi ac damnandi omnes errores. si ita fidei integritas et animarum salus postulaverint; et *omni philosopho,* qui Ecclesiae filius esse velit. ac *etiam philosophiae officium incumbit,* nihil unquam dicere contra ea, quae Ecclesia docet, et ea retractare, de quibus Ecclesia eos monuerit. Sententiam autem, quae contrarium edocet, *omnino erroneam* et ipsi fidei, Ecclesiae ejusque auctoritati vel maxime injuriosam esse edicimus et declaramus." Quae videntur adeo clara primisque sanae rationis principiis consona, ut mirum sit, quosdam, nostra praesertim aetate, de hac revelationis et fidei praerogativa dubitasse. Jam Clemens alex. *Stromatum* l. 4. c. 4. statuit κυριώτερα τῆς ἐπιστήμης ἡ πίστις καί ἐστιν αὐτῆς κριτήριον; et Anselmus *cur Deus homo* l. 1. c. 18: „Certus sum, inquit, si quid dico, quod s. Scripturae absque dubio contradicat, quia falsum est, nec illud tenere volo, si cognovero." Quare non licebit philosopho *effrenate* in dogmata irruere revelata *proque rationis lubitu* eadem tractare: hoc enim esset, ut merito advertit Gregorius IX. in ep. *ad doctores parisienses* d. 7. Jul. 1223., „redigere caput in caudam et cogere ancillae famulari reginam, videlicet documentis terrenis coeleste, quod est gratiae tribuendo naturae." Quam ob rem Pius IX. reprobavit has *syllabi* prop. 10: „Cum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille

jus et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoritati;" et 14: „Philosophia tractanda est nulla supernaturalis revelationis habita ratione." Cf. n. 243.

400. Neque haec doctrina, quae ex ipsis fluit rerum naturis, vel philosophiam evertit, vel injuriam ei aut damnum infert. Non evertit philosophiam, relinquit enim revelatio intacta **a.** *principium cognitionis philosophicae*; **b.** *leges cogitandi*, secundum quas ratio se evolvit ac cognitiones acquirit philosophicas; **c.** *motivum proprium*, cui innititur cognitio philosophica. Quod si normae instar est corrigentis errores, in quos forte philosophus inciderit, atque viae ducis illum in suis studiis dirigentis, hoc naturae et indoli philosophiae nullatenus adversatur. Quamdiu enim ratio humana est creata, finita, errori obnoxia, tamdiu probari non poterit philosophiam esse exlegem et independentem a ratione increata, ab ipsa veritate, quae revelando se manifestat. Qualis enim esset illa philosophia, quae utique amor et *studium* esse debet *sapientiae*, cujus objectum est *veritas*, quae intendit *profundam* veritatis cognitionem, si nullam rationem habeat *ipsius veritatis increatae* se ipsam manifestantis seque rationi proponentis, praesertim si ipse rationis usus ad cognitionem hujus manifestationis et propositionis velut manuducit?

Sectio III.

De regula fidei.

401. Genesim fidei descripsimus, atque in actu fidei *duplex* distinximus elementum, objectum scil. *materiale* seu veritatem, *quae* creditur, et objectum seu motivum *formale* seu rationem, *propter quam* veritati propositae per fidem assentimur. Hoc motivum diximus esse non veritatis evidentiam, sed auctoritatem Dei revelantis. Quaeritur autem quam *late* pateat objectum *fidei divinae* materiale, et respondemus, omne id esse posse objectum *materiale* fidei divinae, quod a Deo est revelatum, ut per se patet. Sed ad eam fidem *divinam*, quae *simul* sit *catholica*, non sufficit, ut aliquid sit divinitus revelatum: requiritur praeterea, ut quod divinitus est revelatum, *ab Ecclesia* omnibus *credendum proponatur* ac velut applicetur[1]). Ideoque conc. vaticanum

[1]) Differt proinde fides *divina* a fide *catholica*. Ad illam *sufficit*, ut objectum sit *divinitus revelatum* et ut de hac revelatione *certo* nobis constet; ad fidem autem *catholicam*, ad quam scil. omnia Ecclesiae membra obligantur, requiritur praeterea *propositio Ecclesiae*, quae omnino est necessaria, ut *unitas fidei* in Ecclesia vigeat. Ideoque fides catholica *semper* est fides *divina*, quia Ecclesia aliud credendum proponere nequit, nisi quod divinitus est revelatum; sed *non omnis fides divina* est *catholica*, si scil. *desit* propositio Ecclesiae. Ita ille, cui revelatione *privata* aliquid manifestatur, poterit, imo *debebit* id credere fide *divina*, quam primum de revelationis facto *certus* redditur. Ita theologus ingenii sagacitate certus

sess. 3. cap. 3. *de fide* docet: „Porro fide *divina et catholica* ea *omnia* credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, *et ab Ecclesia* sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata *credenda proponuntur.*" Proinde revelatio est principium *constitutivum* (materiale) et *regula* fidei catholicae: sed quia per se non sufficit (ad fidem catholicam) citra Ecclesiae propositionem, est regula nonnisi *remota:* Ecclesiae vero propositio regula *directiva* et *proxima.* De *utraque* regula nonnulla sunt dicenda.

402. Ut aliquid fide catholica credi possit ac debeat, necesse est, ut *christiana* contineatur *revelatione.* Jam oritur quaestio, *quoadusque* revelatio se porrigat, quae *omnia* et *singula* revelata censeri possint. Pro hujus quaestionis solutione haec prae oculis habeantur: **1.** *Formaliter* revelatum illud dicitur, quod ipsa locutione significatur seu quod a loquente dicitur *vi significationis terminorum* juxta sensum ab ipso intentum et manifestam ejus intentionem. Potest autem esse aliqua veritas vel **a.** *explicite* revelata, si eam termini *per sese, immediate,* clare enunciant; vel **b.** *implicite* aequivalenter, si scil. *continetur* quidem *formaliter* in explicite revelato, proposita tamen revelatione non statim apparet, sed per aliam propositionem debet explicari revelationis sensus, et revelatio ad illi assentiendum applicari. Ita cum revelatum est Christum esse hominem, *formaliter* i. e. *vere* ac *proprie* revelatum est, sed *implicite,* eum esse animal rationale, constare anima et corpore. **2.** Illud dicitur *virtualiter* tantum revelatum, quod non est *formaliter* idem cum revelato, sed eo tantum continetur tam-

---

reddi potest veritatem aliquam *vere contineri divina revelatione,* quamvis Ecclesia illam explicite credendam nondum proposuerit: qua in hypothesi poterit illam credere fide *divina* (scil. *propter Dei revelantis auctoritatem*), quamvis ea ex defectu propositionis ab aliis nondum sit credenda, imo citra haeresis peccatum negari possit. Sed quo pacto fideles se gerere debent circa *revelationes* personis piis factas? Eas **1.** credere *non tenentur,* cum *fere nunquam* certitudinem habere possint de earum *genuinitate;* neque hanc **2.** praebet Ecclesiae *approbatio,* quae solet esse tantum *negativa* i. e. Ecclesia non declarat sua approbatione eas *vere divinas,* sed solum eas *nil continere, quod adversetur fidei catholicae* et bonis moribus etc. Non propterea tamen **3.** *licet eas spernere,* cum *possint* esse divinae, cum *probabiliter* sint divinae, cum *praesumptio stet pro illis* (loquimur scil. de illis, quae passim in Ecclesia a viris *piis* et *doctis* pro revelationibus habentur). Imo **4.** *licebit* eas credere, quam primum *certo* de earum genuinitate constat (quod tamen rarum); quod si **5.** *probabiliter* de hac tantum constabit, licebit pariter eas credere, sed hic assensus, cum non possit excludere *prudenter omnem* formidinem, cum *licite* admittere possit *dubium deliberatum,* non poterit esse *super omnia firmus* et hinc *non est actus fidei* supernaturalis seu *theologicae,* de qua hic loquimur. Praeter fidem *divinam* et *catholicam* loquuntur theologi etiam subinde *de fide ecclesiastica,* quae innititur *infallibili auctoritati Ecclesiae* ac pro objecto habet illa Ecclesiae judicia, quae versantur non circa veritates revelatas, sed circa ea, quae diximus cum revelatione connexa ac propterea ecclesiastico magisterio obnoxia (n. 241. s. et mox infra n. 408.). Haec fides *mediate* est divina, quia illius assensus innititur *infallibili* Ecclesiae *auctoritati,* quam fide *divina* et *catholica* credimus.

quam in causa et radice, vel ita cum eo connectitur, ut per legitimam consequentiam necessario inde possit inferri. **3.** Objectum fidei materiale aliud est *quoad se,* aliud *quoad nos:* illud, si est quidem revelatum, sed nondum satis constat de revelatione, ita ut ad credendum obligemur; si vero de revelatione satis constat, erit etiam objectum fidei *quoad nos.* Ut autem sit objectum fidei catholicae, constare de eo debet per Ecclesiae propositionem. **4.** Aliud est aliquam veritatem esse *credibilem* seu quae *possit* credi fide divina; aliud eam esse *credendam* seu quae *debeat* credi, ad quod requiritur notitia intentionis divinae nos ad credendum obligantis: alioquin non tenemur positivum fidei actum elicere, quamvis *nunquam liceat* illud *respuere,* cum id in gravem Dei cederet injuriam.

403. Quibus praemissis jam ad quaestiones aliquot particulares respondeamus. Si quaeritur **1.** quaenam veritates constituant *objectum fidei materiale,* respondemus, veritates omnes *formaliter* sive *explicite* sive *implicite revelatas* [1]), non vero veritates *virtualiter* tantum et *mediate* in veritate revelata contentas. Quaeritur **2.** utrum revelata propositione universali, propositiones *particulares,* quae ea continentur, sint de fide, ex. gr. utrum sit de fide, Petrum esse in peccato originali conceptum, cum revelatum sit omnes homines eidem peccato esse obnoxios? Ad hanc quaestionem respondemus **a.** propositionem particularem esse *objective* (quoad se) de fide, eamque *posse* credi quam primum *certum* est, eam *vere* contineri propositione *universali;* non tamen **b.** *teneri* fideles, ut laborent in eliciendo actu fidei circa ejusmodi propositionem particularem, sed teneri **c.** illam *non negare,* illam **d.** *practice* credere, praesertim si haec propositio particularis circa ipsos versetur et ab hac fide vita christiana pendeat [2]); **e.** *explicite* etiam credere, si *specialis* accederet Ecclesiae *propositio,* ut cum agitur *de romano*

---

[1]) Huc spectant *proprietates* vel *partes essentiales,* quae sunt de *notione* alicujus rei; *correlata,* ita si revelatum est in divinis esse Filium, revelatum est esse et Patrem; *negatio* eorum, quae *contradictorie* opponuntur: ita si est revelatum, septem esse sacramenta, revelatum est non esse duo tantum etc., propositiones *particulares,* e quibus universalis coalescit, ita cum revelatum sit, apostolos omnes accepisse Spiritum s., revelatum est etiam Mathiam ap. illum accepisse.

[2]) Ita *parentes* tenentur practice credere filios suos esse peccato originali infectos, ut de eorum baptismo sint solliciti; peccator gravis criminis certo reus, tenetur credere se esse in statu peccati, ut ad justificationem se serio disponat etc. Et haec quidem *absolute* sunt tenenda. Aliud est, si comprehensio propositionis particularis in universali a *multiplici* pendet *conditione,* ut ex. gr. haec hostia consecrata est corpus Christi. De fide quidem est **a.** propositio *universalis:* omnis hostia rite consecrata est corpus Christi; **b.** propositio particularis *sub conditione* est de fide: haec hostia, *si rite est consecrata,* est corpus Christi; non vero **c.** *absolute,* quia nunquam potest haberi sufficiens certitudo, eam *rite* esse consecratam, hoc enim a *plurimis* pendet conditionibus; propterea tamen **d.** ea non *sub conditione* est adoranda, sed *absolute,* nam *actus fidei* absolutus exigit exclusionem omnis dubii, non vero actus virtutis *moralis,* cujusmodi est adoratio, exigit absolutam certitudinem de objecto, circa quod versatur: ita filius ut teneatur obedire, non debet exigere absolutam certitudinem, utrum is qui ejus pater dicitur, revera sit ejus pater.

pontifice, qui ab Ecclesia proponitur ut legitimus Petri successor [1]). Hinc solvitur **3.** etiam quaestio, utrum *illatio,* quae ex *duplici praemissa revelata* vel ex una revelata et altera naturaliter evidenti infertur, sit objectum fidei divinae? Non est objectum fidei divinae, si *ratio assensus* saltem *partialis* est *bonitas illationis,* quia tunc assensus non amplius innititur *sola* auctoritate Dei revelantis; seu aliis verbis: conclusio ejusmodi non est de fide, si syllogismus est *illativus*: *poterit* esse de fide, si syllogismus est tantum *explicativus,* si scilicet una ex praemissis adhibetur ad explicandum, quid in altera revelata *implicite formaliter* (non tantum *virtualiter*) contineatur. In priori tamen casu conclusio dicitur *theologica,* cujus certitudo minor quidem est ea, qua praedita est conclusio de fide, major tamen certitudine conclusionis non theologicae. Qui vero eam negaret, posset *praesumi haereticus:* quia praesumitur negare illationem vel principium evidens naturale, sed praemissam revelatam.

404. Hactenus de *materiali* fidei objecto. Jam aliquid dicendum *de Ecclesiae propositione,* de qua pariter *certo* nobis constare debet. Quaeritur autem quomodo Ecclesia doctrinam aliquam revelatam proponat, adeo ut fideles *teneantur* illam fide credere *catholica.* Cui quaestioni ut satisfaciamus, adverti debet, *duplicem* esse Ecclesiae docendi modum, alterum *extraordinarium* et *solemnem,* qui rarius exercetur, ut ex. gr. in conciliis oecumenicis; *quotidianum* alterum, *ordinarium,* consistentem in *ipsa jugi Ecclesiae praedicatione.* Ideoque aliter atque aliter Ecclesia ea, quae fide catholica tenenda sunt a fidelibus, credenda proponit: scil. **a.** per conciliorum oecumenicorum *definitiones* [2]);

---

[1]) Est quaestio inter theologos, utrum sit *de fide,* hunc N. N. esse verum legitimumque pontificem. Pro sententia *negante* afferuntur a Suarez disp. 10. sect. 6. Turrecremata, Albertinus, Cajetanus, Bannez, Canus, Vega, Corduba, Castro et alii. Negare etiam videtur Schrader in comment. *de theol.* n. 66. „Contrariam sententiam, inquit Lugo d. 1. sect. 15. §. 5. n. 326., docent nostri doctores. Recentiores communiter . . . quam ego etiam sententiam veram existimo, et supponi videtur in decreto Martini V., quod factum fuit in concilio constantiensi, scil. jubentur suspecti de erroribus Wicleffi et Huss interrogari (a. 24.): „Item utrum *credat,* quod papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, *ejus nomine proprio expresso,* sit successor b. Petri habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei.“ Dissensus est non tanti momenti, cum ii theologi, qui negant id esse de fide, tueantur tamen id tenendum esse assensu *infallibili* tamquam factum *dogmaticum,* in quo stabiliendo Ecclesia sit *infallibilis.*

[2]) Advertatur tamen, non omnia, quae in decretis canonibusque conc. oecumenicorum romanorumque pontificum leguntur, *fidei catholicae* constituere objectum, sed nonnisi ea, in quae definitio *directe* et *immediate* cadit. Ad haec vero dignoscenda varia statuunt theologi *criteria.* Advertunt scil. **a.** attendendam esse concilii *intentionem.* Si constet, concilium noluisse aliquam dirimere controversiam, quamvis dein in ipsius decretis reperiantur nonnulla, ex quibus per illationem aliqua ex pluribus confirmari possit sententia, eam propterea *definitam* dici non posse. Ideoque **b.** definitionis verba *strictioris* esse interpretationis i. e. cum tantum

b. editis *symbolis* et fidei professionibus; **c.** per *romanorum pontificum definitionem,* quae sit ex cathedra; **d.** per *decreta conciliorum provincialium,* quae sint *approbata* a romano pontifice approbatione forma *solemni,* seu ab universa Ecclesia recepta. Et hi sunt modi *solemniores,* quibus Ecclesia in proponendis fidei dogmatibus utitur; sed praeter hos plura credenda proponit Ecclesia suo magisterio ordinario, quod consentiente et jugi pastorum praedicatione ipsaque praxi continetur. Gravissimus enim foret error ipsa Ecclesiae fundamenta subvertens, si quis contenderet, ea tantum esse credenda, quae tam solemnibus modis credenda proponuntur; nam hac in hypothesi *primis* Ecclesiae seculis *nil* fere fuisset credendum. Cf. verba conc. vaticani n. 401. Quapropter Pius IX. in *literis* ad archiep. monacensem 21. Dec. 1863. docet: „Etiamsi ageretur de illa subjectione, quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea, quae *expressis* oecumenicorum conciliorum aut romanorum pontificum hujusque apostolicae sedis decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda, quae *ordinario* totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tamquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur."

405. Ex dictis sequuntur nonnulla *corollaria.* **1.** Cum id *omne* spectet ad fidem catholicam, quod divinitus revelatum sit et ab Ecclesia omnibus credendum proponatur, cumque Ecclesia s. Scripturam tamquam *Dei verbum* omnibus proponat fidelibus: sequitur, absque ulla ulteriore Ecclesiae declaratione vel interpretatione pertinere *ad fidem catholicam* omnia illa,

---

sensum censeri posse definitum, qui *sufficit* et *requiritur* ad verificanda definitionis verba secundum sanae interpretationis regulas. Si constet **c.** de concilii vel romani pontificis *intentione* proponendi fidem catholicam, etiamsi concilium non utatur *canonis forma* sed *decreti,* hoc esse de fide. Quocirca errant, qui putent, *solum canones* conc. tridentini (et vaticani), non vero *decreta* esse *de fide.* Dogmata certe catholica continentur decretis sess. 4, 6, 13, 14, 21—23. et 25. conc. tridentini. Ceterum **d.** de hac *intentione* judicandum esse ex *haereticis,* quorum errores damnantur. Ea vero **e.** non esse *de fide,* quae concilium *confirmationis illustrationisque* gratia adducit, nisi *diserte* declaret hunc esse *genuinum* hujus Scripturae loci sensum; tunc enim *authenticam* praebet textus illius interpretationem. Licet **f.** *anathema* in contrarium sentientes *definitionis* sit *nota, excommunicationis* tamen poena in contrarium docentes per se non esse *definitionis argumentum,* cum Ecclesia possit ad bonum commune sub gravi poena subinde prohibere, quominus aliqua doctrina, etiamsi non sit haeretica, publice doceatur. **g.** Ea quae *contradictorie* definitae veritati opponuntur, vel *formaliter implicite* continentur, censenda esse pariter *definita.* Quod si *graves* theologi inter se dissentiant, utrum aliquid ab Ecclesia sit definitum, haberi illud non posse *dogma* proprie dictum *catholicum.* Nam ad hoc requiritur non solum *certa* revelatio, sed et *certa propositio* ex parte Ecclesiae, quae censeri nequit *certa,* si theologi *vere graves probeque catholici* de ea inter se dissentiant.

quae in divinis literis ita clare continentur, ut a nemine negari possint, nisi ab eo, qui vel s. Scripturam abjiciat vel rationem exuat [1]). 2. Cum is haereticus *formalis* censeri debeat, qui aliquod *dogma catholicum* seu veritatem divinitus revelatam et ab Ecclesia omnibus fidelibus ad credendum propositam *scienter* neget, cumque Ecclesia non solum solemniter in conciliis veritates divinitus revelatas proponat, sed etiam magisterio suo ordinario: fieri potest, ut aliquis sit *vere haereticus formalis* ante solemnem sui erroris condemnationem, si scil. neget veritatem aliquam revelatam jam antea satis ab Ecclesia magisterio suo quotidiano credentium fidei propositam.

406. Hactenus *de dogmate* [2]) *catholico.* Verum *praeter dogmata* plura *alia* sunt tenenda a fidelibus, praesertim a theologis, quae quidem per se vel formaliter non sunt revelata, intimo tamen nexu cum veritatibus revelatis cohaerent, et propterea magno consensu docentur in Ecclesia, quandoque etiam ab Ecclesia authentico statuuntur judicio, directe vel indirecte pronunciata *censura* in opiniones contrarias. Quocirca Pius IX. conc. vaticani sess. 3. hac exhortatione absolvit: „Quoniam vero satis non est, haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt; omnes officii monemus, servandi etiam constitutiones et decreta, quibus pravae ejusmodi opiniones, quae isthic diserte non enumerantur, ab hac sancta sede proscriptae et prohibitae sunt."

407. Quare *duplex* distingui debet *doctrinae catholicae* acceptio, altera angustior, altera laxior. *Pressius* accepta doctrina catholica idem est ac *fides catholica* (objective) et complectitur omne id, quod fide catholica est credendum: *laxiori* vero significatione adhibita complectitur praeter dogmata ea, quae n. praeced. indicavimus et quae non tam constituunt *normam credendi,* quam potius normam *catholice sentiendi* [3]); cujus normae *ambitus* ut rite definiatur, recolenda sunt ea,

---

[1]) Prae oculis tamen habeantur, quae docet s. Thomas *in 1. Cor. 11.* lect. 4: „Pertinet autem aliquid ad disciplinam fidei dupliciter. Uno modo *directe,* sicut articuli fidei, qui *per se* credendi proponuntur, unde error circa eos secundum se facit haereticum, si pertinacia adsit . . . Quaedam vero *indirecte* pertinent ad fidei disciplinam, in quantum scil. ipsa non proponuntur ut propter se credenda, sed ex negatione eorum sequitur aliquid contrarium fidei; sicut si negetur Isaac fuisse filium Abrahae, sequitur aliquid contrarium fidei, scil. s. Scripturam continere aliquid falsi. Ex talibus autem non judicatur aliquis haereticus, nisi adeo pertinaciter perseveret, quod ab errore non recedat, etiam viso quid ex hoc sequatur."

[2]) Ex communi theologorum placito post d. Thomam 1. 2. q. 1. a. 6. nomine *dogmatis* intelligitur quaecunque veritas a Deo utcunque revelata et per Ecclesiam proposita; nomine vero *articuli* dumtaxat principalis fidei veritas omnibus ad explicite credendum proposita et quae distinctam continet difficultatem, cujusmodi sunt dogmata, quae articulatim in symbolo apostolico recitantur.

[3]) Cf. Scheeben *Handb. der kathol. Dogm.* §. 28. s. Nomen *doctrinae catholicae* latiori quoque sensu potest accipi, pro ea scil. doctrina, quae quidem

quae de *objecto* magisterii ecclesiastici statuimus; quaedam etiam addenda de *censuris,* quibus Ecclesia revelationis depositum tuetur atque adversus omnes opiniones noxias sepit, deque *assensu,* qui variis Ecclesiae judiciis debetur.

408. Ostendimus magisterii ecclesiastici infallibilitatem *immediate* quidem tantum ad *revelationis depositum* se extendere (n. 239.), *mediate* tamen ad omnia ea, quae cum revelatione ita cohaerent, ut nisi ea in tuto sint, ipsum revelationis depositum in discrimen vocetur (n. 241.). Connexa autem aliqua sunt cum revelatione **1.** *praesuppositive* vel *logice,* ut plures veritates *philosophicae,* vel *historice,* ut quaedam facta, quae propterea *dogmatica* dicuntur (n. 246. s.); huc referri possunt et *textus dogmatici,* ante enim intelligi debent quam dijudicari possint; **2.** *consecutive,* ut *conclusiones* ex principiis fidei ope principiorum rationis deductae, ad quas revelatio in agrum mentis pinguem i. e. sagacem, solertem, veri cupidam et amantem recepta sponte sua allicit, inducit ac propemodum propellit (cf. n. 139. et 242.); **3.** habitu *consonantiae* vel *dissonantiae* [1]), ut variae doctrinae; denique **4.** *finaliter* seu habitu medii ad finem revelationis, qui est major Dei gloria, Ecclesiae bonum, animarum salus, ut variae leges disciplinae, vivendi formae (ordines religiosi) etc.

409. Quaeritur jam quid sit *censura theologica.* Censura theologica a theologis praeeunte Antonio de Panormo in *scrutinio doctrinarum* l. 1. art. 2. definitur: Judicium seu sententia, qua nota prava et maligna cuidam doctrinae inuritur tamquam fidei aliquo modo noxiae. Sicut autem non omnes morbi ex aequo saluti opponuntur, ita et doctrinae falsae vel noxiae non omnes *ex aequo* adversantur fidei; hinc varii censurarum gradus. Praecipuas recensebimus, in quarum tamen explicatione theologi subinde nonnihil dissentiunt. Dicitur **1.** aliqua propositio *haeretica,* si *directe* et *immediate* adversatur veritati revelatae et ab Ecclesia ad credendum *certo* propositae. Dicitur **2.** *erronea,*

---

magno consensu a theologis docetur, sed de cujus per Ecclesiam approbatione non adeo constat; imo *sensu latissimo* significat *quamlibet* doctrinam, quae non adversatur doctrinae Ecclesiae, quamque *quilibet* theologus *catholicus* rationibus theologicis innixus tuto defendere et amplecti potest, quin tamen ad hoc teneatur.

[1]) Advertatur **1.** revelationem et fidem datam esse, ut sit nobis *norma cogitandi,* judicandi, vivendi in ordine salutis; *justus enim ex fide vivit* (Rom. 1, 17). Sed **2.** homines vivunt *in hoc mundo,* in quo innumeras cognitiones aliis ex fontibus hauriunt; ideoque **3.** fieri nequit, quin multiplex exsistat habitus *consonantiae* vel *dissonantiae* seu etiam pugnae inter has cognitiones aliunde haustas et fidei veritates, quod etiam testatur experientia. Haec autem **4.** dissonantia vel pugna latens, nisi authentice manifestetur ac declaretur, multum arrodere potest vermis instar *fidei fundamenta,* vigorem, fructus etc. Quare **5.** Ecclesiae et ad tuendum fidei depositum et in fidelium utilitatem *jus* erit *authentice judicandi* de hoc dissonantiae habitu, quod etiam revera, praesertim *in re practica* seu in theologia morali, damnatione propositionum Ecclesia saepe praestitit.

si opponitur *conclusioni theologicae,* id est, si opponitur non veritati *in se* et *formaliter* revelatae, sed veritati, quae ratione evidenter ex dogmate colligitur, quae proinde dogmati non immediate, sed mediate, mediante conclusione inde legitime deducta, adversatur. Dicitur **3.** *haeresi proxima,* si vel ipsum dogma, cui dicitur opponi, non est supra omne dubium, eo quod scilicet Ecclesiae propositio non sit supra omne dubium manifesta, vel si veritas, cui adversatur, est tantum fidei proxima[1]), vel si oppositio cum dogmate non plane est evidens. Hinc explicatur **4.** quid sit propositio *errori proxima.* Dicitur **5.** *haeresim sapiens,* vel *de haeresi suspecta,* si propositio est *aequivoca,* duplicem admittens sensum, *catholicum* et *haereticum,* ita tamen, ut sensus haereticus *praevaleat,* sive ratione ipsorum verborum, sive ratione adjunctorum. Dicitur **6.** *temeraria,* quae adversatur sententiae in Ecclesia *communiter* receptae, quaeque nulla ratione *probabili* innititur[2]). Huc spectant propositiones, quae adversantur auctoritati in Ecclesia magnae, sed non infallibili, ut sententiae theologorum gravissimorum communi, concilii particularis, congregationum romanarum, quae de doctrina judicant.

410. Reliqua, quae ad censuras spectant, ad haec revocari possunt capita: **1.** Fideles *sub gravi* tenentur *ad amplectendam censuram,* nam ejus objectum est grave, finis summi momenti, intentio Ecclesiae sub gravi opiniones noxias prohibentis manifesta. **2.** Ecclesia in ferendis censuris est *infallibilis;* in quo ita consentiunt theologi, ut disputent tantum de eo, utrum opinio opposita sit *haeretica,* an solum *erronea.* Si **3.** propositiones *in globo,* ut dicitur, damnantur, tenendum est, earum nullam esse, quae non saltem unam ex subjectis censuris mereatur, nullamque esse ex recensitis censuris, quae non saltem uni ex damnatis conveniat propositionibus. **4.** Eo ipso quod tenemur has respuere propositiones, sequitur, doctrinam contradictorie oppositam tamquam sanam amplectendam esse assensu omne dubium deliberatum excludente ob infallibilem Ecclesiae auctoritatem; non tamen sequitur illam esse de fide, nisi propositio, cui opponitur, damnata fuerit ut *haeretica*[3]). Cf. n. 243. *Comp.* I. n. 465. s.

---

[1]) Fidei *proxima* illa dicitur veritas, quae ex theologorum consensu continetur divina revelatione, cui *tantum* deest ad hoc, ut sit *dogma* Ecclesiae propositio, uti erat *diu* (non tamen *semper*) ante Pii IX. definitionem veritas *de immaculata b. Mariae V. conceptione.*

[2]) Haec est propositio *positive* temeraria; quod si tali auctoritati non refragetur, sed careat *omni fundamento probabili,* spectet autem ad argumentum *vere theologicum,* dicitur temeraria *negative,* ut si quis contenderet, alium sanctum praeter b. Mariam V. habuisse privilegium, quo immunis esset a quovis peccato veniali. Per se patet unam eandemque propositionem pro vario habitu ad diversa doctrinae revelatae capita plures mereri posse censuras.

[3]) Quod *syllabum* complectentem praecipuos nostrae aetatis errores attinet, haec sunt tenenda: **1.** Syllabus *dogmatico* plane pollet charactere et *pretio,* quo

411. Quod vero *authentici* magisterii *subjectum* attinet, jam ostendimus illud esse romanum *pontificem* (thes. XLVIII.) et *coetum episcoporum* sive in concilium oecumenicum congregatum sive per orbem dispersum (thes. XXXII.). Praeterea tenendum est **1.** potestate docendi quamvis non infallibili, authentica tamen, praeditos esse in sua dioecesi *episcopos:* hi enim positi sunt a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei (Act. 20, 28.), et eorum tamquam successorum apostolorum est, doctrinam revelatam fidelibus annunciare atque proponere (cf. thes. XV.). Consuetudine tamen gravibusque de causis[1]) jam mos obtinuit, ut episcopi *de controversiis fidei* non judicent nisi congregati in concilium. **2.** Potestate authentice docendi pariter fruuntur *concilia provincialia,* quae *secundum canonum praescripta,* proinde non contra sedis apostolicae sententiam, celebrantur. Cum vero judicia *peremptoria* de fidei controversiis spectent ad causas majores, ideoque ut vim habeant, approbanda sint a sede apostolica: ejusmodi judicia *authentica non sunt,* si *hac approbatione destituantur* tacitusque consensus supponi nequeat. **3.** Potestate authentice docendi pollent etiam *congregationes romanae* cardinalium, quae ad custodiam depositi revelationis puritatisque fidei tutelam sunt institutae[2]). Hujusmodi sunt praesertim congregationes *s. Officii* seu inquisitionis haereticae pravitatis et congregatio *indicis* librorum prohibitorum. Sed cum summus pontifex nemini possit com-

---

irrefragabilem seu *infallibilem* vim habet, quod bene ostendit Schrader comment. *de theologia generatim* n. 84. Quare **2.** *omnino tenendum est* ab Ecclesiae filiis assensu *indubio* propositiones, quas complectitur, *esse reprobandas* atque cavendas. Propterea tamen **3.** non sequitur vi *hujus reprobationis* propositiones contradictorie oppositas esse *de fide:* cum enim vi syllabi non damnentur ut *haereticae,* inferri nequit oppositum esse *de fide,* nisi id *aliunde* constet. Quare **4.** sicut hae propositiones continent doctrinam ex *infallibili* romani pontificis declaratione aliquo modo doctrinae catholicae *noxiam,* ita contradictorie oppositae propositiones complectuntur *doctrinam catholicam* et *sanam.*

[1]) Ejusmodi causae esse possunt: *gravitas negotii,* cujusmodi est controversia de fide; *universalitas* negotii, fidei enim causa universalem spectat Ecclesiam, in qua una eademque vigere debet fides; *unitas fidei,* quae nimis facile laederetur, si episcopus quivis seorsim ab aliis in controversiis fidei *authentice* judicare posset.

[2]) Huc referri debent verba Pii IX. in *Brevi* d. 15. Jan. 1857. ad archiep. coloniensem, in quo de decreto congreg. indicis circa Güntheri opera ita statuit: „Rebus omnibus a Nobis etiam perpensis, eadem congregatio decretum illud, *suprema Nostra auctoritate probatum* tibique notissimum edidit, quo güntheriana opera prohibentur et interdicuntur. Quod quidem decretum Nostra auctoritate sancitum Nostroque jussu vulgatum *sufficere plane debebat,* ut quaestio *omnis penitus dirempta* censeretur, et omnes, qui catholico glorientur nomine, clare aperteque intelligerent, sibi esse *omnino obtemperandum,* et sinceram haberi non posse doctrinam güntherianis libris contentam, ac nemini deinceps fas esse doctrinam iis libris traditam tueri ac propugnare.‟

municare infallibilitatem, sicut nec primatum, cui illa est adnexa, quamvis possit quosdam in partem sollicitudinis vocare: hinc decreta harum congregationum *non sunt infallibilia*, etiamsi pontificis nomine et auctoritate sint edita, imo etiamsi edantur facta ad ipsum relatione ipsoque sciente, consentiente et *hoc modo* ea approbante. Ut censeri possint infallibilia, necesse est, ut pontifex ea *propria faciat* proprioque nomine edat cum iis adjunctis, quae in definitione vaticana de romani pontificis infallibilitate indicantur; quo in casu congregatio se habet tantum per modum consulentis[1]).

412. Quod denique *assensum* judicio magisterii authentici exhibendum attinet, haec statui posse videntur: **1.** assensus exhibendus magisterio infallibili et sua infallibili docendi auctoritate utenti circa veritatem revelatam debet esse *actus fidei divinae* et *catholicae;* quod si magisterium non versetur circa objectum formaliter revelatum, sed circa ea, quae recensuimus n. 408., debet esse *indubius,* excludens quodvis dubium voluntarium deliberatamque formidinem non obstantibus rationibus gravissimis, quae illi contrariae videantur. Quare judicio illi *non satisfit* solo assensu *externo* et *obsequioso silentio.* **2.** Assensus exhibendus judicio vel magisterii infallibilis infallibilitate tamen sua non utentis, vel auctoritatis non infallibilis, de qua egimus n. praeced. non debet esse *absolute* indubius et supra omnia firmus. Hinc tamen non sequitur, licere fidelibus *pro lubitu* interius dubitare, nisi enim omnem ordinem moralem, imo et rationalem subvertere velimus, admitti debent *plures* assensus *species,* quae inter assensum indubium et dubitationem locum habere possint.

413. Cujusmodi vero **3.** debeat esse assensus, non potest *in genere* facile definiri, id enim pendet a variis adjunctis atque a judicii forma. Nisi ergo gravior aliqua auctoritas ejusmodi judicii vim ac robur rescindat vel infringat, exigitur a bonis Ecclesiae filiis **a.** *ne obloquantur;* **b.** ut *internum* exhibeant assensum, cujus firmitas pendebit a majori minorive docendi authentia et a majori minorive praesumptione, qua supponi potest consensus auctoritatis supremae atque infallibilis. Quod si **c.** menti fidelis *graves* et theologicae obversarentur rationes in contrarium, licitum ei esset formidare,

---

[1]) Qua de re ita scribit em. card. Franzelin *de div. traditione et Scriptura* ed. 2. Schol. 1. post thes. XII. pag. 133: „Quod *sententiam congregationis* ratam habet et sua suprema auctoritate confirmat summus pontifex, id non efficit definitionem ex cathedra, nisi ipse *suum* faciat atque ex sese edat decretum, cum necessariis signis intentionis *definiendi doctrinam* ab universa Ecclesia tenendam, ita ut sententia non amplius sit congregationis tamquam judicantis, sed per modum dumtaxat consulentis . . . Ne vero insistatur illi expressioni, sententiam congregationis esse confirmatam *suprema* auctoritate pontificis, advertatur, *supremam* posse dici auctoritatem sive *intensione exercitii* sive in *sua substantia;* hoc

dubitare, conditionate assentire, imo et suspendere assensum, donec innotescat consensus Ecclesiae universalis vel romani pontificis; hinc etiam liceret ad *altius appellare tribunal* scil. vel ad concilium vel ad romanum pontificem.

---

altero modo pontifex e. g. concedit indulgentias, privilegia, dispensationes, decernit servorum Dei beatificationes (citra ultimum definitivum judicium) *suprema potestate*, quin ideo semper sit suprema *intensio in exercitio* hujus potestatis. Ita ergo etiam non potest esse pontificia confirmatio decreti doctrinalis, quin sit ex *suprema auctoritate*, quae nimirum est *pontificia*; sed potest esse sine *suprema intensione* hujus auctoritatis ac magisterii, quae reperitur in solis definitionibus ex cathedra.«

Tractatus V.

De Deo uno et trino.

414. Cum Deus omnium, quae cognoscere possumus, nobilissimum sit objectum, imo tantum, ut in ejus visione nostra consistat beatitudo aeterna: nemo non videt, quanti momenti et dignitatis ea pars sit theologiae, quae in contemplando ipso Deo unice versatur; et quamvis eum nondum cognoscere possimus, sicut est, sed tantum ex parte, per speculum et in aenigmate, tamen vel haec imperfecta cognitio summi est aestimanda. Quocirca per os Jeremiae (9, 23. s.) ita loquitur Deus: *Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus.*

415. Professio catholica de Deo ad hanc revocatur summam: *Credo unum Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum*: profitemur proinde aliquid *unum,* indistinctum, tribus commune, quod, ut videbimus, est *natura;* et aliquid *proprium,* distinctum, nam in divina natura sunt tres personae: quare haec de Deo disputatio in duas dispescitur partes, quarum prior *Deum unum secundum naturam,* altera *Deum trinum in personis* considerabit.

PARS I.

DE DEO UNO.

416. Ad tria capita omnia revocabimus, quae de Deo, quatenus secundum naturam est unus, disputari solent. Inquiremus scil. **1.** in ejus *cognoscibilitatem;* **2.** in divinae naturae *proprietates perfectionesque;* denique **3.** in *Dei vitam,* quae intelligendo volendoque explicatur.

Caput I.

De habitu Deum inter et rationem humanam in ordine cognitionis.

417. **Thesis LV.** ***Homo potest citra revelationem positivam solo rationis lumine certo cognoscere exsistentiam Dei.***

Declaratio. Thesim statuimus contra illos, qui negant, homines posse citra revelationem sive immediatam sive mediatam, traditione propagatam,

solo rationis lumine ex rerum creatarum contemplatione ad Dei exsistentis notitiam pervenire, sive propter nimiam rationis humanae infirmitatem, sive quod nulla sit proportio inter finitum et infinitum, adeo ut ex rerum finitarum contemplatione non possit erui notio infiniti, sive quod Deus sit prima veritas. Non agimus *de facto*, utrum quilibet homo solo rationis lumine ad hanc cognitionem perveniat, sed *de jure*, quaerimus scil. utrum deficiente etiam revelatione homo eam solo rationis lumine assequi *possit*, postquam ad sufficientem ejusdem usum pervenerit. Thesis est *de fide*, ut patet ex conc. vaticani sess. 3. *de revelat.* cap. 2: „Eadem sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse: *invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur* (Rom. 1, 20.);“ et can. 1.: „Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse, A. S.“

418. **Demonstratio.** Probatur haec thesis auctoritate *Scripturae*[1]), qua docemur, hominem posse *scire, intelligere, agnoscere, videre, invenire Deum* idque adeo *facile,* ut *vani, insipientes* dicendi sint ii, *in quibus non subest scientia Dei* (Sap. 13, 1.), et *de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset eorum artifex.* Quinam vero est fons, unde hanc cognitionem haurire possint? Nulla fit mentio revelationis positivae, cujus in primis mentio debuisset fieri, sed fons ab ea omnino distinctus indicatur, scil. *quae videntur bona, opera, ea quae facta sunt.* Atqui ex operibus et effectibus agnoscitur artifex conclusione prorsus *rationali.* Ergo solo rationis lumine de his, quae videntur bona, potuerunt homines intelligere eum, qui est, i. e. Deum. Quid, quod haec *inventio* Dei ex creaturis confertur cum inventione aliarum cognitionum rationalium et his facilior dicitur Sap. 13, 9.? Erit ergo et illa rationalis.

419. Quod 2. auctoritate Scripturae comprobavimus, luculentissimo *patrum suffragio* confirmatur.

Ex innumeris testimoniis unus audiatur Chrysostomus *hom. 3. in ep. ad Rom.* n. 2.: „Unde notum est, o Paule, quod Deus suimetipsius cognitionem gentibus indiderit? *quia,* inquit, *quod notum est ejus, manifestum est in illis.* At haec affirmatio est, non demonstratio. Tu vero mihi

[1]) Rom. 1, 19. s.: *Quod notum* (cognoscibile, τὸ γνωστόν) *est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles* etc.; 2, 10. ss.; Sap. 13, 1. ss.: *1. Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei; et de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex . . . 3. Quorum* (elementorum) *si specie delectati, deos putaverunt: sciant, quanto his dominator eorum speciosior est; speciei enim generator haec omnia*

proba et ostende, cognitionem Dei manifestam fuisse illis, sed sponte illos praetermisisse. Unde ergo manifesta erat? vocemne ad illos emisit? minime; verum id effecit, quod magis illos quam vox quaelibet attrahere poterat; creatum orbem in medio posuit: ita sapiens, idiota, scytha, barbarus ex solo intuitu visibilium, pulchritudinem edoctus ad Deum conscendere potest. Ideo ait: *Invisibilia enim ipsius a creatione mundi per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Quod etiam propheta dicit: *Coeli enarrant gloriam Dei* (Ps. 18, 2.). Quid enim dicent in die illa gentiles? ignoravimus te? Itane coelum non audistis ex solo aspectu vocem emittens? rerum omnium harmoniam et concentum clarius quam tubam clamantem etc., omnia in ordine manentia ac per pulchritudinem et magnitudinem creatorem praedicantia?«

420. Neque desunt 3. *rationes*, quibus thesis confirmetur. Quarum prima haec sit: Dogma est fidei catholicae, lumen rationis per Adae praevaricationem non fuisse exstinctum. Altera vero ex parte verissimum est, quod docet Augustinus *in Joan.* tract. 106. n. 4: „Haec vis est divinitatis, ut creaturae rationali ratione jam utenti non omnino ac penitus possit abscondi." Quo enim excellentior quis est, eo latius diffunditur ejus fama; quo potentior, eo magis se prodit sua in omnia potentia, praesentia, providentia. Fieri ergo non solum potest, ut homo rationis lumine perveniat in Dei cognitionem: verum etiam fieri nequit, ut rationis lumine utens Deum ignoret. Quis deinde sibi unquam persuadebit, rationem posse vi principii causalitatis ex rerum vel minimarum inspectione legitime pervenire in cognitionem causae earundem: si vero illud huic rerum universitati applicet, statim coecutire ac nisi revelatione juvetur videre non posse, etiam hanc rerum ordinatissimam universitatem habere suam causam? Quare Gregorius naz. or. 28. n. 16: „Ratio a Deo data, inquit, et omnibus congenita et prima in nobis lex (scil. causalitatis) omnibusque conserta ad Deum nos deducit ex visibilibus."

421. Imo teste Scriptura tanta facilitate homines rationis lumine cognoscere possunt Dei exsistentiam, ut eos, qui hac notitia careant, vocet *insipientes, amentes, inexcusabiles* Ps. 13, 1; Sap. 13, 1; Rom. 1, 20. Neque mirum, universum enim exhibetur [1]) voce non submissa, sed elata gloriam Dei proclamans. Merito proinde scribit s. Bonaventura in *Itiner. mentis* c. 1: »Qui igitur tantis rerum creatarum splendoribus non

---

constituit. 4. Aut si virtutem et opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui haec fecit, fortior est illis: a magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri . . . 9. Si enim tantum potuerunt scire, ut possent aestimare seculum, quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt? Ps. 18, 1; Act. 14, 14. ss. etc.

[1]) *Coeli enarrant gloriam Dei et opera manuum ejus annunciat firmamentum. . . . Non sunt loquelae, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum* etc. Ps. 18, 1. ss.;

illustratur coecus est; qui tantis clamoribus non evigilat, surdus est; qui ex his effectibus Deum non laudat, mutus est; qui ex tantis indiciis primum principium non advertit, stultus est.« Quare neque ignorantia *invincibilis,* neque *inculpabilis* concedi potest in homine ratione utente relate ad cognitionem Dei exsistentis. Si enim hinc quidem universum Dei exsistentiam ita praedicat, ut surdus et coecus sit, qui hoc praeconium non percipiat; inde vero homo, qui Deum ignorat, *amens, insipiens, inexcusabilis* dicitur: ignorantia invincibilis locum habere nequit. Quod et patres passim cum Augustino *in Ps. 20.* n. 9. docent: »Deus ubique secretus est, ubique publicus, quem nulli licet ut est cognoscere et quem nemo permittitur ignorare.« Unde liquet, quid de *atheis* censendum sit. Concedi quidem potest, esse atheos *practicos* ex corruptione et perversitate cordis, qui scil. vel ita vivunt ac si nullus esset Deus vel Deum non curant neque de eo cogitare volunt; nullatenus vero concedimus, esse posse atheos *theoreticos,* qui rationibus innixi sibi vere persuaserint non esse Deum.

422. **Corollarium.** Quare cognitio Dei saltem *rudis* dici potest *naturalis, congenita, innata,* quatenus sponte sua oboritur ex contemplatione universi et ab explicatione usuque rationis sejungi nequit; *immediata* tamen dici nequit nisi ea voce significetur cognitio, quae facile, citra operosam prolixamque deductionem acquiritur. Licet enim homo facillime in Dei exsistentis notitiam perveniat, non pervenit tamen *citra medium* scil. citra contemplationem visibilium et factorum, ut patet ex thesi praeced., ex qua liquet, opera, ea quae videntur, bona etc. medium esse, quo ad Deum ascendimus. Ad rem scribit Tertullianus *de resur. carnis* c. 2.: »Deum mundi omnibus *naturaliter* notum (esse) *de testimoniis operum.*« Et iterum *contra Marcionem* l. 1. c. 10.: »A primordio rerum conditor earum (creaturarum) cum ipsis pariter compertus est, ipsis ad hoc prolatis, ut Deus cognosceretur . . . Nec hoc (quod Deum cognoscant) ullis Moysis libris debent. Ante anima quam prophetia. Animae enim a primordio conscientia Dei dos est, eadem nec alia et in aegyptiis et in syris et in ponticis . . . Nunquam Deus latebit, nunquam Deus deerit: semper intelligetur, semper audietur, etiam videbitur, quomodo volet. Habet Deus testimonium totum hoc quod sumus et in quo sumus.« Quapropter pulchre ait Deum *armasse tantis operibus notitiam sui.*

423. **Scholion.** Quod si patres, nominatim Augustinus, videntur docere, intellectui nostro obversari ipsum Deum qua summam justitiam, veritatem, pulchritudinem etc., proinde qua normam omnis justi et veri, secundum quam omnia dijudicemus, vel nos in Deo omnia videre veluti in sole omnia illustrante [1]): adverti debet **a.** haec non posse ita accipi, ut ad-

---

Nimirum interroga jumenta et docebunt te, et volatilia coeli et indicabunt tibi. Loquere terrae et respondebit tibi, et narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quod omnia haec manus Domini fecerit? Job 12, 7. ss.

[1]) Congregatio s. inquisitionis inter plures propositiones, quas declaravit (18. Sept. 1861.) tuto tradi non posse, hanc primo loco ponit: »Immediata Dei cognitio, habitualis saltem, intellectui humano essentialis est, ita ut sine ea nihil cognoscere possit: siquidem est ipsum lumen intellectuale.« Libenter autem patroni hujus systematis, quod *ontologismus* dicitur, ad Augustinum provocant.

versentur certissimae doctrinae s. Scripturae ipsorumque horum patrum, invisibilia Dei *per ea, quae facta sunt, intellecta conspici,* nosque Deum cognoscere *per speculum* in aenigmate (1. Cor. 13, 12.). Proinde **b.** esse partim explicanda de cognitione Dei non intuitiva, sed *abstractiva,* quam gradatim assequimur et expolimus, et ex qua, quo perfectior ea est, mira lux refunditur ad cognoscendum sublimiori ratione ordinem universum creatum atque possibilem; partim exponenda sunt secundum doctrinam s. Thomae, quam proponit l. 3. *c. gent.* c. 47.: »Id quod per animam cognitum est, verum est, inquantum illius divinae veritatis, quam Deus cognoscit, *similitudo quaedam exsistit in ipsa.* Unde et glossa super illud Psalmistae (11, 2.) *Diminutae sunt veritates a filiis hominum* dicit: Quod sicut ab una facie resultant multae facies in speculo, ita ab una prima veritate resultant multae veritates in mentibus hominum. Quamvis autem diversa a diversis cognoscuntur et creduntur vera, tamen quaedam sunt vera, in quibus omnes homines concordant, sicut sunt prima principia intellectus tum speculativi tum practici, secundum quod universaliter in mentibus hominum divinae veritatis quasi quaedam imago resultat. Inquantum ergo quaelibet mens quidquid per certitudinem cognoscit in his principiis intuetur, secundum quae de omnibus judicat facta resolutione in ipsa, dicitur omnia in divina veritate vel in rationibus aeternis videre et secundum eas de omnibus judicare« etc.

424. **Thesis LVI.** ***Dei exsistentia rationis argumentis comprobatur.***

Declaratio. Argumenta, quibus Dei exsistentia demonstratur, in varias classes distribuere solent, distinguentes in primis argumentum *cosmologicum, physico-theologicum* seu *teleologicum,* quod ab aliis metaphysicum dicitur, quod et physicum audit, et *morale* seu *historicum; primum* e generalibus rerum mundanarum proprietatibus, cujusmodi sunt contingentia, dependentia, mutabilitas etc., *alterum* ex peculiaribus mundi vel rerum singularum perfectionibus, praesertim ex mundi ordine, *tertium* ex universali generis humani suffragio deducitur. Nos neglecta hac distinctione ex potioribus argumentis pauca seligemus, advertentes praevie: **1.** argumenta pro exsistentia Dei non tantum singula seorsum esse expendenda, sed inter se conferri debere, quia alterum altero confirmatur; **2.** quando agitur de Dei exsistentia ostendenda, non requiri definitionem Dei perfectam et adaequatam, sed sufficere definitionem nominis, qua Deus exhibetur ens supremum et sufficientissimum, a quo rerum universitas aliquo modo pendet. Vindicata hujusmodi entis supremi exsistentia ulterioribus ratiociniis facile ostendi potest, omnes notas, quas notio Dei perfecta complectitur, eidem convenire, praesertim ex aseitate et absoluta necessitate exsistendi, quae enti primo et supremo non adscribi non potest.

425. **1.** argumentum ex *contingentia mundi:* Nihil exsistere potest, nisi exsistat ens necessarium. Quidquid enim contingens est, rationem exsistentiae suae habet in alio ente, quod et ipsum, si contingens est, ab alio iterum ente dependet. Cum autem series entium contingentium non possit procedere in infinitum, ens necessarium exsistat necesse est, quod rationem exsistentiae rerum contingentium per ipsam

experientiam comprobatae contineat. Sed ens necessarium non potest esse nisi Deus; nam eo ipso quod absoluta necessitate exsistit, prorsus independens est, et cum rationem rerum contingentium in se contineat, res autem mundanae omnes sint contingentes, mundus ab ipso dependere censeri debet. Ens autem independens, a quo mundus dependet, ab omnibus existimatur esse Deus.

2. Mundus exhibet complexum causarum subordinatarum i. e. causarum, quae simul sunt effectus. At causae subordinatae exigunt causam absolute primam, quae non est subordinata, sed vim causandi et proinde etiam esse suum ex se habet. Ejusmodi autem causa est Deus, utpote a se exsistens et activitatem causarum subordinatarum determinans. Huic simile est argumentum ex necessitate primi motoris deductum. Motus qui in mundo deprehenditur, ex primo quodam motore non moto originem ducit. Omne enim quod movetur, ab alio movetur, unde sequitur principium quod movet et movetur, non posse esse primum, quia ab alio moveri debet, et proinde, cum processus in infinitum repugnet, omnem motum ultimo repetendum esse ex principio, quod movet quin moveatur. Principium quod movet, quin moveatur, non potest esse materia, sed debet esse spiritus, qui libero voluntatis imperio eoque aeterno motum aliquo tempore exstiturum determinet, quia hoc tantum in casu fieri potest, ut motus producatur, quin in ipso principio movente adsit motus proprie vel improprie dictus.

3. Consideratio obvia docet in mundo vigere *ordinem teleologicum,* i. e. causas naturales apte dispositas esse ad fines convenientes assequendos; docet e. g. conditiones telluricas sapientissime dispositas esse ad promovendam et conservandam vitam organicam; item in quolibet organismo plura esse instrumenta summo artificio concinnata ad obeundas peculiares functiones, et has iterum mirum in modum conspirare ad totum organismum exornandum, tuendum et conservandum. Jam vero nemo non videt, dispositionem hanc finibus assequendis idoneum nonnisi ab auctore intelligentia praedito eoque sapientissimo provenire posse, qui finibus mente conceptis media adaptaverit. Idem probatur ex ordine mundi universe spectato. Mundi compaginem admodum harmonice esse digestum ne illi quidem negare possunt, qui ordinis *teleologici* exsistentiam in dubium vocant. Atqui ordo quilibet auctorem prodit intelligentem, qui opus ordinatum aut immediate per se aut certe mediate per causas a se adornatas produxerit. Nam ordinis ratio exigit, ut plura disponantur juxta certam aliquam relationem, ad certam aliquam normam, quod fieri non potest nisi ab ente intelligenti. Ergo admitti debet, mundum, qui ordinem insignem praesefert, ori-

ginem debere auctori sapientissimo, et hoc eo magis quia ordo mundi tam multiplex est et ubique atque constanter vigere cernitur. Etiamsi hoc argumentum per se non probet, mundi auctorem esse sapientiae infinitae, id certe evincit eum esse summe sapientem.

4. Sicut ex ordine mundi universe spectato exsistentia Dei inferri potest, ita et ex peculiaribus variarum entium perfectionibus, praesertim ex conditione animae humanae (argumentum psychologicum) et ex ordine morali (argumentum ethico-theologicum), item ex providentia, quam prodit historia generis humani.

Accedit argumentum ex communi persuasione generis humani deductum, quod argumentum morale vel historicum vocari solet. Monumentis antiquis et veterum auctorum testimoniis nec non observationibus theologicis recentioris aetatis comprobatum est, persuasionem de numinis exsistentia pervulgatam esse et a prima memoria pervulgatam fuisse apud omnes gentes utut diversas, ex quo patet, persuasionem hanc censendam esse oraculum ipsius naturae rationalis et proinde falsam haberi non posse.

426. Thesis LVII. *Deus est incomprehensibilis.*

Declaratio. Expedita quaestione, utrum homo solo lumine rationis Dei exsistentiam cognoscere possit, altera solvenda est, utrum scil. homo, cognita jam exsistentia Dei, ipsam Dei essentiam et naturam vel solo rationis lumine vel lumine supernaturali adjutus cognoscere valeat. Qua in quaestione duplex error vitandus est, alter Aëtii, qui teste Epiphanio *haer.* 76. »cum suis commentus est . . . tam Deum novi sicut meipsum, imo non tantum meipsum quantum Deum.« Alter error huic plane oppositus est quorundam gnosticorum, secundum quos nihil de Deo scire possumus. Qui error refutationem non meretur; »de nulla enim re, inquit Thomas in Boëthium *de Trinit.* lect. 2. q. 2. a. 3., potest sciri an est, nisi quoquo modo de ea sciatur, quid est vel cognitione perfecta vel cognitione confusa.« Thesis *de fide* est, ut liquet ex conc. lateranensis IV. cap. *Firmiter,* in quo Deum profitemur *incomprehensibilem*, quam professionem repetit conc. vaticanum sess. 3. c. 1. Verum quaeritur, quid veniat nomine *comprehensionis* et *quo sensu* sit Deus *incomprehensibilis.* Nomine *comprehensionis* designatur cognitio perfecta, quae adaequet exhauriatque suum objectum, adeo ut nihil eorum, quae illi sive *formaliter* sive *virtualiter* insint, praeter notitiam sit cognoscentis. Est autem Deus incomprehensibilis non solum homini, sed *cuicunque intellectui creato,* non solum naturali, sed *etiam supernaturali lumine* instructo; non solum potentia Dei ordinaria, sed probabiliter etiam potentia *absoluta* [1]).

427. **Demonstratio.** „Ausus est homo dicere, inquit Chrysostomus hom. 2. *de incompr.* n. 3., novi Deum ut Deus se ipsum novit. Haeccine confutatione indigent, haeccine demonstratione? An

---

[1]) *Deum esse incomprehensibilem* est de *fide,* ut diximus, sed quo praecise sensu ab Ecclesia non est definitum. Cum vero in definitione Ecclesiae Deus dicatur *simpliciter* incomprehensibilis, saltem de fide videtur, eum esse incomprehensibilem *viribus naturalibus cujuscunque intellectus creati.* Cf. Suarez *de Deo* l. 2. c. 5.

non satis est haec solum proferre verba, ut eorum tota impietas reveletur? Etenim haec insania perspicua est, amentia inexcusabilis, novus impietatis modus.“ Probatur autem assertio nostra **1.** *ex divinis literis*: Eccli. 43, 32. ss.: *Glorificantes Deum quantumcunque potueritis, supervalebit enim adhuc, et admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis: major enim est omni laude. Exaltantes eum replemini virtute, ne laboretis: non enim comprehendetis. Quis videbit eum et enarrabit? et quis magnificabit eum sicut est ab initio? Multa abscondita sunt majora his: pauca enim vidimus operum ejus;* 1. Cor. 13, 9. ss.; *Ex parte enim cognoscimus et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est . . . Videmus nunc per speculum in aenigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.* Quibus ultimis verbis non promittitur nobis cognitio Dei *comprehensiva,* neque enim illa particula *sicut* nimis est urgenda, alioquin sequeretur, nos Deum cognoscere posse cognitione *infinita,* si nostra cognitio aequaret divinam: sed sensus est, ita nos cognituros esse Deum *immediate,* absque medio in altera vita, sicut Deus nos *immediate* videt: idem proinde hoc inciso enunciatur, quod priori: *tunc autem facie ad faciem,* cui parallele respondet. *A fortiori* id eruitur ex divinis literis, cum secundum eas nos ne opera quidem Dei assequamur, Job 11, 7. ss.; Sap. 9, 13. ss. Praetermissis patribus, qui nimis evidenter Dei incomprehensibilitatem docent, probatur **2.** assertio nostra *ratione.* Comprehensio enim ea est cognitio, quae adaequat objectum, ita ut nihil sit objecti extra, nil praeter notitiam, adeo ut haec omnem illius cognoscibilitatem exhauriat. Atqui intellectio quaecunque finiti intellectus finitae quoque est virtutis: nequit igitur adaequare et exhaurire infinitum, quod proportione comprehensionis et adaequationis non respondet nisi menti infinitae. Quae illatio confirmatur ex eo, quod patres ex comprehensione Dei, quae in divinis literis Filio et Spiritui sancto tribuitur, horum inferant divinitatem[1]. – Cf. n. 390. s. Hinc vero sequitur, Deum non solum hominibus in hac vita mortali, sed absolute omni creaturae esse incomprehensibilem.

428. **Scholion I.** S. Thomas triplicem passim modum cognoscendi Deum assignat. Ita *lec. 6. in Rom.* 1. 19., inter alia scribit: „Haec autem tria, *invisibilia* Dei, sempiterna ejus *virtus* et *divinitas,* quae Paulus l. c.

[1] Beati Deum quidem vident, non tamen eum comprehendunt; nam licet eum videant et totum videant, non vident eum, ut ajunt, *totaliter*, secundum omnia ea, quae eminenter et virtualiter continet; non exhauriunt scil. totam ejus cognoscibilitatem.

nominat, referuntur ad *tres* modos cognoscendi supradictos: nam invisibilia Dei cognoscuntur *per viam negationis;* sempiterna ejus virtus *per viam causalitatis;* Divinitas *per viam excellentiae.*" Qua in doctrina secutus est patres, imo sacram Scripturam, quae *viam causalitatis* indicat Ps. 93, 8. s.; Rom. 1, 18. s.; *viam excellentiae* Sap. 13, 3. ss.; Matth. 7, 11.; *viam negationis* Is. 40, 12. ss. Quae ut intelligantur, advertatur **1.** nos debere de Deo habere aliquas saltem notiones *affirmantes:* de eo enim solum omnia negantur, quod non est, seu *de nihilo.* Licet autem **2.** hisce de Deo aliquid affirmemus, eas tamen non esse proprias, sed *analogicas* tantum, utpote ex creaturis haustas. »In nominibus, inquit Thomas 1. p. q. 13. a. 3., quae Deo attribuimus, est duo considerare scil. *perfectiones* ipsas significatas . . . et *modum* significandi. Quantum igitur ad id, *quod* significant hujusmodi nomina, *proprie* competunt Deo . . . Quantum vero *ad modum significandi* non proprie dicuntur de Deo, habent enim modum significandi, qui creaturis competit.« Creaturis namque competunt perfectiones per modum qualitatum, ab invicem distinctae et propemodum discretae, qua ratione in Deo non sunt. Cum ergo **3.** notiones nostrae de Deo affirmantes sint imperfectae, *adhibendae sunt negationes,* quibus a Deo removeamus imperfectiones creaturarum proprias notionesque affirmantes corrigamus, perficiamus, expoliamus. Quocirca **4.** in Deo *„privationes,* ut ait s. Maximus ad Dionysii *de div. nominibus* c. 4., *sunt efficaces positiones,* quae etsi ejus, quod non est, notionem habere videntur, in Deo tamen, qui substantiam omnem et essentiam superat ac nihil est eorum, quae sunt, *excellentiam* significant.« Quod inductione notionum negativarum *infiniti, immensi* etc. patet. Ceterum **5.** optimum est, notiones affirmantes negantesque apte conjungere. Qua *suavissima connexione,* ut loquitur Damascenus *de fide orthod.* l. 1. c. 12., mutuo corriguntur et perficiuntur atque exinde oriuntur notiones *secundum excessum* (καθ' ὑπεροχήν), quibus Deus concipitur ut ὑπεραγαθός, supersubstantialis etc. Ex quibus liquet, has tres vias cognoscendi Deum non se mutuo excludere, verum potius se mutuo includere ad unam complendam Dei cognitionem [1]).

429. **Scholion II.** »Voces sunt, inquit s. Thomas 1. p. q. 13. a. 1., signa intellectuum et intellectus (conceptus) sunt rerum similitudines, et sic patet, quod voces referuntur ad res significandas mediante conceptione intellectus. Secundum igitur, quod aliquid a nobis intellectu cognosci potest, sic potest a nobis nominari.« Quare sicut Deus est *incomprehensibilis,* ita etiam est *ineffabilis* i. e. sicut adaequate a nobis concipi nequit, ita

[1]) Triplex haec cognoscendi via insinuatur et conjunctim proponitur Eccli. 43, 29. ss., ubi auctor inspiratus post praeclaram operum divinorum descriptionem concludit: *Multa dicemus et deficiemus in verbis: consummatio autem sermonum, ipse est in omnibus* συντέλεια λόγων τὸ πᾶν ἐστιν αὐτός. Est autem Deus τὸ πᾶν ut causa exemplaris eminens, complectens eminenter et virtualiter omnium perfectiones. Hoc autem cognoscimus *via causalitatis. Gloriantes ad quid valebimus? Ipse enim omnipotens super* (παρά praeter, extra) *omnia opera sua,* consequenter nihil eorum, quae illa sunt (hoc assequimur *per negationem*) . . . *Glorificantes Dominum quantumcunque potueritis, supervalebit enim adhuc* ὑπερέξει γὰρ καὶ ἔτι . . . *quis videbit eum et quis magnificabit eum sicut est?* En via *excellentiae.*

neque potest verbis adaequate exprimi atque definiri; et sicut omnes nostri de Deo conceptus deficiunt ab adaequata cognitione, ita omnia nomina, quae Deo tribuimus, deficiunt ab adaequata significatione, non enim eum significant sicut est. Quam ineffabilitatem Dei pulchre patres describunt. »Quaeres quid sit Deus? inquit Augustinus *in Psalm.* 85. n. 12. *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascendit* (1. Cor. 2, 9.). Quid quaeris, ut ascendat in linguam, quod in cor hominis non ascendit?« Imo advertit s. doctor, Deum esse *magis ineffabilem,* quam sit incomprehensibilis; saepe enim contingit, ut difficilius sit aliquid verbis enunciare, quam illud quoquo modo intelligere. Propter hanc ineffabilitatem vocant patres Deum ἀνώνυμον. Licet autem Deus a nobis comprehendi et hinc adaequate enunciari nequeat, poterit tamen, quia quadamtenus a nobis cognoscitur *quadamtenus* etiam nominari, qua duplici propositione patrum dissidium apparens circa Dei nomina apte componitur. Imo quia Deum propter infinitam suam perfectionem nostrique intellectus angustias innumeris mentis conceptibus apprehendimus, ita innumeris quoque nominibus et praedicatis eum designare licet; quocirca Dionysius Areopagita c. 1. *de divinis nominibus* Deum etiam vocat πολυώνυμον.

Caput II.

De perfectionibus seu proprietatibus essentiae divinae.

430. Cum in Deo perfectiones identificentur cum essentia divina, ut videbimus, hanc eo melius cognoscemus, quo melius perfectiones divinas cognoverimus. Quocirca etiam conc. *vaticanum* sess. 3. cap. 1. Deum per sua attributa seu perfectiones describit statuens: „Sancta catholica apostolica romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum coeli et terrae, omnipotentem, aeternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus et super omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus.“ Quare saltem aliquas perfectiones divinas expendemus. Eae solent etiam *attributa* dici, quo nomine, quamvis varia sit ejus significatio, communiter solet intelligi quaelibet perfectio absoluta divina, quae juxta nostrum concipiendi modum concipitur vel ut *modus* exsistendi divinae naturae, vel ut *forma* quaedam illi adjacens et superaddita. Multipliciter vero distingui attributa solent. Sufficit hic illius distinctionis meminisse, qua in *quiescentia* et *actuosa* seu in perfectiones essendi et operandi distinguuntur. De his in sequenti capite, de prioribus in hoc agemus.

431. Initio autem de *infinitate* disseremus, quae ceteras proprietates virtute complectitur.

Thesis LVIII. ***Deus simpliciter est infinitus seu infinitae perfectionis.***

Declaratio. *Infinitum* illud dicimus, quod *negative* nullos habet realitatis et perfectionis limites, quod *affirmative* totam entis realitatisque plenitudinem complectitur, adeo ut nulla perfectio in tota entis latitudine concipi possit, quae in illo vel *formaliter* vel *eminenter* non contineatur. Infinitum considerari potest **1.** *materialiter* et tunc est complexio omnium perfectionum; **2.** *formaliter* et tunc continetur carentia omnimoda termini et limitationis; **3.** *radicaliter*, si scil. consideratur illius radix, quae est ipsa summa independentia et necessitas exsistendi seu, ut ajunt, *aseitas*. *Perfectiones simplices* illae dicuntur, quae pura realitate constant et in sua notione nullam involvunt imperfectionem, ut bonitas, sapientia etc.; *mixtae* vero eae, quae una cum realitate defectum admixtum habent, ut esse corporeum, ratiocinandi facultate praeditum etc. Aliquam perfectionem inesse *formaliter* significat (*ontologice*) inesse secundum suam propriam formam seu realitatem, vel (*logice*) secundum suum proprium determinatumque conceptum. Inesse *eminenter* significat, inesse non cum ea imperfectione, quam perfectio mixta adjunctam habet, sed altiori et praestantiori ratione. *Virtualiter* vero inest aliquid alteri, si ab eo produci possit, ad quod tamen requiritur, ut illi formaliter vel eminenter insit.

432. **Demonstratio.** *Infinitas* Dei probatur **1.** illis Scripturae effatis, quibus affirmatur, magnitudinis Dei i. e. perfectionis non esse finem, numerum, terminum Ps. 144, 3; 146, 5; **2.** illis effatis, quibus dicitur *major omni laude,* ut Eccli. 43, 32. ss. (cf. n. 427. 428. annot.); laus enim est in ratione perfectionis: si ergo illius nullus esse potest terminus, nec hujus erit limes. Nec **3.** probandi vi carent illa testimonia, quibus Deus salutatur *omnipotens,* vel sistitur ut fons inexhaustus, e quo omnis perfectio fluit, Rom. 11, 36; 1. Cor. 8, 6. etc. Denique **4.** probatur verbis Exod. 3, 13. s.: *Si dixerint* (filii Israel) *mihi: Quod est nomen ejus? Quid dicam eis? Dixit Deus ad Moysen: Ego sum qui sum. Ait: Sic dices filiis Israel: Qui est* (ὁ ὤν) *misit me ad vos;* quibus Deus sibi vindicat τὸ esse tamquam proprium, quo a reliquis distinguatur, citra ullam limitationem, simpliciter. Atqui si Deo competit esse purum simpliciter, non quadamtenus, nulla perfectio ei deesse potest[1]). Quae illatio luculento patrum suffragio apud Petavium *de Deo* l. 1. c. 6. confirmatur. „Quis est Deus? quaerit

1) Ad rem s. Bonaventura in *itinerario mentis* c. 5: „Volens igitur contemplari Dei invisibilia quoad essentiae unitatem, primo defigat aspectum in ipsum esse, et videat ipsum esse adeo in se certissimum, quod non potest cogitari non esse, *quia ipsum esse purissimum non occurrit, nisi in plena fuga* (τοῦ) *non esse*, sicut et nihil (scil. occurrit) in plena fuga (τοῦ) esse. Sicut igitur omnino *nihil* nihil habet de esse nec de ejus conditionibus, sic e contra ipsum *esse* nihil habet de non esse nec actu nec potentia, nec secundum veritatem rei, nec secundum aestimationem nostram . . . Vide igitur ipsum purissimum esse, si potes,

s. Bernardus *de consideratione* l. 5. c. 6. Non sane occurrit melius, quam *qui est* . . . Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est *est;* nempe hoc est ei esse, quod haec omnia esse: si et centum talia addas, non recessisti ab esse. Si ea dixeris, nihil addidisti; si non dixeris, nihil minuisti [1]).“

433. **Thesis LIX.** ***Cum infinita Dei perfectione intime nexa est summa ejusdem simplicitas.***

Declaratio. *Simplex* est id quod caret partibus et directe opponitur *composito,* in quo duo considerari possunt, elementum *materiale* i. e. partes, et *formale,* illarum scil. unio. Quo minor inter partes distinctio, quo intimior earundem unitio, eo magis compositum ad rationem simplicis accedit. Nomine autem *partis* intelligitur ens incompletum, imperfectum, quod per alterum ei se communicans et uniens perfectionem accipit, quod proinde quadamtenus est in potentia. Unde liquet **1.** simplex esse maxime *unum in se;* **2.** compositionem oriri ex *imperfectione,* cum scil. unum sibi non sufficit. Ideoque **3.** id, quod vi suae essentiae omnem perfectionem possidet et non extrinsecus adscitam habet, esse simplex; compositionemque **4.** in iis tantum locum habere, in quibus potentia et contingentia obtinent. Quare **5.** ens, quod sibi sufficiens compositione non indiget, ac proinde simplex est, maxime erit perfectum. Thesis quatenus Deum affirmat esse *simplicem,* de fide est: profitemur enim in definitione fidei conc. lateranensis IV. divinam naturam *omnino simplicem,* quod repetitur in conc. vaticano (n. 430.).

---

et occurret tibi, quod ipsum non potest cogitari ut ab alio acceptum, ac per hoc necessario cogitatur ut omnimode primum, quod nec de nihilo nec ab alio potest esse. Quid enim est per se, si ipsum esse non est per se nec a se? Occurret etiam tibi ut carens omnino (τῷ) non esse, ac per hoc ut nunquam incipiens, nunquam desinens, sed aeternum. Occurret etiam tibi ut nullo modo in se habens nisi quod est ipsum esse, ac per hoc ut cum nullo compositum, sed simplicissimum. Occurret etiam ut nihil habens possibilitatis, quia omne possibile aliquo modo habet aliquid de non esse, ac per hoc ut summe actualissimum. Occurret ut nihil habens defectibilitatis, ac per hoc ut perfectissimum. Occurret postremo ut nihil habens diversificationis, et per hoc ut summe unum. Esse igitur, quod est esse purum et esse simpliciter et esse absolutum, est esse primarium, aeternum, simplicissimum, actualissimum, perfectissimum et summe unum. Et haec sunt ita certa, quod non potest ab intelligente ipsum esse cogitari horum oppositum et unum horum necessario infert aliud. Cf. Thomas *c. gentes* 1, 28.

[1]) Cf. Lessium *de div. perfect.* l. 1., qui hos proponit fructus c. 6. ex infinitatis divinae consideratione colligendos: „**1.** ut summa reverentia et humilitate cum Deo agamus et coram eo ambulemus . . . **2.** ut Deum supra omnia sincerissima caritate et benevolentia amemus; **3.** ut Deum supra omnia diligamus amore ut sic dicam concupiscentiae, sive ut eum super omnia desiderabilia desideremus; **4.** ut cognoscamus servitutem Dei esse nobilissimam eamque rebus omnibus, etiam sceptris et imperiis anteponamus.“

434. **Demonstratio.** Omissis patrum effatis, qui passim docent, *Deum esse summe simplicem,* simplicissimum, adeo simplicem, ut in ejus comparatione omnis creatura composita censeri debeat (cf. Petavium *de Deo* l. 2. c. 1. ss. et Thomassinum *de Deo* l. 4. 1. ss.), probatur **1.** quia de ratione omnis realis compositionis est potentia, ideoque contingentia essentialis perfectionisque limitatio et dependentia. Atqui haec in Deo, utpote ente necessario, infinito, independenti, admitti nequeunt. **2.** Deus ita absolute est alpha et omnium primus, ut nihil ante ipsum neque re neque ratione esse cogitarive queat[1]). Quod vero compositum est, suis componentibus est posterius, neque dignitatem *primi omnium principii* tueri potest. Deus **3.** est ὁ ὤν (cf. n. 432.), in quo propterea merum atque infinitum *esse* consideratur. Atqui composita pluribus constant finitis, quae nunquam infinitum constituere possunt. **4.** „In quolibet genere, inquit Thomas *contra gentes* l. 1. c. 18., tanto aliquid est nobilius, quanto simplicius . . . quod igitur est in fine nobilitatis omnium entium, oportet esse in fine simplicitatis. Hoc autem, quod est in fine nobilitatis omnium entium, dicimus Deum; nulla igitur compositio ei accidere potest.“

435. Simplicitas Dei probatur **5.** etiam via excludente, removendo ab ipso omnem compositionis rationem, quod praestabimus, si demonstraverimus, in eo nullam esse compositionem ex *potentia* et *actu,* proinde Deum esse *actum purissimum,* nam in omni compositione reali potentia et actus habentur (n. 433.) *Potentia* et *actus,* quando sibi opponuntur, duplici significatione, generica scil. et specifica accipi possunt. Sensu generico *potentia* significat capacitatem quamcunque alicujus ad aliquid; *actus* vero hujus capacitatis expletionem vel adaequatam vel inadaequatam. Sensu specifico *potentia* designat vim facultatemque substantiae virtute agendi praeditae; *actus* vero hujus virtutis explicationem exercitiumque. In qualibet re creata compositio ex *potentia et actu* reperitur, non vero in Deo, ut colligitur **a.** ex notione omnibus infixa, Deum esse ens, quo melius concipi nequit. Melior autem est actus potentia; **b.** ex infinitate Dei, quae incrementi est incapax: perficitur autem potentia actu; **c.** ex ea praerogativa, qua Deus est ὁ ὤν: ubi autem potentia, ibi deficit saltem aliqua realitas seu aliquod esse; denique **d.** *apud Patrem luminum non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio* Jac. 1, 17: ubi vero est potentia et actus, ibi etiam est transmutatio et vicissitudinis obumbratio. Merito

[1]) Apoc. 1, 8: *Ego sum α et ω, principium et finis.* Quibus similia habes 21, 6; 22, 13; Is. 41, 4; 46, 6; 48, 12. Jam vero in aliquo composito ipsae partes rationem habent τοῦ α respectu compositi.

ergo Deus, cum in eo nulla sit potentia, sed undequaque actus, *actus purissimus* dicitur et potentia in eo converti cum actualitate affirmatur.

436. **Corollaria.** Quare **1.** Deus non constat ex partibus physicis, proinde neque est corporeus, neque habet corpus; quod contra anthropomorphitas est tenendum. Quodsi hinc inde in divinis literis Deo humana membra adscribuntur, haec ei tribuuntur, vel quatenus humana forma apparuit, vel sensu metaphorico. Neque **2.** est in Deo compositio *ex essentia et exsistentia.* Ens enim, de cujus essentia non est exsistentia, est contingens, in potentia, hinc, si revera exsistit, productum. At Deus non est ens contingens, sed necessarium; non est in potentia, sed actus purissimus; non est productus, sed improductus; ergo exsistentia est de ejus essentia, neque hujus tantum pars, nec proprietas essentialis essentiam consequens, ut patet, sed cum eo plane identificata.

437. In Deo **3.** *nullum est reale discrimen inter essentiam et perfectiones, quae omnes cum ea identificantur.* Quae veritas ad doctrinam catholicam pertinet, ut patet ex conc. toletano XV. a. 688. et rhemensi a. 1448., cui interfuit Eugenius III., quod contra Gilbertum porretanum statuit (Mansi *coll. conc.* 21, 725.): „Credimus simpliciter naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin divinitas sit Deus et Deus divinitas. Si vero dicitur sapientia sapientem, magnitudine magnum, divinitate Deum esse et alia hujusmodi, credimus nonnisi ea sapientia, quae est ipse Deus, sapientem esse; nonnisi ea magnitudine, quae est ipse Deus, magnum esse; nonnisi ea aeternitate, quae est ipse Deus, aeternum esse; nonnisi ea unitate unum quae est ipse; nonnisi ea divinitate Deum, quae est ipse i. e. seipso sapientem, magnum, aeternum, unum Deum.“ Probatur **a.** quia in divinis literis, multo vero magis a patribus (cf. Petavium l. 2. c. 6. ss.), Deus non solum dicitur bonus, sapiens, quod etiam de creaturis dici potest, sed *ipsa bonitas*, *sapientia* etc. Cf. Joan. 1, 4; 5, 26; 14, 6; 1. Joan. 1, 8; 1. Cor. 1, 24. etc., quod de creaturis dici nequit[1]); haec autem praedicandi ratio ostendit, in Deo has

[1]) Nam ut scribit s. Leo ep. 15. *ad Turribium* (*opusc.* XXV, 127.) c. 5: „Nemo hominum veritas, nemo sapientia, nemo justitia est, sed multi participes sunt veritatis et sapientiae et justitiae. Solus autem Deus nullius participationis indigus est, de quo quidquid dignum utcunque sentitur, non qualitas est, sed essentia.“ Haec vero praedicandi ratio, qua de Deo praedicata *substantiva abstracta* affirmantur, est admodum apta ad Dei perfectionem et excellentiam significandam. Exprimit **1.** summam ejus *simplicitatem:* praedicata enim adjectiva bonus, sapiens etc. semper adsignificant aliquam compositionem, adjacentem, inhaerentem perfectionem. Nam qui est bonus, est habens bonitatem: qui vero dicitur habere bonitatem, ab ea distinguitur, non est ipsa bonitas; ac proinde ut sit bonus, ab ea informari debet: informatio vero supponit compositionem. Exprimit **2.** perfectionis divinae *infinitatem:* quid enim bonitatis illi deesse potest, qui est ipsa bonitas? Exprimit 3. perfectionem *originalem,* nam bonitas non alia bonitate, sed se ipsa est bona, ac proinde significat **4.** Deum non esse bonum secundum qualitatem, sed *secundum essentiam.* Tamen quia ejusmodi praedicata substantiva perfectionem exhibent abstractam (a subjecto scil. per mentis operationem), ne quis putet Deum habere esse tantum in abstracto et ideale, seu tantum in ho-

perfectiones non esse qualitates ut in creaturis, sed identificari cum divina essentia. Quod **b.** confirmatur celebri patrum *axiomate,* quod Augustinus *de civ. Dei* l. 11. c. 10. ita enunciat: »(Deus) ideo simplex dicitur, quia *quod habet, hoc est,* excepto quod relative quaeque persona ad alteram dicitur. Nam utique Pater habet Filium, nec tamen ipse est Pater.« Atqui Deus absolute dicitur habere sapientiam, bonitatem etc.: est ergo sapientia et bonitas, proinde hae perfectiones ab ejus essentia non distinguuntur. Cujus axiomatis **c.** hanc reddit rationem s. Anselmus in *Monol.* c. 16: »Si divina natura non est justa nisi per justitiam, nec justa esse potest nisi per se, quid magis conspicuum, quid magis necessarium, quam quod eadem natura est ipsa justitia?« Hinc **4.** infertur, *perfectiones divinas absolutas*[1]) *realiter ab invicem non secerni.* Si enim omnes cum divina essentia identificantur, ita ut Deus non solum singulas habeat, sed sit ipsa bonitas, sanctitas etc., liquet, eas non qua partes constituere divinam essentiam, sed inter se identificari. »Eadem magnitudo ejus est, inquit Augustinus *de Trinit.* l. 6. c. 7., quae sapientia, et eadem bonitas, quae sapientia et magnitudo, et eadem veritas, quae illa omnia.« Cum ergo **5.** omnia identificantur cum divina essentia, nullum in Deo esse potest accidens. Quod etiam probatur ex summa Dei actualitate et plenitudine essendi.

438. *Essentia*[2]) igitur Dei *physica* consistit in ipsa complexione eminentissima et simplicissima omnis perfectionis et entitatis. Quare Deus concipi debet tamquam *simplicissima forma* tantae perfectionis, ut aequivaleat omnibus perfectionibus, quas mente concipere et distinguere possumus, quin earum aliqua exhauriatur. Nomine essentiae

---

minum mente, neque esse in se et per se subsistentem, juverit praedicatis substantivis et abstractis addere praedicata *concreta* atque dicere etiam Deum esse bonum, sapientem etc. quo significetur ejus objectiva subsistentia. Quare duplex haec praedicandi ratio tam per abstracta quam per concreta se mutuo perficit et complet. Cf. Thomas 1. p. q. 3. a. 3. ad 1., qui q. 40. a. 1. ad rem docet: »Propter divinam simplicitatem consideratur duplex realis identitas in divinis eorum, quae differunt in rebus creatis. Quia enim divina simplicitas excludit compositionem formae et materiae, sequitur quod in divinis idem est abstractum et concretum ut Deitas et Deus. Quia vero divina simplicitas excludit compositionem subjecti et accidentis, sequitur quod quidquid attribuitur Deo est ejus essentia et propter hoc sapientia et virtus idem sunt in Deo, quia ambo sunt in divina essentia.«

[1]) Dicimus *absolutas,* nam proprietates *relativae,* paternitas, filiatio etc. realiter ab invicem secernuntur. Porro perfectiones, seu proprietates *absolutae* eae dicuntur, quae sunt solutae a *relatione ad aliquam personam* divinam, ut omnipotentia etc.; *relativae* respiciunt personas, ut paternitas etc. Ratio autem, quare hae ab invicem distinguantur est, quia sibi invicem opponuntur.

[2]) *Essentia* seu rei *quidditas* in creatis triplici modo considerari potest: **1.** in individuo, seu ea, quae constituit hoc individuum, hanc rem: atque ita continetur iis omnibus, quae constituunt individuum, et quorum vel uno sublato non esset *haec* res, iis proinde exceptis accidentibus, quae adesse vel abesse possunt, quin desinat esse *haec* res. Hoc sensu essentia Dei complectitur vel ipsas personas divinas. **2.** Considerari potest essentia, ut pluribus communis est, proin abstracta non solum a notis accidentalibus, sed etiam individuantibus: consistit ergo in

metaphysicae intelligitur ea essentialis proprietas, quae concipitur veluti aliarum proprietatum radix et quae proinde prima est, quae in re intelligitur, utpote aliarum fons et principium. Jam vero inter theologos controvertitur, in quanam perfectione divina reponenda sit essentia *metaphysica* Dei. Communior sententia est, essentiam metaphysicam Dei contineri in eo, quod Deus sit *ens* (ὁ ὤν) *a se* seu ipsum esse a se. Et sane huic praerogativae conveniunt illae dotes propriae essentiae metaphysicae, quas assignavimus.

439. **Thesis LX.** ***Licet Deus adeo sit simplex, ut nulla realis sit distinctio sive inter essentiam et attributa, sive inter attributa ipsa absoluta, admittendum tamen est inter haec rationis discrimen.***

Declaratio. Toties habetur distinctio, quoties conceptus non sunt identici; conceptus vero non sunt identici, vel quia eorum objecta non sunt identica seu re distinguuntur, vel quia licet ad unum idemque objectum referantur, illud inadaequate sub diverso respectu sistunt. Priori in casu distinctio dicitur *realis,* in altero vero distinctio habetur *rationis.* Quaeritur, utrum saltem distinctio rationis possit vel debeat admitti in Deo, quem simplicissimum esse demonstravimus; non enim defuerunt, qui vel simplicitatem Dei nimium urgentes, vel ut facilius pestiferos errores contra ss. Trinitatis mysterium tuerentur, ejusmodi distinctionem rejicerent ac contenderent, omnia nomina Dei esse synonyma.

440. **Demonstratio. 1.** Rationis distinctio quoad Deum admitti debet, si plura Deo tribuuntur nomina et praedicata, quae non sunt synonyma: si enim non sunt synonyma, distinctos inter se sistunt conceptus, et si distincti de Deo habentur conceptus, jam adest rationis distinctio. Atqui *in divinis literis* quamplurima Deo tribuuntur nomina et praedicata eaque non synonyma, ut patet ex usu loquendi. Ergo rationis distinctio in Deo debet admitti. Hoc argumento usus est jam Gregorius nyss. l. 12. *adv. Eunomium* ita disserens: „Quod si haec Eunomius tamquam legislator aliquis dicit (omnia scil. nomina Dei idem significare), cur Scripturae frustra divinam naturam variis nominibus appellant, ac Deum judicem justum, fortem, patientem, verum, misericordem et id genus alia nominant? Nam si nullum nomen in aliqua propria notione intelligitur, sed omnia invicem significatione miscentur, inanis est labor, multas de eodem appellationes usurpare, cum nulla significationis differentia a se invicem nomina distinguat." **2.** Quod *patres* attinet, sufficit animadvertisse, eos **a.** hanc distinctio-

complexu eorum omnium, quae constituunt subjecta in eadem specie, et haec dicitur essentia *physica.* Ad hanc analogiam concipimus essentiam Dei constitutam omnibus perfectionibus absolutis et eam opponimus notionibus, quibus personae distinguuntur et quae cum essentia concipiuntur personas constituere. In tertia consideratione habetur essentia *metaphysica,* de qua mox loquemur.

nem non solum disertis verbis admisisse, verum etiam **b.** acerrime propugnasse adversus Aëtium et Eunomium, ejusque **c.** utilitatem imo et necessitatem quoad nos inculcasse, quod ea rejecta ingens oriatur confusio lataque aperiatur via omni haeresi. Ipsa *experientia* **3.** docet, nomina, quae de Deo efferuntur, synonyma non esse. Neque enim **a.** divinam essentiam repraesentant uno eodemque modo, neque **b.** sub uno eodemque entitatis gradu, neque **c.** sub una eademque efficientia, neque **d.** unam eandemque relationem ad alia suggerunt. Ergo admitti debet rationis distinctio inter varias perfectiones, quas in Deo concipimus.

441. Fundamentum huic distinctioni praebet ipsa infinita *Dei perfectio.* Experientia enim et ratione constat, varietatem conceptuum et vocabulorum esse in ratione directa perfectionis objecti; quare quo perfectior aliqua res est, eo pluribus indigemus praedicatis et verbis ad illius describendas dotes. Atqui perfectio Dei est infinita, innumerisque aequivalet perfectionibus distinctis. Ergo ipsa entis plenitudo et infinita Dei perfectio inexhausti fontis instar haberi debet, e quo uberrima notionum vena dimanat. Altera ex parte distinctionem hanc fundari in limitatione *imperfectaque cognoscendi ratione intellectus nostri,* praeclare docet Thomas 1. p. q. 13. a. 4: »Intellectus noster, cum cognoscat Deum ex creaturis, format ad intelligendum Deum conceptiones proportionatas perfectionibus procedentibus a Deo in creaturas. Quae quidem perfectiones praeexsistunt in Deo unite et simpliciter, in creaturis vero reperiuntur divise et multipliciter. Sicut igitur diversis perfectionibus creaturarum respondet unum simplex principium repraesentatum per diversas perfectiones creaturarum varie et multipliciter, ita variis et multiplicibus conceptibus intellectus nostri respondet unum omnino simplex secundum hujusmodi conceptiones imperfecte intellectum.« Quod si excipitur, intellectum errare distinguendo et qua distincta exhibendo, quae in Deo nullatenus sunt distincta, respondemus, id verum fore, si intellectus Deum inadaequate concipiens non solum distinctis notionibus *apprehenderet* Dei attributa, sed simul *judicaret,* ea in Deo quoque distingui: quod tamen judicium non consequitur distinctionem rationis, imo a quovis, qui sana utitur ratione, respuitur.

442. **Scholion.** Quocirca in propositionibus, in quibus de Deo ejusque attributis alia praedicantur, distingui debet sensus *objectivus* (seu identicus, materialis) a sensu *formali* (seu logico, subjectivo). Possunt enim in illo esse verae, in hoc autem falsae, ut ex. gr. propositio: Intellectus est voluntas, quae in sensu *identico* est vera, si scil. significetur, in Deo a parte rei voluntatem ab intellectu re non distingui, sed cum eo identificari: falsa vero est in sensu *formali,* si scil. significetur, notionem intellectus, prout a nobis concipitur, esse eandem cum notione voluntatis, seu idem utroque vocabulo designari.

443. **Corollarium I.** Ratione *simplicissimae infinitatis* multiplex exsistit *discrimen Deum inter et creaturas,* quod ad haec capita revocari potest: **a.** In creaturis perfectiones sunt *sejunctim,* guttatim: in Deo *collectim* et unitae; **b.** in illis sunt *qualitates,* in Deo *substantia;*

c. in illis *circumscribuntur* limitibus, in Deo a limitibus *sunt solutae;* **d.** creaturae illas possident per *participationem,* Deus per *essentiam;* **e.** in illis sunt *dependentes* ab objectis externis, non vero in Deo; **f.** in illis augeri, minui amittique possunt: in Deo augmenti sicut et decrementi sunt incapaces. Quare **1.** Deus non *hac illave* proprietate a creaturis distinguitur, sed *se toto;* meritoque conc. lateranense IV. c. 2. *Damnamus* docet: „Inter Creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos *major* dissimilitudo sit notanda." Imo **2.** secundum patrum doctrinam tanta censeri debet Dei perfectio, ut comparate ad illam creaturae omnes sint quasi *non entia.* Quod bene expressit s. Augustinus *in Psalm.* 134. n. 4: „Ita ille (Deus) est, ut *in ejus comparatione* ea, quae facta sunt, *non sint.* Illi non comparata, *sunt,* quoniam ab illo sunt; illi autem comparata, *non sunt;* quia verum esse, incommutabile esse est, quod ille solus est." Idcirco **3.** licet de Deo deque creaturis eadem affirmentur praedicata bonus, sapiens etc., non *univoce* ea competunt Deo et creaturis, scil. non secundum eandem rationem eademque notionis perfectione: sed si proprietatem significatam spectes, Deo conveniunt propriissime et plenissime, creaturis secundum quandam participationem, adumbrationem, ideoque *analogice* tantum. Denique **4.** in Deo nulla est nec concipi potest *compositio ex genere et differentia,* quia genus de subjectis speciebus *univoce* praedicari debet, quod ex dictis nunquam fieri potest de Deo et aliquo ente, quod non sit Deus.

444. **Corollarium II.** Cum simplicissima Dei infinitate prorsus pugnat *pantheismus,* sub quacunque demum forma vel larva proponatur, quotiescunque scil. *unica* tantum admittitur substantia, cujus creaturae sint emanationes, participationes, apparitiones, evolutiones, actuationes, modificationes, formae, expressiones, determinationes, defectiones etc., prouti pro systematis varietate pantheistae loqui solent. Ostendimus enim Deum esse **1.** *actum purissimum,* in quo nulla potentia; **2.** *simplicissimum* et **3.** *infinitae perfectionis* nullius incrementi vel decrementi capacem; cum qua triplici praerogativa pugnat pantheismus cujuscunque formae. Idcirco concilium vatic. sess. 3. *de Deo rerum omnium creatore* hos statuit canones: 3. „Si quis dixerit, unam eandemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam, A. S.; 5. Si quis dixerit, res finitas tum corporeas, tum spirituales aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse; aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia; aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod esse determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam, A. S." Hi autem videntur *fontes pantheismi:* **1.** Quod non satis distinguatur conceptus entis *infiniti, puri,* quod omnem perfectionem complectitur et est singulare (ὁ ὤν), ab *idea universali* abstractissima *entis in genere,* quod unica nota constat et nihilo opponitur (τὸ ὄν). Quapropter s. congregatio inquisitionis declaravit tuto tradi non posse has propositiones (2.): „Esse illud,

quod in omnibus et sine quo nihil intelligimus, est esse divinum.« Et 5: »Omnes aliae ideae non sunt nisi modificationes ideae, qua Deus tamquam ens simpliciter intelligitur.« **2.** Quod non satis distinguatur τὸ esse creaturarum, quod habent in ordine exsistentiae, ab esse eminenti, quod habent in ideis divinis; **3.** quod infinitum concipiatur per modum cumuli omnium realitatum, non per modum simplicissimae formae complectentis omnem perfectionem vel formaliter vel eminenter.

445. **Thesis LXI.** ***Deus omnibus rebus locisque praesens est non solum per omnipotentiam et inspectionem, sed etiam essentia sua: nec tamen iis circumscribitur, sed est immensus.***

Declaratio. Immensitas sicut ab *infinitate,* ita ab *omnipraesentia* et ubiquitate distinguitur. *Infinitas* enim afficit perfectionem essentialem Dei et excludit ab ea limitem seu carentiam alicujus perfectionis: *immensitas* vero afficit exsistentiam Dei seu exprimit modum exsistendi Dei solutum a conditionibus spatii. Vi infinitatis possidet Deus omnem perfectionem: vi immensitatis Deus omnibus locis ac rebus, quae sunt vel esse possunt, intime praesens est, quin ab illis contineatur, circumscribatur, definiatur. *Omnipraesentia* dimanat ex immensitate, ab ea tamen distinguitur. Nam **a.** ubiquitas supponit exsistentiam rerum, non autem immensitas. Quare **b.** haec est attributum absolutum, illa denominatio extrinseca; ideoque **c.** immensitas Deo convenit necessario, ab aeterno, essentialiter; omnipraesentia contingenter et in tempore. Per essentiam potest aliqua substantia esse *triplici* modo praesens: *circumscriptive, definitive, repletive. Circumscriptive,* si **a.** tota quidem est in toto loco, sed non **b.** tota in singulis partibus; seu si ita est in toto, ut singulae ejus partes singulis loci partibus respondeant; et si **c.** nullo modo est extra illum unum locum, quem occupat: quo modo corpora sunt in loco. *Definitive* aliqua substantia est in loco, si adest quidem **a.** tota in toto, et **b.** tota in singulis partibus, sed non **c.** extra illum locum, quem occupat; qua ratione spiritus sunt in loco. Quod si aliqua substantia determinato loco non circumscribitur, nec definitur, sed etiam extra illum locum reperitur, repletive dicitur esse in loco. Et hoc modo Deus est ubique. Thesis, quatenus Deum dicit *immensum,* de *fide* est, ut constat ex symbolo athanasiano, ex conc. lateranensi IV. c. *Firmiter,* et ex conc. vaticani sess. 3. c. 1.

446. **Demonstratio.** Deum ubique praesentem esse *potentia* sua, docemur Sap. 9, 1: *Attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter*: et Filius a Paulo Hebr. 1, 3. dicitur *portans omnia verbo virtutis suae;* adesse omnibus *cognitione,* docemur Hebr. 4, 13: *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus;* et sequitur ex omniscientia Dei. Deum esse ubique per *essentiam,* colligimus ex Ps. 138, 7: *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in coelum. tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo et habitavero in extremis maris: etenim illic manus tua deducet me et tenebit me dextera tua;* Jerem. 23, 24: *Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum, dicit Dominus? Numquid non coelum et terram*

ego impleo, dicit Dominus? His vero Deum non circumscribi, sed eum esse *immensum,* patet ex Is. 40, 12; 2. Paralip. 6, 18: *Si coelum et coeli coelorum non te capiunt, quanto magis domus ista, quam aedificavi?*

447. Patres non solum disertis verbis et argumentis immensitatem Dei adstruunt[1]), verum analogiis eam illustrare conantur, ut aëris ubique diffusi, solis universum virtute sua replentis, animae corporis molem praesentia sua substantiali vivificantis, sed et universum lustrantis sensu, imaginatione, mente. Monent tamen cum Augustino carnali resistendum esse cogitationi et mentem a corporis sensibus esse avocandam[2]). Quare ex eorum mente cavendum est **a.** ne putemus, Deum circumscriptive, vel **b.** definitive esse in loco; hinc pluribus placet dicere, Deum, licet sit ubique, non esse in loco, esse nuspiam, ipsum esse locum sibi rerumque locum. Ad rem Joannes Damascenus l. 1. c. 16. *de fide orth.:* »Deus, cum sit expers materia vel incircumscriptus, non est in loco. Ipse enim sibi ipsi est locus implens omnia et supra omnia consistens, atque ipse continens universa. Dicitur autem in loco esse ac locus dicitur Dei, ubi manifesta fit illius efficientia[3]).« Cavendum est **c.** ne putemus Deum omnia penetrando et pervadendo rebus commisceri[4]). Nam licet omnibus adsit et insit, naturae tamen gradu, ut scribit Lessius l. 2. n. 18., et celsitudine infinite distat, in seipsum collectus et firmissime in sua puritate subsistens, ab omnibus

---

[1]) Egregie eam expressit s. Gregorius M. *Moral.* l. 2. c. 12: „Ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia; et superior est per potentiam, et inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem; sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans. Nec alia ex parte superior, alia inferior: aut alia ex parte exterior, atque ex alia manet interior: sed unus idemque totus ubique praesidendo sustinens, sustinendo praesidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans.“

[2]) Advertit enim *ep.* 57. al. 187. c. 4.: „In eo ipso, quod Deus dicitur ubique diffusus, carnali resistendum est cogitationi et mens a corporis sensibus avocanda, ne quasi spatiosa magnitudine opinemur Deum per tota diffundi, sicut humus aut humor, aut aër aut lux ista diffunditur. Omnis enim hujusmodi magnitudo minor est in sui parte, quam in toto, sed potius sicut est magna sapientia etiam in homine, cujus parvum est corpus. Et si duo sunt sapientes, quorum sit alter corpore grandior, neuter sapientior, non est illa major in majore, minor in minore, aut minor in uno quam in duobus, sed tanta in hoc, quanta in illo, et tanta in unoquoque, quanta in utroque.“ Ita veritas concipi potest ubique praesens, omni menti, tota in qualibet, tota in omnibus, quin tamen ulla mente circumscribatur.

[3]) Pro *speciali* Dei efficientia, quae alicubi se prodit, *speciali modo Deus quibusdam in locis esse* dici solet, ut in coelo, in justis, in Ecclesia etc.: et prout haec specialis operatio vel incipit vel cessat, Deus venire, discedere etc. dicitur; homines vero ad Deum accedere vel ab eo recedere dici possunt, prout vel bene operando ei magis similes vel peccando dissimiles redduntur.

[4]) Ad rem Augustinus tract. 2. *in Joan.:* „*In mundo erat et mundus per eum factus est.* Ne putes, quia sic erat in mundo, quomodo in mundo est terra, in mundo est coelum, in mundo est sol, luna et stellae, in mundo arbores, pecora, homines. Non sic iste in mundo erat, sed quomodo erat? Quomodo artifex

segregatus, nullatenus iis commixtus vel immixtus: unde simul conjunctissimus est et remotissimus, praesentissimus et secretissimus, collectissimus, unitissimus et diffusissimus. Quo sensu intelligendi sunt nonnulli patres, qui quandoque docere videntur, Deum sola operatione, non essentia creaturis inesse. Accedit *rationis* argumentum. Immensitas enim consequitur infinitatem nullis limitibus circumscriptam, omnipotentiam Dei, citra cujus influxum nulla creatura esse vel subsistere potest, et summam Dei perfectionem, nam quo perfectior aliqua substantia est, eo majorem habere potest praesentialitatis sphaeram, ut loquitur Suarez *de Deo* l. 2. c. 2.

448. **Thesis LXII.** ***Deus est omnino immutabilis.***

Declaratio. Deum esse *immutabilem* docet conc. lateranense IV c. *Firmiter*, et vaticanum sess. 3. cap. 1. Immutabilitas excludit a Deo omnem transitum de statu in statum sive ab uno modo se habendi ad alium. Ejusmodi transitus multiplex esse potest pro ratione terminorum, a quo et in quem transitus fit. Creatura rationalis saltem quinque modis mutari potest: **1.** quoad exsistentiam (qui tamen transitus a non esse improprie dicitur mutatio); ratione **2.** accidentium, **3.** cognitionis, **4.** volitionis, et **5.** ratione loci. Secundum haec omnia Deus est immutabilis.

449. **Demonstratio.** Probatur **1.** per modum *corollarii.* Sane **a.** omnis realis mutatio supponit *potentiam:* Deus vero actus est *purissimus* (n. 435.); involvit **b.** *compositionem:* Deus vero est simplicissimus (thes. LX.); supponit **c.** quendam *defectum:* Deus vero est τοῦ esse plenitudo (n. 432.). Colligitur **2.** ex divinis literis, et quidem **a.** ratione *loci* et *scientiae* ex iis effatis, quibus Deus exhibetur *immensus* (n. 446.) et *omniscius;* **b.** ratione *exsistentiae* ex iis, quae ejus *aeternitatem* probant (thes. seq.); **c.** ratione *qualitatum* Jac. 1, 17: *Apud quem* (Patrem luminum) *non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio;* **d.** ratione vero *consiliorum voluntatis* 1. Reg. 15, 29: *Porro triumphator in Israel non parcet et poenitudine non flectetur: neque enim homo est, ut agat poenitentiam;* Num. 23, 19: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur;* Mal. 3, 6: *Ego Dominus et non mutor.* Patres **3.** docent: **a.** sub Deo omnia esse mutabilia, eoque magis **b.** aliquid a mutatione ad immobilitatem accedere, quo magis ad Deum accedit eique adhaerescit et in eo firmatur; **c.** hinc verissima esse Pauli verba Tim. 6, 16: *Qui* (Deus) *solus habet immortalitatem.* Omnis enim mutatio, ut advertit Thomassinus patrum verba in synopsin redigens (cf. l. 5. c. 8. ss.), „portio quaedam et aura mortis est: moritur enim illud, quidquid deperit, et totum,

---

regens quod fecit. Non enim sic fecit, quomodo faber facit; forinsecus est arca, quam facit etc. Deus autem mundo infusus fabricat, ubique positus fabricat, et non recedit aliquo, non extrinsecus quasi versat molem, quam fabricat: praesentia sua gubernat, quod fecit. Sic ergo erat in mundo, quomodo per quem mundus est.“

de quo aliquid deperit, quasi membratim et minutatim moritur assuescitque longam discere mortem. Quot ergo mutationes sunt, tot mortis rudimenta sunt."

450. **Scholion.** Quod si in divinis literis *Deo affectus irae, vindictae, poenitentiae* etc., qui involvunt mutationem, adscribuntur, advertatur, Scripturam loqui ad captum nostrum et Deum suscipere, ut ait Tertullianus l. 2. c. 27. *adv. Marcionem*, »humanos sensus et affectus, per quos vim majestatis suae intolerabilem utique mediocritati humanae humilitate temperaret.« Ejusmodi proinde effata sunt intelligenda modo, qui Deum decet, quo omnis humani vitii rubigo excluditur. Quod attinet difficultatem, quae ex operationibus Dei ad extra, quibus aliquid in tempore perficit, petitur, haec animadvertimus: **1.** eam esse admodum gravem et si vis insolubilem; quod tamen nemini mirum videbitur, qui incomprehensibilitatem Dei consideret. **2.** In quolibet actu divino haec esse distinguenda: **a.** ipsum actum seu ἐνέργειαν, **b.** ejusdem terminum et **c.** relationem, quae inter utrumque oboritur. Jam vero **3.** actus, ut qui re non distinguitur ab ipsa essentia divina, est aeternus. Terminus vero est vel aeternus, si a Deo non distinguitur, vel in tempore exsistens, si Deo est extraneus. Relatio autem, si consideratur ut indistincta a terminis, a quibus oritur, participat de proprietatibus utriusque termini, est scil. aeterna etc., si in Deo consideratur: est temporalis, si consideratur in creaturis; si vero consideratur haec relatio ut consequens actionem, est quidem realis in termino, rationis vero tantum in Deo. Atqui nova relatio rationis infert tantum mutationem secundum rationem et hinc secundum denominationem: proinde Deus realiter non mutatur, cum ex non creante fit creans.

451. Ad explicandum autem, quomodo Deus non mutetur, cum hominem justum diligit, dein vero peccantem odio habet, haec advertantur: **a.** in Deo unicum esse divinae voluntatis actum, qui tamen ob suam perfectionem et infinitam ἐνέργειαν innumeris actibus re distinctis, amoris scil., odii, gaudii etc. aequivalet, qui in creaturis differunt ratione objecti et modi in illud tendendi. Quare **b.** idem actus divinus tendens in horum diversorum actuum objecta pro eorum indole et merito induet rationem amoris, odii, gaudii etc. Proinde **c.** mutato objecto, ut si justus fit peccator, non mutatur actus, ut in voluntate creata, sed actus divini ad objectum relatio. »Sicut lux, inquit Augustinus *de Trinit.* l. 5. c. 16., infirmis oculis aspera, firmis lenis est, ipsorum scil. mutatione, non sua.« Quare **d.** quod est causa distinctionis realis actuum in voluntate creata, fundamentum praebet distinctioni rationis inter varios actus Dei. Quod si haec non sufficiant solvendae difficultati, repetere nobis licebit pulchra Augustini verba *Confess.* l. 1, c. 6: »Quid ad me, si quis non intelligat? Gaudeat et ipse dicens: Quid est hoc? Gaudeat etiam sic et amet non inveniendo invenire potius te, quam inveniendo non invenire.«

452. Thesis LXIII. *Deus est aeternus.*

Declaratio. *Aeternitas* et *aeternum* multiplicis est significationis. Significare enim potest **1.** durationem cum initio et fine, sed diuturnam; vel **2.** durationem cum initio et successione, sed sine fine; vel **3.** durationem successivam, sed absque initio et fine, ut cum philosophi quaerunt,

utrum possibilis sit mundus *aeternus*; **4.** durationem sine initio, fine et successione, et haec est aeternitas propria Dei, quae unanimi theologorum approbatione definitur a Boëthio l. 5. *consolat. philosophiae* prosa 6: *interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio.* Si notio aeternitatis confertur **1.** cum notione *immutabilitatis,* vix ab ea differt; illa enim immediate excludit successionem, consequenter mutationem; immutabilitas vero immediate excludit mutationem, ideoque successionem. Collata **2.** aeternitate cum *immensitate* aeternitas **a.** relate ad tempus est quod immensitas relate ad spatium; quare **b.** sicut Deus vi immensitatis solutus est ab omnibus conditionibus spatii, nullo circumscribitur definiturque loco, sed est super omnem locum: ita vi aeternitatis nulli tempori est obnoxius, sed super omne tempus. Verum **c.** sicut immensitatem citra relationem ad spatium concipere non possumus, ita nec aeternitatem citra quandam ad tempus relationem; idcirco in Apoc. 1, 4. 8; 4, 8. Deus aeternus dicitur: *qui est et qui erat et qui venturus* i. e. futurus *est,* non quasi Deus hisce temporum differentiis obnoxius sit, sed quia simplicissima sua aeternitate illas complectitur. »Ibi nihil est praeteritum, inquit Augustinus in Ps. 101. n. 10., quasi jam non sit: nihil est futurum, quasi nondum sit. Non est ibi nisi *est;* non est ibi fuit et erit; quia et quod fuit, jam non est; et quod erit, nondum est: sed quidquid ibi est, nonnisi est.« Quare **d.** sicut ratione immensitatis Deum dicere possumus esse ubique et nullibi: ita de Deo possunt vel adhiberi verba temporum differentias significantia vel eadem ab ipso removeri; et sicut Deus citra partitionem et divisionem singulis adest locis, ita citra successionem totus temporibus adest singulis. Sicut **e.** ratione specialis operationis divinae Deus dicitur hic vel illic esse, ubi scil. ejusdem operatio specialis manifestatur: ita propter quendam velut attactum aeternitatis cum tempore, hujus differentiae de Deo aeterno praedicari possunt, unde dicere possumus: Deus creavit, conservat, judicabit mundum. Sicut vero **f.** Deum ubique esse concipimus et ultra omnem locum i. e. immensum, ita Deum ratione suae aeternitatis ultra omnia cogitamus tempora. Aeternitas **3.** collata cum *tempore* in eo convenit, quod sit rei exsistentis duratio; differt vero in eo, quod tempus sit duratio successiva, aeternitas vero careat omni successione, seu ut id belle expressit Boëthius *de consol. philos.* prosa ultima: »Nunc *fluens* facit tempus, nunc *stans* facit aeternitatem.« Ex hac aeternitatis notione liquet, quantum perfectionis et beatitudinis in Deum redundet: collectim enim possidet, quidquid boni in successione indefinita alii nonnisi guttatim et divisim experiri et gustare possunt.

453. **Demonstratio.** Dogma hoc symbolo athanasiano, professione fidei conc. lateranensis c. *Firmiter* et vaticani sess. 3. c. 1. expressum consectarium est **1.** immutabilitatis et plenitudinis τοῦ esse[1]), quam Deus sibi vindicat Ex. 3, 14. vocans se ὁ ὤν (n. 432.); et colligitur **2.** ex. Ps. 89, 2. ss.: *Prius quam montes fierent aut formaretur*

[1]) Praeclare Bernardus serm. 31. *in Cant.* n. 1: »Quidquid veniens ex eo, quod *fuit,* non cessat tendere in id quod *erit,* transitum sane habet per *est,* sed omnino non est. Nam quomodo est, quod nunquam in eodem statu permanet? Solum proinde vere est, quod nec a *fuit* praeciditur, nec ab *erit* expungitur; sed

terra et orbis, a seculo et usque in seculum tu es Deus . . . Quonia mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna, quae praeteriit, custodia in nocte (i. e. vigilia, quae adhuc brevior est die, trium tantum horarum). Quibus respondent haec 2. Petri 3, 8: *Unum vero hoc non lateat vos, carissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni et mille anni sicut dies unus:* et Ps. 101, 26. ss: *Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Quibus satis clare triplex aeternitatis character designatur, carentia scil. initii, finis, successionis.

Caput III.

De attributis Dei actuosis seu de vita Dei.

454. Tam via excellentiae, quam via causalitatis inferre possumus, Deum esse *spiritum* et quidem *purum*, quam illationem confirmant Scripturae sive testimoniis disertis Joan. 4, 24: *Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare;* et aequipollentibus, sive cum **a.** Deo eas proprietates adscribunt, quae nonnisi spiritui competere possunt, ut omnipraesentiam et immensitatem (n. 447.), intellectum, voluntatem etc.; sive cum **b.** ejus spiritus exhibetur qua spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis Is. 11, 2; sive cum **c.** exhibetur auctor charismatum, quae ad intellectum voluntatemque referuntur 1. Cor. 12, 4. ss.; sive cum **d.** de sapientia Dei dicitur Sap. 7, 22. s.: *Est in illa spiritus intelligentiae, sanctus, unicus, multiplex . . . omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus, intelligibilis, mundus, subtilis . . . et cum sit una, omnia potest, et in se permanens omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos et prophetas constituit.* Quapropter conc. vaticanum sess. 3. cap. 1. docet substantiam divinam esse *spiritualem*. Nomine autem *spiritus* intelligimus substantiam simplicem et actuosam, quae vitam suam intelligendo maxime volendoque explicat. Quare si spiritus est, intellectu et voluntate praeditus sit oportet.

Verum antequam de duplici hoc attributo disserimus, absolvenda prius quaedam sunt, quae ad *omnipotentiam* Dei spectant, quam quidam a voluntate Dei distinguunt tamquam tertiam quandam potentiam, aliis tamen contradicentibus.

---

solum atque inexpugnabile remanet ei *est* et manet, quod est. Nec *fuit* sane tollit illi esse ab aeterno, nec *erit* esse in aeternum; ac per hoc sibi vindicat verum esse, id est increabile, interminabile, invariabile.«

Articulus I.

De omnipotentia Dei.

455. De omnipotentia Dei haec animadvertimus: Tenendum est **1.** Deum esse *omnipotentem,* ut evidens est non solum ex divinis literis et symbolis, sed vel ex notione entis summi. Ut vero **2.** Deus dici possit omnipotens, nullatenus requiritur, ut possit facere impossibilia, impossibile enim seu quod intrinsecus repugnat, *nihil* est; quod autem Deus τὸ nihil producere nequeat, non oritur ex defectu potentiae, sed ex defectu termini. Neque **3.** de ratione omnipotentiae est, ut possit Deus mori, peccare etc., haec enim non potentiae, sed impotentiae seu infirmitatis sunt argumentum. Pariter **4.** divinam omnipotentiam facto negant, qui docent, Deum non alia posse facere quam quae fecit vel facturus est. Quae Abaelardi opinio damnata fuit ab Innocentio II. divinisque literis et sanae rationi manifesto adversatur. Praeterea **5.** omnipotentiae ratio non exigit, ut illi respondeat effectus sive extensive sive intensive infinitus, cum uterque repugnet.

456. Quare dicendum est, omnipotentiam Dei idcirco esse infinitam, quod **a.** ratione *sui* ejusdem conditionis sit ac essentia illa infinita, cui inest et quam velut consequitur; proinde quod sit potentia plane originalis, subsistens non accidens, actus purissimus, immensa et sempiterna, a qua omnia pendeant, adeo ut merito propter eam Deus dicatur παντοκράτωρ, quo nomine saepissime in divinis literis designatur. Quod **b.** ratione *actionis* et modi agendi plane independens sit nulloque egeat sive instrumento sive materia praejacente sibique sufficientissima omnia producat solo nutu ex nihilo. Quod **c.** ratione *objecti* possit producere, quin unquam exhauriatur, quaecunque velit, omne verbum i. e. quod mente concipi potest, proinde possibile est.

457. Advertatur denique, omnipotentiam Dei distingui in *potentiam absolutam* atque *ordinatam*, quae distinctio admitti potest et debet[1]), si nomine potentiae absolutae intelligitur potentia Dei nondum aliquo decreto voluntatis ad hunc potius quam illum effectum producendum determinata; vel si concipitur jam determinata universali aliqua lege, non tamen ita concipitur coarctata, ut non hinc inde ex sapientissimo fine aliquid praeter

[1]) Janseniani nomine potentiae Dei *absolutae* intelligunt omnipotentiam Dei *solutam* a reliquis Dei attributis, ab ejusdem sapientia, justitia; nomine vero potentiae *ordinatae* intelligunt potentiam Dei *harmonice* consideratam et in concentu cum aliis attributis: quae consideratio est plane inepta. In homine, in quo proprietates re distinguuntur, licet distinguere potentiam ab aliis proprietatibus et quaerere, quid possit homo secundum potentiam ita solutam ab aliis perfectionibus. Sed in Deo omnipotentia essentialiter est idem cum justitia, bonitate, ideoque essentialiter bona, justa; quare inscite plane quaeritur, quid Deus secundum omnipotentiam suam seorsim a justitia, bonitate etc. consideratam possit.

illam legem agere possit; et si nomine potentiae *ordinatae* (seu ordinariae) intelligitur potentia Dei conjuncta cum decretis divinae voluntatis, quibus ad hoc potius quam ad illud producendum determinatur.

Articulus II.

De cognitione Dei.

458. Ad considerationem *divini intellectus* accedentes supponimus **1.** Deo competere intellectum eumque infinitum; **2.** objectum hujus intellectus princeps esse ipsam divinam essentiam, in qua et per quam possibilia omnia intuetur; **3.** Deum cognoscere quaecunque physica necessitate fuerunt, sunt et erunt. *Neque* enim, inquit s. Paulus Hebr. 4, 13., *est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus.* Quibus praesuppositis sit

Thesis LXIV. ***Deus cognoscit futura libera.***

Demonstratio. Deum praescire futura *libera,* probatur ex vaticiniis divina inspiratione editis, adeo ut merito Tertullianus l. 2. *adv. Marcion.* c. 5. dixerit, „praescientiam Dei tantos habere testes, quantos fecit prophetas.“ Hoc vel gentilibus persuasum fuit, qui idcirco oracula consuluerunt. Et revera, ut advertit Augustinus *de civit. Dei* l. 5. c. 9., confiteri Deum et negare praescium futurorum apertissima insania est.“ Eandem veritatem s. Scriptura evidenter inculcat: Eccl. 23, 28. s.: *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo antequam crearentur omnia sunt agnita: sic et post perfectum respicit omnia.* Ib. 39, 25: *A seculo usque in seculum respicit, et nihil est mirabile in conspectu ejus.* Cf. 42, 16. ss.; Is. 41, 22. s.; 44, 7. s.; 46, 10. etc. Quare conc. vaticanum sess. 3. *de Deo rerum omnium Creatore* definit cap. 1: „Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt.“

459. Neque tamen idcirco ulla imminet libertati creatae pernicies, quod patribus praeeuntibus, praesertim Augustino, ostendemus. Eorum doctrina ad haec revocatur principia: **1.** Deus cognoscit et praescit res, uti eae sunt et geruntur. Jam vero **2.** electiones nostrae liberae sunt libereque eliciuntur. Ergo **3.** videt et praevidet nostras electiones, ut sunt liberae. Quare **4.** Dei praescientia non aufert, sed supponit, imo firmat nostram libertatem; falleretur enim Deus, si videndo nos libere agere, libere non ageremus[1]). „Sicut tu, inquit Augustinus *de lib. arb.* l. 3. c. 4.,

[1]) Multiplici modo distingui potest propositio, quae hac in quaestione opponi solet: *Quod Deus praescit, necessario* erit. Dist.: **1.** necessario erit necessitate *antecedenti* (seu *consequentis*) orta ex nexu causali inter praescientiam et actionem liberam praevisam, N.; necessario erit necessitate consequenti (seu *consequentiae*),

memoria tua non cogis facta esse, quae praeterierunt, sic Deus praescientia sua non cogit facienda, quae futura sunt.« Quare **5.** plures omnino patres cum Joanne Damasceno *in dial. cum manich.* n. 79. statuunt: »Vis praescia Dei non ex nobis habet causam: quod autem haec, quae facturi sumus, praevidet, ex nobis est. Nisi enim ea essemus facturi, neque ipse ea praevidisset, utpote non futura. Et praescientia quidem Dei verax est et infallibilis, at non ipsa est causa, ut omnino fiat, quod futurum est; sed quia nos acturi sumus hoc vel illud, ipse praenoscit.«

460. **Thesis LXV.** ***Ad eandem divinae scientiae amplitudinem eorum quoque liberorum actuum certa infallibilisque cognitio pertinet, qui licet nunquam exstituri sint, exsisterent tamen, si certa quaedam conditio poneretur.***

Demonstratio. Vindicatur Deo haec scientia **1.** auctoritate *Scripturae*[1]), secundum quam Deus non conjectando, sed pro certo praedicit, quid libere facturi sint homines sub conditione, quae tamen nunquam posita erit. Cognoscit ergo Deus ejusmodi futura conditionata. Vindicatur **2.** *auctoritate patrum,* qui passim quaerunt, vel cur

---

quae oritur ex ipsa libera voluntatis electione, quam infallibiliter praevidet Deus aliud praevisurus, si voluntas aliter elegisset, Conc. Dist.: **2.** est necessarium secundum *rem,* N., secundum *dictum,* Conc.; vel **3.** in sensu *diviso,* N., in sensu *composito,* Conc.; vel. **4.** est necessario *necessitate eventus,* quae oriatur ex determinatione causae N.; necessario erit *infallibilitate* eventus, quae oritur ex certitudine praescientiae divinae, Conc. Quod si in divinis literis Deus subinde exhibeatur dubius circa eventum futurum, advertatur **1.** vel Scripturam de Deo nonnunquam modo humano loqui, vel **2.** ut ait s. Gregorius M. hom. 9. *in Ez.,* »per hoc quod dicitur *si forte audiant* (Ez. 2, 5), quia ex magna multitudine pauci audituri sunt, demonstrari;« vel **3.** »illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas,« ut advertit Augustinus tract. 37. *in Joan.* n. 3. Vel **4.** »verbum ambiguum *forsitan* majestati non potest convenire, sed nostro loquitur affectu, ut liberum homini servetur arbitrium, ne ex praescientia ejus quasi necessitate facere quid vel non facere cogatur,« ut censet Hieronymus *in Jerem.* 26, 3. Ceterum **5.** particula אוּלַי, quae occurrit, non semper significat *dubium,* sed exprimit vel loquentis *spem* vel est particula *conditionalis.* Pariter particula ἄν non semper dubium designat, sed idem saepe valet ac *utique,* vel redundat.

[1]) Matth. 11, 20. s.: *Tunc coepit* (Jesus) *exprobrare civitatibus, in quibus factae sunt plurimae virtutes ejus, quia non egissent poenitentiam: Vae tibi Corozaim; vae tibi, Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent.* 1. Reg. 23, 7. ss. David fugiens coram rege Saul Ceilam se receperat, quo audito Saul hanc urbem expugnare cogitavit. Quapropter David consuluit Dominum: *Si descendet Saul, sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israel, indica servo tuo. Et ait Dominus: Descendet. Dixitque David: Si tradent me viri Ceilae et viros, qui mecum sunt, in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent.* Quocirca aufugit David, unde nec Saul descendit, nec Ceilitae Davidem tradere poterant. Est ergo hic sermo de eventu futuro libero sub conditione, quae tamen non fuit adimpleta, quod David non remanserit. Jer. 38, 17.

Deus creaverit daemones, quos praesciret lapsuros, vel cur permiserit Evam tentari a diabolo, cum illius praevideret consensum, vel cur gentibus quibusdam evangelium non praedicetur etc., quibus quaestionibus ita respondent, ut ratum habeant, Deum cognoscere futura libera, quae sub qualibet conditione exsisterent, etiamsi haec nunquam ponatur. Probatur **3.** ex *disputatione* catholicorum cum massiliensibus sec. V; hi enim Deo hanc scientiam vindicabant, nunquam autem *ideo* erroris arguebantur, sed propterea, quod eam admitterent, ut suos errores tueri possent[1]). Probatur **4.** *ex praxi Ecclesiae* communique fidelium sensu recurrentium in suis orationibus ad Deum, ut velit hoc vel illud ipsis concedere vel eos ab hoc illove periculo liberare, si quidem praevideret, ad eorum salutem id prodesse. Supponunt ergo Deum praescire quid sub quavis conditione possibili futurum sit. Vindicatur **5.** vel ipsa *gentilium* hac in re conspiratione. Ideo enim consulebant oracula in rebus dubiis, quod certissime crederent, Deum scire, quid eventurum sit sive hoc sive aliud eligerent, seu scire futura libera conditionata. Tandem **6.** *ratione* probatur, tum quia ejusmodi scientia summa est perfectio, cujus licet minimo in gradu participes sunt creaturae rationales pro gradu perspicaciae luminis intellectualis; tum quia ea non admissa explicari nequit, quomodo Deus provide sua decreta circa naturas liberas condere possit[2]), vel harum libertas salva incolumisque maneat.

461. **Scholion.** Quaeritur, in quo *medio* Deus cognoscat futura libera sive absoluta sive conditionata. *Medii* nomine hic intelligitur id, quod est causa seu ratio, cur aliquid cognoscatur. Jam vero Deus non videt primum et tamquam in medio exclusive *futura libera* in suis decretis

---

[1]) Cum enim ab eis quaererent catholici, quare ex duobus infantibus, qui mox post nativitatem moriuntur, unus baptismatis consequeretur gratiam, alter ea privaretur, respondere solebant, ideo illum consecutum esse baptisma, quod Deus praeviderit eum bene operaturum, si diutius vixisset; alterum vero propterea hac gratia fuisse privatum, quod Deus praeviderit eum in hypothesi longioris vitae male operaturum. Quod si Augustinus horum futurorum praescientiam denegare videtur Deo, distinguatur quaestio de *re* a quaestione de *nomine:* quaestio scil., utrum Deus haec libera conditionata cognoscat, quod omnino tuetur Augustinus, a quaestione utrum talis cognitio possit vocari *praescientia*, quod negat Augustinus. „Quid? quod ipsa omnino exinanitur praescientia, scribit ipse *de anima et ejus orig.* l. 1. c. 12, si quod praescitur, non erit. Quomodo enim recte dicitur *praesciri* futurum, quod *non est* futurum?" scil. quod revera non est exstiturum deficiente conditione.

[2]) Et tamen de justo, qui non diu vivit, dicitur Sap. 4, 11: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus aut ne fictio deciperet animam illius.* Regitur ergo Deus in sua providentia hac cognitione, ut hoc vel illud periculum et malum a suis avertat dilectis.

voluntatem liberam antecedenter ad actum praedeterminantibus. Neque enim **1.** cum hac sententia cohaerere posse videtur libertas creatae voluntatis; neque **2.** illa non paucorum patrum doctrina (n. 459.), qua statuunt, non ideo futura libera esse, quia a Deo videntur, sed ideo videri, quia erunt. Nec juvat **3.** provocare sive ad Scripturae effata Eph. 1, 11; Is. 45, 11. secundum LXX; Prov. 21, 1; sive ad patrum dicta, quibus affirmant, Deum omnia scire in decretis suis immutabilibus et in quantum est omnium causa. Haec enim **a.** non ita intelligi possunt, ut pereat libertas. **b.** Si ea presse sumuntur, Deus constituitur auctor peccati. **c.** In objectis testimoniis saepe sermo est de effectibus, qui a *solo* pendent D o, vel a causis *necessariis*, vel de iis decretis, quae reguntur *praescieneia futurorum liberorum*, ideoque eam jam praesupponunt. Neque **4.** ad exptlicandam praescientiam futurorum liberorum idonea videtur illa sententla, quae contendit, Deum ideo cognoscere futura libera, quod hinc quidem iea vere exstitura sint, inde vero intuitus Dei aeternus ac prorsus immutabi lis sit, ita ut aeternitate sua omnia transgrediatur tempora: ex quo nonnulli inferunt, omnia Deo in sua aeternitate esse praesentia ac proinde ab eo videri; nam aliis praetermissis, ea *non est adaequata*, nodumque difficultatis non solvit: cum Deus haec futura libera videat, antequam ea exstitura cognoscat, per scientiam *mediam;* proinde scientia *visionis* non est *primus* fons, ex quo hanc cognitionem haurit. Adaequate **5.** tunc tantum solvitur nodus quaestionis, cum explicatur modus, quo Deus videt futura conditionata, inter quae recenseri debent etiam futura libera absoluta ante conceptum decretum de condendo mundo. Sunt, qui censeant, ideo videre Deum futura libera sub conditione nunquam ponenda exstitura, quod hinc quidem illius intellectus, utpote *infinitae perfectionis sit perspicax* ac ad omne verum percipiendum determinatus, adeo ut nulla particula veri eum effugere possit: inde vero negari nequeat, haec futura veritatem habere determinatam; semper enim verum erit, creaturam liberam hac illave conditione posita hoc illudve esse acturam. Bellarminus *de gratia lib. arb.* l. 4. c. 15. n. 19. ss. cum nonnullis putat, Deum praevidere futura libera in comprehensione libertatis creatae. Cui sententiae illud opponi solet, cum ea consistere non posse vel actuum libertatem vel praescientiae infallibilitatem. In tanta hujus mysterii obscuritate praeplacet nobis responsio s. Augustini *enarr. in Ps.* 49. n. 18.: »Ne forte hoc a me, fratres, exspectetis, ut explicem vobis, quomodo cognoscat Deus; hoc solum dico, non sic cognoscit, ut homo; non sic cognoscit, ut angelus; et quomodo cognoscit, dicere non audeo, quoniam et scire non possum. Unum tamen scio, quia et antequam essent, omnia noverat Deus.«

462. **Scholion II.** Restat[1]), ut aliquid *de potioribus divisionibus scientiae divinae* dicamus. Fundamentum distinctionis non aliunde petitur, quam ex objecti diversitate, quod Deus simplicissimo actu attingit. Alia

[1]) Quaeritur, *quo sensu sit Deus summa veritas?* Est **1.** *veritas prima objectiva et fundamentalis*, tum quia est primum objectum intelligibile ac proinde ratio et fundamentum cognitionis, tum quia est mensura, regula et exemplar omnium possibilium, ratio omnia determinans. **2.** Deus est prima *veritas formalis*, quae continetur adaequatione intellectus cum objecto; nam divinus intellectus adaequat perfectissime suum objectum princeps i. e. divinam essentiam, quae omnium est

enim objecta *necessaria* sunt; alia ita exsistunt, ut non esse etiam possent seu sunt *contingentia*, eo quod eorum exsistentia pendeat a libero arbitrio sive Dei sive etiam creaturae. Hinc scientia Dei, quatenus priora attingit, dicitur *necessaria* vel *naturalis;* quatenus altero loco recensita intuetur, *libera* sive *contingens.* Iterum objectorum alia sunt physice *exsistentia*, alia tantum *possibilia.* Illa Deus velut coram se intuetur, haec mente ac intelligentia comprehendit. Quare exsistentium cognitio *scientia visionis* dicitur, possibilium comprehensio scientia *simplicis intelligentiae.* Inter utriusque divisionis membra interseritur claritatis gratia, non spiritu novitatis, *tertia* scientia, quae ratione loci *intermedii*, quem occupat, *scientia media* dicitur eaque versatur *circa futura conditionata.*

Articulus III.

De voluntate Dei.

463. Ad *voluntatem Dei* accedentes considerare possumus ejus *objectum, praerogativas*, varias *partitiones, actus.* Quod *objectum* spectat, supponimus: **1.** Divinae voluntatis objectum princeps, quod necessario amat, esse ipsam divinam essentiam seu bonitatem; **2.** objectum secundarium illudque simplici complacentia necessario dilectum esse creaturas possibiles; **3.** voluntatem divinam etiam circa creaturas, si quae exsistant, versari posse; **4.** objectum *formale* motivum et adaequatum divinae voluntatis esse divinam bonitatem; **5.** nullum malum qua tale objectum esse divinae voluntatis; **6.** malum vero sive poenae sive defectus naturalis per accidens objectum esse posse divinae voluntatis.

464. **Thesis LXVI.** ***Licet Deus malum culpae nullatenus velle aut intendere possit, salva tamen sua sanctitate permittere potest.***

Demonstratio p. I. Haec thesis, quae est contra haereticos non solum veteres, sed etiam contra quosdam e *reformatoribus* sec. XVI., est *de fide* ex. conc. tridentini sess. 6. can. 6: „Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita ut bona Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judae, quam vocatio Pauli, A. S." Probatur **1.** *ex divinis literis,* sive cum **a.** exhibent Deum gravissime *prohibentem omne peccatum* absque exceptione et peccatores severissime punientem. Quo enim gravior intentatur poena, eo magis manifestatur, quantum displiceat culpa legislatori. Nulla autem poena major poenis aeternis, quibus Deus punit

---

mensura, regula et exemplar et quidem *per identitatem.* **3.** Deus est *veritas originalis* seu fons omnis veritatis, quae ab eo non solum per revelationem in nos derivatur, sed et per creationem, vi cujus veritas redundat in creaturas, ex creaturis in intellectum, ex intellectu in mores, in verba, in reliqua signa. Denique **4.** Deus ratione sanctitatis est summa *veritas moralis,* quae fallere non potest.

omne grave peccatum. Sive cum **b.** diserte testantur, *Deum abominari,* detestari, odisse malum, iniquitatem, et **c.** qua *motivum efficax* ad omnem sanctitatem sectandam malumque fugiendum proponunt Dei sanctitatem ejusque odium, quo malum aversatur; sive cum **d.** inculcant[1]), Deum ratione suae sanctitatis ad peccatum pellicere non posse. Unde pulchre Hab. 1, 13: *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris.* Quod si ne respicere quidem ad malum potest, quanto minus illud velle et intendere.

465. Probatur **2.** *ex patribus,* quorum hac in re unanimis est sententia, sive cum **a.** distinguentes inter praescientiam et praedestinationem docent, Deum *plura praescire, quam praedestinare:* praescire siquidem peccata, quae nullatenus praedestinat; sive cum **b.** explicant Is. 45, 7.: *Faciens pacem et creans malum: ego Dominus, faciens omnia haec;* et similia Amos 3, 6. Distinguunt enim diligenter inter mala *poenae* et mala *culpae* docentque, Deum quidem illorum auctorem dici posse, nullatenus vero horum, quae tantum permittit. Unus audiatur Basilius, qui praeclaram hoc de argumento scripsit homiliam, in qua n. 2. advertit: „Stultus est ac revera mente privatus et prudentia, qui dicit, Deum non esse. Similis autem huic est et nihil ab eo stoliditate differt, qui malorum causam ait Deum esse. Nam par et aequale utriusque esse crimen arbitror, quoniam ambo similiter bonum Deum negant, ille quidem, dum non esse simpliciter affirmat, hic vero cum non esse bonum ipsum asserit. Nam si malorum est auctor, non est utique bonus. Quare utrimque est Dei negatio.“ Accedit **3.** ratio, quam reddit Maurus *op. theologici* l. 2. q. 59. n. 30. ita scribens: „Cum malum consistat in privatione boni, non potest quis per accidens velle malum, nisi magis velit bonum conjunctum cum malo quam bonum, quo malum privat. Sed Deus non potest magis velle bonum conjunctum cum peccato, quam bonum, quo peccatum privat. Ergo Deus neque per accidens potest velle peccatum. Probatur minor: Nam peccatum privat debito ordine ad bonum divinum; sed Deus nullum bonum potest magis velle quam debitum ordinem ad bonum divinum. Nequit ergo velle bonum conjunctum cum peccato magis, quam bonum illud, quo peccatum privat[2]).“

---

[1]) Ad **b.** Ps. 5, 7: *Mane adstabo tibi et videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es, neque habitabit juxta te malignus . . . Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus;* Prov. 5, 19: *Abominatio est Domino via impii.* Ad **c.** Lev. 11, 44: *Sancti estote, quia ego sanctus sum;* Matth. 5, 48: *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est.* Ad **d.** Jac. 1, 13.: *Nemo cum tentatur dicat, quoniam a Deo tentatur. Deus enim intentator* (ἀπείραστος) *malorum est: ipse autem neminem tentat. Unusquisque vero tentatur a concupiscentia abstractus et illectus. Deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem.* Neque his obsunt, quae alibi legimus, quod Deus quosdam tentet. Nam ‚aliter Deus tentat, inquit Ambrosius *de Abraham* l. 1. c. 8., aliter diabolus; diabolus tentat, ut subruat: Deus tentat, ut coronet.‘

[2]) Non diffitemur, in divinis literis nonnulla occurrere testimonia, quae prima specie adversariis favere videntur, ut cum legitur Deum homines *indurare,*

466. **Demonstratio p. II.** *Peccata fieri permittente Deo* certum est; „nihil enim fit, inquit Augustinus *de Trin.* l. 3. c. 4., visibiliter vel sensibiliter, quod non de interiore invisibili atque intelligibili aula imperatoris summi aut jubeatur aut permittatur, secundum ineffabilem justitiam praemiorum atque poenarum, gratiarum et retributionum in ista totius creaturae amplissima immensaque republica." Hoc autem *non adversari summae Dei sanctitati,* probatur hac ratione: Tunc tantum permissio mali adversatur vel sanctitati vel sapientiae, si **1.** ea efficaciter influit, ut malum peragatur, vel si **2.** quis tenetur malum impedire, nec adhibet media opportuna, vel **3.** si eam nullum consequitur bonum. Atqui permissio Dei non est quaedam conniventia, deterret enim Deus homines a peccando minis, poenis etc.; neque Deus tenetur impedire iis mediis malum, quae illud *impossibile* reddant: alioquin nunquam posset naturas liberas condere, quas sibi permitteret, ut pro arbitrio agant ostendantque, quid valeant, et malitia creaturae vinceret veluti Deum; iis proinde tantum mediis tenetur uti, quae hinc quidem sufficiant ad impediendum malum, inde vero non laedant dignitatem conditionemque naturae creatae, uti sunt media moralia consilii, exhortationis, praecepti etc. Ipsam vero permissionem *consequuntur magna bona,* quae cedunt in majorem Dei gloriam utilitatemque hominum. Nam, ut scribit Augustinus *Enchir.* n. 11., „neque Deus omnipotens, rerum cui summa potestas, cum summe bonus sit, ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens bonus, ut benefaceret etiam de malo." Et revera Adami culpa occasio exstitit redemptionis, qua tantopere Deus glorificatur; inimicorum Christi crudelitas probat martyrum constantiam, qua Deo nihil gloriosius etc.

467. **Thesis LXVII.** ***Inter ceteras, quibus voluntas divina excellit, praerogativas numerari debet libertas.***

Demonstratio p. I. Praerogativae voluntatis divinae sunt, quod **1.** ea *unico purissimoque* constet *actu,* qui **2.** virtute aequivalet in-

---

excoecare, tradere in passiones ignominiae, *praecipere,* ut maledicant (2. Reg. 16, 10.). Sed *praecipere* subinde significat idem ac *permittere* cf. Marc. 10, 3. ss. col. Matth. 19, 7. 8; et generatim adverti debet, genium esse linguae hebraicae, ut verba actionem proxime significantia de iis metonymice usurpentur, qui alicujus operis auctores non sunt, sed ejus praebent occasionem, cum illud non impediunt adeoque permittunt; hinc cum Deus peccata permittat, quae eo non permittente, non fierent, cum ea non impediat, quod tamen posset, iis sapienter utatur ad fines bonos, imo quandoque aliqua faciat, quae aliis peccandi occasionem (sed ex ipsorum malitia) praebent, quod ipse praevidet: non mirum, si pro hac duriori loquendi indole linguae hebraicae ipsi haec opera quodammodo tribuantur. Quo vero sensu hominum excoecatio et induratio Deo possit adscribi, infra dicemus.

numeris re distinctis actibus, quorum perfectionem eminentissime possidet, et **3.** is actus non solum *physice* in ratione virtutis (videl. energiae) est perfectissimus, sed etiam *in ordine morali* insigni *sanctitate* omnique virtute excellit; quod **4.** in decretis semel conceptis *constans sit et immutabilis.* Quas praerogativas excipit **5.** *libertas,* ut patet ex conc. vaticani sess. 3. can. 5. *de Deo rerum omnium Creatore:* „Si quis . . . Deum dixerit, non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum, A. S."

468. **Demonstratio p. II.** Libertas Dei, quae consistit non solum in immunitate a coactione, sed etiam in immunitate a quavis necessitate sive externa sive interna atque expedita eligendi facultate, probatur **1.** ex damnatione erroris Abaelardi (cf. n. 455.); **2.** auctoritate *Scripturae* sive cum Deo simpliciter electionem adscribit, ut 1. Cor. 1, 27; Eph. 1, 4. et 11. etc., sive cum rerum exsistentiam refundit tamquam in ultimam rationem in voluntatem Dei testaturque Deum omnia, quaecunque voluit, fecisse Ps. 134, 6; Ap. 4, 11; Eph. 1, 11; 1. Cor. 12, 11: quae loquendi ratio conciliari nequit cum voluntate ad unum determinata et supponit actum expeditum dominii et electionis, ut patet ex usu loquendi quotidiano. Probatur **3.** ex persuasione Ecclesiae et fidelium, qui a Deo beneficia postulant, pro acceptis *gratias referunt;* atqui ubi dominatur necessitas, nec petitioni, nec gratiarum actioni locus rationabiliter esse potest. Probatur **4.** *via excellentiae et causalitatis;* negari enim nequit, eligendi facultatem actuumque propriorum dominium magnam esse perfectionem, quae reperitur tantum in nobilioribus creaturis; eminentissime ergo reperietur in Deo libertatis auctore. Accedit **5.** *ratio* s. Thomae *contra gentes* l. 1. c. 81., n. 3: „Deus volendo bonitatem suam, vult etiam alia a se, prout bonitatem ejus participant. Cum autem divina bonitas sit infinita et infinitis modis participabilis (etiam aliis modis quam ab his creaturis, quae nunc sunt, participetur): si ex hoc, quod vult bonitatem suam, vellet de necessitate ea, quae ipsam participant: sequeretur, quod vellet esse infinitas creaturas infinitis modis participantes suam bonitatem, quod patet esse falsum: quia si vellet, essent: cum sua voluntas sit principium essendi rebus. Non igitur ex necessitate vult etiam ea, quae nunc sunt."

469. **Scholion.** *De concilianda immutabilitate cum libertate* Dei advertimus: **1.** In libertate creata tria distinguenda sunt: *potentia, actus, terminus;* in divina vero tantum duo: *actus* scil., qui cum potentia identificatur eminenterque aequivalet multis re distinctis actibus, et *terminus.* Jam vero **2.** sicut libertas creata consistit in indifferentia potentiae ad actum et in dominio voluntatis hunc potius quam illum actum eliciendi: ita libertas divina consistit in indifferentia actus ad terminationem et in

dominio illum unum actum ad hoc potius quam illud objectum terminandi seu applicandi, ex qua determinatione rationem induit amoris vel odii pro diversitate objecti. **3.** Porro ad hanc applicationem nullus novus atque re distinctus actus requiritur; nam et voluntas creata non alio actu se determinat ad amandum, alio amat, sed uno eodemque se determinat et amat. Quare **4.** citra ullam mutationem realem libertatis exercitium in Deo quadamtenus saltem explicari poterit.

470. Inter *voluntatis divinae partitiones* eminet illa, qua voluntas Dei distinguitur *in antecedentem* et *consequentem*, seu in *primam* et *secundam*. Nomine autem voluntatis *antecedentis* intelligunt patres voluntatem veram, sinceram, quae non ex hominum meritis, sed ex insita Dei bonitate progerminat eumque veluti primum occupat (unde et *prima* dicitur), quaeque est operosa. Haec voluntas antecedit praescientiam meritorum hominum eaque Deus vult etiam post praevisum Adami lapsum omnium salutem. Nomine autem voluntatis *consequentis* intelligunt patres[1]) eam, quae non est simpliciter Dei, sed solum quadamtenus, utpote quae non ex ipsa Dei natura sponte oboritur, sed hominum liberis malisque factis provocatur et ad quam Deus hominum malitia velut adigitur. Haec consequitur praevisionem peccatorum eaque vult Deus peccatores impoenitentes damnare, et quia haec voluntas secundo veluti loco est in Deo, post praevisam scil. hominum malitiam, *secunda* etiam dicitur. Hanc partitionem excipit ea, qua dividitur voluntas divina *in absolutam* et *conditionatam*. Voluntas absoluta potest talis esse vel antecedenter, quae scil. independenter a conditionibus vult, ut terminus exsistat; vel consequenter, quae scil. vult exsistentiam termini verificata jam conditione. Cum qua nectitur *tertia* partitio in *efficacem* et *inefficacem* sive cui quadamtenus resistitur. Admittendam esse aliquam Dei voluntatem, cui *quadamtenus* resistitur, docent et Scripturae, in quibus passim sermo est de voluntate Dei, quae non impletur Ez. 18, 23; Matth. 23, 37. etc., contra quam agunt impii Prov. 1, 24; Is. 65, 12; Act. 7, 51. etc., et patet ex quotidiana transgressione praeceptorum divinorum, quorum observationem Deus certissime vult. Quamvis autem voluntati divinae quadamtenus resistatur, nec ea semper expleatur, propterea tamen dici nequit *victa*, nam semper est *victrix*. Nam licet homo Deo praecipienti non pareat, proinde resistat, Deus id permittit, neque potest homo inobediens se subtrahere Dei dominio, nec impedire, quominus Deus voluntatem suam ipsum puniendo adimpleat.

471. *Actus divinae voluntatis* ad duo suprema genera revocari pos-

[1]) Dicimus *patres:* theologi enim modo libenter *omnem* Dei voluntatem, quae consequitur praescientiam, proinde etiam quae consequitur praescientiam meritorum, qua proinde absolute vult electorum salutem, *consequentem* vocant. Patres vero videntur hanc revocasse etiam ad voluntatem antecedentem, quia revera ea idem vult, quod illa, sed jam absolute propter adimpletam conditionem.

[2]) Praeter meritum quondam celebris fuit partitio voluntatis divinae in *voluntatem beneplaciti* et *voluntatem signi*. Illius nomine designatur omnis voluntas Dei vera et sincera: hac vero *signum* tantum *voluntatis*, quod metonymice dicitur *voluntas*. Enumerant autem theologi *quinque* ejusmodi signa, scil. *praeceptum, prohibitionem, permissionem, consilium* et *operationem*.

sunt, ad *creationem* scil. et *providentiam*. De creatione alibi agitur; *providentiam* vero hic non considerabimus secundum suam exsecutionem (hoc enim spectat ad diversos tractatus), sed tantum quatenus est ratio ordinis rerum in finem in Deo exsistens, ut eam definit s. Thomas 1. p. q. 22. a. 1. Ea pro diversitate finis et mediorum in *naturalem* et *supernaturalem* distinguitur. Porro evidens est, generatim aliquam providentiam exsistere. „Universa enim, docet concilium vatic. sess. 3. cap. 1., quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter (Sap. 8, 1.)". Et revera, ut advertit Lactantius *de ira Dei* c. 9. contra Epicurum, „si est Deus, utique providens est ut Deus, nec aliter ei potest divinitas attribui, nisi et praeterita teneat et praesentia sciat et futura prospiciat. Cum igitur providentiam sustulit (Epicurus), etiam Deum negavit esse. Cum autem Deum professus est, et providentiam simul concessit. Alterum enim sine altero nec esse prorsus, nec intelligi potest." Sufficit divinam providentiam ea ex parte vindicare et illustrare, ex qua prae ceteris impugnari solet.

472. **Thesis LXVIII.** ***Immerito providentia Dei in dubium vocatur vel 1. propter mala, quae physica dici solent, vel 2. propter mala moralia, vel 3. propter inaequalem bonorum distributionem conditionemque fortunae, quam scil. saepe impii bonis hujus mundi abundent, dum iis justi destituantur.***

Demonstratio p. I. Nomine mali *physici* intelligimus defectus naturae ac ea, quae naturae damnum, dolorem ipsumque interitum afferunt, ut morbi, venena, calamitates publicae etc. Ob ejusmodi mala Epicurus teste Lactantio *de ira Dei* c. 13. negavit divinam providentiam. Verum **1.** ad rem sunt verba Augustini *in Psalm.* 148: „In officina non audet homo reprehendere fabrum et audet reprehendere in hoc mundo Deum!" **2.** Si patres et vel ipsos philosophos interrogemus, respondebunt nobis, tantum abesse, ut mala obsint divinae providentiae, ut hanc potius commendent, quod *similitudinibus* rationibusque probant; similitudinibus ut oratorum, cantorum, pictorum, qui coloribus umbras, vocibus canendi intercapedines admiscent i. e. bonis eorum privationes, ad demonstrandam suam peritiam operisque perfectionem. Provocant ad *rationes,* quod **a.** scil. tota haec difficultas praepostera innitatur providentiae notione; neque enim haec exigit, ut bonus provisor prae ceteris prospiciat bono particulari, sed in primis universali, quod quandoque exigit permissionem ejusmodi defectuum, qui cedunt quidem in quorundam damnum aliquod; quod **b.** perfectio universi exigat varietatem, varietas inaequalitatem bonorum, inaequa-

litas vero sine aliquo mali afflatu esse nequeat; quod **c.** praepostere haec mala judicemus, quia nobis sunt mala nobisque non placent, cum aliis sint bona. **3.** Si haec mala *in lumine fidei* considerentur, ea divinae providentiae non obesse longe facilius ostenditur. Ea enim *sunt sequela peccati* originalis, proinde non Deo, sed protoparentibus transgressoribus adscribi debent. Sunt deinde plerumque poenae peccatorum actualium, occasionem praebent satisfactionis et meriti simulque stimuli instar sunt, quo homines, ut sursum tendant impelluntur, ne hanc terram paradisum esse opinantes verae beatitudinis penitus obliviscantur.

473. **Demonstratio p. II.** Primum in memoriam revocentur verba s. Augustini l. 2. *c. advers. legis et prophet.* c. 14: „Aut vero usque adeo desipiendum est, ut homo videat melius, aliquid fieri debuisse, et hoc Deum vidisse non putet; aut putet vidisse et credat facere noluisse; aut voluisse quidem, sed minime potuisse? Avertat hoc Deus a cordibus nostris.“ Deinde eatenus mala moralia divinae obessent providentiae, quatenus vel **a.** Deus illa non puniret, vel **b.** illa ordinem a se statutum turbarent, vel si **c.** Deus ex illis bonum elicere eaque ad finem universi ordinare non posset. Atqui *certum* est, Deum vel minimum peccatum poenitentia non deletum severe punire; *certum* est, peccatis ordinem a Deo statutum non turbari, cum nullum eo non permittente esse possit; *certum* denique est, Deum vel ex malis bona elicere iisque bene uti (n. 466).

474. **Demonstratio p. III.** Negari nequit, dispari fortunae conditione piorum et impiorum, illorum tristi, horum felici, plures commotos fuisse in fide circa providentiam Dei, ut de se testatur David Ps. 72, 2. ss. Cf. Job 21, 7. s.; Jerem. 12, 1. s. Verum advertatur **1.** hanc inaequalitatem plerumque *exaggerari*, neque uti par est rationem haberi bonorum spiritualium animi, quibus etiam in egestate fruuntur justi, malorumque animi et reae conscientiae, quibus iniqui vel inter delicias anguntur. **2.** Eatenus ex his malis, quibus hinc inde premuntur justi, posset aliquid contra divinam providentiam excipi, quatenus justis obessent ad consequendam veram felicitatem. Atqui, inquit Augustinus *de Trin.* l. 13. n. 20., „*prosunt ista mala,* quae fideles pie perferunt, vel ad emendanda peccata vel ad exercendam probandamque justitiam vel ad demonstrandam vitae hujus miseriam, ut illa, ubi erat beatitudo vera atque perpetua, et desideretur ardentius et instantius inquiratur.“ **3.** Tunc vim haberet exceptio ista, si praesens vita stadium esset praemii, quietis, beatitudinis, termini; atqui militia est vita hominis super terram, est stadium agonis, laboris et meriti, in quo proinde durior est conditio militis strenui et fortis, quam

ignavi et inertis: eo majus autem etiam erit praemium et splendidior palma.

4. Patres egregias plane rationes hujus inaequalis distributionis afferunt. Ita Augustinus *de civit. Dei* l. 1. c. 8: „Ostendit Deus saepe in his (bonis) distribuendis evidentius operationem suam. Nam si nunc omne peccatum manifesta plecteret poena, nihil ultimo judicio servari putaretur. Rursus si nullum peccatum nunc puniret aperte divinitas, nulla providentia divina crederetur. Similiter in rebus secundis, si non eas Deus quibusdam petentibus evidentissima largitate concederet, non ad eum ista pertinere diceremus; itemque si omnibus eas petentibus daret, nonnisi propter talia praemia serviendum illi esse arbitraremur, nec pios nos faceret talis servitus, sed potius cupidos et avaros.“ Denique **5.** cum nullus sit impiorum, qui non subinde aliquid boni fecerit, nec ullus justorum, qui non hinc inde peccet: congruum est, ut Deus illis praemium saltem temporale largiatur, cum ab aeterno excludantur: hos vero tribulatione purget temporali, quo citius beatitudinem adipiscantur sempiternam.

475. Jam ad considerationem providentiae Dei, quatenus respicit ordinem *supernaturalem*, accedamus et fundamenti loco sit:

Thesis LXIX. ***Deus voluntate antecedenti vera et sincera vult non tantum praedestinatos salvos fieri, sed etiam alios praeter eos, qui reipsa salvantur, imo vult omnium adultorum salutem.***

Demonstratio p. I. Thesis statuitur contra calvinianos et jansenianos, secundum quos Deus serio et sincere non vult nisi salutem electorum. Quoad priorem partem, ea est *de fide,* ut patet ex conc. tridentini sess. 6. can. 17. et ex prop. 5. Jansenii damnata: „Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse,“ quae declarata est „intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinae pietati derogans, *haeretica.*“ Altera pars thesis non quidem est de fide, continet tamen doctrinam in Ecclesia communem. Probatur prior pars: **1.** Voluntas est Dei Patris, ut omnis, qui credit in Filium, vitam habeat aeternam Joan. 3, 16; 6, 38. 40; atqui pereunt vel saltem perire possunt etiam aliqui ex illis, qui prius vere in Christum crediderunt et pro quibus ipse Christus mortuus est[1]). **2.** Deus profecto vult sincere salutem omnium illorum, quos *in filios adoptat* et regni sui heredes constituit; atqui Deus praeter praedestinatos alios quoque adoptat in filios et beatitudinis coelestis heredes efficit, scil. omnes eos, qui rite sunt baptizati, e quibus tamen non omnes salvantur. **3.** Christus sincerissime voluit judaeorum salutem Matth. 23, 37; atqui ipso teste illi noluerunt. Ergo

---

[1]) *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est* Rom. 14, 15; 2. Petr. 2, 1.: *Erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum, qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem;* 1, 10 etc.

Deus praeter praedestinatos alios vult salvos fieri. Ceterum haec pars a fortiori probatur argumentis p. II.

476. **Demonstratio p. II.** Praetermissis c. 11. et 12. Sap., quibuscum nullo pacto conciliari potest voluntas Dei salutifera, quae aliquorum tantum velit salutem, provocamus ad locum classicum Pauli ad Timotheum 1. ep. 2, 1. ss.: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis.* Quibus accurate expensis haec eruuntur argumenta: **1.** Omnes eos vult Deus salvos fieri, pro quibus orare tenemur. Atqui sive spectentur verba Pauli commate 1. sive monitum Christi Matth. 5, 44. s., sive jugis Ecclesiae praxis, optima praecepti Pauli interpres, sive dicta patrum, *pro omnibus hominibus nullo excepto* orandum est. Quare, ut respondet Prosper *ad c. 2. gallorum,* „sincerissime credendum est atque profitendum, Deum velle, ut omnes homines salvi fiant; siquidem apostolus, cujus est ista sententia, sollicite praecipit, quod in omnibus Ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus supplicetur[1]." **2.** Paulus diserte dicit: *Deum velle omnes homines salvos fieri.* Atqui vox *omnes* universalissima potestate accipi debet, adeo ut *nemo* exclusus sit, ut constat tum ex collatione cum commate 1., tum ex collatione cum aliis Scripturae locis[2]. **3.** Ratio, cur Deus *omnes* velit salvos

[1]) Una est difficultas, quae petitur ex verbis Christi Joan. 17, 9: *Ego pro eis* (discipulis) *rogo: non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt;* ex quibus inferri posset, Christum non pro omnibus esse mortuum, cum ne oraverit quidem pro omnibus. Verum **1.** haec exceptio non videtur sufficiens ad obscuranda tam clara repetitaque testimonia pro universalitate voluntatis salutiferae; neque enim **2.** ex eo, quod Christus *hac vice* non oraverit pro mundo, sequitur, eum *nunquam* pro illo orasse. Imo **3.** vel hac occasione oravit pro mundo dicens v. 20: *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum, in me, ut omnes unum sint . . . ut credat mundus, quia tu me misisti.* Ergo scopus mediatus orationis Christi erat etiam, *ut credat mundus.* Quare significavit Christus, se *illa occasione* non ea ratione orare pro mundo, qua pro discipulis oravit. Rogat scil. pro discipulis Patrem, exhibendo velut motivum discipulorum *fidem* et *dilectionem,* ut Pater eos servaret. Sed pro mundo neque ex hoc motivo, neque pro perseverantia in bono, quo jam mundus frueretur, rogare potuit.

[2]) Tim. 4, 10: *Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium;* 2. Petri 3, 9: *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam*

fieri, redditur a Paulo verbis: *unus enim Deus.* Eatenus ergo aliquis exclusus censeri posset a voluntate Dei salutifera, quatenus Deus non esset illius Deus, quod cum sit absurdum, *nullus* exclusus est. Cf. Rom. 3, 29. **4.** Altera ratio effertur verbis: *Unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Atqui Christus omnium eorum est mediator, quorum naturam assumpsit; „nullus autem, inquit Prosper *in resp.* ad obj. 7. vincent., omnino est ex omnibus hominibus, cujus natura a Christo Domino assumpta non fuit.“ **5.** Omnes eos vult Deus salvos fieri, quos Christus sanguine suo redemit; sed teste Paulo v. 6. Christus *omnes* redemit: dedit enim redemptionem semetipsum *pro omnibus, pro toto mundo* 1. Joan. 2, 2; pro *omnibus* hominibus nullo excepto 2. Cor. 5, 15: *Quod si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt;* pro iis quoque, qui pereunt 1. Cor. 8, 11; 2. Petr. 2, 1. *delens quod adversus nos* omnes *erat chirographum decreti* damnationis *affigens illud cruci* Colos. 2, 14. Confirmatur denique **6.** interpretatio et illatio nostra suffragio patrum [1]). Ita ex. gr. statuit Prosper in *resp. ad cap. call.* n. 8: „*Omnium* ergo hominum cura est Deo, et *nemo* est, quem non aut evangelica praedicatio aut legis testificatio aut ipsa etiam natura conveniat. Sed infidelitatem hominum ipsis adscribamus hominibus, fidem autem donum Dei esse fateamur.“ Quocirca concilium carisiacum a. 849. adv. Gottescalcum c. 3. docet: „Deus omnipotens omnes homines *sine exceptione* vult salvos fieri, licet non omnes salventur. Quod autem quidam salvantur, salvantis est donum; quod autem quidam pereunt, pereuntium est meritum.“

477. **Scholion I.** Licet voluntas Dei salutifera vera et sincera sit, non tamen est absoluta, sed *conditionata:* nam Deus vult hominum salutem sub conditione cooperationis cum gratia et usus mediorum. Quare

---

existimant: sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti; Ez. 18, 23: *Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis et vivat?* 33, 11: *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat.*

[1]) Verum quidem est, Augustinum cum aliis haec verba Pauli explicare vel **a.** ita, ut sensus sit: Omnes qui salvantur nonnisi Deo volente salvari; vel **b.** sensu causali, scil. Deum efficere, ut nos velimus omnes salvos fieri; vel **c.** ita, ut significetur Deum velle ex omni hominum classe et conditione aliquos salvos fieri. Sed **1.** Augustinus commentarium nostrum nunquam rejicit, imo **2.** et *aequivalenter* et *diserte* tuetur. Triplex vero ille commentarius **3.** *hermeneutice* spectatus non se commendat, neque **4.** ab ullo interprete in praesentia proponitur (saltem si *exclusive* accipitur), ut qui genuinum, proprium atque immediate a Paulo intentum sensum exhibeat. Quare **5.** nonnisi praesupposito commentario nostro admitti poterit: veram enim doctrinam enunciat, quae cum voluntate salutifera universali haud aegre conciliatur. Cf. *Comp.* II, 74. ss.

1. voluntas antecedens causa quidem est *potestatis adipiscendae salutis,* non vero causa *unica* assecutionis salutis; hujus siquidem *duplex* est causa: altera *princeps* et divina, Deus scil. per gratiam; altera *subjugis* et humana, libera scil. hominum cum gratia cooperatio. Liquet **2.**, quare non obstante sincera Dei voluntate non omnes salventur, quia scil. nolunt, gratia non utuntur etc., quo pacto patres respondent. Ita Hieronymus *in Ephes.* 1, 11: »Vult autem (Deus) ea, quaecunque sunt plena rationis atque consilii, vult salvari omnes et in agnitionem voluntatis venire. Sed quia nullus absque voluntate salvatur, liberi enim arbitrii sumus, vult nos bonum velle, ut cum voluerimus, velit in nobis et ipse suum impleri consilium.« Et ipse Augustinus tract. 12. *in Joan.* n. 12: »Quantum in medico est, sanare venit aegrotum. Ipse se interimit, qui praecepta medici observare non vult. Venit Salvator ad mundum; quare Salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum? . . . Salvari non vis ab ipso? ex te judicaberis.« Neque aliter respondere poterant, cum vel ipsae *Scripturae* interitum hominum in eorum perversam voluntatem refundant, quod scil. Deum vocantem non audiant Prov. 1, 24., Domino tota die manus expandenti contradicant Is. 65, 2., verbum praedicatum blasphement Act. 13, 46., Spiritui sancto resistant Act. 7, 56., tenebras magis ament quam lucem Joan. 3, 19., Deo vel blandienti terga vertant Matth. 23, 37. etc.

478. **Scholion II.** Potior difficultas contra universalitatem voluntatis Dei salutiferae petitur *ex infantibus ante baptismum susceptum vita functis.* De qua quaestione haec advertimus: **1.** Cum infantes etiam pertineant ad *omnes,* pro quibus orandum sit, quorum Deus sit creator, qui in Adamo mortui sint, quorum naturam mediator Christus assumpserit, et pro quibus sit mortuus, concludendum est: *voluntatem Dei salutiferam ad hos quoque se extendere.* Tamen **2.** voluntas Dei sicut quoad adultos ita etiam quoad infantes est *conditionata;* vult enim illos salvos fieri *sub conditione collationis baptismi,* quae multipliciter pendet a cooperatione parentum aliorumque, quorum curae ipsi sunt concrediti. Sicut ergo fieri potest, ut infantes ex negligentia parentum salutem corporis amittant, ita fieri poterit, ut ex illorum negligentia salutem animi non consequantur, cum quoadusque infantes sibi ipsi consulere nequeunt, utraque salus sit aliis concredita. Non videtur autem **3.** defendi posse, applicationem baptismi et salutem pendere *unice* a voluntate eorum, quorum curae concrediti sunt infantes, saepe etiam pendet a *causis legibusque physicis;* vult enim Deus omnium salutem in *hoc ordine naturali.* Jam vero fieri potest, ut leges naturales exigant mortem, antequam applicetur baptismus. Quare **4.** dicendum est, Deum velle omnium infantium salutem per applicationem meritorum Christi in baptismo *sub* duplici *conditione,* si scil. et causae morales et physicae, liberae nempe hominum voluntates et naturalis ordo physicus non obsistant.

479. **Thesis LXX.** ***Cum voluntate Dei salutifera universali conciliari nequit reprobatio negativa a gloria coelesti.***

Demonstratio. Sententia Calvini est, Deum antecedenter ante omnis mali meriti, etiam ipsius peccati originalis praevisionem decreto absoluto homines, qui pereunt, aeterno destinasse exitio ad suam in eis justitiam manifestandam. Quod opinionis portentum pugnat cum

voluntate Dei salutifera universali, Deo est plane indignum, eumque injustitiae reum constituit. Quare jam in antiqua Ecclesia qua impium rejectum fuit et blasphemum. Ita conc. arausicanum II. can. 25. statuit: „Aliquos ad malum divina potestate praedestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione iis anathema dicimus."

480. Hac haeresi reprobata plurium theologorum catholicorum rejicimus sententiam, secundum quos ut ex. gr. Didacum Ruiz *de praedestinat.* disp. 14. Deus eos, qui salvantur, elegit, ante eorum praevisa merita, imo ut alii volunt cum Suarez *de praed.* l. 1. c. 12. coll. 10. ante ipsum peccatum originale praevisum, et quidem decreto quo definivit salvandorum numerum, personas, gradus gratiae et gloriae. Ex quo consequitur, illos quos praeteriit Deus in sua electione, non esse praedestinatos et quidem ante omnem praevisionem peccatorum, et quia nullus non praedestinatus potest consequi gloriam, esse exclusos a gloria, quod reprobationem *negativam* vocant. Verum **1.** candide fatemur, hanc sententiam conciliari non posse cum voluntate seria Dei salvandi *omnes* homines. Is enim sincere non vult salutem omnium hominum (nisi ludamus verbis), qui aliquos antecedenter et quasi a priori a salute excludit. Atqui Deus eo ipso quod aliquos in praedestinatione, quae antecedat omnem praescientiam cooperationis humanae, praeterierit, eos a salute excludit. Impossibile enim est, ut qui non est praedestinatus, salvetur, et quidem impotentia non consequenti praevisionem malitiae humanae, sed antecedente omnem volitionem humanam atque pendente unice ab ipsa praedestinatione divina. Et quomodo **2.** poterit Deus affirmare et jurare, se nolle *quemquam* perire (2. Petr. 3, 9.), se nolle mortem peccatoris (Ez. 18, 23; 33, 11.), si *a priori independenter* a praevisione peccatorum innumeros a salute exclusit vel ut euphemistice loqui adamant, in praedestinando praeteriit? Propterea enim omni studio et sollertia invigilare debebit, ne salvetur, ac proinde eas semper de industria seligere gratias, quas inefficaces fore in sua scientia media praeviderit, subtractis sedulo iis, quas efficaces fore cognoverit, qua gratiarum distributione nihil indignius Deo.

481. Miramur autem **3.** quomodo theologi doctrinae Augustini adeo addicti reprobationem tueantur negativam, quam adeo reprobat Prosper, fidelissimus tanti doctoris discipulus, ut *respons. ad c. 3. gallorum* scribat: „Quod hujusmodi (peccatores) in haec prolapsi mala sine correctione poenitentiae defecerunt, non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia praedestinati non sunt; sed ideo praedestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria praevaricatione praesciti sunt;" et iterum cap. 12: „Vires obedientiae non ideo cuiquam subtraxit (Deus), quia eum non praedestinavit: sed ideo eum non praedestinavit, quia recessurum ab ipsa obedientia

praevidit;" quae saepissime paucis illis capitulis inculcat. Denique **4.** ut plura, quae Lessius[1]) *de div. perf.* l. 14. c. 2. disputat, paucis complectamur, dicimus opinionem de reprobatione negativa exstinguere zelum animarum, studium propriae salutis bonorumque operum, populo propositam vix non parere desperationem, verbo ejusmodi edere fructus, qui non sunt characteres doctrinae revelatae.

482. **Thesis LXXI.** ***Praedestinatio adultorum ad gloriam non absolutae voluntati Dei antecedenti, sed voluntati consequenti praevisionem meritorum gratiae tribuenda est.***

Declaratio. *Praedestinationis* nomen nunc latius, nunc pressius accipitur; generatim pro quavis praedefinitione divina accipi potest, et sic se extendit ad omnia, quae Deus ab aeterno statuit vel per se facere in tempore vel fieri per creaturam; quo sensu etiam apud patres scriptoresque ecclesiasticos adhibetur de decreto Dei, quo ab aeterno peccatores propter praevisam impoenitentiam finalem aeternae addicit damnationi. Restringitur deinde hoc nomen ad decreta Dei in ordine ad oeconomiam salutis (cf. Thomas 1. p. q. 23. a. 1.), et si de homine est sermo, generatim definiri potest *ordinatio hominum ad finem aliquem supernaturalem antequam exsistat.* Unde liquet praedestinationem speciem esse eamque nobilissimam providentiae Dei. Plures autem distingui possunt velut *gradus* seu *stadia finis supernaturalis.* Hic enim incipit cum prima gratia, promovetur per subsequentes gratias, perficitur in justificatione, splendet in perseverantia, consummatur in gloria; ideoque *varii gradus praedestinationis* distingui possunt, qui commode ad *duos* revocantur scil. ad *gratiam* et ad *gloriam.* Si praedestinatio consideratur et ad gratiam et ad gloriam simul, *completa* dicitur: *incompleta* vero, si consideratur, quatenus est vel ad gratiam vel ad gloriam.

483. Supponimus **1.** praedestinationem ad *primam* gratiam esse plane gratuitam, cum prima gratia nullis reddatur meritis naturalibus, ut demonstratur in tract. *de gratia.* Supponimus **2.** praedestinationem *adaequate* spectatam i. e. in quantum refertur et ad gratiam et ad gloriam seu ad *universum ordinem supernaturalem,* quatenus complectitur et finem et media, esse gratuitam; nam **a.** ordo supernaturalis omnia superat merita, omnem exigentiam naturae. Quare destinatio ad illum nequit esse debita. Praeterea **b.** licet gratia adjuti alias gratias imo et gloriam mereri possi-

---

[1]) Verissime is advertit, quamvis sit discrimen *speculativum* inter reprobationem hanc *negativam* et *positivam,* quam omnes catholici abhorrent, „tamen in ordine ad mores et aestimationem moralem hominum parum videntur differre: nam ad omnem sollicitudinem tollendam parum interest, sive dicamur *positive* reprobati, sive *negative,* si *aeque* infallibiliter ex tali decreto sequitur damnatio." Saltem faveant patroni hujus reprobationis negativae assignare discrimen non *verbale,* sed *reale,* quod *intelligatur,* quod conciliari possit cum seria voluntate Dei salutifera, quodque altera ex parte *vere cohaereat* cum proprio systemate atque in praxi, in concionibus *non neget,* quod in praemissis et theoretice affirmatur! Frustra quaeris in ejusmodi theoria harmoniam et concordiam inter *theoriam* et *praxim.* Quod *operose* subtiliterque in scholis probatur, in *prima* concione *confidenter* negatur.

mus, prima tamen gratia est gratuita: consequenter omnia merita, quae pendent ab hac gratia, pariter rationem doni habent. Quare vel ipsa vita aeterna, quae alioquin merces et corona est, a Paulo Rom. 6, 23. *gratia* dicitur. Hoc sensu patres adversus pelagianos et semipelagianos defendebant praedestinationis gratuitatem; nec alio sensu theologi scholae eam tuebantur. Qua animadversione plurima eliduntur testimonia, quae objici solent adversus praedestinationem ad gloriam post praevisa merita gratiae, cum in illis non de ea sit sermo, sed de praedestinatione vel ad *solam* gratiam, vel ad gratiam *simul* et ad gloriam, quam utramque ultro *gratuitam* esse concedimus.

484. **Demonstratio.** Omnes theologi in eo conveniunt, gloriam *in tempore* conferri *propter merita.* Quaestio autem est, utrum Deus etiam *ab aeterno* electis gloriam decreverit et destinaverit *propter* eorundem *merita* ex gratia *praevisa,* an independenter ab illis. Sunt et numero plures et auctoritate graves [1]), qui hoc ultimum tuentur. Praeferenda videtur sententia docens, Deum sicut in tempore confert gloriam propter merita, ita ab aeterno gloriam electis parasse, destinasse propter merita eorundem praevisa, qua de sententia merito s. Franciscus Salesius ad Lessium scribit 26. Aug. a. 1618: „Cognovi paternitatem vestram sententiam illam *antiquitate, suavitate,* ac *Scripturarum* nativa *auctoritate* nobilissimam de praedestinatione ad gloriam post praevisa merita amplecti ac tueri. Quod etiam mihi gratissimum fuit, qui nimirum eam semper ut Dei misericordiae ac gratiae magis consentaneam ac amabilem existimavi: quod etiam tantisper in libello *de amore Dei* indicavi." Probatur **1.** per modum *corollarii ex thesibus* praecedentibus. Si enim **a.** Deus sincere et serio vult *omnes* homines salvos fieri; si propterea **b.** rejici debet reprobatio *negativa;* si **c.** ratio, quare multi homines actu non salvantur, non in defectum voluntatis salutiferae Dei, sed in defectum cooperationis refundi debet, liquet, Deum gloriam electis non destinasse *absolute*, antequam praeviderit eorum cooperationem bonumque usum gratiae.

485. Probatur **2.** luculenta *Scripturae auctoritate.* Loco multorum testimoniorum expendatur descriptio *judicii universalis* Matth. 25, 38.

---

[1]) Cujusmodi sunt Suarez, Ruiz, Bellarminus, thomistarum schola etc., qui systema suum ita concipiunt: **1.** Deum voluntate *antecedenti* omnem praevisionem meritorum ab aeterno certum fixumque numerum electorum ex universa hominum multitudine determinasse, e quo constare deberet coelestis urbs Jerusalem; voluisse tamen **2.** ut hi electi per merita (si essent adulti) dum viverent obtinerent et consequerentur gloriam aeternam: quam idcirco **3.** propter eorum merita, quae habituri sunt, praemii instar (in ordine exsecutionis) in tempore ipsis conferet, ideoque **4.** eum selegisse gratiarum ordinem, quo hi electi *infallibiliter* acquirerent merita in antecessum jam determinata et per haec certissime gloriam aeternam ipsis ab aeterno destinatam.

Hic **a.** describitur verum *judicium,* in quo Deus *justissimi judicis* partes obit, distribuens pro meritis demeritisque praemia vel poenas. Atqui hoc judicium ad nudam fictionem caeremoniamque redigitur, si Deus independenter a meritis electis suis jam infallibiliter et ante omnem praevisionem cooperationis meritorumque destinasset gloriam. Ad haec **b.** ratio collationis praemii refunditur evidenter in merita: *Esurivi enim et dedistis mihi manducare;* non minus ac poena refunditur in demerita malorum. Atqui nemo dicet, poenam ante praevisa demerita destinatam fuisse reprobis. Ergo neque praemium praedestinatum erit ante praevisa merita [1]. Quare **c.** bene Chrysostomus hom. 80. n. 2. in haec verba scribit: „Possidete hereditate quasi propria, quasi paterna, quasi vestra, quae vobis a principio debebantur: nam antequam nati sitis, *quia sciebam* vos hujusmodi futuros, haec a me praeparata fuere." Accedunt **d.** variae *parabolae,* ut parabola operariorum Matth. 20, 1. ss.; hominis veste nuptiali non induti 22, 1. ss.; talentorum 25, 13. ss.: eaque testimonia, in quibus vita aeterna exhibetur ut *corona*, quae non datur absque legitimo certamine et cursu, ut *merces,* quae redditur meritis sicut ignis redditur ut justa poena demeritis. Atqui hisce in locis [2] ne minimum quidem apparet vestigium antecedentis cujusdam electionis: imo gloria exhibetur ita pendens a nobis, sicut poena, et ita ut ab ea excidere possimus ob defectum cooperationis; quare non independenter a praevisis meritis destinata est justis. Ideoque **e.** in

---

[1] Prorsus pro arbitrio patroni alterius sententiae supponunt, ordinem *exsecutionis* non respondere ordini *intentionis* inversoque se habere modo. Nam id quoad reprobos admitti nequit: *quo jure* ergo alius destinationis ordo fingitur circa praedestinatos, cum Christus *ex aequo* refundat praemium in merita sicut poenam in demerita? ‚Aliter suspicari, inquit ad rem Petavius l. 10. *de Deo* c. 2. §. 6., in destinando se gessisse Deum atque in exsequendo, quod decreverat, divinare prorsus est ut jam dixi, si hoc nulla Scripturarum oracula persuadent, nulla secretorum divinorum conscia vox et interpres.‘ Etiam s. Thomas lect. 6. in *ep. ad Rom.* 8. statuit: ‚Eadem ratione omnia beneficia, quae nobis confert ex tempore, praeparavit nobis ab aeterno;‘ et parabolis, ad quas in textu provocamus, theoria haec arbitraria prorsus excluditur. Cf. Franzelin *de Deo uno* th. 57.

[2] 1. Cor. 9, 24: *Nescitis, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis.* 2. Tim. 4, 7: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* 1. Cor. 3, 8: *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem;* Rom. 2, 5: *Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus.* Cf. Apoc. 11, 18; 2. Petr. 2, 13. etc.

divinis literis monemur[1]), ut magna diligentia et sollicitudine utamur, ne a gloria excidamus. Ejusmodi vero timor et sollicitudo plane esset inutilis, si gloria antecedenter ante merita praevisa absolute infallibiterque esset destinata, imo esset Deo injuriosa; diffideremus enim quasi de efficacia divinae praedestinationis. Denique **f.** in divinis literis vita aeterna promittitur sub conditione, ita Matth. 19, 17: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata,* etc. Atqui promissio sub conditione pugnat cum voluntate absoluta antecedente praevisionem adimpletae conditionis. Ergo gloria electis non est destinata ante praevisam adimpletionem conditionis, sollicitudinem, cooperationem i. e. ante praevisa merita gratiae.

486. Probatur **3.** sententia nostra luculento patrum suffragio[2]). Seposita interim doctrina et auctoritate Augustini *nullus est patrum,* qui oppositam sententiam doceat, cum econtra nostram tueantur et diserte et aequivalenter quam plurimi **a.** occasione verborum Christi Matth. 20, 21. ss. Ita Cyrillus al. *thes.* ass. 26: „Servator iniquum esse censuit, summum honorem petentibus prompte conferre, repulsis iis, quibus legitime debetur; iis enim deferri aequius est, quibus *praescientia* Patris ob virtutum recteque factorum excellentiam eum *praeparavit.*“ A qua expositione non dissentit Augustinus *in Ps.* 126. n. 4.: „Quid est, non est meum dare vobis? Non est meum dare superbis: hoc enim adhuc erant; sed si vultis accipere, nolite esse quod estis. Aliis paratum est; et vos alii estote et vobis paratum est.“ Quibus aequivalenter continetur notum illud axioma: *Si non es praedestinatus, fac ut praedestineris.* Quare hoc axioma censeri potest

---

[1]) 2. Petri 1, 10: *Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Quomodo potest Petrus fideles hortari, ut *per bona opera certam* faciant suam *electionem,* si haec est certa per praedestinationem *immutabilem,* independentem a bonis operibus, quae Deus ipse gratiis de industria selectis procurare et tribuere debet praedestinatis, ne in praedestinationis exsecutione a scopo intento aberret? Haec exhortatio in alia sententia carere videtur sensu. Philipp. 2, 12: *Cum metu et tremore salutem vestram operamini.* 1. Cor. 10, 12: *Itaque qui se existimat stare, videat, ne cadat.* Rom. 11, 22: *Vide ergo bonitatem et severitatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin et tu excideris.* Ap. 3, 11: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.*

[2]) Nostrae sententiae accedit et Ecclesia in orat., qua precatur: ‚Deus, qui omnium misereris, quos *tuos fide et opere futuros esse praenoscis*‘ etc., quae desumpta videntur ex l. *de praedestinat. Dei* (in append. opp. s. Augustini Migne 45, 1680) n. 7: ‚Quos Deus suos fidei opere futuros esse praenovit, hos praedestinavit ad gloriam.‘ Suffragatur ecclesia graeca in synodo hieros. (a. 1672.), quae statuit, Deum ‚illos praedestinasse, quos arbitrio suo bene usuros praescivit, quos vero male, damnasse. Hunc porro liberi arbitrii usum ita intelligimus, ut divina quidem illuminatrix gratia, quam et praevenientem appellamus, ceu lumen in tenebris a divina bonitate omnibus impendatur, ac postmodum iis, qui obtemperare illi atque ad ea, quae tamquam saluti pernecessaria haec ipsa praecipit, cooperari voluerunt (neque non volentibus utilis est, sed solum volentibus), peculiaris gratia subministretur‘ etc.

non solum *verum*[1]), uti est, sed et *augustinianum*. Patres eam tuentur **b.** cum explicant Rom. 8, 30: »*Quos praescivit, hos et praedestinavit;*« ita Ambrosius *de fide* l. 5. c. 6. n. 82: »Quos praescivit, hos et praedestinavit, quia *non ante* praedestinavit, *quam praescivit:* sed quorum merita praescivit, eorum praemia praedestinavit.« Eam tuentur **c.** aliis occasionibus, ut Fulgentius l. 1. *ad Monimum* c. 24: »Ostensurus itaque Deus, quid reddendum praesciverit et quid donandum, praedestinavit illos ad supplicium, quos a se praescivit voluntatis malae vitio discessuros, et praedestinavit ad regnum, quos ad se praescivit misericordiae praevenientis auxilio redituros, et in se misericordiae subsequentis auxilio esse mansuros.« Cf. *Comp.* II, 86. s.

487. **Scholion.** Paucis expendamus potiora patronorum alterius sententiae argumenta. Provocant **1.** ad Matth. 24, 22: *Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos breviabuntur dies illi;* v. 24: *Surgent pseudochristi est pseudoprophetae et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*; quod testimonium nonnullis videtur pro sua sententia *classicum:* verum animadvertimus, dum ex illo arguunt, aliqua supponunt, quin probent, et ex his suppositis aliqua minus legitime inferunt. Supponunt **a.** nomine *electorum* designari *praedestinatos ad gloriam:* sed eo possunt significari generatim *fideles* vel *justi.* Cf. 1. Petr. 1, 1; 2, 9; Coloss. 3, 12; 2. Tim. 2, 10. etc. Supponunt **b.** praepositionem *propter* exprimere causam *finalem:* sed probabilius significat causam *meritoriam,* quod scil. propter justorum merita et orationes abbreviandi sint dies tribulationum (cf. Gen. 18, 23. ss.). Supponunt **c.** sermonem esse de salute *supernaturali:* sed possunt illa verba commode intelligi de salute *temporali.* Supponunt **d.** haec referri *ad finem mundi:* sed de hoc dubitat ipse Augustinus ep. 199. *ad Hesychium* n. 29.; videntur enim spectare *ad excidium urbis* et templi Jerusalem. Ex his vero inferunt, electos illos praedestinatos fuisse *ante praevisa merita.* Sed cum Christus totus in eo sit, ut auditores hortetur, ut sibi sedulo prospiciant, caveant a seductoribus, cum eos terreat gravissimo lapsus periculo, ac salutem a perseverantia finali dependentem exhibeat, contrarium potius inferendum esse censemus. *De v. 24.* similia dici possunt; insuper advertatur, verba *si fieri potest* non necessario significare *impossibilitatem perversionis* electorum, sed posse etiam significare *intentionem* eorum, qui signa illa magna patrabunt; ea scil. facient, ut quantum est in ipsis fideles seducant, quo in sensu verba non sunt ad rem.

488. Provocant **2.** ad Joan. 10, 26. ss.: *Sed vos non creditis, quia*

---

[1]) Patroni alterius sententiae *in praxi,* in concionibus, exhortationibus et sermonibus practicis ad populum eodem plane modo loquuntur atque illi, qui tuentur praedestinationem post praevisa merita: ultro inculcant, a nostro fervore salutem, a nostra negligentia pendere damnationem etc. Atqui hic *dissensus* inter corollaria practica et praemissas nota videtur *improbabilitatis* sententiae, quam impugnamus. Candide fateor, me admodum desiderare, audire concionem innixam theoriae de praedestinatione *ante praevisa merita,* de reprobatione negativa, *sed quae sibi constet et cohaereat,* in qua exhortationes non adversentur praemissis et quae peccatores excitet ad spem et fiduciam, soletur pusillanimes, corda auditorum dilatet!

non estis ex ovibus meis. Oves meae vocem meam audiunt: et ego cognosco eas, et sequuntur me. Et ego vitam aeternam do eis: et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. Verum **a.** nomine *ovium* intelligi *necessario* non debent *praedestinati ad gloriam:* designantur enim admodum probabiliter fideles justi; quibus **b.** dat Christus vitam aeternam, sed ea ratione, qua eam dat omni credenti Joan. 3, 15, 16; 6, 40. 47. etc.. scil. non absolute, sed *sub conditione* perseverantiae. **c.** Hae oves *non peribunt in aeternum et non rapiet eas quisquam de manu Christi* i. e. non peribunt *ex incuria et negligentia Christi,* qui se hic exhibet pastorem bonum, non mercenarium, qui cum videt lupum venientem deserit oves (cf. v. 10. ss.): quod non impedit, quominus oves *sua sponte* pastorem deserere possint. Cf. 1. Petr. 5, 8.

Urgent **3.** Act. 13, 48: *Crediderunt, quotquot praeordinati erant ad vitam aeternam.* Verum vox *praeordinati,* sive ratio habeatur textus graeci (τεταγμένοι) sive contextus, reddi potest: crediderunt quotquot *bene dispositi* erant. Sicuti enim describitur mala judaeorum dispositio, causa eorum incredulitatis: ita mox describitur bona gentium dispositio, quae audientes Paulum et Barnabam, quos audire noluerant judaei, *gavisae sunt* et glorificabant verbum Domini. Quo sensu verba non sunt ad rem.

Ad rem non sunt **4.** Rom. 8, 29: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti,* et gemina Eph. 1, 4. s. Neque enim ibi sermo est de aliquo Dei proposito absoluto, quo aliquos ad gloriam ante praevisionem meritorum supernaturalium praedestinaverit, ut gratis fingitur, sed de Dei beneplacito, bona voluntate, qua nos non secundum opera justitiae naturalis, sed secundum misericordiam suam salvos facit gratiam tribuens et supposita nostra cooperatione gloriam. Cf. Rom. 4, 5; Eph. 1, 11; 2. Tim. 1, 9; Tit. 3, 5. Nemo enim catholicus negare potest, nostram ad finem supernaturalem destinationem, nostram electionem quamvis *sub conditione,* ideoque nostram praedestinationem quamvis *post praevisa merita,* nos debere summae Dei misericordiae, quae non respiciens mala, quae fecimus nos, gratis nos vocavit, gratis justificavit et ad tantam promovit gloriam.

489. Immerito vero provocatur **5.** ad Rom. 9. Neque enim hoc caput ad rem est, tum **a.** *ex defectu claritatis;* tum **b.** *ex defectu materiae;* cum Apostolus non agat *de praedestinatione ad gloriam post gratiam,* neque de reprobatione a gloria, sed de gratuita vocatione per fidem ad salutem et ad gratiam justificationis nulla ratione habita generationis carnalis et justitiae legalis, in qua gloriabantur maxime judaei. Neque **c.** licet hoc caput ita exponere, ut vel voluntas Dei salutifera coarctetur, quam tam clare Paulus docet 1. Tim. 2, 1. ss. (n. 476.), vel reprobatio negativa, multo minus positiva statuatur, excludatur nostra cooperatio, a qua assecutio salutis post gratiam pendeat, quam adeo instanter Apostolus inculcat. **d.** Verba v. 13: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui,* non debent intelligi de *odio proprie dicto,* sed de *dilectione* comparative *minori,* ut ex. gr. Deut. 21, 15. ss.; Luc. 10, 26; Matth. 10, 37., cujus effectus proxime essent minora bona temporalia et etiam spiritualia. Verbis v. 16: *Igitur neque volentis neque currentis, sed miserentis est Dei,* non excluditur voluntas praeparata a Domino, nec cursus viribus gratiae confectus (cf. 1. Cor. 9, 24. s.; 2. Cor. 6, 1. etc.), cum agitur de accipiendo bravio: sed excluditur cursus et

voluntas naturalis ad assequendam justificationem, cujusmodi fuit cursus Esau venatum et cursus Jacob ad ovile Gen. 27. Quae **e.** habentur *de induratione Pharaonis,* non sic adscribi possunt Deo, ut non ipse Pharao causa suae obdurationis libere fuerit: quod sicut ostenditur ex ipsa historia Ex. c. 7. ss., ita confirmatur auctoritate patrum, qui vel docent, Deum indurasse Pharaonem permittendo illius indurationem, vel occasione eorum, quae leguntur Sap. c. 11. et 12. et Rom. 2, 4. s., affirmant, Deum indurasse Pharaonem, quatenus divitiae bonitatis, patientiae et longanimitatis occasio hujus indurationis exstiterint. Secundum quem sensum intelligi debent verba v. 18.: *Quem vult indurat,* quae sunt *illatio* ex induratione Pharaonis, i. e. non emollit, quia ad hoc non tenetur; permittit indurari in poenam praecedentium peccatorum et hanc indurationem consequenter ad bonum disponit finem. **f.** Similitudo *figuli* pro lubitu vasa ex luto fingentis ad vivum resecari non debet, ne manifesto erronea inde sequantur. Utitur Paulus hac similitudine ad supremum Dei dominium in distribuendis gratiis inculcandum et ad ostendendum non quid Deus fecerit, sed quid facere suo jure posset, ac proinde ad retundendam temeritatem praesumptuosam hominis expostulantis rationes a Deo factore suo: non vero ea utitur ad excludendam liberam nostram cum gratia cooperationem, ut ex vasis contumeliae reddamur vasa misericordiae, ut praeeunte ipso Paulo 2. Tim. 2, 20. s. quam plurimi patres docent. Quare sapienter scribit Origenes *Philocaliae* c. 21: »Cum igitur Apostolus quandoque non adscribat Deo, quod quis sit vas in honorem vel ignominiam, sed omnia in nos referat (2. Tim. 2, 20.), et quandoque non nobis, sed Deo adscribere videatur (Rom. 9, 20. s.), non pugnant haec loca inter se, sed ex utroque integer colligi sensus debet. Neque libertas nostra facit, ut bene operemur sine Dei auxilio: neque Dei nos auxilium cogit ad profectum, nisi et nos ad bonum concurramus.«

490. **Corollaria. 1.** Sano aliquo sensu praedestinatio [1]) ad gloriam dici potest pendere a nobis post gratiam, quod sicut patet ex variis Scripturae effatis, ita etiam ex Augustini verbis supra n. 486. allatis. **2.** Praedestinatio est *certa* et *immutabilis;* innititur enim infallibili praescientia Dei eodemque modo cum libertate humana conciliatur, quo conciliantur praescientia et gratiae efficacia. Quare **3.** *certus* est *numerus* praedestinatorum, qui quatenus subest praescientiae Dei, nec augeri nec minui potest. Propterea etiam **4.** vere dici potest, solos praedestinatos consequi vitam aeternam, alioquin falleretur prae-

[1]) Mysterium praedestinationis non est situm in praedestinatione post gratiam ad gloriam, verum *in praedestinatione ad gratiam* hujusque varia distributione: praesertim vero in eo, quod cum Deus possit loco gratiarum, quarum praevidet abusum, peccatori dare gratiam, quacum esset cooperaturus, hanc tamen non concedit, dum alteri aeque vel etiam magis peccatori ejusmodi gratias abunde elargitur. Huc spectant Rom. 9, 18: *Deus cujus vult miseretur et quem vult indurat,* et quae idem Apostolus habet Rom. 11, 33. ss. de inscrutabilitate judiciorum. Ejusmodi vero distributio gratiae non pendet ex *efficaci* et *absoluta* praedestinatione gloriae ante praevisa merita, sed ex liberrimo Dei nutu.

scientia Dei. **5.** Infallibilis notitia Dei, qua eos, qui praedestinati sunt, complectitur et cognoscit, *liber vitae* dicitur. Ceterum hoc nomine, licet minus proprie, designatur notitia Dei etiam illorum, qui actu vitam gratiae vivunt, qui cum vita ista possint excidere, *deleri* quoque ex libro vitae hoc sensu accepto dici possunt. Denique **6.** liquet, quid de reprobatione sit tenendum. Reprobatio scil. sequitur praevisionem vel peccati originalis vel actualis vel utriusque simul ad mortem usque perseverantis.

491. **Scholion.** Cum patroni alterius sententiae auctoritate fere unius Augustini utantur, animadvertimus **1.** non adeo exploratum esse, Augustinum ipsis favere, cum non desint summi theologi, qui id negent, ut Lessius, Jos. Tricassinus, aliisque omissis Schrader commentar. III. *de praed.,* in quo 22 argumentis utitur, et Franzelin *de Deo uno* thes. 61. ss. Et sane **2.** si inspiciantur libri, ex quibus potissimum alterius sententiae patroni arguunt, liquebit, s. Augustinum in illis nullatenus agere *de praedestinatione ad gloriam post merita* supernaturalia, sed de praedestinatione ad gratiam, quae certe praecedit praevisa merita. Considerentur enim **a.** *adversarii,* contra quos scribit; ii sunt pelagiani et semipelagiani, inimici gratiae. Hinc *de dono perseverantiae* n. 42. scribit: „Videant subverti hac *praedestinationis* praedicatione illum *tantummodo* perniciosissimum errorem, quo dicitur *gratiam Dei secundum merita nostra dari.*" Considerentur **b.** *argumenta,* quibus utitur; sunt illa testimonia Scripturae, quibus etiam nunc theologi demonstrant *necessitatem* et *gratuitatem* gratiae; **c.** variae *definitiones* praedestinationis, quas tradit; sic ex. gr. *de praedest. sanctorum* c. 10. scribit: „Inter gratiam et pradestinationem hoc tantum interest, quod praedestinatio est gratiae praeparatio, gratia vero jam ipsa donatio." Considerentur **d.** *conclusiones,* quas infert, ut ex. gr. *de dono persev.* n. 41: „Aut enim sic praedestinatio praedicandà est, quemadmodum Scriptura evidenter loquitur . . . aut gratiam secundum merita nostra dari confitendum, quod sapiunt pelagiani." Cf. n. 42. 54. 56. 65. etc. Neque **3.** desunt doctrinae capita apud Augustinum, quae nostrae favent sententiae, ut patet **a.** ex verbis n. 486. allatis; **b.** ex verbis Prosperi et Fulgentii, fidelissimorum ejus discipulorum n. 481. et 486; ex eo **c.** quod cum pelagiani admitterent praedestinationem, sed *post praevisa merita naturalia* citra gratiam acquisita, id unum damnarit, quod negarent gratiae necessitatem ad haec ipsa merita. „Cum dicunt pelagiani, ita ille *de gratia et lib. arb.* n. 15., aeternam vitam meritis nostris praecedentibus reddi, respondendum est eis, si etiam merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia." Ceterum **4.** et si Augustinus sententiae, quam defendimus, adversaretur, relinquere eum licebit, ut sequamur doctrinam, quam patres gravissimi numero plures adeo clare tradunt.

492. Eadem fere de s. Thoma repeti possunt. Certe negari non potest, cum nostram approbare sententiam, cum lectione 6. in Rom. VIII. scribit: „Circa ordinem praescientiae et praedestinationis dicunt quidam, quod praescientia meritorum bonorum et malorum est ratio praedestinationis et reprobationis, ut scilicet intelligatur, quod Deus praedestinet aliquos,

quia praescit eos bene operaturos et in Christum credituros, et secundum hoc litera sic legitur: *Quos praescivit conformes fieri imagini Filii ejus, hos praedestinavit;* et hoc quidem *rationabiliter* diceretur, si praedestinatio respiceret *tantum* vitam aeternam, quae datur meritis. Sed sub praedestinatione cadit omne beneficium salutare, quod est homini ab aeterno divinitus praeparatum . . . Unde ponere, quod aliquod meritum ex parte nostra praesupponatur, cujus praescientia sit ratio praedestinationis, nihil est aliud, quam ponere gratiam dari ex meritis nostris, et quod principium bonorum operum est ex nobis et consummatio est ex Deo.« Cf. Franzelin th. 64.

493. Argumentum ex ratione, cui tantopere alterius sententiae patroni fidunt, ita proponit Gonet disp. 2. *de praedest.* n. 26: »Qui ordinate vult, prius vult finem quam media ad finem. Sed Deus ordinate vult. Ergo prius vult finem quam media ad illum. Atqui gloria est finis et merita sunt media ad illum conducentia. Ergo prius vult gloriam quam merita, et consequenter electio ad gloriam non potest esse ex praevisione meritorum.« Verum **1.** argumentum hoc *nimium,* ideoque nil probat. Sequitur enim ex eo, praedestinationem post praevisa merita fore *impossibilem,* quod quis prudens concedet? **2.** Principium, cui innititur argumentum, est verum, si quis finem intendit *absolute;* falsum si quis finem intendit per modum *mercedis, praemii* ab altero obtinendi, prout Deus in praesenti rerum ordine gloriam intendit, ut patet ex singulis fere paginis s. Scripturae. Hac enim in hypothesi finis non intenditur *absolute* alteri antecedenter ad ejus merita. Imo **3.** belle ita retorquetur argumentum ab em. card. Franzelin thes. 60: »Qui ordinatissime vult finem alteri formaliter ut *praemium* pro liberis meritis, non vult ei hunc finem intentione *absoluta,* nisi suppositis meritis. Sed Deus ordinatissime vult finem gloriae aeternae adultis formaliter ut *praemium* pro liberis meritis (supernaturalibus). Ergo Deus adultis finem gloriae aeternae absoluta intentione non vult nisi suppositis (et proinde praevisis) meritis (supernaturalibus).«

PARS II.

De sanctissimo Trinitatis mysterio.

494. Collectis in unum symbolis, variis fidei professionibus, conciliorum decretis definitionibusque, assequimur *doctrinam catholicam de Deo uno et trino* esse, ut credamus unum Deum unamque divinam naturam in tribus subsistentem personis divinis, quae si prae essentia spectentur, eam singulae in solidum possident, nam cum ea unum sunt atque idem; ideoque in se spectatae singulae sunt Deus omnibusque divinis perfectionibus insignes; si vero ad invicem conferantur, licet realiter distinguantur, quatenus aliter atque aliter eandem divinam naturam possident, aequales tamen omnino sunt, nec ullatenus ab invicem divulsae ac separatae; vinculo enim et nexu cohaerent ejusdem substantiae, quam Pater generatione totam Filio communicat et totam ab utroque spiratione accipit Spiritus s. Quae omnia ad duo suprema capita revocari possunt, ad *Trinitatem in unitate* et ad *uni-*

tatem in Trinitate. Quibus vindicatis nonnulla subjiciemus, quae ad *illustrandum* hoc difficillimum mysterium docent theologi scholae.

Caput I.

De Trinitate in unitate.

495. Praemittimus introductionis loco tres propositiones: I. Cum de Deo divinisque operibus sermo est, mentio fieri solet *Patris* et *Filii* et *Spiritus sancti,* ut patet ex omnibus *symbolis*, ex *forma baptismi* Matth. 28, 19., ex *doxologiis* nullo non tempore in Ecclesia frequentatis, ex *haereseologia* universa, cum plerique haeretici admiserint Patrem et Filium et Spiritum s.; licet circa singulos multipliciter errarint.

II. *Pater et Filius, seu Verbum, et Spiritus s. a se invicem distinguuntur;* quod ex iisdem fontibus colligitur. Quibus adde Joan. 10, 30: *Ego et Pater unum sumus;* 14, 16: *Et ego rogabo Patrem et alium Paracletum dabit vobis;* v. 23: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus* etc. Profecto enim ii ab invicem distinguuntur, qui numerum faciunt, nomine proprio secernuntur, se mutuo alloquuntur etc.

III. *Pater,* cui in divinis literis *Filius proprius* et *unigenitus* adscribitur, vera persona verusque est Deus. Quod vel ab haereticis conceditur: vel enim nullus est Deus, vel is, qui Pater exhibetur Jesu Christi, est Deus. Quibus statutis jam de Filio et Spiritu sancto agemus.

Articulus I.

De Filii generatione.

496. **Thesis LXXII.** ***Deus Pater Filium ab aeterno genuit.***

Demonstratio p. I. Inter adversarios hujus thesis praecipuus est Arius, secundum quem Filius seu Verbum est quidem persona distincta a Patre, verum non genitus a Patre, proinde non consubstantialis Patri neque coaeternus, sed creatus, quamvis ante mundum, ut esset instrumenti instar ad creandum mundum. Contra quem errorem demonstrabimus eum, qui Patris dicitur Filius seu Verbum, non creatione fuisse productum, sed de Patris substantia generatione processisse, proindeque Filium esse ratione non communi cum creaturis, sed singulari et propria, Filium scil. *naturalem.* Quod **1.** hoc argumento comprobatur: Filius Dei dicitur *simpliciter* Filius, Filius *verus, proprius, unigenitus.* Atqui de ratione Filii veri, proprii, unigeniti, quique per excellentiam dicitur Filius, est ut sit genitus generatione proprie dicta, non impropria et metaphorica, cujusmodi est creatio vel adoptio. Ergo Filius Dei a Patre est genitus.

Sane **a.** nomine *Filii simpliciter* et per excellentiam is tantum intelligi potest, in quo filiationis ratio *plenissime* et *perfecte* reperitur; is autem est ille, qui est *vere genitus.*[1]). Accedit **b.** quod hic Filius dicatur *Filius proprius et verus,* et quidem prae iis, qui adoptione sunt filii[2]), quique ipsi comparati sunt tantum *servi.* Ergo non adoptione, sed *generatione* est Filius. Quod **c.** evidenter confirmatur ex appellatione *Unigeniti* Joan. 1, 18; 3, 16. ss. etc.; quae sicut ostendit, eum generatione esse Filium, ita ab ejus filiatione excludit consortes: haberet autem, si esset filius adoptione tantum[3]). Accedit **d.** hanc veritatem Jesum *Christum esse Filium Dei,* exhiberi velut *princeps quoddam objectum fidei nostrae* Joan. 11, 27; 19, 7; 20, 31: *Haec autem scripta sunt ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei;* Matth. 11, 27; ob cujus confessionem beatus praedicatur Petrus, eamque ex paterna tantum revelatione obortam dici Matth. 16, 17. Ratione ergo prorsus *singulari,* nulli communi, Filius est Dei; quare non adoptione, sed vera generatione.

497. Locus vero classicus **2.** quo dogma hoc comprobatur est c. 1. ad Hebr. Accurate enim expensis singulis hujus capitis incisis[4]), asse-

---

[1]) Joan. 3, 35: *Pater diligit Filium et omnia dedit in manu ejus;* v. 36: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam;* 5, 19: *Non potest Filius a se facere quidquam;* 8. 36: *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis* etc. Ad rem Gregorius nyss. *adr. Eunomium* l. 1. p. 83: „Quis potest esse fide dignior testis, quam ipsius vox Domini, qui per *totum* Evangelium Patrem non suum creatorem, sed Patrem nominat, neque opus Dei, sed Filium seipsum appellat? Quemadmodum enim communionem, quam habet cum humana natura. significans *Filium hominis* id, quod apparebat, nominavit, uti carnis suae cum ea, unde est assumptus, *naturalem* cognationem ostenderet: ita *veram* et *germanam* suam ad universorum Deum habitudinem *Filii vocabulo* demonstrat, *naturae cognationem* Filii voce declarans.“

[2]) Hebr. 3, 5. s.: *Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus . . . Christus vero tamquam Filius in domo sua.* Rom. 8, 32: *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit;* Matth. 3, 17; 17, 5; 21, 37. ss.; Joan. 20, 17; 1. Joan. 5, 20. etc. Cf. *opusc.* XIV, 148. ss. annot.

[3]) Egregie Chrysostomus hom. 15. in *Joan.* 1, 18: ὁ μονογενὴς υἱὸς ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός: „Ne itaque ob nominis consortium putares illum ex eorum numero esse, qui per gratiam filii sui sunt, *adest articulus,* qui distinguat illum ab iis, qui per gratiam filii sunt. Quod si hoc tibi non sit satis, et si adhuc versus terram pronus incedis, magis proprium audi nomen: *Unigenitus.* Sin adhuc humum respicis, non dubitabo humanum de Deo proferre verbum nempe *sinum* . . . Cur ergo sinus hic memoratur? . . . Nam si per hoc verbum nec verus Filius esse probatur nec Deum corporeum esse statuitur, frustra jactatur hoc dictum nullius usus. Cur ergo dictum est? . . . Annon palam est, ideo prolatum esse, ut non aliud ex eo percipiamus, quam quod ille sit *vere Unigenitus,* quod coaeternus Patri?“

[4]) Hebr. 1, 1: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis: 2. novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et secula.* 3. *Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae ejus portansque omnia verbo virtutis suae purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis.* 4. *Tanto melior angelis effectus, quanto*

quemur, non solum Patrem genuisse Filium, verum etiam qualem eundem genuerit. Illud quidem comprobatur: **a.** ex *oppositione* Filii ad prophetas vers. 1, 2; sic enim prophetis confertur, ut solus prae Deo dicatur Filius. Unde liquet eum Filium esse filiatione nulli alii legatorum Dei communi, proinde non adoptione, munere, gratia, sed natura. **b.** Filius dicitur v. 3. *splendor gloriae*[1]); unde colligimus, Filium sic de Patre prodire et refulgere, ut lux de luce i. e. de ejus substantia. **c.** Paulus colligit v. 4. praestantiam Filii prae angelis ex ejus *nomine.* Atqui, infert Chrysostomus hom. 2. n. 3. in h. l., „si est *gratia* filius, non solum non est angelis *praestantior,* sed etiam *minor.* Quo modo? quoniam homines quoque justi appellantur filii et nomen filii, nisi sit filius germanus et proprius, non potest ostendere excellentiam,“ scil. prae angelis, quia tunc nomen est *commune:* ex praedicato autem *communi* probari nequit praerogativa *propria.* Quod demum **d.** s. Paulus comprobat verbis Ps. 2, 7: *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* „Paucis opus est, inquit Bossuet in notis ad h. ps., ut probatio valeat, nihilque aliud agendum, quam ut verborum servetur proprietas. *Dominus* enim *dixit ad me* non ad alios, sed ad me proprie, singulariter: *Filius meus es tu,* tu, inquam, et non alius: ergo unicus, unigenitus, singularis, quod nusquam ea emphasi dictum de quopiam. *Ego hodie genui te,* non ergo adscitus, non adoptatus, sed genitus: nec gratia, quod angeli, quod homines, sed natura Filius.“

498. Verum s. Paulus etiam *qualem* Pater genuerit Filium, nos docet ac tot tamque insignia tradit de Filio, ut ea clare demonstrent, hunc *Filium esse Deum,* ideoque divinae substantiae communicatione genitum. Sane **a.** Filium praefert v. 1. 2. prophetis atque angelis v. 4.. eximitque e creaturarum albo, cum **b.** omnium sit creator v. 2, 10., conservator. *portans omnia verbo virtutis suae*[2]) v. 3. et Dominus v. 8.

---

differentius prae illis nomen hereditavit. 5. *Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu: ego hodie genui te?* Cf. in primis Thomas in h. c.

[1]) Hac imagine admodum delectantur patres; inde enim inferunt **1.** Filii a Patre *distinctionem;* est enim ἀπαύγασμα, hinc αὐγὴ ἀπὸ τῆς δόξης, lux de luce: hinc **2.** ejus e Patre *generationem,* cum eodem **3.** *consubstantialitatem;* nominatim vero **4.** *coaeternitatem*, splendor enim luci est coaevus; proinde si lux est aeterna, splendor erit coaeternus. Illustrant inde **5.** generationem omnis curruptionis, mutationis etc. expertem; inferunt denique **6.** Filii *divinitatem.*

[2]) Quot verba, tot argumenta pro divinitate Filii. Nam φέρων hic significat conservans, continens, regens, gubernans, quo sensu adhibetur vox נָשָׂא Num. 11, 4; Deut. 1, 9: atqui conservatio mundi opus est Dei. Dicitur **2.** Filius portans *omnia:* distinguitur ergo ab omnibus, quae sustentatione, conservatione egent, proinde non est creatura. Et si portat omnia, omnipraesens, imo immensus esse debet; ita enim ea portat, ut si alia exsisterent, illa quoque portaret nulli alligatus loco. Portat **3.** omnia *verbo* i. e. solo nutu, quae est agendi ratio

Ipse **c.** adorandus est adoratione latreutica Deo Jehova exhibenda, cum de eo dictum sit v. 6.: *Et adorent eum omnes angeli Dei* (Ps. 96, 7.). Cum Deo Patre **d.** jungitur duplici vinculo: nexu *logico*, cum sit manifestatio Patris, quem manifestat, sicut splendor lucem, nam est *splendor gloriae et figura* (χαρακτήρ expressa imago) *substantiae ejus;* et nexu *ontologico*, cum ejusdem sit substantiae. Quare **e.** Patri est consubstantialis, coaeternus et coaequalis, ejusdem majestatis et gloriae. Imo **f.** praedicatur *immutabilis* et *aeternus: Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* etc. v. 10; *verusque Deus*, ad Filium enim est dictum v. 8.: *Thronus tuus, Deus, in seculum seculi.*

499. Nostrae explicationi verborum Ps. 2, 7. de generatione scil. naturali et aeterna non obest vox *hodie,* quae nullibi in Scriptura designare videtur aeternitatem. Nam **a.** hodie *potest* designare aeternitatem, quatenus haec excludit praeteritum et futurum estque immobile praesens; **b.** de Deo accepta significat illud *hodie,* quod Deo est dignum, i. e. *hodie aeternitatis.* Etiamsi **c.** vox *hodie* intelligatur juxta communem loquendi usum, id nullatenus obest argumento proposito, ut bene advertit Bossuet l. c.: »Neque quidquam aptius aut propheta dignius est ad haec non subtilia, sed sublimia et divina exponenda, quam illud *hodie,* quo quippe fit, ut Filii semper sit nova, semper vetus nativitas, nusquam imperfecta ac velut in motu, sed semper absoluta perfectaque generatio: atque ipse Filius quotidiano seu potius aeterno et immutabili partu semper effusus, semper hodie genitus, neque senescens unquam, denique, ut ait doctissimus juxta ac sanctissimus Isidorus Pelusiotes (l. 1. ep. 323.), et recens et sempiternus.« Patres vero **d.** etsi subinde verba *Ego hodie genui te* vel de manifestatione Christi in *baptismate* facta vel de *resurrectione* aut *ascensione* intellexerint, unanimiter (unum si exceperis Theodoretum in h. l., cujus tamen fides hac in parte suspecta est ob favorem Nestorio impensum) prius incisum *Filius meus es tu* intelligunt de Filio naturali proprie dicta generatione genito. Quod si alterum incisum de impropria et metaphorica generatione interpretantur, naturalem non excludunt, aliis vero in locis accerrime propugnant, in ipsis etiam locis objectis supponunt; neque ratio improbabilis reddi potest, cur illa verba aliter quoque explicaverint. Ita ex. gr. ea referunt ad Christi *resurrectionem,* tum quod putarint Paulum eadem resurrectioni applicare, tum propter quandam extensionem, quia *per resurrectionem* Christus a Patre veluti genitus est ad novae immortalisque vitae decus et splendorem, qualis decuit Filium Dei.

500. *De traditione* autem, qua **3.** hoc dogma comprobatur, sufficiat animadvertisse: **a.** nullum esse *symbolum,* quo idem non contineatur vel diserte vel implicite. Nominatim vero illud in concilio nicaeno contra arianos definitum fuit hisce verbis: „Credimus . . . et in unum D. N. J. Christum Filium Dei, natum ex Patre unigeni-

Dei; et quidem **4.** verbo *virtutis,* i. e. non verbo casso, sed efficaci, quod omnia in exsistentia conservat; proinde ab ejus nutu omnia pendent; eaque portat verbo virtutis *suae,* quae ipsius est propria.

tum h. e. ex substantia Patris: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt ... Eos autem qui dicunt: Erat tempus quando non erat, et prius quam nasceretur non erat, et quia ex iis, quae non sunt, factus est; aut qui ex alia substantia dicunt esse, aut creatum, aut mutabilem, aut convertibilem Filium Dei, hos anathematizat catholica et apostolica Ecclesia." Hanc veritatem **b.** tamquam catholicum dogma acerrime fuisse propugnatam tum a conciliis tum a patribus orthodoxis sec. IV. contra arianos, quibuscum tota concertatio fere circa hoc unum versabatur, utrum Filius Dei sit creatura, an vere *genitus* generatione proprie dicta, qua ei Pater communicaverit in solidum totam divinam substantiam. **c.** Patres unanimes, *etiam antenicaenos*, generationem Filii tradidisse, innixos vel Ps. 2, 7. vel Ps. 109, 3: *Ex utero ante luciferum genui te*, vel Is. 53, 8: *Generationem ejus quis enarrabit.*

501. **Demonstratio p. II.** Filium Dei *ab aeterno* esse genitum, colligitur **1.** ex eo quod sit *splendor gloriae* paternae Hebr. 1, 3., proinde Patri coaevus; quod **2.** sit *ante luciferum* genitus Ps. 109, 3; quod **3.** dicatur *vita aeterna* 1. Joan. 1, 2., fuisse *in principio* Joan. 1, 1. (cf. n. 505); quod **4.** sit *Deus verus* (n. 507.), de cujus ratione est aeternitas.

502. **Scholion.** Antiquiores ariani sicut et recentiores duce Krellio in lib. 1. *de uno Deo Patre* c. 34. saepe provocant[1]) ad Col. 1, 15: *Qui (Filius) est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae,* ut inde inferant Filium Dei esse creatum. Quos ut refellamus, necesse non est contendere, haec de Filio Dei secundum *humanam naturam* dicta esse, quo sensu difficultatem non faciunt, sed animadvertimus **1.** vel ex loco objecto ostendi posse, Filium Dei esse divinae naturae consortem: exhibetur enim ut omnium Creator. Quare **2.** appellatio *primogeniti* tam parum obest dignitati Filii, quam appellatio *primae causae* dignitati Dei; significat enim

[1]) Ad exceptionem, etiam homines vocari filios Dei, proinde ex hac appellatione nil inferri posse, sufficiat responsio Chrysostomi hom. *de consubstant. c.* anomoeos n. 2: „Tu filius *appellaris,* at ille *est;* hic *appellatio,* illic *res ipsa;* tu filius appellaris; sed in sinu Patris non versaris, sed non es splendor gloriae, nec figura substantiae, nec forma Dei etc." Cf. *opusc.* XIV, 150. annot. Quoad alia testimonia, quae objici solent, advertatur: **1.** Etiamsi Filius Dei subinde *factus* dicatur, cum ex Evangelio evidens sit, eum *duplicem* habere naturam, humanam secundum quam dicitur *factus* Rom. 1, 3. s., et praestantiorem, secundum quam dicitur *Deus super omnia benedictus in secula* Rom. 9, 5: contra regulas logicae infertur, eum secundum *utramque* naturam esse factum et nullatenus secundum praestantiorem genitum. **2.** In textu Joan. 1, 15: *Ante me factus est, quia prior me erat, factus* nil aliud significat quam antepositus, *praelatus*, ut constat ex ipsis verbis, ex contextu propinquo et remotiore, ex locis parallelis Matth. 3, 11; Marc. 1, 7; Luc. 3, 16. et ex interpretatione patrum.

3. vel Filium *genitum esse ante omnem creaturam* vel eum in omnem creaturam habere *primatum* i. e. potestatem pro significatione non insolita hujus vocis. Ad rem Tertullianus *contra Praxeam* c. 7: „De Patre procedendo Filius factus est *primogenitus,* ut *ante omnia* genitus, et *unigenitus* ut *solus* ex Deo genitus;" et Ambrosius *de fide* l. 1. c. 6: „Legimus *primogenitum,* legimus *unigenitum.* Primogenitus, quia nemo *ante* ipsum; unigenitus, quia nemo *post* ipsum."

503. Legimus Prov. 8, 22: *Dominus possedit* (ἔκτισε) *me in initio viarum suarum,* qui textus arianorum semper fuit Achilles. Verum 1. in textu originali legimus קָנָה, quod significat aliquid *acquirere* emptione, productione (Gen. 14, 19, 22; Ps. 139, 13.), hereditate, *generatione* sive proprie dicta (Gen. 4, 1.) sive metaphorice accepta (Deut. 32, 6.); et quia quod acquirimus nostrum est, hinc significat *possidere,* ut vulgata habet. Lectio quidem *graeca* LXX interpretum est ἔκτισε *creavit,* occurrit tamen et alia, quae respondet textui hebraico et vulgatae scil. ἐκτήσατο, ita in versione Symmachi, Aquilae et Theodotionis; imo Eusebius ipse *de eccl. theol.* l. 3. c. 2. testatur, neminem aliorum interpretum vertisse ἔκτισε sed ἐκτήσατο. Quod 2. hujus loci *interpretationem* attinet, alii haec verba intelligunt *de sapientia in mundo apparente,* quae per figuram prosopopoejae hic loquens inducitur; alii cum plerisque patribus *de Sapientia hypostatica.* Quod si 3. textum sequimur originalem et vulgatam, quae illum fidelius exprimit, nulla est difficultas; neque ulla est, si retenta lectione graeca textus intelligatur de Verbo secundum naturam *humanam.* Si vero 4. quis vellet lectionem graecam de Verbo intelligere non secundum humanam naturam, prae oculis habere debet, verbum κτίζω non ita esse explicandum, ut adversetur subjectae materiae, contextui et Scripturarum analogiae: praesertim si textus originalis aliam quoque admittat interpretationem. Atqui aliunde certo constat, Verbum esse Deum, esse vere proprieque genitum, quod vel hoc in loco significatur v. 25: πρὸ τοῦ ὄρη ἑδρασθῆναι, πρὸ δὲ πάντων βουνῶν γεννᾷ με: *Antequam montes collocarentur, et ante omnes colles generat me;* et vox קָנָה, de ea productione intelligi potest, quae est per *generationem.* Ergo verbum κτίζω accipi necessario non debet significatione *specifica,* sed accipi potest *generica* vel minus usitata. Quare 5. patres, qui legebant ἔκτισε vel *condidit,* quique haec verba accipiebant de Filio secundum *divinam* naturam, ingeniose nituntur exponere, quomodo hoc verbum de Filio intelligi possit vel debeat. Advertunt enim, promiscue adhiberi posse de Verbo verba κτίζειν et γεννᾶν, cum se mutuo expoliant atque explicent. Sicut enim verbum γεννᾶν removet a Filio productionem seu creationem ex nihilo atque consubstantialitatem significat: ita verbum κτίζω exprimit Verbi subsistentiam negatque illud esse inane, evanidum, προφόρικον tantum: removet a divina generatione omnem corruptionem, passionem, mutationem.

504. **Corollaria.** Ex hucusque demonstratis manifesto sequitur 1. Filium a Patre *distingui;* verum 2. non utcunque, sed re et hypostasi; 3. Filium Patri esse *consubstantialem,* cum sit genitus; ideoque 4. *aequalem,* nam ut patres passim cum Zenone veronensi l. 1. tract. 6. §. 4. inculcant: „Si quid Filio detraxeris, ad Patrem, cujus habet to-

tum, injuria pertinebit;" ideoque 5. Dei Filium *verum* esse *Deum*, quod tamen articulo sequenti accuratius demonstrabimus.

Articulus II.
De divinitate Filii.

505. Ostendimus Patrem vere genuisse Filium; modo demonstrabimus Filium *verum esse Deum;* quo posito sponte sua consequitur, illi omnes perfectiones convenire, quas Deo tribuendas in tractatu praecedenti vidimus. Filium autem esse Deum semper quidem fuit creditum, in synodo vero nicaena luculenter assertum (n. 500.) et expressum symbolis antiquissimis ecclesiarum caesariensis, hierosolymitanae et antiochenae, quae profitebatur D. N. J. Christum Filium Patris unigenitum Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ ὁμοούσιον τῷ πατρί etc.

Thesis LXXIII. ***Filius Dei a Patre genitus verus est Deus.***

Demonstratio. Cum innumera sint Scripturae testimonia, quibus divinitas Filii demonstrari possit, sufficiet, accurate expendisse initium Evangelii Joannis: *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum.* Expensis singulis incisis collatisque opportune aliis locis eruimus:

1. Verbum[1]) esse *aeternum;* dicitur enim *in principio erat Verbum.* Jam vero sive *principii* nomine intelligatur principium *absolutum,* illud scil., ante quod nullum aliud concipi potest, proinde ipsa aeternitas, ut suadet contextus et collatio Eccl. 24, 5; Prov. 8, 22; 1. Joan. 1, 1; sive principium *relativum* i. e. principium rerum creatarum, **a.** Verbum dicitur *jam fuisse* in illo principio, ac **b.** manifesto opponitur tamquam non habens principium rebus principium habentibus, **c.** ut infectum factis: ipsum enim *erat,* cetera omnia *facta sunt.* Ergo Verbum est *aeternum,* ac proinde non aliqua creatura. Egregie s. Hi-

[1]) Verbum esse personam patet **1.** ex toto contextu; **2.** ex praepos. *apud,* quae de qualitate vel operatione vel perfectione minus bene adhibetur; **3.** eo quod opponatur Joan. Baptistae ut lux vera illi, qui non fuit lux; **4.** ex verbis v. 11: *Et sui eum* (αὐτόν) *non receperunt,* ubi propter praecedens φῶς dicendum fuisset αὐτό. Verbum vero idem esse cum *Filio* vix demonstratione indiget. Dicitur enim **1.** Verbum *caro factum* v. 14: incarnatio autem constanter adscribitur *Filio;* **2.** Verbum caro factum mox deinde constanterque vocatur *Filius, Filius unigenitus* etc.; praeterea **3.** Verbum dicitur fuisse apud Deum, per ipsum omnia esse facta, fuisse lucem veram, in propria venisse, sed a suis non fuisse receptum etc., quae omnia praedicantur quoque *de Filio* Joan. 1, 18; Hebr. 1, 2; Joan. 8. 12; 9, 5; 12, 46; Matth. 8, 20. Ad haec **4.** Christus, qui est idem cum Dei Filio, ut alibi ostendemus, dicitur Apoc. 19, 13: ὁ λόγος τοῦ θεοῦ.

larius *de Trin.* l. 2. n. 13. inter alia scribit: „Quid est istud *in principio erat?* Transeuntur tempora, transmittuntur secula, tolluntur aetates: pone aliquod, quod voles tua opinione principium, non tenes tempore (Verbum). *Erat* enim, unde tractatur . . . Meus piscator illiteratus, indoctus liber a tempore, solutus a seculis est, vicit omne principium. *Erat* enim, quod est: neque in tempore aliquo concluditur, ut coeperit, quod *erat* potius *in principio* quam fiebat." Cum vero aeternitas Verbi alibi iis notis describatur[1]), quibus aeternitas unius Dei propria effertur Is. 41, 4; 44, 6; 48, 12. etc., Verbum esse Deum inferre licet.

506. **2.** Ex verbis: *Et Verbum erat apud Deum* licet immediate tantum sequi videatur Verbum a Patre *distingui*, re tamen penitius inspecta plura inde summi momenti colliguntur. Nam **a.** sicut Verbum distinguitur in antec. inciso et v. 3. a rebus principiatis et factis, ita hic connumeratur Patri aeterno. Non ergo consors est naturae creaturarum, sed particeps videtur naturae divinae. Cf. 17, 5. Collatis deinde **b.** v. 18. et Heb. 1, 3. ss. apparet[2]), hujus societatis vinculum inniti *communicatione substantiae.* Quare **c.** verbis illis non quaecunque societas Filii cum Patre exprimitur, sed societas α. qua Filius conjungitur Patri in *duratione* exsistentiae utpote ejus splendor Hebr. 1, 3; β. in *operibus* tum creationis (v. 2; 5, 17.), tum renovationis ac reparationis, proinde qua est apud Deum tamquam ejus *sapientia* et *virtus* 1. Cor. 1, 24., ad quem dixit Gen. 1, 26: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* γ. qua particeps est ejusdem cum Patre *majestatis* sedens ad dexteram ejus Ps. 109, 1; Hebr. 1, 3. 8. et 13., adeo ut *una* sit utriusque *sedes* et thronus Ap. 22, 3., unum *regnum* 11, 15; 12, 10; qua δ. mutuo et intime *se cognoscunt* et unus sine alio cognosci[3]) nequit; qua ε. fit, *ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem,* Joan. 5, 23; Rom. 14, 11. coll. Is. 45, 24; Apoc. 5, 13; 12, 10. etc.; ut non secus ac Pater sit objectum *fidei*, *spei* et *amoris*[4]), necnon et beatitudinis nostrae: *Haec*

---

[1]) Ap. 22, 13.: *Ego sum Alpha et Omega, primus et novissimus, principium et finis;* 1, 17; 21, 6. Cf. *opusc. XXX. 29. ss.*

[2]) Joan. 1, 18: *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit;* Heb. 1, 3: *Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae ejus* etc.

[3]) Matth. 11, 27: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare;* Joan. 14, 7: *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis . . .* v. 9: *Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Quomodo tu dicis: ostende nobis Patrem?* v. 10: *Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est?* v. 20.

[4]) Joan. 14, 1: *Creditis in Deum et in me credite;* Act. 4, 12: *Et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo*

est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Jesum Christum Joan. 17, 3.; vi cujus tandem, ut omnia paucis comprehendamus, Filius dicere potuit Joan. 17, 10: *Mea omnia tua sunt, et tua mea sunt;* 15, 15: *Omnia, quaecunque habet Pater, mea sunt.* Quae omnia ostendunt Filium consortem esse divinitatis. Quare verus est Deus.

507. **3.** Inciso *et Deus erat Verbum,* in quo evidenter ὁ λόγος est subjectum, ut patet ex connexione cum aliis incisis, docemur Verbum esse *Deum*, quod confirmatur aliis testimoniis. Rom. 9, 5: *Ex quibus* (patribus) *est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula;* quo textu ultra *quadraginta* patres utuntur (cf. *opusc.* XVI, 240. annot.); Joan. 20, 28., ubi Thomas viso Christo redivivo dixit: *Dominus meus et Deus meus;* Tit. 2, 11. ss.: *Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos . . . exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri J. Christi* (cf. *opusc.* XXIX, 94. ss. annot.); 1. Joan. 5, 20: *Scimus quoniam Filius Dei venit et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus et vita aeterna* (cf. *opusc.* XVI, 228. annot.). Sequuntur testimonia *aequipollentia,* in quibus scil. quae evidenter de Deo et de Deo Jehova dicuntur, de Filio intelligenda esse vel affirmatur vel ex contextu patet. Ita Luc. 1, 16. s. dicitur Joannes Baptista praecessurus Dominum Deum: sed ipse se fassus est praecursorem Christi Filii Dei Matth. 3, 11; Joan. 1, 15. 19. ss. Ita Is. 6, 1. ss. describitur gloria Dei altissimi: videt enim propheta Dominum sedentem in throno, seraphim stipatum qui clamabant: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum.* Atqui teste Joanne 12, 41. Isaias tunc vidit gloriam *Filii Dei.* Ejusdem prophetae verba 45, 24: *Mihi curvabitur omne genu et jurabit omnis lingua,* quae dicta sunt de Deo, praeter quem non est alius (v. 22.), Paulus de Filio interpretatur Rom. 14, 11.

508. **4.** V. 3. edicitur, *per Verbum facta esse omnia,* ne uno quidem excepto, de quo praedicatum factum esse affirmari possit; et v. 10. per Verbum factum esse *mundum;* Hebr. 1, 2. facta esse *secula;* v. 10. *coelum et terram;* Col. 1, 16. *visibilia et invisibilia,* universa in coelis et in terra, ne nobilissimis quidem creaturis exceptis.

---

oporteat nos salvos fieri; 1. Tim. 1, 1: *Paulus apostolus J. Christi secundum imperium Dei Salvatoris nostri et Christi Jesu spei nostrae;* Joan. 13, 21. ss.; 15, 9. ss.: *Manete in dilectione mea. Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei praecepta servavi et maneo in ejus dilectione;* Matth. 10, 37; 1. Cor. 16, 22; 2. Cor. 5, 15: *Pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est* etc.

Quamobrem Paulus 1. Cor. 8, 6. docet, ita per Filium esse *omnia,* sicut ex Deo Patre, proinde omnem realitatem, veritatem, bonitatem, pulchritudinem etc. Sed non solum quoad terminum seu *objectum* operatio Filii parallela est operationi Patris, sed etiam quoad *modum* operandi; cf. Joan. 5, 17. ss., ubi Christus testatur: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor . . . Quaecunque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit;* eodemque modo, quo Pater, exhibetur ipse Creator coeli et terrae, cum de ipso interpretetur Paulus Hebr. 1, 10. verba Ps. 101, 26: *Tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli.* Quare cum eadem sit operatio, eadem quoque virtus, et si eadem virtus, eadem quoque cum Patre natura est.

Haec omnia egregie ita Ambrosius *de fide* l. 1. n. 56. s. expressit: „*Erat,* inquit, *apud Deum. Erat, erat, erat, erat:* ecce quater erat. Ubi dicit: *Quod erat in principio* (1. Joan. 1, 1.), indefinite tenditur *erat,* quidquid excogitaveris, *erat* Filius. Omnes autem haereses hoc capitulo brevi piscator noster exclusit. Quod enim *erat in principio,* non includitur tempore, non principio praevenitur. Ergo Arius conticescat. Quod autem *erat apud Deum,* non permixtione confunditur; sed manentis Verbi apud Patrem solida perfectione distinguitur, ut Sabellius obmutescat. *Et Deus erat Verbum.* Non ergo in prolatione sermonis hoc Verbum est, sed in illa coelestis designatione virtutis, ut confutetur Photinus. Quod vero *erat in principio apud Deum,* sempiternae Divinitatis in Patre et Filio inseparabilis unitas edocetur, ut erubescat Eunomius. Postremo cum *omnia per ipsum facta* dicantur, ipse conditor novi utique Testamenti et veteris designatur, ut Manichaeus locum tentationis habere non possit. Ita piscator bonus intra unum omnes rete conclusit, ut faceret inhabiles fraudi, quamvis essent inutiles captioni.“

509. 5. Vers. 4. dicitur: *In ipso vita erat,* scil. ita in ipso vita est, ut sit *vita subsistens;* 5, 26: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso;* 1. Joan. 1, 2: *vita aeterna;* ut sit *fons* et *origo omnis vitae* tam *naturalis* v. 3. quam vitae *supernaturalis* et vitae *gloriae*[1]). Sicut ergo qui est ὁ ὤν et fons totius entitatis, nonnisi Deus est: ita nonnisi Deus esse potest, qui est vita substantialis et fons omnis vitae, nam notiones τοῦ ὄντος, *actus purissimi* et *vitae subsistentis* (sicut et *lucis substantialis*) sunt synonymae. Non dissimili ratione argumentari licet ex inciso sequenti: *Et vita erat lux hominum* coll. v. 8; Eph. 5, 14; Matth. 11, 27., unde

[1]) Joann. 4, 14: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam;* 5, 21: *Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat;* 6, 58: *Sicut misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me;* Act. 3, 15. dicitur *auctor vitae* simpliciter; Joan. 11, 25; 17, 2: *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam aeternam* etc.

liquet Filium etiam inhabitare lucem *inaccessibilem* cum Patre (1. Tim. 6, 16.), nam nemo novit Filium nisi Pater.

Quibus diligenter expensis non mirabimur, Novatianum scribere potuisse *de Trin.* c. 23. (al. 18.): »Usque adeo hunc (scil. Filium) manifestum est in Scripturis esse Deum tradi, ut plerique haereticorum divinitatis ipsius magnitudine et veritate commoti ultra modum extendentes honores ejus ausi sint non Filium, sed ipsum Deum Patrem promere vel putare; quod etsi contra Scripturarum veritatem est, tamen divinitatis Christi argumentum grande ac praecipuum est . . . Alii quoque haeretici usque adeo Christi manifestam amplexati sunt divinitatem, ut dixerint illum fuisse sine carne et totum illi susceptum detraxerint hominem, ne decoquerent in illo divini nominis potestatem, si humanam illi sociassent, ut arbitrabantur, nativitatem etc.«

510. **Scholion.** Non negamus ex divinis literis plura adduci posse, quae Filii divinitati adversari videntur. Singula expendere non licet; juverit tamen quaedam statuisse principia ad potiores solvendas exceptiones. Et **1.** quidem ita statuit Augustinus *de Trinit.* l. 1. c. 11. n. 22: »Distinguamus, quid in Scripturis sonat secundum *formam* (i. e. naturam) *Dei*, in qua aequalis est (Filius) Patri, et quid secundum *formam servi*, in qua minor est Patre, (et) non conturbabimur tamquam contrariis inter se ss. librorum sententiis.« **2.** Christus considerari potest *triplici* modo, ut *Deus*, ut *homo*, ut *caput corporis sui mystici* i. e. Ecclesiae. Jam vero plura de Christo dicuntur, quae sunt intelligenda de ejus corpore mystico, de Ecclesia seu de Christo secundum ejus corpus (n. 190. s.). Secundum hanc considerationem explicant patres 1. Cor. 15, 27. s. Omnium nomine audiatur Ambrosius l. 5. *de fide* c. 13: »Sicut ergo nos in illo sedemus per corporeae communionem naturae, ita et ille . . . per obedientiam omnium erit subjectus in nobis, cum gentilis crediderit, cum judaeus agnoverit, quem crucifixit, cum manichaeus adoraverit, quem in carne venisse non credidit, cum arianus omnipotentem confessus fuerit, quem negavit, cum postremo in omnibus fuerit sapientia Dei, pax, caritas, resurrectio.« **3.** Filius est quidem Deus, sed *Deus de Deo*, Deus genitus. Cum ergo Filius omnia sua in Patrem refert, divinitatem sibi non negat, sed genitum se et Filium, non αὐτόθεον et ingenitum, profitetur. **4.** Sicut in V. Testamento *unitas Dei* inculcatur, ita et in novo, sed qua dilatata in *Trinitatem*, ut patres subinde loquuntur (cf. Thomassinus *de Trinit.* c. 4.). Progressu scil. revelationis professio unitatis Dei aucta est professione Trinitatis personarum. Ne ergo haec illam impediat, nomen Dei in divinis literis plerumque tribuitur Patri, qui est Filii et cum Filio Spiritus s. principium; Filio vero et Spiritui s. rarius tribuitur, praesertim si simul cum Patre nominantur; ejus vero loco alia adhibentur nomina, quae divinitatem quidem significant, sed personarum simul distinctionem tuentur. Ejusmodi nomen est praesertim nomen *Domini*, κύριος, quod in primis Filio tribuitur, nec minoris est dignitatis ac nomen *Dei*, cum LXX interpretes nomen Dei ineffabile nomine κύριος reddere soleant. Ad rem scribit Tertullianus *c. Praxeam* c. 13: »Apostolum sequar, ut si pariter nominandi fuerint Pater et Filius, Deum Patrem appellem, et Jesum Christum Dominum nominem. Solum autem Christum potero Deum dicere, sicut idem Apostolus: *Ex quibus est Christus,*

inquit, *Deus super omnia benedictus in aevum omne* (Rom. 9, 5.). Nam et radium solis seorsum solem vocabo, solem autem nominans, cujus est radius, non statim et radium solem appellabo.« Cf. *opusc.* XXII, 168. ss. annot.

511. His statutis potiora testimonia, quibus in primis abusi sunt ariani, accuratius expendemus. Joan. 17, 3: *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Jesum Christum.* Advertatur **1.** vocem *solum,* cui innititur tota difficultas, non esse referendam ad subjectum *te,* ut patet ex textu graeco, sed ad praedicatum *Deum verum,* adeo ut sensus sit: Ut cognoscant te esse solum verum Deum; ideoque **2.** affirmari *unicitatem* Dei; non vero **3.** ab unicae hujus naturae divinae consortio excludi Filium, qui utpote genitus necessario ejus naturae est consors: unde diserte dicitur 1. Joan. 5, 20. Deus verus. Cf. *opusc.* XXIX, 271. — 1. Cor. 8, 6: *Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia . . . et unus Dominus J. Christus, per quem omnia.* Verum **1.** hisce verbis non negatur divinitas Filii, alioquin sequeretur etiam Patrem non esse Dominum; imo **2.** affirmatur, cum dicitur εἷς κύριος, et quidem **3.** Dominus *per quem omnia,* sicut ex Patre sunt omnia. Metaphysice enim repugnat, ut *omnium* qua late patent, *duplex* natura distinctum sit principium. — Marc. 13, 32: *De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in coelo, neque Filius, nisi Pater.* Communior responsio ea est, quam ita proponit s. Augustinus *de Gen. c. Manichaeos* c. 22: »Quid potest esse, quod ipse nesciat? Sed quia hoc utiliter occultat discipulis, nescientem se esse dixit, quia illos nescientes occultando faciebat.« Nescivit igitur Christus hunc diem scientia *communicabili;* nescivit qua Dei legatus, cum hanc notitiam nobis communicare non debuerit. Cf. *Comp.* II. n. 116; *opusc.* XXIX, 276. annot.

Articulus III.

De persona Spiritus sancti.

512. **Thesis LXXIV.** ***Spiritus sanctus, qui a Patre Filioque distinguitur, subsistens est ac vera persona verusque Deus.***

Demonstratio. Thesis tres continet partes: in *prima* tuemur contra sabellianos Spiritum s. Patre Filioque re *distingui;* in *secunda* vindicamus si substantiam et *personalitatem* contra socinianos et rationalistas, qui Spiritus sancti nomine intelligunt quandam virtutem seu operationem Dei; in *tertia* affirmamus contra macedonianos eum esse verum *Deum.* Complectitur autem thesis dogma *fundamentale* religionis christianae expressum in confessione fidei, quam misit Damasus ad Paulinum ep. antioch. (a. 378. vel 379.) anath. scil. 3. et 16: „Si quis non dixerit Spiritum s. de Patre esse vere ac proprie, sicut Filius de divina substantia et Deum verum, A. S.“; et in concilio CP. I. a. 381., quod symbolo nicaeno haec verba adjecit: „Credimus . . . et in Spiritum s., Dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit, qui cum Patre et Filio est adorandus et glorificandus, qui locutus est per prophetas.“ Licet autem tres sint

partes, earum demonstratio vix ab invicem separari potest, iisdem enim testimoniis comprobantur.

513. *Primum* argumentum sit generale. Spiritus s. *saltem in 25* s. Scripturae *locis* non solum nominatur, sed vel *Patri* vel *Filio* vel *utrique* conjungitur et *connumeratur,* ita tamen, ut ab iis distinguatur proprio nomine, propriis operationibus (quae scil. ipsi appropriantur), tamquam *tertius* a primo et secundo[1]). Atqui haec adeo frequens distinctio et connumeratio cum Patre et Filio, qui personae divinae realiter distinctae sunt, suadet et persuadet, eum ita distingui a Patre et a Filio, sicut Filius a Patre distinguitur, eum subsistere, esse personam non inferioris conditionis ac illi sunt. „Impium enim est, inquit Athanasius *de incarn.* n. 9., creatum aut factum dicere Spiritum Dei, ubi omnis Scriptura vetus et nova cum Patre et Filio ipsum annumerat et glorificat.“ Cf. *opusc.* XIII, 14. annot.

Expendantur speciatim Act. 5, 3. s., ubi Petrus asserit[2]), Ananiam mentitum esse Spiritui s., mox vero v. 4. affirmat eum mentitum esse Deo. — Act. 7, 51. s. Stephanus exprobrat judaeis, quod semper sicut et patres eorum resisterent Spiritui s. Sed patres ipsorum jugiter arguuntur, quod Deo non obsequerentur Heb. 3, 7. ss.; 4, 1. ss. coll. Ps. 94, 7. ss.; Matth. 12, 32; Luc. 12, 10. blasphemia in Spiritum s. gravior judicatur peccato in Filium, quae major gravitas explicari nequit, si Spiritus s. sit creatura. A Paulo dicimur[3]) templa Spiritus s., quapropter bene advertit Augustinus *c. Maximinum* l. 3. n. 3: „Corpus nostrum templum est Spiritus sancti: et ne corpora nostra contemnas, membra sunt Christi. Qualis est ergo Deus, cui templum aedificatur et *a Deo* et *e membris Dei?*“ „Nulla quippe creatura, subjicit Cyrillus alex. *thesauri* ass. 34., neque factum aliquid tamquam Deus in templo habitare dicitur. Nam id inter alias proprietates Deo soli convenit.“

514. *Aliud* argumentum pro divinitate Spiritus sancti erui potest ex iis, quae illi passim in divinis literis adscribuntur. Sane adscribun-

---

[1]) Joan. 15, 26: *Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me;* 13, 16: *Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum;* 16, 13. ss. (n. 518.); Matth. 3, 16. s.; 28, 19. (n. 515.); Rom. 15, 30: *Obsecro ergo vos, fratres, per D. N. J. Christum et per caritatem s. Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum;* 1. Cor. 13, 3. ss.; 2. Cor. 13, 13: *Gratia D. N. J. Christi et caritas Dei et communicatio s. Spiritus sit cum omnibus vobis, amen* etc.

[2]) Act. 5, 5: *Dixit autem Petrus: Anania, cur tentavit satanas cor tuum mentiri te Spiritui s.? . . . non es mentitus hominibus, sed Deo.*

[3]) 1. Cor. 3, 16. s.; 6, 19: *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus s., qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro.* Cf. *opusc.* XVI, 229. annot.

tur ei **a.** non obscure *creatio*[1]); **b.** Filii *incarnatio* Luc. 1, 35., Christi *inunctio* Luc. 4, 18. et *miracula* Matth. 12, 28. coll. Joan. 14, 10; **c.** quod Ecclesiam in *omnem* ducat veritatem (cf. n. 232.), regat et administret Act. 10, 20; 20, 28. coll. 1. Cor. 12, 28. (cf. n. 222. annot.); **d.** *inspiratio* Scripturae et prophetarum 2. Pet. 1, 21., per quos tamen jugiter exhibetur *Deus* locutus; **e.** fidelium *regeneratio* et *renovatio, remissio peccatorum,* quae propria est Dei; *distributio charismatum; sanctificatio*[2]), qua sancti divinaeque consortes naturae efficimur: cujus effectus occasione Gregorius nazianz. or. 34. n. 12: „Non adducor, inquit, ut credam, mihi ab aequali salutem afferri. Si Spiritus s. non est Deus, fiat Deus prius et ita demum me, aequalem suum, Deum efficiat.“ Adscribuntur ei **f.** praerogativae *divinae*, ut *sanctitas* non accidentalis, participata, sed essentialis, ex qua omnis sanctitas in creaturas derivatur, et quidem toties, quoties simpliciter Spiritus *sanctus* dicitur. „Si extremae stultitiae, inquit Cyrillus alex. dial. 7. *de Trin.*, certum illud est argumentum, nominare quidem Patrem Deum, sed ipsum Patrem esse non intelligere: aut Filium quidem Filium, istud autem non esse dicere: quomodo ignorantiae culpa liberabimus eos, qui naturali sanctitate spoliare audent natura et vere sanctum Spiritum?“ Tribuitur ei *omniscientia,* cum simpliciter dicatur *Spiritus veritatis* Joan. 14, 17; 1. Cor. 2, 10. s.: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei;* ex quo Pauli loco variis modis patres s. Spiritus divinitatem inferunt; tum quia α. tribuitur Spiritui s. notitia secretorum paternorum profundorumque Dei, et quidem *connaturalis,* quae alioquin propria est Filio (Joan. 1, 18., Matth. 11, 27.); tum quia β. Spiritus s. confertur cum spiritu hominis, qui non est aliquid homini extraneum alienumve ab ejus substantia; tum quia γ. „si hominis occulta cognoscere divinitatis est proprium, quanto magis profunda Dei summi in persona

---

[1]) De Gen. 1, 2: *Spiritus Dei ferebatur super aquas* (cf. *opusc.* XXII, 181. in annot.); Ps. 32, 6: *Verbo Domini coeli firmati sunt et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum;* Ps. 103, 30: *Emittes Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terrae.*

[2]) Joan. 3, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu s., non potest introire in regnum Dei;* Tit. 3. 5; 1. Cor. 6, 11: *Et haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri J. Christi et in Spiritu Dei nostri.* Rom. 5, 5: *Diffusa est gratia in cordibus nostris per Spiritum s., qui datus est nobis;* Joan. 20, 22. s.: *Accipite Spiritum s., quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;* 1. Cor. 12, 3. ss., ubi Paulus recensitis plurimis charismatibus subjicit: *Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult.*

Spiritus s. majestatis insigne est?" inquit Paschasius *de Spir. s.* l. 2. c. 1; tum quia δ. Spiritui Dei vel ipsa τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ sunt pervia, Deum proinde comprehendit: Deum autem comprehendere solius est intellectus infiniti seu Dei. Cf. *opusc.* XXII, 179. ss. cum annot. subjectis.

515. *Tertium* argumentum petitur ex *traditione.* Sufficit provocare **a.** ad antiquissima *symbola,* in quibus Patri et Filio conjungitur et connumeratur Spiritus sanctus; quocirca s. Ambrosius *de mysteriis* c. 5. n. 28: „Descendisti igitur, inquit, (in fontem baptismi). Recordare, quid responderis, quod credas in Patrem, credas in Filium, credas in Spiritum sanctum. Non habes illic: Credo in majorem et minorem et ultimum, sed eadém vocis tuae cautione constringeris, ut similiter credas in Filium, sicut in Patrem credis; similiter in Spiritum s. credas, sicut credis in Filium;" **b.** ad *doxologiam* ex vetustissima traditione derivatam, qua semper Spiritus s. cum Patre et Filio conglorificabatur; **c.** ad integra opera, quibus patres hoc dogma propugnarunt, ut Basilius (*opusc.* XXXI.), Didymus alex., Athanasius in ep. ad Serapionem, Gregorius naz. *or. 5. theol.* (*opusc.* XXIX.). auctor *breviarii fidei* adv. arianos, Epiphanius *haer.* 74; Ambrosius, Cyrillus alex. *thes.* ass. 33. 34. etc. In primis **d.** delectantur patres argumento *ex baptismi forma* deducto, cujus vis ut perspiciatur, advertatur **1.** conjungi et adnumerari Spiritum s. Patri et Filio in ritu fundamentali religionis christianae maximeque ad salutem necessario, quo **2.** homines mundantur a peccatis, regenerantur, sanctificantur totique transeunt in peculium Dei. Tantam vero **3.** invocationis hujus nominis esse necessitatem sicut invocationis Patris et Filii, adeo ut ea praetermissa invalidus sit baptismus, et invocari **4.** tres personas sub uno communique nomine. Cum ergo in tanto opere tanta necessitate Spiritus s. sub uno communi nomine conjungatur Patri et Filio, liquet eum esse *ejusdem* auctoritatis, virtutis, honoris, majestatis, verbo, *divinitatis* cum Patre et Filio.

Articulus IV.

De processione Spiritus sancti.

516. **Thesis LXXV.** ***Spiritus sanctus non solum a Patre, verum etiam a Filio procedit.***

Demonstratio. Dogma hoc catholicum in conciliis lateranensi IV. cap. *Firmiter,* lugdunensi II. et florentino solemniter declaratum fuit contra graecos schismaticos. Lugdunense enim docet: „Fideli ac devota professione fatemur, quod Spiritus s. aeternaliter ex Patre et Filio non tamquam ex duobus principiis, sed tamquam ex

uno principio non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit.“ Probatur autem ex divinis literis et **1.** quidem ex illis testimoniis, in quibus Spiritus s. dicitur *Spiritus Filii* vel *Jesu*[1]), sicut aliis in locis passim dicitur Spiritus Dei vel Patris. Atqui graecis non diffitentibus idcirco Spiritus s. dicitur Spiritus Patris, quod ex Patre procedit. Ergo ideo etiam dicitur Spiritus Filii, *quia ex Filio procedit.* Ad rem Cyrillus alex. *ep. synod. ad Nestorium* approbata a conc. ephesino: „Spiritus . . . non est alienus a Filio, Spiritus enim veritatis nominatur et Christus est veritas, et *proinde* quoque ab illo atque a Deo Patre procedit.“

517. Probatur **2.** ex eo, quod Filius mittat Spiritum sanctum teste Scriptura. De ratione *missionis* sunt duo, relatio scil. ad terminum *a quo* seu ad mittentem et relatio ad terminum *ad quem;* in divinis vero *origo* personae missae a mittente et nova relatio *ad terminum* externum ratione cujus missa dicitur; ideoque complectitur elementum *aeternum,* processionem scil. personae divinae ab alia, et elementum *temporale,* habitudinem scil. ad aliquam creaturam vel opus effectum. De ratione missionis divinae esse personae missae a mittente originem, suadetur **a.** inductione, qua constat, neque Patrem neque ss. Trinitatem legi missam; solus quippe Filius et Spiritus s., personae scil. quae procedunt, missi dicuntur, et quidem ab ea persona, a qua procedunt. Confirmatur **b.** auctoritate universae scholae praeeunte s. Thoma 1. p. q. 43. et auctoritate gravium patrum. Ita Fulgentius in fragm. l. 8. *contra Fabianum:* »Filius est igitur missus a Patre, non Pater a Filio, *quia* Filius est a Patre natus, non Pater a Filio. Similiter etiam Spiritus s. a Patre et Filio legitur missus, *quia* a Patre Filioque procedit.« Illustratur **c.** ratione: mitti enim nihil aliud est quam ire vel venire ad aliquem terminum per virtutem alterius impressam aliquo modo ei, qui mitti dicitur: quod fieri potest *quadruplici* modo, per impulsum, praeceptum, preces, productionem, qua ratione ex. gr. sol *emittit* radium, arbor florem. Atqui *triplex* prior modus in divinis locum non habet. Ergo missio in divinis involvit *processionem personae missae a mittente.* Jam vero Spiritus s. exhibetur missus non solum a Patre, sed et *a Filio* Joan. 15, 26; 16, 7: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos;* Luc. 24, 49. Ergo a Filio quoque procedit; quod Christus significavit facto illo, quod narratur Joan. 20, 22: *Insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum.* Cf. *opusc.* XVI. pag. 234. annot.

518. Probatur **3.** ex Joan. 16, 13. ss.: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso: sed quaecunque audiet loquetur, et quae ventura sunt, annunciabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, et annunciabit*

[1]) Act. 16, 6: *Vetati sunt* (Paulus et comites) *a Spiritu s. loqui verbum Dei in Asia: . . . tentabant ire in Bithyniam, et non permisit eos Spiritus Jesu.* Gal. 4. 6: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem Abba Pater.* Rom. 8, 9; 1. Petr. 1, 11.

vobis. Omnia quaecunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: Quia de meo accipiet et annunciabit vobis. Quibus **a.** diserte edicitur, Spiritum s. accipere a Filio seu de iis, quae sunt Filii. Atqui *accipere* in divinis nihil aliud significat quam *procedere,* cum praeter processionem alia accipiendi ratio non cognoscatur. **b.** Filius testatur se omnia habere, quae Patris sunt, excepta profecto paternitate. At Pater habet virtutem spirandi, quae non est idem ac paternitas, alioquin Spiritus sanctus esset Filius Patris. Ergo et hanc virtutem habet Filius, qui proinde cum Patre principium est Spiritus sancti. Neque obstat **c.** futurum *accipiet;* sermo enim est de missione Spiritus s., quae est manifestatio processionis: haec vero missio tunc erat futura. Ceterum plures codd. *graeci* habent tempus praesens[1]). Accedit **d.** authentica patrum interpretatio. Ita ex. gr. scribit Athanasius or. 3. c. *arianos* n. 24: „A me (i. e. a Filio) Spiritus procedit. Qui autem dico a me, etiam a Patre significo: mea enim sunt ea, quae Patris. Ad hunc ergo modum intellige illud *de meo accipiet.*"

519. Succedit argumentum *traditionis.* Graeci schismatici evidentia convicti concedunt, patres latinos processionem Spiritus s. a Filio quoque docere, quos ideo erroris inscitiaeve accusant; quocirca dogma catholicum suffragio patrum graecorum comprobabimus. De quo **1.** constat *indirecte* ex consensu patrum latinorum (cf. n. 122.); constat 2. directe ex disertis eorundem verbis et doctrinae capitibus. Ita **a.** doctrina est s. Basilii ep. 125. (78.): „Immotus et inviolabilis custodiendus est *ordo,* quem ex ipsa voce Domini traditum accepimus dicentis, baptizantes eos in nomine *Patris et Filii et Spiritus sancti.*" Atqui non alia ratio congrua reddi potest vel redditur a patribus, quare hic ordo, vi cujus Pater nominatur primus, secundus Filius, tertio loco Spiritus s., immutabilis et plane necessarius sit, quam quae oritur ex origine unius personae ab altera. „Nos autem, scribit idem l. 1. c. *Eunom.* n. 20., *secundum causarum habitudinem* ad ea, quae ex illis oriuntur, Patrem collocari ante Filium asserimus;" quod etiam Gregorius nyss. l. 1. *contra Eunom.* p. 164. tradit: „Eadem est nostra doctrina de Spiritu s., in solo ordine differentiam (inter personas) agnoscens. Sicut enim conjungitur Patri Filius et ex illo esse habens, non tamen exsistentia posterior est: sic pariter *ab Uni-*

---

[1]) Augustinus *contra serm. arian.* c. 24: „Nec moveat, quod futuri temporis verbum est *accipiet,* quasi nondum haberet. Indifferenter quippe dicuntur temporis verba, quamvis sine tempore manere intelligatur aeternitas. Nam et *accepit,* quia de Patre processit; et *accipit* quia a Patre procedit; et *accipiet,* quia de Patre nunquam procedere desinet: sicut Deus et *est,* et *fuit,* et *erit,* et tamen initium vel finem temporis nec habet, nec habuit, nec habebit."

genito pendet Spiritus s., ita ut sola cogitatione secundum rationem principii (κατὰ τὸν τῆς αἰτίας λόγον) Filius praeintelligatur hypostasi Spiritus. Temporales enim dimensiones in aeterna vita non habent locum, ita ut *excepta ratione principii* ss. Trinitas nulla re in se ipsa discernatur."

520. Docent **b.** cum Athanasio, *eandem esse habitudinem inter Spiritum s. et Filium, quae inter Filium et Patrem,* quod paucis inculcat ep. 2. *ad Serap.* n. 1. scribens: „Qualem scimus proprietatem ἰδιότητα esse Filii ad Patrem *eandem ad Filium* habere Spiritum sanctum comperiemus. Et quemadmodum Filius dicit: *Omnia quaecunque habet Pater, mea sunt* (Joan. 16, 15.), ita haec omnia *per Filium* in Spiritu esse deprehendemus." Atqui Patrem inter et Filium est habitudo *originis.* Ergo et inter Spiritum sanctum et Filium[1]). Quare **c.** quemadmodum Patrem vocant πηγήν (principium) Filii, ita vel aequivalenter vel diserte *Filium* vocant πηγήν *Spiritus sancti.* Ita Athanasius *de incarn.* n. 9: „Idcirco David psallens canebat (Ps. 35, 10.): „*Quoniam apud te fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen.* Noverat enim apud Patrem esse Filium, *fontem Spiritus sancti.*" Quibus adde **d.** *diserta testimonia,* ut Epiphanii *haer.* 62. n. 4: „Non alienus est a Patre et Filio Spiritus sanctus, sed ex eadem substantia, ex eadem divinitate, ex Patre et Filio cum Patre et Filio subsistens semper Spiritus sanctus;" Gregorii nyss. hom. 3. *in or. dom.:* „Spiritus s. et ex Patre dicitur et ex Filio esse perhibetur;" Cyrilli alex. *thes.* assert. 34. pag. 345: „Cum igitur Spiritus s. in nobis inhabitans conformes nos Deo reddat, procedat vero is ex Patre et Filio, manifestum est divinae essentiae eum esse;" synodi seleuciensis in Mesopotamia 40 episcoporum a. 410. c. can. 2: „Confitemur in Spiritum vivum et sanctum Paracletum, vivum de Patre et Filio."

Denique **5.** eadem veritas vel *ex haereticorum objectis* patrumque adversus eos disputandi ratione erui potest. Nam haeretici docebant, Spiritum sanctum esse creatum ejusque productionem soli Filio tribuendam, et sic adversus ejus processionem arguebant apud s. Athanasium *ep. ad Serapionem* n. 15: „Si Filii dicatur esse Spiritus, Pater ergo avus est Spiritus;" vel inferebant, si Spiritus est ex Filio, filius esset Filii. Atqui patres contra eos disserentes non negant Spiritum s. esse a Filio, nec unquam inculcant,

---

[1]) Hoc argumentum card. Bessarion de *processione Spir. s.* §. 9. ita proponit: ‚Tum a magno Basilio tum a plerisque sanctorum Filius quidem dicitur imago Patris, Spiritus autem *imago Filii;* Filius operatio Patris, Spiritus s. *operatio Filii;* Filius Verbum Patris, Spiritus s. *Verbum Filii;* Filius suaveolentia Patris, Spiritus s. *suaveolentia* Filii. Sed illa omnia dicitur Filius, utpote qui *a Patre* exsistat. Igitur et Spiritus s. eadem dicitur Filii esse tamquam *a Filio* exsistens.‘

eum a solo Patre procedere; qua responsione omnis difficultas peremptorie soluta fuisset: verum alia ratione eam solvunt. Supponunt ergo Filium esse principium Spiritus sancti, sed non solum, nec primum.

521. **Scholion.** Provocant schismatici ad verba Christi Joan. 15, 26: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me;* et ad verba symboli (n. 512.), in quibus nulla fit mentio Filii. Sed advertatur **1.** verba Christi et symboli esse *affirmantia,* non *excludentia;* sicut ergo ex eo, quod in symbolis profitemur Deum Patrem omnipotentem et omnium creatorem, non excludimus Filium ab omnipotentia et creatione: ita nimis praecipitanter ex eo, quod Spiritus affirmetur procedere ex Patre, excluditur ab ejus spiratione Filius; saepe enim uni personae adscribuntur quae citra controversiam communia sunt reliquis personis. **2.** vel ex his verbis demonstrari posse thesim cum Augustino *de Trin.* l. 15. n. 47. et tract. 99. *in Joan.* n. 8: »Si ergo et de Patre et de Filio procedit Spiritus s., cur Filius dixit: *De Patre procedit* (Joan. 15, 26.)? Cur putas, nisi quemadmodum ad eum solet referre et quod ipsius est, de quo et ipse est? Unde illud est, quod ait: *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui me misit* (Joan. 7, 16.)? Si igitur intelligitur hic ejus doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris; quanto magis illic intelligendus est de ipso procedere Spiritus s., ubi sic ait: *De Patre procedit,* ut non diceret: *De me non procedit?* A quo autem habet Filius, ut sit Deus (est enim de Deo Deus), ab illo habet utique, ut etiam de illo procedat Spiritus s.; ac per hoc Spiritus s. ut etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre.« Concedimus, non deesse patres, qui Filio rationem *principii* prae Spiritu s. *quadamtenus* abjudicant; plures tamen sunt, qui eam vindicant. Unde patet nomen *principii* nunc *pressius,* nunc *laxius* accipi. Qui ergo vindicant Filio praerogativam principii, hujus nomine comprehendunt etiam illud, quod est principium *de principio:* qui vero eam illi abjudicant, nomine principii intelligunt *principium principale,* quod scil. non est ab alio, ἄναρχον.

522. **Corollarium I.** Cum ergo additamentum *Filioque* in symbolo veritatem revelatam contineat, cumque Ecclesia *jus* habeat non quidem aliam fidem praedicandi, sed eandem aliter i. e. *clariori et magis explicita* ratione profitendi et enunciandi: injuria graeci schismatici Ecclesiam latinam accusant, quod symbolum corruperit. Quod si graeci schismatici opponunt decretum synodi III. ephesinae et IV. chalcedonensis: „Definivit s. et universalis synodus alteram fidem nulli licere proferre aut conscribere vel componere aut sentire aut alios docere. Eos autem qui audent componere fidem alteram aut proferre aut docere, aut tradere alterum symbolum . . . hos si episcopi fuerint aut clerici, alienos esse episcopos ab episcopatu, et clericos a clero; si vero monachi aut laici fuerint, anathematizari eos:" respondemus, hoc decreto prohiberi, ne altera, id est, *contraria* fides, non vero ne clarior ejusdem fidei expositio proponatur; vel si etiam hoc prohibitum censeatur, prohibitum id est personis *privatis,* non vero

ipsi Ecclesiae, ut patet ex hujus decreti *occasione,* ex *poenis* adjectis, quae respiciunt singulares personas; ex *rei natura,* cum Ecclesia sibi adimere non possit jus ad veritatis revelatae tutelam plane necessarium; et *ex factis,* cum Ecclesia semper hoc jus exercuerit. Cum vero Spiritus s. de Patre Filioque procedat processione substantiali, de eo repeti possunt, quae de Filio statuimus n. 504.

523. **Corollarium II.** Cum ex toto capite sequatur, Patrem esse Deum eumque genuisse Filium, qui Deus quoque sit: ex Patre vero et Filio procedere Spiritum s., qui pariter verus sit Deus, cumque revelatio christiana praeter Patrem, Filium et Spiritum s. aliam personam divinam non cognoscat: manifesto sequitur, dogma esse revelationis christianae *Trinitatem personarum divinarum.* Quae personarum pluralitas si non diserte proposita, saltem adumbrata dici potest in V. T., si hoc in lumine novi consideretur. *Numerus* vero personarum seu *Trinitas* vix adumbrata dici potest, nisi forte, ut censent aliqui patres (cf. *opusc.* XVI, 178. ss.) in visione Is. 6, 3., qui audivit cherubim clamantes: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum.* De qua visione scribit Ambrosius l. 2. *de fid.* c. 12. n. 107: „Quid sibi vult sub uno nomine sanctitatis *trina* repetitio? Si *trina* repetitio, cur *una* laudatio? Si *una* laudatio, cur *trina* repetitio? *Trina* repetitio, cur, nisi quia Pater et Filius et Spiritus s. sanctitate unum sunt? Non dixit *semel,* ne Filium sequestraret; non *bis*, ne Spiritum praeteriret; non *quater,* ne creaturas conjungeret. Et ut ostenderet Trinitatis *unam* esse Deitatem, cum *tertio* dixisset: *sanctus, sanctus, sanctus,* addit singulariter: *Dominus Deus Sabaoth.* Sanctus igitur Pater, sanctus Filius, sanctus et Dei Spiritus. Adoratur igitur Trinitas, non adorat; laudatur Trinitas, non laudat etc.“

Caput II.

De unitate in Trinitate.

524. **Thesis LXXVI.** ***Licet Pater et Filius et Spiritus s. tres sint personae divinae distinctae et unaquaeque sit Deus, unus tamen est Deus, et unitate quidem non tantum morali, specifica vel in idea, sed physica, numerica, objectiva.***

Demonstratio. Dogma catholicum bene expressum habetur in symbolo athanasiano: „Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus s., et tamen non tres dii, sed unus est Deus. Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus s., et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus: quia sicut singillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri christiana veritate compellimur, ita tres Deos aut Dominos dicere catholica religione prohibemur.“ Defendimus autem

unitatem Dei maxime contra tritheitas, secundum quos pro numero personarum divinarum multiplicatur et natura divina, ideoque ea tantum est naturae divinae unitas, qualis humanae seu hominum, *moralis* scil. et *specifica*.

525. Perfectissimam Dei unitatem docent **1.** *divinae literae*, nam **a.** absolute *affirmant*, Deum esse unum Deut. 6, 4: *Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est;* Marc. 12, 29; Rom. 3, 30; 1. Tim. 2, 5; eam **b.** inculcant formulis *negantibus* Deut. 4, 35. et 39: *Scito ergo hodie et cogitato in corde tuo, quod Dominus ipse sit Deus in coelo sursum et in terra deorsum, et non sit alius;* 3. Reg. 8, 60; Id. 44, 6. ss.; **c.** confirmant formulis *excludentibus* Ps. 82, 19: *Et cognoscant, quia nomen tibi Dominus, tu solus Altissimus in omni terra;* 4. Reg. 19, 15. ss.; **d.** significant adhibita *figura interrogationis* 2. Reg. 22, 32: *Quis est Deus praeter Dominum, aut quis fortis praeter Deum nostrum?* **e.** exprimunt formulis *comparativis,* quibus ita unum esse Deum docent, ut nemo cum eo conferri possit Ex. 8, 10: *Non est sicut Dominus Deus noster;* eam tandem **f.** docent, cum gloriam, opera proprietatesque divinas ita adscribunt Deo, ut fas esse negent, alteri cuipiam illa tribuere; 1. Reg. 2, 2: *Non est sanctus, ut est Dominus, neque enim est alius extra te: et non est fortis sicut Deus noster;* Luc. 18, 19; 1. Tim. 6, 15.

526. Eadem veritas probatur **2.** ex ipso dogmate catholico, quod argumentum ita conc. lateranense IV. cap. *Damnamus* proponit: „Pater ab aeterno Filium generando suam substantiam ei dedit ... ac dici non potest, quod partem substantiae suae illi dederit et partem ipse sibi retinuerit, cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino. Sed nec dici potest, quod Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam Filio, quod non retinuerit ipsam sibi, alioquin desiisset esse substantia. Patet ergo, quod sine ulla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit, et Pater et Filius eandem habent substantiam.“ Quae de Spiritu sancto quoque repeti possunt. Probatur **3.** illustri *patrum suffragio*.

527. Patres enim **a.** non solum uno ore, maxime cum primum symboli articulum explicant, unum et unicum esse Deum docent, verum etiam *omnis generis argumentis dualismum* et polytheismum *refellunt* probantque, Deum esse unum ex unitate mundi, ex notione ultimi finis, entis summi, infiniti, omnipotentis, veritatis etc., ut patet ex iis, quae collegit Petavius *de Deo* l. 1. c. 3. ss.; l. 2. c. 8., quae omnia probant unitatem Dei non specificam, sed numericam. Quare **b.** nullus erit patrum, qui non assentiat Basilio dicenti ep. 189. al. 80. n. 2., „se *anathematizare quemque, qui tres deos dicit,* ac eum *ne christianum quidem* judicare;“ ideoque nunquam apud eos occurrit formula *tres dii,* imo vel a polytheismi umbra abhorrent.

Quapropter Vigilius tapsensis *de Trinit.* l. 6.: »Maledictus, inquit, qui propter tria nomina personarum tres deos aut tres substantias aut tres spiritus confitetur. Fiat, fiat!« Atqui admissa sola unitate *specifica* vel morali impune liceret dicere, imo verissime dicerentur tres dii, sicut multi dicuntur homines; nec citra contradictionem potuissent accusare arianos polytheismi, cujus ipsi fuissent rei[1]). Passim **c.** inculcant unitatem in Trinitate summum esse mysterium; sed *nullum* est *mysterium* plurium unitas moralis vel specifica et secundum considerationem. Docent **d.** personas ab invicem distingui, sed nullatenus separari, cum glutine ejusdem substantiae cohaereant. »Neque tres hypostases, inquit Athanasius *in exposit. fidei* n. 2., per seipsas divisas (μεμερισμένας καθ' ἑαυτάς) ut in hominibus pro natura corporum accidit, fas est in Deo cogitare, ne ut gentes deorum multitudinem inducamus: sed sicut fluvius, qui ex fonte genitus ab eodem non separatur, quamvis duae sint illorum figurae duove nomina (δύο σχήματα καὶ δύο ὀνόματα).« SS. Trinitatis unitatem illustrant **e.** *comparatione cum mysterio incarnationis;* sicut enim in hoc est *aliud* et *aliud,* non *alius* et *alius*; ita vicissim in ss. Trinitate est alius et alius, non aliud et aliud. Sed illa loquendi ratione inculcant *singularitatem* personae in Christo. Ergo et hac exprimunt singularitatem naturae in Deo. Cf. Vincentium lirin. *commonit.* c. 13. *(opusc.* IX, 180.). Denique **f.** variis analogiis conantur patres illustrare unitatem in Trinitate (cf. *opusc.* VI, 141. ss. annot.), quae evidenter supponunt unitatem naturae numericam. Inter eos eminet Augustinus, qui passim in suis operibus, nominatim lib. 9. *de Trin.* provocat ad Trinitatis vestigium in anima humana; quem l. ita concludit: »Est quaedam imago Trinitatis *ipsa mens* et notitia ejus, quae est proles ejus ac de se ipsa *verbum ejus,* et *amor* tertius, et haec tria unum atque una substantia; nec minor proles, dum tantum se novit mens, quanta est: nec minor amor, dum tantum se diligit, quantum novit et quanta est.«

528. **Corollarium I.** Quare tres personae sunt *consubstantiales* i. e. unius ejusdemque substantiae. Quod patres frequenter quoad Patrem et Filium probare etiam solent ex *generationis* notione et ex verbis Christi Joan. 10, 28. ss.: *Et ego vitam aeternam do eis* (ovibus meis): *et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi majus omnibus est: et nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego et Pater unum sumus.* Quibus **1.** sat clare significatur eandem esse Patris et Filii virtutem, cum ex aequo dicatur, neminem posse oves rapere de manu Patris et de manu

[1]) Egregia quoque est animadversio Gregorii nyss. *orat. catech.* c. 3.: »Judaicum dogma (de una natura et una persona divina) cum Verbi professione tum fide, quae est in Spiritum s., evertitur, et gentilium in multos deos distracta superstitio per hoc exstinguitur, quod inane commentum multitudinis naturae *singularitas* excludit. Rursus igitur e judaica persuasione naturae *singularitas* (ἑνότης) maneat, ex gentili autem errore solum *discrimen* hypostaseon, et utrinque congruenti remedio impia curetur opinio. Est enim velut medicina quaedam iis, qui circa unum aberrant, Trinitatis numerus: iis vero, qui in multitudinem dispersi sunt, singularitatis ratio.«

Filii. „Si autem *eadem est virtus,* infert Chrysostomus hom. 61. n. 2. *in Joan.,* manifestum, quod eadem et natura.“ **2.** Rationem redditurus identitatis potentiae subdit Christus: *Ego et Pater unum sumus.* Jam vero, subjicit Augustinus lib. *contra serm. arian.* n. 7: „Quis ferat, si quantuscunque homo ac quaelibet adeo creatura dicat: Ego et Deus unum sumus?“ Quae illatio **3.** confirmatur *interpretatione judaeorum* v. 31. ss., qui arreptis lapidibus volebant lapidare Christum propter blasphemiam, quod se faceret Deum, v. 33: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: et quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Christus autem **4.** judaeorum interpretationem non corrigit, ut debuisset, si falsa fuisset, verum eos in eadem confirmat, dum constanter Deum *Patrem* suum appellat, se ejus *Filium* dicit, se *Patris opera* facere ac se *in Patre esse, ut Pater in ipso est,* testatur. *Si non facio,* inquit v. 37., *opera Patris, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est et ego in Patre.* Ad rem scribit Augustinus tr. 37. *in Joan.* n. 9: „In duobus istis verbis quod dixit *unum,* liberat te ab Ario; quod dixit *sumus,* liberat te a Sabellio. Si *unum,* non ergo diversum; si *sumus,* ergo et Pater et Filius. *Sumus* enim non diceret de *uno,* sed *unum* non diceret de diversis.

529. **Corollarium II.** *Tres personae divinae coaequales* sunt, ut profitemur in symb. athanasiano: »Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus: sed totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales.« Imo secundum Augustinum *de Trin.* l. 7. c. 8. »tantus est vel solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus s., quantus est simul Pater, Filius et Spiritus s.« Nec obsunt *proprietates personales,* quibus personae realiter ab invicem distinguuntur; vel enim dicendum est, illis non competere perfectionis rationem, quatenus concipiuntur ab essentia distinctae eique superadditae, vel cum em. card. Franzelin thesi 15. statuendum, singulas personas perfectionem relativam, qua constituuntur, habere *formaliter;* perfectiones vero relativas aliarum personarum non habere formaliter h. e. ut constituentes, sed *per immanentiam* seu correlative; proinde unamquamque personam non solum esse totam perfectionem absolutam eandem, quae sunt tres personae simul, quia essentia divina una est, sed etiam unamquamque personam in plenitudine suae perfectionis relativae habere perfectiones relativas omnium personarum modo singulis personis convenienti.

530. **Corollarium III.** *Unica est Patris et Filii et Spiritus sancti operatio,* proinde personae divinae non seorsim ab invicem, sed communi operatione agunt. Quod sequitur **a.** *ex unitate naturae;* probatur **b.** auctoritate patrum (cf. Petavius l. 4. c. 15.). Ita ex gr. Cyrillus alex. l. 4. *adv. Nestorium* c. 2: „Eadem operatur s. Trinitas, et quaecunque gesserit ac voluerit Pater efficere, eadem et Filius eodem modo facit similiterque Spiritus sanctus. Singulis vero hypostasibus tribuere seorsim operationes cuique proprias, nihil aliud est quam tres seorsim et prorsus inter se disjunctos

deos pronunciare. Nam in sancta Trinitate illa naturalis unitatis ratio unam prorsus in omnibus operibus motionem ostendit.« Patres **c.** hanc operationis unitatem illa solemni formula significant, qua praeeunte Scriptura dicunt, *Patrem per Filium in Spiritu sancto omnia operari.* Quocirca docent, *opera Dei ad-extra esse communia,* »non quod invalidus sit, ut scribit Augustinus *contra serm. arian.* c. 15., unusquisque eorum sine aliis, quod operatur implere; sed non potest operatio esse divisa, ubi non solum aequalis est, verum etiam *indiscreta* natura, ita ut cum tres sint ac eorum singulus quisque Deus sit, tres tamen dii non sint[1]).« Idem docent **d.** Scripturae, sive cum eadem opera[2]) nunc Patri, nunc Filio, nunc Spiritui sancto tribuunt; sive cum eundem terminum operationi Filii adscribunt, quem alias adscribunt Patri, et quidem extensive Hebr. 1, 10: *Tu in principio, Domine, terram fundasti et opera manuum tuarum sunt coeli;* Joan. 5, 15; collective Joan. 1, 3: *Omnia per ipsum facta sunt;* 1. Cor. 8, 6; Hebr. 1, 2; exclusive Joan. 1, 3: *Sine ipso factum est nihil, quod factum est;* denique distributive Joan. 5, 19: *Quaecunque ille fecerit, haec et Filius similiter facit;* Coloss. 1, 16.

531. **Scholion I.** Tritheitae pro stabiliendo suo errore provocant **1.** ad Joan. 17, 21: *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint;* Act. 4, 32: *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una.* 1. Cor. 3, 8: *Qui autem plantat et qui rigat, unum sunt;* 1. Joan. 5, 8. etc. Verum **a.** praedicatorum significandi potestas pendet etiam a subjecta materia. Atqui alia unitas convenit personis divinis, ut ex demonstratione patet, alia personis creatis. Ergo creaturarum unitas unitati personarum divinarum adaequari nequit. Neque id **b.** inferre licet ex particula *sicut;* haec enim etiam *de similibus* adhibetur: in divinis vero literis, cum aliquid confertur Deo, de similitudine *analogica* intelligi debet. Cf. Matth. 5, 48; Joan. 6, 58; Luc. 6, 36. Etiamsi **c.** concedatur objectis in testimoniis sermonem esse de unitate quadam voluntatis divinarum perso-

---

[1]) Quod *de Trin.* l. 4. n. 30. similitudine egregie illustrat: Quemadmodum cum memoriam meam et intellectum et voluntatem nomino, singula quidem nomina ad res singulas referuntur, sed tamen ab omnibus tribus singula facta sunt; nullum enim eorum trium nominum est, quod non et memoria et intellectus et voluntas mea simul operata sint: ita Trinitas simul operata est et vocem Patris, et carnem Filii et columbam Spiritus sancti (Matth. 3, 16. s.), cum ad personas singulas singula haec referantur. Qua similitudine utcunque cognoscitur inseparabilem in se ipsa Trinitatem per visibilis creaturae speciem separabiliter demonstrari, et inseparabilem Trinitatis operationem etiam in singulis esse rebus, quae vel ad Patrem, vel ad Filium, vel ad Spiritum sanctum demonstrandum proprie pertinere dicuntur.«

[2]) Opponi posset **1.** saepe uni personae specialiter quaedam opera adscribi. Verum hoc non ad exclusionem aliarum personarum fit, sed *per appropriationem,* ut dicunt, de qua infra. **2.** Axioma philosophorum *actiones esse suppositorum.* Hoc tamen axioma non opponitur doctrinae patrum, operationes esse *naturarum.* Operationes tribuuntur scil. naturae ut *principio quo,* supposito vero ut *principio quod,* quod scil. agit vi suae naturae. Licet ergo Pater et Filius et Spiritus s. operentur et ad singulos haec operatio pertineat, ea tamen est una et communis sicut natura divina, vi cujus et qua operantur.

narum ad invicem, nondum tamen consequitur, nullam inter eas vigere unitatem ontologicam vel illam non ex ontologica oriri; nam etiam fidelium concordia innititur *unitate* Spiritus sancti, qui omnes inhabitat et animat, et *identitate* corporis Christi, quo omnes per eucharistiam fruuntur. Fatendum quidem est **2.** patres nonnullos unitatem personarum divinarum contulisse cum *unitate trium hominum*, propterea tamen inferre non licet, eos favisse *tritheismo;* nam semper prae oculis habendum est, omnem similitudinem claudicare, eosdemque patres uti aliis similitudinibus, quae naturae divinae unitatem numericam manifesto significant (cf. *opusc.* VI, 141. ss. annot.). Hac vero similitudine utuntur vel **a.** ut inculcent divinarum personarum in eadem natura *aequalitatem* contra arianos, qui naturarum *gradus* fingebant; vel **b.** ut significent, ita unam *re* esse naturam divinam, prout *mente* concipimus *unam* naturam plurium hominum. Quod vero **c.** Gregorium nyss. attinet, qui hanc comparationem urget, certum est aliunde, eum naturae divinae singularitatem nullatenus negasse; cum vero nimis inhaereret philosophiae platonicae principiis, eam in opinionem videtur delapsus, ut plurium hominum naturam *re* et *numero* esse unam putaret.

532. **Scholion II.** Quaedam *de fide patrum antenicaenorum* adnotabimus, cum fere omnes plus minus accusentur, quod circa mysterium Trinitatis erraverint praeluserintque arianis. Et **1.** quidem vix credibile est, patres, qui impugnabant arianos, tam confidenter potuisse provocare ad *traditionem* et majorum fidem, si horum major pars favisset arianis. Audiatur ex. gr. Athanasius *de decretis nic. synodi* n. 27: „En igitur nos quidem demonstravimus istiusmodi sententiam a patribus ad patres quasi per manus esse traditam. Vos autem, o novi judaei et Caiphae discipuli, quos demum assertionum vestrarum patres ostendere valetis? Ne unum quidem e prudentibus et cordatis nominare potestis. Cuncti vos aversantur, praeter unum — diabolum, qui solus hujus definitionis vobis auctor fuit.“ **2.** Sedulo distinguatur *inter ipsum dogma* et *modum, quo dogma enunciatur;* inter illius *substantiam* ejusque *scientificam expositionem* et illustrationem; inter doctrinam, quae ex summa testimoniorum colligitur, et effata, quae extra contextum considerantur: et non erit difficile patrum antenicaenorum fidem tueri vel eos excusare.

533. Jam **3.** directe ad *praecipua accusationis capita* respondeamus. Accusantur patres illi ideo, quod docuerint, Verbum a Patre *non ab aeterno* fuisse genitum, *sed ante mundi creationem,* quodque ideo illud produxerit, ut eo tamquam *ministro* uteretur in condendo mundo; ideoque passim apud illos legimus, Patrem praecepisse Filio, ut mundum crearet, ac Filium Patri praecipienti obtemperasse. Accusantur, quod dixerint, Filium patriarchis apparuisse, non vero Patrem, eo quod hic sit invisibilis. Verum, ut ad *primum* respondeamus, adverti debet, patres illos quandoque *triplicem Verbi generationem* nativitatemque distinxisse: *primam* qua Verbum ab aeterno a Patre processit ut persona distincta, sed adhuc velut in visceribus et corde tamquam consiliarius latens; *alteram,* qua conditum veluti fuit initium via-

rum Domini, quae generatio non in alio consistit, quam in manifestatione Verbi per creationem; nam per ipsum dixit Pater omnia et facta sunt, ac propterea non nisi improprie generatio dicitur; *tertiam*, qua Verbum in tempore caro factum est. Quare patres illi in locis objectis facile de secunda eaque metaphorica nativitate explicari possunt. Quod vero illas locutiones attinet, quibus dicunt, *Filium Patri praecipienti ministrasse,* adverti debet, similes locutiones inveniri apud patres, qui post conc. nicaenum floruerunt, ut apud Athanasium, Hilarium etc. et vel Josue 10, 14. legi: *Non fuit antea nec postea tam longa dies obediente Domino voci hominis;* proinde eas ita esse explicandas, ut Deum decent, quod praeclare praestat Basilius *de Spir. s.* n. 20. scribens: „Itaque quod dicitur *mandatum,* ne sermonem imperiosum per vocalia organa prolatum intelligamus, Filio veluti subdito praescribentem, quid facere debeat; sed prout Deum decet, cogitemus voluntatis communicationem, veluti formae cujusdam irradiationem in speculo a Patre in Filium aeternaliter dimanantem. Pater enim diligit Filium et omnia illi ostendit.“ Quare hisce verbis: Pater mandat, Filius exsequitur, non alia habitudo exprimitur, quam nominibus *Patris* et *Filii.* Sensus enim est, Filium operari operatione a Patre vi generationis communicata. Quando vero patres negant, Patrem apparuisse, quod sit invisibilis, nihil aliud significare volunt, quam decuisse, ut Filius appareret, cujus character proprius est manifestare Patrem, utpote hujus splendor, imago, speculum sine macula et Verbum, ut patet ex Hebr. 1. 3; Sap. 7, 26.

534. **Thesis LXXVII.** ***Licet personae divinae ex natura divina communi et charactere personali proprio et distinguente constitui a nobis concipiantur, et licet in una natura divina tres credantur personae realiter distinctae, nulla tamen idcirco realis compositio est sive in personis divinis, sive in Deo. Nec ob tantam simplicitatem ulla pugna oritur inter mysterium ss. Trinitatis et identitatis principium.***

Declaratio p. I. Merito a nobis concipiuntur personae divinae constitui veluti *elemento communi* et *proprio.* Si enim eandem naturam communem habent et simul realiter ab invicem distinguuntur, aliud in ipsis commune, aliud proprium concipi debet. „Oportet igitur, scribit Basilius ep. 236. (al. 391.) n. 6., ut communi proprium adjungentes ita fidem profiteamur: commune deitas, proprium paternitas; atque haec conjungentes dicamus: Credo in Deum Patrem. Ac rursus in Filii confessione faciendum est similiter. Conjungendum est communi proprium, ac dicendum: Credo in Deum Filium. Pariter et de Spiritu s.“ Quod si quaeritur, quid sit commune quidque *proprium,* tenendum est, communem esse divinam *essentiam* seu, ut theologi dicunt, quidquid *absolutum* est, seu absolutum a quavis relatione ad aliam personam; proprium vero esse, quidquid personas *distinguit* et constituit seu *relativum* est.

Hoc docent a. *patres,* cum passim inculcant, in divinis non aliter personas distingui, quam quod prima sit Pater, altera Filius, tertia procedens. „Ista relativa nomina, inquit Fulgentius *de Trinit.* c. 2., Trini-

tatem faciunt; essentialia vero nullo modo triplicantur;« et conc. toletanum XI. (a. 675.): »In relatione personarum numerus cernitur . . . in hoc solum numerum insinuant, quod *ad invicem sunt;* et in hoc numero carent, *quod ad se* sunt.« Id docet **b.** universa *schola,* cui solemne est axioma s. Anselmi, *omnia in divinis esse idem, ubi non obviat relationis oppositio;* quod receptum etiam fuit ab Eugenio IV. in decretum pro jacobitis. Idem probatur **c.** *inductione.* Expensis enim omnibus, quae secundum s. Scripturam et patres personarum divinarum sunt propria, et quibus ab invicem distinguuntur, reperiemus tantum *quinque proprietates,* quae omnes *relatione* continentur, scil. paternitatem, filiationem, spirationem activam et passivam et esse ingenitum, quod relationis negatione continetur et hinc relationibus accensetur. Hae proprietates a scholae theologis etiam *notiones* appellari solent, quas ita definit s. Thomas 1. p. q. 32. art. 3., ut sit notio id, quod est propria ratio cognoscendi divinam personam. Ex his illae tres, quae personas constituunt, dicuntur proprietates *hypostaticae.*

535. **Demonstratio p. I.** Personas non esse realiter compositas, certissimum est ex definitione conc. lateranensis IV. cap. *Damnamus,* docentis: „Credimus et confitemur . . . quod una quaedam summa res est incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quae veraciter est Pater et Filius et Spiritus s., *tres simul personae* ac *singillatim* quaelibet earundem: et ideo in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas, quia quaelibet personarum est illa res, videl. substantia, essentia seu natura divina . . . et illa res non est generans, neque genita, neque procedens, sed est Pater, qui generat; et Filius, qui gignitur; et Spiritus s., qui procedit: ut distinctiones sint in personis et unitas in natura. Licet igitur *alius* sit Pater, *alius* Filius, *alius* Spiritus s., non tamen *aliud:* sed id, quod est Pater, est Filius et Spiritus s. idem omnino.“ Ex quibus sequitur, unamquamque personam esse Deum, unum atque idem cum divina natura. Atqui ostendimus, Deum divinamque naturam esse perfecte simplicem (thes. LIX.). Ergo et unaquaeque persona est perfecte simplex. Quare esse divinum in summa sua simplicitate eminentissime rationem *absoluti* habet, et ita unus est Deus; et simul rationem *relativi* seu relativorum habet, et sub hac ratione est ipsamet Pater generans et Filius genitus et Spiritus sanctus procedens; adeoque summa illa res, quae sub formali ratione *absoluti,* est unum, una essentia, *unus Deus,* eadem sub formali ratione *relativorum* est *tres,* qui tres unice sub hac formali ratione relativorum inter se distinguuntur. Haec vero distinctio duplicis rationis τοῦ esse *absoluti* et τοῦ esse *relativi* non est *realis,* sed *rationis* cum fundamento in re. Nam quod respondet distinctis hisce rationibus *relativi* et *absoluti,* est ipsa realitas divina in se una et simplicissima.

536. **Demonstratio p. II.** Ex quibus consequitur, nullam pariter esse compositionem realem in Deo propter trinitatem personarum. Sane ad

compositionem requiruntur partes. Atqui personae divinae neque constant partibus, neque sunt partes, quia non partem, sed totam singulae possident divinam naturam, imo sunt re idem cum divina natura. Ergo nulla oritur ex trinitate personarum compositio realis.

537. **Demonstratio p. III.** Sequitur jam *praecipua* difficultas: cum tanta enim simplicitate consistere non posse videtur *reale* personarum discrimen. Quae enim eadem sunt uni tertio, sunt etiam eadem inter se; proinde vel admissa simplicitate negandum est *reale* personarum discrimen, vel hoc admisso defendi nequit aut *summa* simplicitas aut *unitas* Dei. Ad quam difficultatem, si non clare solvendam, saltem infringendam, haec advertantur: **1.** ingens esse, imo infinitum discrimen inter naturam divinam et naturas creatas, harum proinde ad illam defectus transferre non licere. **2.** Inter haec discriminis capita illud quoque secundum revelationem esse, quod divina natura, licet re una, simul tamen pluribus sit communicabilis, ac proinde in sua entitatis opulentia pluribus suppositis constituendis par: ideoque virtute aequivaleat distinctis re substantiis; dum contra naturae creatae utpote finitae ob inopiam τοῦ esse unum tantum suppositum constituere possint[1]). Quare **3.** ex identitate divinarum personarum cum una divina natura eaque pluribus communicabili non sequitur absoluta personarum identitas inter se. Quae si prae oculis habeantur, pleraque argumenta socinianorum et rationalistarum sophistica esse deprehendentur, vel quia quatuor constant terminis, vel duabus praemissis particularibus.

Caput III.

Scholastica expolitio mysterii sanctissimae Trinitatis.

538. Imprimis tenendum est, *mysterium* hoc rationis lumen non solum quoad modum, sed et quoad exsistentiam ita superare, ut citra revelationem cognosci nequeat. Quod significat **a.** Christus Matth. 11, 27: *Nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare;* docent **b.** unanimes patres et theologi cum s. Thoma in 1. p. q. 32. a. 1., cujus rationem approbat conc. coloniense a. 1860. p. 1. tit. 2. c. 9: „Cum Dei invisibilia per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciantur (Rom. 1, 20.), e rebus creatis

[1]) Quod illustrari potest discrimine inter substantias *corporeas* et *spirituales*. Illae enim ob perfectionis inopiam nonnisi uni loco implendo et quidem per partes sufficiunt; hae vero ob suam praestantiam pares sunt suam praesentiam non solum virtualem, sed et substantialem pluribus partibus et membris exhibere; adeo ut totae singulis adsint et ita quadam quasi multiplicitate substantiali gaudeant.

ad personarum Trinitatem pertingendum nobis esset. Id autem fieri nequit, cum actus ille, quo Deus mundum creavit, utpote tribus personis communis, unitatem quidem essentiae, non vero personarum Trinitatem manifestet." Quod **c.** confirmatur crisi argumentorum, quae ad demonstrandum hoc mysterium afferri solent. Haec enim seposita revelatione nimis vaga sunt vel vix suasionem gignunt, quae impar est ad excludendas illas difficultates, quas ratio in hoc mysterio reperit. Quare prudentissime advertit s. Thomas l. c.: „Qui probare nituntur Trinitatem personarum naturali ratione, fidei dupliciter derogant: primo quidem quantum ad dignitatem ipsius fidei, quae est, ut sit de rebus invisibilibus, quae rationem humanam excedunt; secundo quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem. Cum enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes, quae non sunt cogentes, cadit in irrisionem infidelium: credunt enim, quod hujusmodi rationibus innitamur et propter eas credamus."

539. Praeeunte tamen revelatione et exemplum sequentes theologorum conabimur mysterium hoc quadamtenus saltem illustrare.

Quaestio I. *Quo actu gignat Pater Filium?* Unanimis est theologorum responsio, Patrem *intelligendo* gignere Filium. Probatur **1.** auctoritate scholae et patrum, quorum magnum numerum affert Petavius *de Trinit.* l. 6. c. 1. s. Inter hos eminet Augustinus lib. 15. *de Trinit.*, ubi c. 14. ita disserit: »Proinde tamquam se ipsum dicens Pater genuit Verbum sibi aequale per omnia; non enim seipsum integre perfecteque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in Verbo quam in ipso. Ibi summe illud agnoscitur: *Est, est; non, non* (Matth. 5, 37.). Et ideo Verbum hoc vere Veritas est, quoniam quidquid est in ea scientia, de qua genitum est, et in ipso est. Et falsum habere aliquid hoc Verbum nunquam potest, quia immutabiliter sic se habet, ut se habet, de quo est.« Huc spectant, qui ipso duce Trinitatis mysterium illustrant ex similitudine mentis, quae se intelligendo generat verbum sibi simile. Cf. s. Anselmus *Monologii* c. 29. ss. (*opusc.* XXVIII.). Colligitur **2.** ex *Scripturis*, in quibus Filius vocatur ὁ λόγος *Verbum*[1]), cujus nominis hanc rationem patres reddunt

[1]) Conferunt patres Filium Verbum cum verbo intellectus nostri multiplici ratione. Sicut enim **a.** verbum nostrum per intellectum gignitur, ita Filius a Patre per intellectum est genitus; *ideoque* **b.** sicut verbum sine mente intelligi nequit, neque haec, quatenus est dicens, sine verbo: ita neque Pater absque Filio Verbo, neque Verbum Filius absque Patre. Sicut **c.** verbum rei cognitae expressa et formata est imago, ita Verbum est speculum sine macula paternae gloriae. Sicut **d.** verbum e mente genitum in mente manet, ita Verbum semper est apud Patrem, imo et in sinu Patris (Joan. 1, 18.). Sicut **e.** verbum citra corruptionem purissime e mente prodit, ita Filius purissime et citra corruptionem ullam a Patre est genitus. »Quemadmodum **f.** verbum nostrum, inquit J. Damascenus *de fide orthod.* l. 1. c. 6., a mente gignitur, nec idem omnino est, quod ipsa mens, nec plane diversum (nam cum a mente proficiscitur, aliud est quam

cum Gregorio naz. or. 36: »Quoniam sic se habet ad Patrem (scil. Filius), sicut ad intellectum verbum;« et *Sapientia,* quae Eccli. 24, 5. de se testatur: »Ego ex ore Altissimi (i. e. ex intellectu Dei) prodivi, primogenita ante omnem creaturam.« Illustratur **3.** *ratione.* Certum enim est, in divinis esse productionem et generationem Filii, quae generatio continetur communicatione substantiae. Jam vero in omni rerum genere productio vel communicatio naturae fit per operationem propriam seu accommodatam tali naturae. In natura autem pure intellectuali proprius actus est actus intellectus et voluntatis. Cum igitur Deus sit substantia pure intellectualis, productio, quae in ipso est, nonnisi per intellectum et voluntatem erit. Proinde Filius, qui secundum neminem per voluntatem procedit, intelligendo gignitur.

540. **Quaestio II.** *Quare Verbi productio seu processio generatio dicatur?* Quia secundum theologos de ratione *generationis* est, ut sit *origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturae et quidem vi productionis.* Atqui haec obtinent in productione Verbi. »Procedit enim, inquit Thomas 1. p. q. 27. art. 2., per modum intelligibilis actionis, quae est operatio vitae, et a principio conjuncto, et secundum rationem similitudinis: quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectae, et in eadem natura exsistens, quia in Deo idem est intelligere et esse . . . Unde processio Verbi in divinis dicitur generatio, et ipsum Verbum procedens dicitur Filius.« Qua sententia admissa plura bene explicantur. Sequitur enim exinde et *puritas* hujus generationis ejusque *aeternitas, perpetuitas, perfectio,* vi cujus scil. Filius est adaequata Patris imago, et *necessitas* immunis non solum a quavis contingentia, sed etiam a quavis coactione, cum sit *naturalis.* Sequitur pariter *unitas Filii,* cum Pater unico verbo perfectissime se comprehendat.

541. **Quaestio III.** *Quomodo procedat Spiritus sanctus?* Respondent theologi praeeunte Thoma q. 27. a. 3., Spiritum s. procedere per voluntatem seu processione amoris. Quod colligitur *ex analogia* cum productione Filii. Cum enim Spiritus s. non minus procedat ac Filius, Filius vero procedat per intellectionem Patris, et voluntas Patris non minoris sit perfectionis et virtutis ac intellectus, plane consequens videtur, processionem s. Spiritus ad voluntatem esse referendam. Et sane Spiritus s. appellatur *amor, donum, Spiritus, Spiritus s.,* quibus sat clare ejus ad voluntatem relatio exprimitur.

542. **Quaestio IV.** *Quomodo differant generatio Filii et processio sancti Spiritus?* Triplex in primis est discrimen: nam **1.** Filius procedit

---

mens, et cum mentem ipsam indicat, non est prorsus ab illa diversum, sed cum sit unum natura, aliud tamen subjecto ὑποκειμένῳ est: quatenus propria subsistit persona, ab eo distinguitur, a quo genitum est; quatenus autem illa in se exprimit, quae cernuntur in Deo, unum natura cum Deo est.« Sicut denique **g.** homo nil facit nisi praeeunte verbo, licet verbum esse possit, quod non sequatur opus: ita »Verbum Dei, inquit Augustinus *de Trinit.* l. 15. c. 11., potuit esse nulla exsistente creatura, creatura vero nulla esse posset, nisi per ipsum, per quod facta sunt omnia.« Non tamen praetermittunt patres *multiplex* aperire discrimen, quod inter Verbum Patris et nostrum intercedit. Cf. *Comp.* II, 164.

per *intellectum,* Spiritus s. per *voluntatem;* **2.** ille procedit a *solo* Patre, Spiritus s. a Patre *Filioque.* Prior enim concipi debet actus intellectus quam voluntatis actus; quapropter prior concipitur generatio Verbi quam processio Spiritus s. Cum vero Pater se intelligendo gignat Verbum sibi prorsus aequale, cui proinde omnia sua communicat, potentiam quoque spirandi in illum derivat. Quare Filius quoque spirat Spiritum sanctum. **3.** Filius *gignitur*, non vero Spiritus s. Si autem hujus ratio quaeritur, respondent theologi cum Thoma 1. p. q. 27. a. 4., de ratione generationis esse, ut terminus *vi productionis* et ex hujus velut intentione *similis* sit genitori. Atqui quidquid producitur per intellectum, hoc *vi productionis* simile est objecto intellecto; quod vero producitur per voluntatem, hoc vi suae productionis non est simile volenti. Ergo Filius vi productionis similis est Patri, non vero Spiritus s. Quod si hic tamen est similis, non oritur ex ejus productione, sed ex perfectione divinae naturae, in qua quidquid est, Deus est.

543. **Quaestio V.** *Quomodo Spiritus s. a Patre Filioque procedat?* Respondet conc. lugdunense II.: »Spiritum s. aeternaliter ex Patre et Filio non tamquam ex *duobus* principiis, sed tamquam *ex unico principio,* et non duabus spirationibus, sed *unica spiratione* procedere.« Quod responsum ut clare intelligatur, advertimus: **1.** Eo ipso quod Filius generatione omnia accipit, quae sunt Patris, *eadem est essentia* utriusque, ideoque et virtus spirandi et ipsa spiratio. Hinc **2.** Spiritus s. *ab utroque immediate* procedit, non a Patre per Filium seu mediante Filio. Tamen **3.** quatenus Filius a Patre una cum essentia spirationem accipit, dici potest, Spiritum s. a Patre per Filium procedere. **4.** Imo propterea Augustinus *de Trin.* l. 15. c. 17. dicit, Spiritum s. *principaliter de* Patre procedere, quod scil. Pater virtutem spirandi non habeat ab alio sicut Filius, proinde sit principium sine principio i. e. principale. **5.** Quatenus vero Pater et Filius spirant Spiritum s., *unum* sunt *principium,* quia in divinis omnia sunt unum, *ubi non obviat relationis oppositio.* Atqui inter Patrem et Filium, quatenus spirant Spiritum s., non est oppositio. Ergo unum sunt principium. Quocirca Augustinus l. 5. *de Trinit.* c. 14: »Sicut Pater, inquit, et Filius unus Deus et ad creaturam relatus unus Creator et unus Dominus (sunt), sic relative ad Spiritum s. unum principium.« Pariter **6.** Pater et Filius *sunt unus spirator,* licet sint duo spirantes. Ratio prioris est, quia nomina *substantiva* non dicuntur pluraliter, nisi multiplicetur *forma* seu proprietas, quam in concreto significant; nomina vero *adjectiva* ut dicantur pluraliter, satis est pluralitas *suppositorum*[1]), neque necessaria est pluralitas significati formalis.

---

[1]) Ita dici nequit tres omnipotentiae, nisi triplicetur omnipotentia; dici vero potest: tres omnipotentes, quia praedicatum concretum omnipotens est idem ac *habens omnipotentiam.* Atqui in Deo revera tres habent omnipotentiam, igitur dici potest tres omnipotentes scil. personae. Quod si in symbolo athanasiano haec loquendi ratio proscribitur, omnipotens sumitur *substantive,* ac si dicatur omnipotens Deus, quod germanice ita bene exprimi potest: dici scil. potest: Vater, Sohn und h. Geist *sind* allmächtig; sed dicere non licet: Vater, Sohn und h. Geist sind die *Allmächtigen;* dici debet: sind *der* Allmächtige.

544. **Quaestio VI.** *Quomodo, cum τὸ intelligere sit omnibus personis commune, solus Pater intelligendo gignat Filium, et non singulae personae gignant Verbum?* Haec quaestio est difficillima. Ut respondeamus, advertimus **1.** τὸ intelligere in Deo re ipsa non distingui a τῷ esse. Quamobrem **2.** sicut τὸ esse triplici charactere modoque subsistendi afficitur et distinguitur (in Patre enim est ἀγεννήτως, in Filio γεννητῶς, in Spiritu s. ἐκπορευτῶς): ita τὸ intelligere, et hujus fructus sapientia in Patre est ingenite, in Filio per generationem, in Spiritu s. per processionem. Quare **3.** sicut essentia, quatenus consideratur absolute et ut est communis, neque gignit, neque est genita: ita nec τὸ intelligere, quatenus consideratur absolute, est productivum Verbi. Sed sicut **4.** essentia considerata ut paternitatis charactere afficitur, eo ipso concipitur redundare in Filium citra mutationem: ita τὸ intelligere paternum concipi debet ipsa intellectione derivari in Filium. Hinc **5.** theologi malunt ita loqui: Patrem *dicendo gignere* Filium, quam *intelligendo,* eo ipso quod intelligere sit commune, dicere vero includat τὸ intelligere addatque notionem communicationis et productionis. Sicut ergo Pater est gignens et Filius genitus et tamen *unus* Deus et esse utriusque idem; ita Pater est dicens, Filius dictus (seu *Verbum*), tamen idem utriusque est intelligere.

545. **Quaestio VII.** *Quot sint processiones et consequenter quot personae divinae?* Respondet revelatio, *duas* esse processiones et *tres* personas, cujus responsi theologi hanc reddunt cum Thoma q. 27. a. 5. rationem: »Processiones in divinis accipi non possunt nisi secundum actiones, quae in agente manent. Hujusmodi autem actiones in natura intellectuali et divina non sunt nisi duae scil. *intelligere* et *velle* . . . Relinquitur igitur, quod nulla alia processio possit esse in Deo nisi *verbi* et *amoris.*“ Verum quaeri potest, quare Pater dicendo *unicum* tantum gignat *Verbum?* Ratio est, quod unico verbo perfecte se dicit. Quod si quaeritur, quomodo duae *realiter* distinctae personae procedere possint per *intellectum* et *voluntatem,* cum in Deo intellectus et voluntas non re, sed *ratione* tantum distinguantur, ita respondet Suarez l. 1. c. 9. n. 5: »Quamvis actus intellectus et voluntatis Dei non habeant in re actualem distinctionem, sufficit eminens et virtualis, ut una persona procedat per actum intellectus et non per actum voluntatis. Quod quidem est de fide certum . . . Ratione autem vix potest declarari, nedum convinci: satis vero nobis est, ostendere non repugnare. Quia licet omnia attributa sint una simplicissima perfectio, vere et formaliter continent quidquid perfectionis in eis excogitari potest absque imperfectione. Sic ergo in Deo est tota perfectio intelligendi, ut non minus habeat suum proprium et adaequatum terminum per ipsam productum, quam si esset in re distincta a quacunque alia perfectione. Sic ergo dari potest et datur in Deo quaedam processio, quae solum est per intellectum,« atque idcirco alia aeque fecunda per voluntatem.

546. **Corollarium.** Hinc inferunt theologi, in Deo *unam* esse naturam, *duas* processiones, *tres* personas, *quatuor* relationes, *quinque* notiones. Quod vero attinct notionem *personae,* advertatur eam praeeunte Boëthio a theologis definiri *rationalis naturae individuam substantiam,* de qua definitione cf. infra n. 708; unde personalitas dici potest intellectualis seu rationalis naturae *individua subsistentia.* In Deo autem triplex est subsistentia: sub-

sistit enim divina natura per paternitatem in Patre, per filiationem in Filio, per processionem in Spiritu sancto; ideoque triplex in Deo personalitas et tres sunt personae. Ne vero ex definitione Boëthii inferri possit, in Deo, sicut tres sunt personae, tres quoque esse substantias, notio personae, quatenus personis divinis applicatur, nonnihil est modificanda. Audiatur Thomas 1. p. q. 29. a. 4: »Persona in communi significat substantiam individuam rationalis naturae; individuum autem est, quod in se est indistinctum, ab aliis vero distinctum. Persona igitur in quacunque natura significat id, quod est distinctum in natura illa . . . Distinctio autem in divinis non fit nisi per relationes originis . . . Relatio autem in divinis non est sicut accidens inhaerens subjecto, sed est ipsa divina essentia, unde est subsistens, sicut essentia divina subsistit. Sicut ergo deitas est Deus, ita paternitas divina est Deus Pater, qui est persona divina. Persona igitur divina significat relationem ut subsistentem.«

547. Duas processiones sponte sua consequuntur *quatuor* relationes: de quibus tenendum est, eas esse *reales,* et quia in Deo nullum est accidens, eas esse *substantiales.* Considerari autem non debent velut realitates essentiae *superadditae,* sed ut ipsa essentiae realitas sub formali ratione et functione relativorum (cf. n. 535.). De notionibus quinque supra egimus n. 534. Ab his distingui debent *actus notionales,* qui sunt actus non communes (hi enim dicuntur *essentiales),* sed proprii personarum divinarum, et tales actus sunt duo, *gignere* seu dicere et *spirare.* Porro ita se habent hi actus ad actus essentiales, ut personae divinae ad essentiam. Sicut enim persona divina essentiam includit atque characterem superaddit personalem, quo illa affecta est subsistens concipitur: ita actus notionalis includit actum essentialem, sed charactere personali affectum.

548. **Scholion.** Reliquum est, ut quasdam regulas loquendi de tam difficili mysterio attingamus. Quasdam jam innuimus n. 534. et 543; quibus adde: **1.** abstinendum est a vocabulis, quae sive naturae *multiplicationem* supponunt, sive personarum *pluralitatem* excludunt. Quare non est dicendum, Deus *triplex, ter* Deus, neque etiam Pater *solus* est Deus; potest tamen dici Deus *trinus,* quia praedicatum *trinus* non rem, sed tantum rei modum multiplicat; neque dici potest Pater *diversus* a Filio, nec personae dici possunt *divisae, separatae.* **2.** Nomina *relativa* non praedicantur de se invicem, quia sibi opponuntur *realiter,* unde dici nequit Paternitas est Filiatio, vel Pater est Filius; in sensu vero *identico* praedicantur *essentialia* tam *de se invicem,* quam *de relativis,* quia sensus identicus ad statum pertinet *realem,* in quo essentia cum praedicatis omnibus identificatur. Porro **3.** de actibus *notionalibus* (n. 547.) haec tenenda sunt: **a.** iidem proprie de personis, quibus conveniunt, praedicantur; non vero **b.** praedicantur de *proprietatibus essentialibus in abstracto,* quia actus tribuuntur *suppositis:* nomina vero abstracta non supponunt pro personis i. e. non designant personas. Quocirca dici nequit *omnipotentia generat, bonitas spirat.* Quod si subinde patres actus notionales de nominibus *abstractis* enunciant, locutio minus est propria et exacta, atque benigne est interpretanda. Affirmari tamen **c.** possunt actus *notionales* de nominibus *concretis essentialibus,* quia haec adhiberi possunt ad designandas personas seu supponunt pro personis; quare sicut dici potest *omnipotens factus est homo,*

mortuus est, ita dici poterit *omnipotens genitus est.* Ideoque **d.** actus notionales de nominibus essentialibus concretis simpliciter negari nequeunt.

549. Denique **4.** *appropriatio* est modus loquendi, quo quaedam sive operationes sive attributa tribus alioquin personis communia tribuuntur specialiter *uni personae* prae aliis. Ita omnipotentia et creatio appropriantur Patri, mira Christi conceptio Spiritui sancto. Neque tamen haec appropriatio est *exlex,* cum non liceat pro lubitu appropriare *quaelibet* attributa *cuilibet* personae, sed ea fundatur in quodam *speciali* attributi essentialis ad manifestandam alicujus personae characterem *proprium aptitudine,* quae nititur in congruentia quadam et analogia cum eadem proprietate. Ita Patri, qui est principium sine principio et principium Filii, aeternitas et omnipotentia ideoque etiam creatio solent appropriari; Filio vero sapientia et quae cum hac cohaerent, quia per intellectum procedit. Spiritui sancto, quia per amorem procedit, appropriantur sanctitas, gratia et his affinia.

Tractatus VI.

De Deo Creatore.

550. Postquam Deum consideravimus *in se*, ad considerationem *operationem ejusdem ad extra* transeamus, et primum quidem de illa agamus, quae omnium est initium et fundamentum, scil. de *creatione*. Porro duo hic spectari possunt: ipse *creandi actus* et creationis *terminus* seu effectus; quare bifariam patet haec disputatio.

PARS I.

De creationis actu.

551. De *universitatis rerum origine* diversi viguerunt vigentque adhuc errores. Alii enim opinantur, mundum ab aeterno exstitisse; alii ejus exsistentiam casui adscribunt; alii ejus originem explicant sive per substantiae omnium primae et indeterminatae jugem ac necessariam formationem et explicationem, qua ideale a reali, subjectum ab objecto dirimitur atque sibi velut opponitur; sive per jugem ab unitate apostasiam; sive per quandam emanationem; sive per limitationem τοῦ esse infiniti. Alii rejectis *pantheismi* theoriis materiam tuentur *aeternam,* quam Deus in ordinem tantum redegerit. Omnes vero hae opiniones de universitatis rerum origine adversantur et sanae rationi et fidei catholicae, quae in concilio lateranensi IV. c. 1. *Firmiter* profitetur: „Unum universorum principium, creatorem omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium: qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam: ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam;“ quae iterum inculcat concilium vaticanum sess. 3. cap. 1. damnans simul contrarios errores hisce canonibus: 1. „Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit, A. S.;“ 3. et 4. cf. n. 444; can. 5: „Si quis non confiteatur, mundum resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas, A. S.“

552. **Thesis LXXVIII.** ***Deus rerum universitatem ex nihilo creavit.***

Declaratio. Verbum *creare,* quod apud veteres significat generatim *facere,* vel *gignere,* vel *suffragio eligere,* penes christianos propriam quandam induit significationem, cum non quamlibet designet productionem, sed eam, quae *unius Dei* est propria, cujus terminus *a quo* non est aliqua materia praejacens, sed *nullus;* et cujus terminus *ad quem* seu effectus non est mera modificatio, modus, sed *ipsa substantia* seu *totum esse;* quocirca creatio dici potest οὐσίωσις, *substantiatio.* Cum vero dicitur productio ex nihilo[1]), dictione *ex nihilo* causa materialis penitus excluditur simulque ordo significatur, quo rei exstantia ejusdem *non esse* excipit, ut cum dicitur ex nocte fieri diem. Dividi autem solet creatio in *primam* et *secundam:* illa effectione *materiae* ex nihilo continetur; haec vero operatione, qua materia ex nihilo creata formatur, proinde in productione rerum ex materia jam condita.

553. **Demonstratio.** Dogma catholicum *explicite* enunciatur 2. Machab. 7, 28., ubi mater fortissimorum fratrum machabaeorum filium natu minimum ita alloquitur: *Peto nate, ut aspicias ad coelum et terram et ad omnia, quae in eis sunt: et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus.* Quia vero morosus disputator excipere posset, non constare, an mulier illa fuerit *in loquendo* inspirata, ea tamquam verbum Dei non nimis urgemus. Verum etsi desint testimonia *diserta,* suppetunt tamen testimonia *aequipollentia,* quae invicte hanc veritatem comprobant. Sane expendantur **1.** Ex. 3, 13. s.; Apoc. 1, 4. 8; 4, 8. etc. ex quibus[2]) liquet **a.** Deum esse *entis plenitudinem,* eum, qui merito dicitur ὁ ὤν, et quidem **b.** per *excellentiam* ad exclusionem aliorum (n. 432.), quae **c.** comparate ad ipsum quasi *nihilum* reputantur; imo **d.** ita esse entis pelagus, ut sit simul *fons inexhaustus* totius esse extra et praeter ipsum, cum *ex ipso sint omnia.* Atqui admissa semel *materia infecta,* non esset *fons, ex quo omnia;* non distingueretur ab omnibus *exsistendi necessitate,* si materia esset *aeque necessaria;* non esset ὁ ὤν

---

[1]) Duplex distinguitur *nihilum,* nihilum *sui* et nihilum *subjecti,* pro duplici elemento, quod in rebus creatis (saltem in materialibus et compositis) distingui potest. Distingui enim potest *materia* et *forma.* Si materia, unde res fit, exsistit ac nova tantum inducitur forma, res dicitur fieri ex nihilo *sui,* non vero ex nihilo *subjecti.* Si vero etiam ipsa materies producitur, res dicitur fieri ex nihilo *sui* et *subjecti.*

[2]) Ex. 3, 13. s.: *Si dixerint mihi* (filii Israel): *Quod est nomen ejus? quid dicam eis? Dixit Deus ad Moysen: Ego sum qui sum. Ait: Sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos;* Is. 40, 15: *Ecce gentes quasi stilla situlae et quasi momentum staterae reputatae sunt: Ecce insulae quasi pulvis exiguus;* v. 17: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei;* 42, 8; Sap. 11, 23: *Quoniam tamquam momentum staterae, sic est ante te orbis terrarum, et tamquam gutta roris antelucani, quae descendit in terram;* Rom. 11, 36: *Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia;* 1. Cor. 8, 6.

per excellentiam, prae quo reliqua evanescunt, si materia ab eo independens *aeque* de suo esse necessario posset gloriari. Acute igitur infert Tertullianus *adv. Hermogenem* c. 1: „Totum, quod est Deus, aufert, nolens illum ex nihilo cuncta fecisse."

554. Ad haec **2.** Deus **a.** per *excellentiam* dicitur *rex regum et Dominus dominantium* 1. Tim. 6, 15; Apoc. 19, 16. etc.; cujus **b.** dominium[1]), si *extensionem* spectes, plane est *universale,* adeo ut omnia ei servire teneantur, nil se subtrahere, nil resistere ei possit Ps. 118, 91; cujus **c.** *efficacia* tanta est, ut solo nutu facere possit, quaecunque velit in coelo et in terra, Gen. 1, 1. ss.; Bar. 3, 33. s.; Is. 48, 13; ideoque **d.** vocatur *omnipotens, sibi sufficiens,* quae est vis nominis שַׁדַּי, quod saepissime ei tribuitur. Ipsum autem **e.** dominium Dei in res exsistentes refunditur *in creationem* Judith 16, 17; Ps. 88, 12. s. etc. Atqui cum ejusmodi dominio *absoluto* prorsus et *universali* pugnat *materia infecta* et aeterna, ac proinde independens; neque enim in hypothesi materiae infectae Deus *pro lubitu* facere posset, quae vellet; sed ea tantum, quae et quot permitteret materia praeexsistens. Ita vero **3.** ex Is. 44, 6; Nehem. 9, 6. etc. arguit[2]) Tertullianus l. c. c. 6: „Ego quidem Deus, contestabitur Deus et juravit nonnunquam per semitipsum, quod non alius sit, qualis ipse; sed mendacem eum faciet Hermogenes. Erit enim et materia qualis Deus, infecta, innata, initium non habens, nec finem. Dicit Deus: *Ego primus:* et quomodo primus, cui materia coaetanea est? Inter coaetaneos autem et contemporales ordo non est, aut et materia prima est. *Extendi,* inquit, *coelum solus:* atqui non solus, cum eo enim extendit de qua et extendit."

555. Expendatur **4.** Gen. 1, 1: *In principio creavit Deus coelum et terram. Terra autem erat inanis et vacua* etc. coll. Prov. 8, 22. ss.; Joan. 1, 3. (n. 508.); Rom. 4, 17; Hebr. 1, 3; 11, 3; Apoc. 4, 11. Si enim consideretur **a.** data opera describi cosmogoniam, eamque **b.** pror-

---

[1]) Esther 13, 9: *Domine, Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuae resistere voluntati, si decreveris salvare Israel. Tu fecisti coelum et terram, et quidquid coeli ambitu continetur. Dominus omnium es, nec est qui resistat majestati tuae;* Ps. 148, 5: *Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt.* Judith 16, 7: *Tibi serviat omnis creatura tua: quia dixisti, et facta sunt: misisti spiritum tuum et creata sunt, et non est qui resistat voci tuae;* Apoc. 4, 11: *Tu creasti omnia et propter voluntatem tuam erant et creata sunt.*

[2]) Is. 44, 24: *Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens coelos solus, stabiliens terram, et nullus mecum;* 48, 12. s.: *Ego ipse, ego primus et ego novissimus. Manus quoque mea fundavit terram, et dextera mea mensa est coelos: ego vocabo eos et stabunt simul;* Apoc. 1, 8: *Ego sum A et Ω, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est, Omnipotens;* v. 17; 21, 6. 22.

sus differre a cosmogoniis gentilium; discrimen vero **c.** haud ultimum illud esse, quod nullius materiae infectae et praeexsistentis mentio fiat[1]), sed potius **d.** rerum universitas, qua late patet, ipsa secula, proinde omnis duratio, ipsae substantiae spirituales exhibeantur creationis divinae terminus[2]): inferendum est, Deum mundum nullatenus ex praejacenti infectaque condidisse materia, sed secundum substantiam condidisse ex nihilo; quo sensu nullo non tempore et synagoga (huc referri possunt verba 2. Mach. 7, 28. supra allata) et universum nomen christianum Moysis verba intellexit.

556. Hoc dogma confirmatur deinde **5.** *verbo Dei tradito.* Disertis enim **a.** verbis illud proponunt et inculcant patres qua *dogma fidei christianae.* Ita jam Hermae Pastor l. 2. mand. 1. docens: »Primum omnium crede, quod unus est Deus, qui omnia creavit et consummavit et *ex nihilo* omnia fecit.« Quae Irenaeus l. 4. c. 20. n. 2. laudat tamquam verba Scripturae divinae. Ita Origenes *Periarchon.* l. 1. praef. n. 4.: »Species eorum, quae per praedicationem apostolicam *manifeste* traduntur, istae sunt: Primo quod unus Deus est, qui omnia creavit atque composuit, quique, *cum nihil esset,* esse fecit universa.« Tradunt hoc dogma **b.** quoties philosophos vel generatim gentiles infectae materiae assertores *impietatis errorisque arguunt* atque solidis refellunt argumentis, quorum tot fere sunt, quot religionis christianae apologetae; ita in primis Tertullianus in l. *adversus Hermogenem.* Illud autem **c.** discriminis esse statuunt Deum inter et hominem, quod Deus *nulla indigeat materia* praejacenti sicut humanus artifex. »Quae impossibilia sunt apud homines, inquit Irenaeus l. 2. c. 10. n. 4., possibilia sunt apud Deum (Luc. 18, 27.). Quoniam homines quidem de nihilo non possunt aliquid facere, sed de materia subjacenti: Deus autem quam homines hoc primo melior, eo quod materiam fabricationis suae, cum antea non esset, ipse adinvenit.« Neque mirum **d.** »si enim (Deus), ut argumentatur Athanasius *de incarn. Verbi* n. 2., non est materiae auctor, sed res ex materia subjecta facit, imbecillis demonstratur, cum nihil sine materia fabricari queat: quemadmodum utique fabri imbecillitatem indicat, nihil eum sine ligno posse.« Quare docent **e.** cum Lactantio *divin. institut.* l. 2. c. 7. »facturus mundum Deus, prius ma-

---

[1]) Opponi tamen possent verba Sap. 11, 18.: *Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quae creavit orbem terrarum ex materia invisa* (ἐξ ἀμόρφου ὕλης), *immittere* (aegyptiis) *multitudinem ursorum aut audaces leones.* Verum cum *duplex* distingui possit *creatio, prima* et *secunda* (n. 552.), nihil obstat, quominus haec de creatione intelligantur *secunda*, cui etiam favet contextus. Cum enim auctor inspiratus id tantum hic significare velit, potuisse Deum loco ranarum etc. bestias magis horrendas aegyptiis immittere, sufficiebat in memoriam revocare creationem *secundam*, ad quam revocat Moyses animalium productionem Gen. 1, 20. ss.

[2]) Coloss. 1, 16.: *Quoniam in ipso* (Filio) *condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum et in ipso creata sunt;* Sap. 1, 14: *Creavit Deus ut essent omnia.*

teriam, de qua faceret, praeparavit et praeparavit ex eo, quod non erat. Quia nefas est Deum aliunde aliquid mutuari, cum ex ipso et in ipso sunt omnia.«

557. **Scholion I.** Nihil saepius adversarii urgent, quam creationem repugnare, cum *ex nihilo nihil fiat*. Si vero rationem exigas ab ipsis, nil aliud respondere possunt, quam creationem concipi non posse. Sed aliud est aliquid concipi vel comprehendi non posse, aliud illud repugnare. Imo tantum abest, ut creationis notio *adversetur* sanae rationi, ut haec potius eam *postulet*[1]). De ratione enim Dei est, ut sit plane independens, nullo indigeat sibique sufficiat. Atqui si creare ex nihilo non posset substantias, indigeret materia, ab eaque ita esset dependens, ut sine ea nihil prorsus posset, possetque tantum ea, quae et qualia illa permitteret. Quod vero attinet axioma *ex nihilo nihil fit*, advertimus, illi *verum* et etiam *falsum* subesse posse sensum. Verum est, si vel significet *a nihilo nihil fit*, vel e nihilo quasi *e causa materiali*, vel si illud intelligatur de causis *secundis* creandi virtute destitutis, vel de jam constituto visibili rerum ordine deque effectibus naturalibus, qui non solent modo a Deo ex nihilo produci, sed ex materia jam olim creata. Falsum autem est hoc axioma, si eo sensu explicetur, ut negetur creatio.

558. **Scholion II.** Causa *creans* est *Deus*, et quidem *Deus Pater per Filium in Spiritu sancto* (n. 530.), atque causa est per actionem *formaliter immanentem* et *virtualiter* vel *aequivalenter transeuntem*. *Solum* autem Deum esse causam *efficientem* hujus universi, diserte docent s. Scripturae Is. 40, 12. ss., 44, 24., ubi Deus dicit: *Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens coelos solus, stabiliens terram et nul-*

---

[1]) Unde liquet creationis dogma non solum esse veritatem revelatam, sed etiam rationalem, quae ratione demonstrari, imo et inveniri possit. Sane **a.** patres passim gentiles stultitiae arguunt, quod admiserint materiam aeternam infectamque. Supponunt ergo, illos, licet essent revelatione destituti, potuisse agnoscere vel ipsam materiam mundanam esse factam seu ex nihilo creatam. Et revera **b.** principia, ex quibus creationis veritas fluit, rationi non sunt impervia; talia quippe sunt: Materia, utpote contingens et finita, esse nequit a se et necessaria, ideoque nec aeterna; Deus, quia ens a se et infinitae perfectionis est, nequit esse vel in operando ab alio dependens; pantheismus et series actu exsistens repugnant. Negata praeterea **c.** *creatione ex nihilo* logica consequentia nil aliud reliquum est, quam vel *atheismus*, vel *dualismus*, ipsaque animarum *spiritualitas* est neganda, quae sequelae sanae rationi arridere nequeunt. Haec enim exigit ultimam quandam omnium rerum rationem sufficientem, ideoque *atheismum* aversatur; exigit monarchiam, ut scil. omnia ad *unum* denique revocentur, a quo eadem pendeant; hinc respuit *dualismum*, qui velut schisma inducit in ordinem ontologicum et logicum: exigit, ut entia per participationem, seu de quorum essentia non est exsistentia, revocentur *ad ens per se* et *necessarium*, de cujus essentia sit ipsa exsistentia; de essentia vero materiae non est exsistentia. Quare una creationis veritas est tenenda. Non tamen diffitemur, longe difficilius hanc veritatem inveniri ratione ab eo, qui revelationis lumine caret, quam ab eo, qui hoc potitur lumine; imo quod si ad quaestionem *facti* accedimus, concedimus, nullum e veteribus philosophis creationem *ex nihilo* agnovisse.

lus mecum; 37, 16; Jerem. 10, 11. ss. etc. Imo revelatio docet, ita Deum *solum* esse universi causam efficientem, ut excludat *a creationis opere* quamlibet causam *secundam,* obnoxiam, *instrumentalem.* Excludit eam *silentio,* cum nunquam talis causae injiciat mentionem, et *aequivalenter,* cum ad Dei nutum omnia narret esse facta; excludunt eam *diserte* patres, cum refellunt gnosticos, qui angelis adscribebant creationem. Cf. Augustinus *de civit. Dei* l. 12. c. 24. ss., ubi scribit: „Neque fas est ullius naturae quamlibet minimae mortalisque creatorem nisi Deum credere ac dicere et antequam possit intelligi[1]).

559. Si *finis creationis* quaeritur, varie prius distinctiones prae oculis habeantur. Distingui scil. debet **a.** *finis operis,* ad quem opus ex insita sua natura ordinatur, qui etiam finis *intrinsecus, proprius* audit; et *finis operantis,* quem sibi operans pro voluntatis optione constituit, qui et *extrinsecus* dicitur. Ita finis horologii (operis) est indicare diei horam; finis artificis, qui illud construit, lucrum, manifestatio suae peritiae seu gloriae etc. Distingui **b.** potest *finis qui, cui, quo.* Finis *qui* illud bonum denotat, quod agens intendit seu appetit; hic etiam *objectivus* dicitur vel finis *cujus,* scil. cujus gratia seu desiderio agens operatur; finis *cui* est subjectum, cui seu in cujus commodum operans bonum intendit. Finis *quo* seu *formalis* continetur assecutione et possessione boni, quod operatione intenditur. Distingui debet **c.** inter *finem quia* et *causam finalem.* Causa finalis est bonum ab operante distinctum, quod sua bonitate eum allicit et determinat ad operandum, ut ipsum assequatur. Finis *quia* est ratio ad operandum movens ut ex. gr. bonitas ipsius operantis. Aliud **d.** est agere *cum fine,* aliud agere *propter finem* seu propter finis consecutionem. Agere *cum fine* non exigit, ut operans finis consecutionem tamquam bonum sibi intendat, sed opponitur actioni *irrationali* et imprudenti. Agere *propter finis consecutionem* aliquam indigentiam seu defectum adsignificat, quem explere debet bonum obtinendum. Cum qua distinctione **e.** alia cohaeret: aliud scil. est agere *ex desiderio finis,* quod indigentiam supponit et proprium est creaturae, et aliud est agere *ex amore finis,* quod boni abundantiam innuit propriumque est Dei.

---

[1]) Quaeritur tamen, utrum alicui creaturae *creandi virtus* possit saltem *communicari.* Hoc patres aequivalenter negant, passim enim inde probant, Filium vel Spiritum s. esse Deum, quod ipsis creatio tribuatur: quae illatio satis esset infirma, si et natura creata, quamvis virtute communicata, creare posset. Neque inepte hoc probatur ex illis s. Scripturae testimoniis, quibus creata universitas rerum exhibetur ut *argumentum omnipotentiae,* gloriae perfectionisque Dei, speculum divinorum Is. 37, 16; 44, 24; 48, 12. s.; 45, 5. s., 12; Bar. 3, 32. ss. etc., quae praerogativa mundo non adeo competeret, si esse posset causae finitae opus. Quare Augustinus *de Gen. ad lit.* l. 9. c. 15. n. 28: „Creare naturam, inquit, tam nullus angelus potest, quam nec seipsum.“ Haec etiam sententia communis est theologorum contra unum fere Durandum, teste Valentia disp. 3. *comment.* t. 1. q. 2. puncto 4., qui tamen fatetur, id magis colligi ex auctoritate, quam ex ratione.

560. Quibus praestitutis quaeritur **1.** quis sit *finis operis* in creatione seu *finis mundi*. Qua de re conc. vaticanum sess. 3. de Deo rerum omnium creatore can. 5. statuit: „Si quis . . . mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit, A. S.“

Haec fusius exponit conc. coloniense a. 1860. docens tit. 3. cap. 13: „Si . . . finis operis quaeritur, dicendum profecto est, eum (Deum) hoc intendisse et intendere adhuc, quod cum ejus actione ita est conjunctum, ut ab ea separari non possit . . . Quod ab opere Dei abesse non poterat, erat ipsa perfectionum divinarum, potentiae in primis, sapientiae et bonitatis manifestatio, quae, cum in Dei laudem cedat, gloria Dei externa vocatur. Deum vero perfectionum suarum agnitionem et amorem seu gloriam externam revera intendisse, dubium esse non potest, sive spectemus res effectas, quae natura sua Dei perfectionem manifestant; sive hominem, qui ratione praeditus est, ut Deum ex operibus agnoscat et amet; sive Deum ipsum, qui ut ex opere suo agnosceretur, utpote sanctus, non velle non poterat. Hinc illae tam crebrae Scripturarum voces, quibus ad laudandum Deum ex operum ejus magnitudine monemur. Intime inter se connectuntur hominum felicitas et Dei gloria. Hanc enim dum homines promovent, sua augent merita suamque felicitatem; et Deus quo majora bona hominibus largitur, eo majora praebet suae bonitatis documenta suamque auget gloriam; unde sicut haec ad illam, ita illa ad hanc ducit. Si tamen de utriusque finis ordine quaeritur, dicendum est, ultimum operis finem esse Dei gloriam, ad quam etiam rerum creatarum et singillatim hominis felicitas referatur. Dei enim gloria, cum utpote Deum respiciens, altioris sit ordinis quam hominis felicitas, hanc sibi submissam subservientemque habeat decet. Neque ex hoc existimandum est, detrahi aliquid Dei in nos bonitati. Nam bona nobis collata, cum ad Dei referuntur gloriam, non minuuntur, imo quo studiosius per ea nos Dei gloriam quaerimus, eo magis ditescimus ipsi; nec Deus ita suam in mundo intendit gloriam, quasi ex ea aliquid, quod non habeat, boni acquirat, cum id solum velit, quod rectus ordo exigit.“

561. Si vero **2.** id, quod Deum ad creandum impulerit, quaeritur, seu *finis operantis*, dicendum est cum eodem concilio, nihil Deum, quod ab eo sit distinctum, impellere potuisse, cum utpote sibi sufficiens, nihil sibi possit appetere. Praeterea Deus omnium est A et Ω Apoc. 1, 8; 21, 6; 22, 13; cum qua praerogativa pugnat, ut aliquod bonum ab eo distinctum ei fuerit causa ad creandum movens; tunc enim relate saltem ad creationem huic bono competeret dignitas τοῦ omnium A et Ω. Cum autem voluntas ad operandum nonnisi bono moveatur, nec ullum bonum a Deo distinctum eum ad creandum induxerit, bonum quod Deum ad mundi creationem movit, intra ipsum Deum est quaerendum. Bonitas scil. sua Deum movit ad creandum, ut se aliis communicaret, ut in alios derivaret divitias bonitatis suae eosque redderet felices, quod sicut sponte sua sequitur ex dictis, atque ex natura boni maxime perfecti, cujus est se aliis communicare, ita etiam docent patres et conc. vaticanum sess. 3. cap. 1: „Hic solus verus

Deus *bonitate sua* et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam etc." Quare Deus *triplici* modo dici potest creationis finis et Ω. Ipsius enim *bonitas* eum ad creandum movit ideoque *finis quia* dicitur: ipsius gloria seu gloriae manifestatio, proinde Deus manifestandus, est *finis operis*; ipse denique est *finis* a creaturis rationalibus *obtinendus,* ut sint felices.

562. Neque vitiosum censeri debet, si Deus *omnia propter semetipsum operatus est* (Prov. 16, 4.). Nam vitiosum non est, si pater reverentiam exigat a filiis, rex a subditis obsequium. Tunc vero reprehensionem meretur ad suam operari gloriam, si quaeratur vel **a.** honor *indebitus;* vel **b.** honor debitus, sed *modo indebito*, ita ut non referatur ab homine in Deum, a quo omnia habet, propter quae exigere possit honorem; vel **c.** si *vane* in illo delectamur, non propter ejus honestatem eum exigimus. Jam vero Deus gloriam a creaturis exigit, quia id postulant *rerum naturae;* decet enim, ut opus profiteatur suum auctorem, servi exhibeant obsequium Domino, guttae agnoscant fontem, mendici laudent benefactorem, umbra manifestet lucem. Neque propterea Dei amor erga creaturas est *minus purus;* nam Deus non exigit honorem *utilitatis* gratia, sed quia id exigit rerum ordo; et quia quo magis vult honorari a creatura, eo magis id cedit in creaturae honorantis bonum[1]).

563. **Thesis LXXIX.** ***Deus in creando fuit liber.***

Declaratio. Contendimus, Deum fuisse in creanda hac rerum universitate *liberum* et quidem liberum libertate *contradictionis*, seu liberum ad creandum vel etiam non creandum. Posito autem quod creare decreverit, contendimus ulterius, eum fuisse liberum libertate *specificationis,* ad hunc scil. potius quam alium mundum creandum; nulla proinde necessitate determinatus fuit sive ad creandum, sive ad creandum hunc mundum. Qua in re aliter atque aliter errarunt Abaelardus, Wicleff, Leibnitius, Hermes, Günther etc. Quapropter statuit conc. vaticanum can. 5. sess. 3. de Deo rerum omnium Creatore: »Si quis . . . Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat semetipsum, A. S.« Cf. etiam cap. 1. supra n. 561.

---

1) Praeclare scribit Petrus Lombardus l. 2. dist. 1. n. 8: »Sicut factus est homo *propter Deum* i. e. ut ei serviret: ita *mundus* factus est *propter hominem,* scilicet ut ei serviret. Positus est ergo homo in medio, ut et ei serviretur et ipse serviret, ut acciperet utrumque et reflueret totum ad bonum hominis et quod accepit obsequium et quod impendit. Ita enim voluit Deus sibi ab homine serviri, ut ea servitute non Deus, sed homo serviens juvaretur: et voluit ut mundus serviret homini et exinde similiter juvaretur homo. Totum ergo bonum hominis erat et quod factum est propter ipsum, et propter quod ipse factus est. *Omnia enim,* ait Apostolus 1. Cor. 3, 22., *nostra sunt,* scilicet superiora et aequalia et inferiora. Superiora quidem nostra sunt ad perfruendum, ut Deus Trinitas; aequalia ad convivendum, scil. angeli etc.«

564. **Demonstratio.** Praetermissis iis argumentis, quibus generatim Deo n. 468. vindicavimus libertatem, advertimus **1.** Deum non posse affirmari ad creandum determinatum, quin simul statuatur vel eum indigere mundo, vel mundum quandam esse divinae naturae emanationem sive explicationem. Sed neque illud affirmari potest, quin negetur summa Dei independentia et perfectio seu omnisufficientia, neque hoc alterum, quin in pantheismum incidamus. Quapropter **2.** in divinis literis omnium rerum exsistentia refunditur *in Dei voluntatem* Sap. 11, 26; Dan. 4, 32; Apoc. 4, 11: *Tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt:* quod ostendit supremum Dei in creando *dominium,* quo pro lubitu creare potest vel non creare; neque enim in voluntatem tamquam in rationem ultimam ea refunduntur, quae necessario fiunt. Deum vero mundum alium creare potuisse, colligitur **1.** ex iis Scripturae effatis, quibus edicitur, Deum fecisse, *quaecunque voluit in coelo et in terra* Ps. 134, 6; 113, 11; Eph. 1, 11., quae loquendi ratio ex communi hominum usu significat *expeditam liberrimamque eligendi facultatem.* **2.** In opposita sententia sequitur, *unum,* qui actu exstat, mundum esse possibilem, quod admitti nequit, quin circumscribatur sive infinita Dei *perfectio,* quae uno tantum modo possit repraesentari; sive ejus *sapientia,* quae unum tantum possit excogitare rerum ordinem, cum tamen vel homo pro suo ingenio aliter atque aliter possit sua disponere opera atque variare; sive Dei *omnipotentia.*

565. Utramque assertionis partem **3.** haud spernenda ratione probat Maurus *op. theol.* l. 2. q. 50. n. 7: »Nam sicut de essentia summi boni est, ut se summe communicet: sic est de essentia ejusdem, ut habita communicatione summa et perfectissima et continente eminenter omnes alias communicationes, possit ea esse contentus ac non necessitetur ad se ulterius communicandum alia communicatione imperfecta, et ut si voluerit se communicare communicatione imperfecta, possit se communicare magis aut minus, prout illi placuerit; si enim posset esse contentus sine ulla communicatione imperfecta, a fortiori posset esse contentus cum aliqua communicatione imperfecta sine ulteriori communicatione. Sed Deus ab aeterno se communicat ad intra Filio et Spiritui sancto communicatione perfectissima et infinita et continente eminenter ac seclusis imperfectionibus omnes alias communicationes; ergo Deo posset quiescere et esse contentus communicatione ad intra; sed si Deus posset esse contentus sola communicatione ad intra sine ulla communicatione ad extra, posset etiam esse contentus aliqua communicatione ad extra sine ulteriori communicatione; ergo Deus posset esse contentus communicatione ad extra, qua se communicet per creationem, absque ulteriori communicatione meliori, qua se communicet per dona gratiae et per unionem hypostaticam etc.«

566. Ut vero difficultas solvatur, quae inde petitur, quod sapiens et perfectus artifex teneatur ad optimum, ideoque Deus in hypothesi quod

voluerit creare, debuisset creare mundum *optimum:* advertatur **1.** mundum dici posse *multiplici* eoque *vero* sensu *optimum:* optimus enim est **a.** ratione *finis* (n. 560.); **b.** ratione *operantis* et **c.** ratione *operationis,* quae est *creatio ex nihilo,* qua nulla perfectior concipi potest; **d.** ratione *dispositionis* et ordinationis in finem; **e.** ratione *conspirationis* cum causa exemplari. Hoc vero sensu *quilibet* mundus, quem Deus creasset, dicendus esset optimus. Non tamen **2.** mundus optimus est *absolute* seu in ratione *entis,* quia hoc sensu mundus optimus repugnat. Quicunque enim mundus concipiatur, is utpote *finitus* augmenti et majoris perfectionis est capax; solum enim infinitum augmenti est incapax. Verum **3.** etiamsi non repugnaret mundus optimus, demonstrari nequit, artificem, ut suam manifestet artem, *teneri ad opus* in ratione *entis perfectissimum* producendum, cum ea *aeque* saepe demonstrari possit opere magno et parvo; neque enim *operationis* perfectio ab ejusdem pendet *termino.* Ad rem Augustinus *de civit. Dei* l. 11. c. 22: »Deus autem, inquit, ita est artifex magnus in magnis, ut non minor sit in parvis, quae parva non sua granditate, nam nulla est, sed *artificis sapientia* metienda sunt.«

PARS II.

De creationis operibus.

567. Considerato *creationis actu,* ad creationis *opera* transeamus, quae *tria* praecipue sunt: *mundus, homo, angeli.* Quare hanc partem in *tres* dividemus *sectiones.*

Sectio I.

De Mundo.

568. Tenendum est *mundum non ab aeterno, sed in tempore seu cum tempore fuisse creatum*[1]). Quae assertio est *de fide,* ut patet ex decretis conc. lateranensis cap. *Firmiter* (supra n. 551.) et conc.

---

[1]) Quod attinet quaestionem de possibilitate creationis mundi ab aeterno quam plures tuentur, sententia *negans* nobis videtur *praeferenda.* Sane patres contra arianos pugnantes pro certo supponebant, nullam creaturam esse vel etiam esse posse ab aeterno; ideoque ex Filii *aeternitate* eum non esse creatum inferebant. Ita Athanasius *orat. 1. contra arianos* n. 14. et 29: »Audiant illi, res factas aeternas esse non potuisse, etiamsi eas semper Deus potuerit facere. Illae enim ex nihilo sunt, nec erant antequam fierent: quae autem non erant, antequam fierent, quomodo cum Deo, qui semper est, possunt exsistere?« Ea etiam visa est adeo evidens s. Bonaventurae, ut in 2. dist. 1. p. 1. a. 1. q. 2. scripserit: »Ponere mundum aeternum esse sive aeternaliter productum, ponendo res omnes ex nihilo productas, omnino est contra veritatem et rationem . . . et adeo contra rationem, ut nullum philosophorum quantumcunque parvi intellectus crediderim hoc posuisse: hoc enim *implicat in se manifestam contradictionem.*« Et revera *mundus aeternus* videtur figmentum rationis sicut *spatium immensum.*

vaticani (n. 561.). Et revera **a.** mundi aeternitas est *praeter Scripturas,* in quibus nullum occurrit vestigium mundi creati ab aeterno exsistentis. Est **b.** *contra Scripturas,* quae diserte negant, mundum esse *ab aeterno,* nam ei adscribunt *initium,* in quo inceperit, et *ante quod* jam fuerit Deus. Ita Gen. 1, 1: *In principio creavit Deus coelum et terram,* quod *principium* intelligi debet de *principio temporis;* ab eo enim numerantur deinde *dies sex,* qui licet admodum longi fingantur, temporis intervalla designant; a sexta die autem numerantur anni humani generis; sermo ergo est hic de principio temporis. Quod confirmatur collatione cum Gen. 2, 4., ubi phrasis *in principio* exprimitur dictione *in die,* qua certe significatur *tempus.* Ps. 89, 2: *Priusquam montes fierent aut formaretur terra et orbis: a seculo et in seculum tu es Deus;* Prov. 8, 22: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio . . .* v. 26: *Adhuc terram non fecerat et flumina et cardines orbis terrae;* Joan. 17, 5: *Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate, quam habui, prius quam mundus esset, apud te;* Eph. 1, 4: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem* πρὸ καταβολῆς κόσμου ante jacta mundi fundamenta: sed mundi fundamenta jacta sunt in ipsa *creatione materiae.*

569. Cum increduli omni conatu ex disciplinis naturalibus impugnent *cosmogoniam mosaicam,* cui plura dogmata ad hunc tractatum spectantia innituntur, juverit ad ejusmodi exceptiones solvendas haec prae oculis habere principia: **1.** Sicut *generatim* inter *rationem* et *revelationem* nulla potest esse pugna, cum sint nonnisi duo radii distincti ejusdem lucis illuminantis omnem hominem venientem in hunc mundum: ita *speciatim* nulla concedi potest pugna inter *librum Genesis* divinitus inspiratum et *librum naturae,* opus digitorum Dei, cui innituntur disciplinae naturales. Eoque minus **2.** timenda est ulla pugna inter Genesim atque disciplinas naturales, imo confidenter tenendum est, perfectam exsistere inter illam atque has *harmoniam,* quod constet **a.** peritissimos in ejusmodi disciplinis viros eam profiteri amplissimisque depraedicare verbis; **b.** progressu disciplinarum naturalium innumera systemata excogitata fuisse geologica narrationi mosaicae plus minusve opposita, quorum academia gallica a. 1806. jam ad 80 enumerare potuit; quae tamen omnia jam antiquata et rejecta sunt: antiquabitur ergo et corruet quoque systema octogesimum primum revelationi infensum; quod constet **c.** difficultates, quae diu videbantur fere insolubiles, gradatim fuisse solutas et dissipatas: quod denique **d.** notitiae geologicae palaeontologicae adhuc sint *adeo tenues* et angustae, ut *temerarium* plane foret secundum illas tamquam secundum normam infallibilem Moysis cosmogoniam dijudicare.

570. Illud vero **3.** in primis advertendum est **a.** Moysis scopum non fuisse, tradere *praelectiones doctas* de disciplinis naturalibus, sed *institutionem* tradere voluisse *religiosam* vulgi captui accommodatam: omnia scil. esse a Deo; omnia esse bona, nihilque a Deo esse mali; omnia esse propter hominem ad excitandam gratitudinem in Deum; Deum esse auctorem hebdomadae atque velle sanctificationem sabbati, ut religiosa hujus diei celebratione profiterentur ipsius dominium beneficiorumque ejus cum gratiarum actione recordarentur. Proinde **b.** de hisce Moyses loquitur non more physicorum et doctorum, sed concipiendi loquendique morem sequitur populi. Quare **c.** nil mirum, si Moyses de sole stellisque atque aliis eatenus tantum loquitur, quatenus relationem habent ad hanc terram et secundum apparentiam, ceteris praetermissis. Qua una animadversione pleraque inepte ex *astronomia* objecta solvuntur. Inde vero sequitur **d.** longe pauciora esse themata seu argumenta communia cosmogoniae mosaicae et disciplinis naturalibus, quam plures contendere solent. Aliud tractat Moyses, circa aliud occupantur disciplinae naturales; ille disserit de rerum *initiis,* de quibus scientia naturalis suis observationibus innixa nihil certi statuere potest; haec observat phaenomena, inquirit in leges, secundum quas praesens ordo regitur, de quibus non est sollicitus Moyses; quare ipse, ut nonnemo acute loquitur, *praefationem* veluti scripsit ad disciplinas naturales, exponens rerum exordia; quae haec consecuta sunt, relinquit indaganda physicis peritis, secundum illud Eccle. 3, 11: *Mundum* (utique prout modo exsistit a parte rei) *tradidit disputationi eorum.*

571. Quare **4.** *verba Genesis c. 1. quandam admittunt interpretationis latitudinem.* Quotiescunque igitur observationes geologicae evidenter exigent, ut alia ratione Moysis verba explicentur atque hactenus factum est, id licebit[1]); nam sapienter praecipit Augustinus *de Gen. ad lit.* l. 1. c. 21. n. 41., »ut quidquid ipsi (sapientes hujus mundi) de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris libris non esse contrarium.« Licere autem aliter atque aliter verba Genesis explicare patet, quia nulla exstat *authentica* cosmogoniae mosaicae interpretatio,

---

[1]) Si ergo rationes cogentes vel saltem vere probabiles ex disciplinis naturalibus adessent, omnino liceret *dies* mosaicos intelligere de *periodis* plus minusve diuturnis, sibi succedentibus vel parallelis, pro significatione haud insolita hujus vocis. Ceterum potiores cosmogoniae mosaicae explicationes ad *quatuor* revocantur. *Prima,* quae placuit in primis Augustino, innixa Eccli. 18, 1. admittit *simultaneam* omnium creationem. Ab hac sententia, saltem quod attinet explicationem ipsius opificii sex dierum, non multum abludit illorum opinio, secundum quos Gen. 1, 2—24. non est nisi *hymnus poeticus* Moysis, ex quo nil vel fere nihil expiscari liceat, de ordine et modo, quo varii creaturarum ordines sint producti. *Altera* inhaeret literae, proinde rerum omnium creationem et dispositionem sex diebus 24 horarum absolutam fuisse tuetur. *Tertia* inter primam materiae creationem et chaoticam terrae conditionem vel lucis creationem interserit longam temporis periodum, qua plures etiam opinantur angelorum lapsum terraeque vastationem contigisse, adeo ut Moyses non *primam* mundi creationem sed terrae devastatae *restaurationem* narret. *Quarta* nomine *dierum* intelligit plus minusve diuturnas periodos sibi succedentes vel parallelas, quas tamen alii aliter atque aliter disponunt.

ipsique patres et post patres theologi alias atque alias sectantur interpretationes. Quocirca prudentissime advertit s. Thomas 1. p. q. 68. a. 1: »Sicut Augustinus docet *(de gen. ad lit.* l. 1. c. 18.), in hujusmodi quaestionibus duo sunt observanda. Primo quidem, ut veritas Scripturae inconcusse teneatur. Secundo, cum Scriptura divina *multipliciter* exponi possit, quod nulli expositioni aliquis ita praecise inhaereat, quod si certa ratione constiterit, hoc esse falsum, quod aliquis sensum Scripturae esse asserere praesumat: ne Scriptura ex hoc verbo ab infidelibus derideatur, et ne eis via credendi praecludatur.«

Sectio II.

De homine.

572. *Quatuor* praesertim, quae ad hominem spectant, nostram attentionem merent: ejus sc. *origo, natura* atque praestantia, ejusdem *elevatio* ad ordinem *supernaturalem*, atque demum tristissimus *lapsus* lapsumque subsecutae miseriae.

Caput I.

De humani generis origine.

573. Variae fuerunt quavis aetate opiniones circa hominis originem, sive ejus spectes partem animalem, sive ejusdem partem spiritualem i. e. animam. Praetermissis veterum gentilium somniis potiores errores, qui modo praesertim grassantur, gradatim excludemus.

Thesis LXXX. ***Primi parentes a Deo immediate conditi sunt.***

Demonstratio. Secundum incredulos nostrae praesertim aetatis homo a brutis specie non differt, sed tantum gradu, jugique naturae explicatione et profectu ex animantibus prodiit. Quam opinionem **1.** omni adversari revelationi christianae non est, cur multis demonstremus; diserte enim s. Scriptura primi hominis creationem Deo et quidem *immediate*[1]) adscribit Gen. 1, 26. s.; 2, 7. 21. ss. etc. Ea in-

[1]) Non desunt viri eruditi, qui contendant, non adversari fidei, si quis statueret, hominem non quidem secundum animam, sed *secundum corpus* originem duxisse a brutis, seu corpus cujusdam bruti jugi explicatione et profectu ita gradatim fuisse evolutum et perfectum, donec aptum redditum fuerit recipiendi animam rationalem a Deo creatam, qua informaretur. Haec tamen opinio adversatur s. Scripturae, quae Deum exhibet auctorem *immediatum* corporis humani. Sicut enim **a.** cum dicitur: *Produxit Dominus Deus de humo omne lignum* Gen. 2, 9. col. 19. causa materialis *immediata,* non remotissima significatur, ita etiam v. 7: *Formavit Dominus Deus hominem de limo terrae.* Deinde **b.** cum legimus ib.: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae*, vel ipsi hi viri eruditi intelligunt illud *inspiravit* de actione Dei *immediata,* qua auctor fuerit animae; quare ergo verbum *formavit* in inciso priori, non intelligitur de actione Dei *immediata,* qua auctor

super 2. est *praeter* et *contra* omnem experientiam, cum nullum adduci possit certum exemplum plantae aliunde quam a planta, animalis aliunde quam ab animali, nedum hominis aliunde quam ab homine nati. Quare haec theoria adversatur legibus naturae, secundum quas tamen omnia naturae phaenomena explicari postulant adversarii, et quarum *ferream immutabilitatem* ad ravim usque decantant, cum agitur de miraculorum possibilitate. Et revera **3.** praeter hypotheses atque conjecturas *easque omnino gratuitas*, arbitrarias temerariasque, nihil pro sua theoria afferre possunt hujus figmenti patroni, penes quos pro ratione invicta est impugnandae revelationis libido.

574. Immerito vero **4.** causam transformationis successivae unius speciei in alteram referunt in novas necessitates novosque appetitus, quos experiatur animal et a quibus determinetur exercitium suorum organorum facultatumque tale, quo demum mutentur organa et una mutentur facultates atque ita novum prodeat animal. Nam indigentiae atque appetitus, qui in brutis esse solent, determinantur ab ipsa natura facultatibusque, quibus idem constituitur; nequit proinde brutum experiri necessitates atque appetitus, qui non sint conformes suae naturae atque in ipsa rationem suam ultimam non habeant. Influxus quoque adjunctorum, in quibus versatur animal, determinatur ab ipsius subjecti indole. Quamobrem fictitiae sunt istae necessitates novae atque appetitus in animali novi, a quibus pendeat essentialis ejus mutatio et determinetur novae speciei origo. Nunquam vero explicabitur rationis aliarumque praerogativarum, quibus homo essentialiter ab omnibus secernitur animantibus, origo et explicatio, suppositis quibuscunque indigentiis in bruto irrationali. Ceterum **5.** dato etiam, homines utcunque potuisse originem ducere a brutis, nondum demonstratum esset *factum*. Jam vero cum revelatio mosaica contrarium testetur, standum est potius huic testimonio, quam conjecturis arbi-

---

fuerit corporis? Ad haec **c.** nemo negabit *immediatam* Evae productionem 2, 21. ss. describi. Atqui sicut ipsa dicitur *de viro sumpta,* ita Adamus *de limo terrae formatus* 2, 7; et *de terra sumptus* 3, 19. affirmatur: ergo limi et terrae nomine non designatur causa materialis *remotissima* sed *immediata.* Ipsum **d.** nomen Adami significare videtur *immediatam* hominis ex limo productionem. Ideo enim dictus est Adam, quod *ex Adamah,* terra, sit productus, sicut Eva dicta est *virugo, quoniam de viro sumpta est* Gen. 2, 23. Et quomodo **e.** inspectis omnibus animantibus non invenit simile sibi, visa vero Eva prorupit in haec verba: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea,* si ipse fuisset, ut affirmat haec theoria, quam impugnamus, os de ossibus et caro de carne bruti? Deinde **f.** dicitur homo Gen. 3, 19. in terram reversurus, de qua sumptus est; sed non revertitur in terram per *innumeras* formas ordinis animalis, ergo nec per *innumeras* formas ex terra formatus est in hominem.

trariis. Verum malunt adversarii proles esse brutorum, quam opus manuum divinarum juxta illa Ps. 48, 21: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.*

575. **Thesis LXXXI.** ***Adam primus fuit homo et ex eodem totum genus humanum suam ducit originem.***

Demonstratio. Hac thesi refellimus errorem tum *praeadamitarum,* secundum quos jam *ante Adamum* exstiterunt homines, tum *coadamitarum,* secundum quos Deus plura hominum paria immediate condidit. Idcirco autem multi doctrinam catholicam de origine omnium hominum ab uno Adamo rejiciunt, quod putent, secundum eam explicari non posse tot tamque varia inter diversas gentes discrimina. Verum omne humanum genus originem ducere ab uno Adamo et Eva, *diserte* testantur **1.** *s. Scripturae,* quarum haec est doctrina: **a.** creasse Deum Adamum Gen. 2, 7., et quidem **b.** initio *solum:* diserte enim affirmatur, ante ipsum *nullum* exstitisse hominem 2, 5: *Et homo non erat, qui operaretur terram;* et eo creato non fuisse inventum adjutorium ei simile Gen. 2. 20; quam ob rem **c.** dixit Deus Gen. 2, 18: *Non est bonum, esse hominem solum: faciamus ei adjutorium simile sibi,* ac consilium opere exsequens Gen. 2, 21. s. *unam* adhuc Evam condidit, quae idcirco hoc nomine fuit appellata, *quod mater esset cunctorum viventium* 3, 20. Propterea vero **d.** Deus creavit Adamum et Evam, ut replerent terram Gen. 1, 27. s., clareque enunciat Paulus Act. 17, 26: *Fecit* (Deus) *ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae.* Eadem veritas colligitur **2.** ex *dogmate* catholico de *peccato originali;* credendum siquidem est, *omnes* omnino homines originali peccato atque morti esse obnoxios, eo quod ex *eodem stipite et capite* naturam peccato infectam trahant Rom. 5, 12. ss.; quae conciliari nequeunt cum praeadamitarum vel coadamitarum theoria.

576. Praeterea **3.** eatenus tantum esset difficultas, quatenus ope disciplinarum naturalium posset *certo* et *invicte* demonstrari *repugnantia originis* tot diversarum gentium ab uno communi stipite. Atqui haec repugnantia *nunquam* fuit demonstrata, imo celeberrimi in scientia naturali viri cum revelatione conspirant in admittendo *uno communi stipite.* Sane **4.** homines variarum classium differunt inter se vel *specie* vel tantum *accidentaliter.* Si secundum *accidentia* tantum, accidentalis haec diversitas non obstat origini communi, cum ea pendere possit a diversis rerum adjunctis, et unaquaeque species intra suos limites, experientia teste, innumeras admittat varietates partim transeuntes, partim stabiles et perennes. Adesse vero differentiam *specificam* inter varias hominum classes admitti nequit, cum characteres *specifici,* secundum quos eruditi de unitate speciei judicant, penes omnes iidem reperiantur, uti sunt, eadem structura corporis anatomica, idem vitae terminus, eadem ad aegrotandum dispositio morborumque communitas, idem inter certos limites corporis calor, medius pulsuum vena-

rum numerus, eaedem partus leges, et omnes omnium gentium conjugium par ad prolem propagandam inire inter se possunt, omnesque iisdem animi pollent facultatibus. Cui veritati **5.** praeterea et illud favet factum, quod transitus unius hominum classis in aliam sit tam placidus, tenuis et prope inobservabilis per gradus intermedios innumeros, ut nunquam limes possit assignari, quo una desinat, incipiat altera. Quare sponte sua ducimur ad humanae speciei originem, a qua natura humana derivata, in suis primis praesertim stadiis admodum flexibilis (sicut singulorum hominum natura individua in prima pueritia), successu temporis propter multiplicem climatis aliarumque causarum influxum varietates plures contraxerit.

577. **Thesis LXXXII.** ***Frustra increduli contendunt, humani generis originem longe antiquiorem esse epocha a Moyse assignata.***

Demonstratio. Nolumus in praesentia *arithmetice* definire, quot praecise effluxerint anni ab Adami creatione ad nostra usque tempora. Candide enim fatemur hac de re dissentire etiam inter se *patres* et *theologos.* Secundum illos, qui textum sequuntur *hebraicum* atque *vulgatam,* nondum effluxere sex annorum millia; qui vero nituntur versioni *alexandrinae,* septem vel etiam octo jam annorum millia praeterisse concedent. Verum contra illos hanc statuimus thesim, qui innixi documentis, ut ajunt, historicis (verius dixeris plerumque *fabellis*) vel reliquiis humanis in terrae visceribus repertis contendunt, relationem mosaicam erroris semper convinci, sive sequamur versionis *alexandrinae,* sive textus *hebraici* chronologiam.

Sane **1.** eatenus tantum posset historia mosaica revocari in dubium, quatenus adessent monumenta vetustiora majori fide digna, quae contrarium statuant: atqui talia plane desunt; quae enim proferuntur ex historiis sinensium, aegyptiorum, assyriorum, neque adeo sunt antiqua, neque, fatentibus ipsis prudentioribus historicis, fide adeo digna. Eoque magis **2.** Moysi est fidendum, quod argumenta tam *interna,* quam *externa* ejusdem faveant chronologiae. Favent *interna:* scripsit enim Genesim pro judaeis aegyptiacarum opinionum haud ignaris, inter quas et illa erat de antiquissima aegyptiorum origine. Jam vero ejusmodi in adjunctis populo suo adeo recentem non vindicasset ortum, neque hic fidem ei tribuisset, nisi veritate cogente, nisi ex traditione primitiva certissime de hac recenti constitisset origine. Favent argumenta *externa,* quae petuntur ex generis humani novitate, quam novitatem testatur *negative* defectus omnium monumentorum reliquiarumque ad humanum genus spectantium, quae *certe* antiquiora sint epocha mosaica, cum plantarum animaliumque reliquiae, quae majoris aetatis esse videntur, ubique abundent; testantur *positive* initia omnium historiarum, regnorum, artium, disciplinarum, quae non excedunt aetatem a Moyse humano generi assignatam. Haec omnia autem conciliari nequeunt

cum hypothesi senectutis humani generis, quae jam annorum myriades complectatur.

578. Postquam vindicavimus doctrinam catholicam adversus errores de origine *generis* humani, vera quoque doctrina vindicanda est de origine partis nobilissimae humanae naturae i. e. *animae.*

Thesis LXXXIII. ***Rejecta opinione, secundum quam animae ex animabus non secus ac corpora ex corporibus traducuntur seu gignuntur, statuimus, animas divinitus creari.***

Declaratio. Celebris est controversia de animae origine, utrum ea scil. a parentibus ipsis vi generationis *gignatur,* an *immediate* singulae animae a Deo creentur corporibusque infundantur. Sententia, quae illud tuetur, *traducianismus* seu melius *generatianismus* dicitur; quae vero hoc alterum defendit, *creatianismus* audit. Plures patres fassi sunt hujus quaestionis difficultatem, eamque dirimere non sunt ausi, sed dubii haeserunt. Rem vero omnino exaggerat Hieronymus ep. 126. al. 82. *ad Marcellinam et Anapsychiam,* cum scribit: „Tertullianus et *maxima pars occidentalium* autumant, ut quomodo corpus ex corpore, sic anima nascatur ex anima." Nam si Tertullianum excipias, nullum occidentalium, saltem alicujus famae, reperimus, qui *diserte* hoc affirmet. Recentiori aetate *generatianismum* plures amplexi sunt. Sed tenendum omnino est *animas singulas immediate a Deo creari.* Quae sententia *non est* quidem *de fide,* non tamen propterea est *mera opinio,* cujus contraria *tuto* possit defendi. Nam ea a tempore scholae vere *communis* dici potest in Ecclesia, quaeque magis semper in ea praevaluit; et quamvis ab Ecclesia forte *peremptoria* declaratione nondum fuerit definita, in nonnullis tamen authenticis decretis significatur, imo et proponitur. Ita jam Anastasius II. (a. 498.) gravissimis verbis generatianismum ut vanam falsamque persuasionem, imo et haeresim reprobat in ep. 6. ad episcopos Galliae; Benedictus XI. exegit ab armenis, qui cum Ecclesia catholica conciliari cupiebant, ut damnarent errorem (ap. Raynald ad a. 1341. n. 50.): „Animam humanam filii propagari ab anima patris sui, sicut corpus a corpore, et angelus etiam unus ab alio;" qui error etiam in synodo armenorum damnatus fuit, „quia Ecclesia armenorum sicut semper credidit, ita idem credit, quoniam animae creantur noviter a Deo, et in tempore animandi simul fit creatio de novo a Deo et positio in corpore (Mansi 25, 1193.)." Alexander VII. in constit. *Sollicitudo omnium ecclesiarum* tuetur pietatem eorum fidelium, qui sentiunt bb. Matris V. „animam in primo instanti *creationis* et infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio intuitu meritorum J. Christi a macula peccati originalis praeservatam immunem." Quam sententiam amplectitur quoque conc. coloniense a. 1860 (cf. infra n. 591.).

579. **Demonstratio.** Libenter concedimus, nullum ex divinis literis pro hac sententia afferri posse testimonium *disertum;* non desunt tamen testimonia, quae ei saltem favere videntur. Ita Eccle. 12, 7: *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat; et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum;* quem in l. ita scribit Hieronymus: „Ex quo satis ridendi sunt, qui putant, animas cum corporibus seri et non

a Deo, sed a corporum parentibus generari. Cum enim caro revertatur in terram, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum, manifestum est, Deum patrem esse animarum, non homines." Hebr. 12, 9: *Deinde patres quidem carnis nostrae eruditores habuimus, et reverebamur eos: non multo magis obtemperabimus Patri spirituum et vivemus?* Quem in l. advertit Primasius (cl. c. 550.): „Idcirco autem omnipotentem Deum creatorem animarum appellat, non corporum, cum omnium creator sit, quia corpus nostrum ex semine paterno et materno conficitur, anima vero semper a Deo ex nihilo creatur."

580. Quod si *ex patrum auctoritate* sententia ferenda est de animarum origine, omnino tenendum est, *creari* animas; nam sepositis iis, qui dubii haerent ac proinde neutri favent opinioni, vix unus alterve est, qui tuetur animam *ex traduce* gigni, cum contra *innumeri primique* subsellii doctores **1.** diserte statuant animas *ex nihilo* creari.

Ita *constit. apostol.* l. 5. c. 7: »Qui in utero hominem ex exiguo semine format, et animam ex non ente creans ipsi indit (καὶ ψυχὴν αὐτῷ οὐκ οὖσαν ἐνδημιουργῶν) . . . idem et omnes homines ad vitam revocabit etc.;« Hieronymus passim, ita libr. *c. Joannem hierosolym.* n. 22. dicit: »Deus quotidie fabricatur animas;« et hanc sententiam vocat »ecclesiasticum (scil. dictum) secundum eloquia Salvatoris;« Gregorius naz. in carm. *in laudem virginit.* (v. 392. ss.):

Non totius hominis homo pater est, ut dici solet,
Sed tantum carnis et sanguinis, quorum utrumque
Peribit. Anima autem Dei omnipotentis spiraculum est
Extrinsecus incidens in terrestre figmentum. Novit qui miscuit,
Quomodo primum afflavit ac imaginem terrae miscuit.

Adeo certa **2.** visa est aliis patribus haec sententia, ut ea illustrarent incarnationis mysterium; inter quos eminet Cyrillus alex., qui inde explicat, cur b. Virgo Deipara dici possit, licet divinitatem non pepererit. Ita ep. 1: »Habet autem hoc incarnati Verbi mysterium quandam cum humano partu cognationem. Quandoquidem terrenorum hominum matres naturae ad generandum subservientes, in utero quidem carnem gestant, quae sensim per temporum intervalla concrescens arcanisque quibusdam conditoris operationibus incrementa paulatim sumens ad perfectum adducta formam tandem attingit humanam. Deus vero corpusculo modo, quem ipse novit, spiritum infundit: format enim ille spiritum hominis in illo, ut propheta ait (Zach. 12, 1.). Jam alia carnis, alia vero animae est ratio. Atque licet illae terrestrium dumtaxat corporum matres fiant, non alteram tamen partem, sed totum, quod ex anima et corpore conflatur, parere dicuntur. Nemo enim, ut exemplo res illustretur, Elisabeth carnem tantummodo, non etiam animam peperisse dixerit: siquidem peperit Baptistam animatum et hominem, ut unum ex duobus, carne inquam et anima: ita et in Emmanuelis quoque ortu accidisse cogitemus etc.,« scil. licet Maria non conceperit naturam divinam, sed tantum humanam, mater tamen dici potest et debet suppositi seu personae, quae ex ipsa in humana natura subsistens nativitate

prodiit; quae cum non tantum sit homo, sed et Deus, est dicique poterit Maria Deipara.

Nituntur **3.** patres hanc sententiam rationibus (de quarum tamen pretio modo non judicamus) confirmare. Ita ex. gr. Lactantius *de opificio Dei* c. 19. proposita triplici generatianismi forma disputat: »Nihil ex his tribus verum est, quia nec ex utroque (parente), nec ex alterutro seruntur animae. Corpus enim ex corporibus nasci potest, quoniam confertur aliquid ex utroque: de animis anima non potest, quia ex re tenui et incomprehensibili nihil potest decedere. Itaque serendarum animarum ratio uni ac soli Deo subjacet.« Oppositam sententiam **4.** verbis sat gravibus rejiciunt. »Ecclesia divinis verbis obtemperans, scribit Theodoretus *haeret. fab.* l. 5. c. 9., horum (haereticorum) doctrinam summopere detestatur et aliorum quoque fabulas aversatur: divinae vero Scripturae fidem praebens animam dicit una cum corpore creari, non quae ex seminis materia causam habeat creationis, sed quae auctoris voluntate post corporis exsistat formationem.« Philastrius *haer.* 111. eos reprobat, qui affirmant »animam hominis non a Deo per Christum creari quotidie.«

581. Neque desunt *rationes* sat firmae, quae animarum *creationem* omnino exigunt. Anima enim prolis traducitur ex anima vel patris, vel matris, vel utriusque parentis. Atqui primum vel secundum prorsus gratis admittitur, cum in alterutra hypothesi aut pater aut mater parentis dignitate privetur; tertium vero admitti nequit, quin animae simplicitas in discrimen vocetur. Ad haec anima producitur vel ex semine *materiali,* vel ex semine *spirituali,* vel virtute creatrice *ex nihilo.* Primum affirmari nequit, quin negetur animae spiritualitas; neque alterum, quia semen spirituale a gignentium anima praecisum adversatur animae simplicitati; neque tertium, quod generatianismi patronis jam placet, quia „vera ac certa doctrina docet, de facto nullam creaturam aliquid creasse; solum enim Deum *omnium creatorem* vera fides agnoscit et sancti omnes docent," ut inquit Suarez *disp. metaphys.* 20. s. 2.

582. Anima autem tunc corpori conjungitur, cum id praestitutus naturae ordo postulat, quod per se est evidens atque verum, sive statuatur, animas *in ipsa conceptione* infundi, quod jam pluribus placet; sive cum aliis affirmetur, animam tum demum foetui infundi, cum ad eam recipiendam sit satis dispositus.

Caput II.

De hominis natura atque praestantia naturali.

583. Hominis praestantia ex *tribus* maxime elucet capitibus: ex *modo,* quo fuit conditus, ex *ejus ad mundum habitu,* ex ejusdem *natura.*

Quod attinet hominis *conditionem,* mirantur patres, quod **a.** *ultimo loco* et quidem **b.** non citra *consilium ss. Trinitatis* Gen. 1, 26., neque **c.** solo

nutu et jussu, sed *Dei* velut *manibus* specialique diligentia in lucem fuerit editus, qua de re Tertullianus *de resur. carnis* c. 3. ss. disserit, et c. 6. (anthropomorphitice nonnihil) scribit: »Totiens honoratur (caro), quotiens manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, providentia et ipsa in primis affectione, quae lineamenta ducebat. Quodcunque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus etc.« Hominis vero praestantia ex ejus *ad universum relatione* patet. Est enim homo *centrum* veluti et sol mundi visibilis; meta, in cujus utilitatem et obsequium ille est conditus; ipse est secundum patres σύνδεσμον ἁπάντων, universi vinculum, mediator et pons, quo mundus visibilis jungitur mundo spirituali; incola atque concivis duplicis mundi, materialis atque spiritualis; ipse μικρόκοσμος, cum nullum sit creaturae genus, quod non possit in homine agnosci; ideoque naturalis *vicarius universae naturae visibilis* relate ad Deum, illius scil. interpres, lingua, sacerdos, per quem jugis laus, quam sine fine rerum universitas Deo exhibet, est offerenda; ipse via, per quam omnia in Deum finem ultimum sunt referenda: vicissim vero, utpote omnium constitutus dominus Gen. 1, 26., ipse est *Dei vicarius* in terrarum orbe et si vis μικρόθεος.

584. Colligitur *tertio* hominis praestantia ex dignitate *naturae,* quae corpore constat et anima rationali. Porro magnam esse animae rationalis perfectionem nemo est qui dubitet. Ea enim est spiritualis, cognoscendi facultate et libertate praedita atque insuper immortalis, quam praerogativam incredulis exosam paucis vindicabimus.

Thesis LXXXIV. *Anima humana est immortalis.*

Declaratio. *Immortalitas* est vita in aeternum duratura. *Triplicis* generis immortalitatem distinguere solent: *essentialem, naturalem* et *gratuitam,* prout ens aliquod aut vi essentiae suae absolute exsistit et vivit, aut eam habet naturam, quae sempiternam exigit conservationem, aut denique praeter rerum ordinem speciali Dei beneficio vita perpetua donatur. Immortalitas *essentialis* solius Dei absoluta necessitate exsistentis est propria; *gratuita* convenit corporibus hominum post resurrectionem; animae humanae competit immortalitas *naturalis;* ad quod demonstrandum ostendi **1.** debet, animam esse naturaliter incorruptibilem et per se idoneam, quae perpetuo exsistat et operationes vitales continuet, et **2.** animam reipsa destinatam esse ad vitam in aeternum prosequendam.

585. **Demonstratio.** *Duplici* modo res interire possunt, corruptione et annihilatione. Corruptioni anima hominis obnoxia esse nequit; corrumpi enim non potest *per se,* i. e. in partes dissolvi, cum sit natura simplex; neque corrumpi potest *per accidens,* i. e. exsistentia privari ad instar eorum, quae in alio et per aliud exsistunt et hoc destructo esse desinunt, ut animae brutorum, quae pereunte eorum corpore etiam pereunt: anima enim humana est substantia spiritualis, a corpore intrinsecus independens. Ergo anima interire prorsus nequit, nisi in nihilum redigatur. Inde ulterius sequitur, eam a nulla causa

creata exsistentia sua privari posse; annihilare enim nemo potest nisi Deus, a quo res omnes esse suum acceperunt et in esse suo conservantur. Spectata itaque sola natura dubitari non potest, quin anima dissoluto corpore superstes sit futura. Non minus certum est, animam dissoluto corpore functiones vitales, operationes scilicet intellectivas, prosequi naturaliter posse. Facultates enim intellectivae, quae sunt anorganicae et spirituales, nec alterari unquam, nec auferri ab animo possunt. Verum quidem est, functiones facultatum spiritualium in hac vita aliquo modo dependere ab organismo corporeo et propterea laeso e. g. cerebro praepediri aut turbari; sed dependentia haec tantum externa est, utpote ex connexione functionum sensitivarum cum operationibus intellectivis exsurgens, nec ex ipsa facultatum spiritualium natura, sed tantum ex praesenti conditione originem ducit. Si anima soluta fuerit a corpore, alius suppetet modus illas facultates exercendi mutatae conditioni respondens. Ex his patet, animam post corporis mortem vi proprietatum suarum naturalium vivam perpetuo exsistere.

586. Etiamsi anima naturaliter sit incorruptibilis, absolute tamen a Deo exsistentia privari potest, quia non necessario, sed contingenter exsistit. Ut itaque pateat, animam perpetuo exstituram esse, inquirendum est, an ab ipso Deo ad vitam sine fine duraturam destinata sit, seu an adsint rationes, quae exigant perpetuam ejus conservationem. Animam perpetuo esse conservandam, docet **1.** vel ipsa *incorruptibilitas ex animae natura dimanans.* Quisque enim intelligit, repugnare Dei sapientiae, ut condat naturam per se quidem incorruptibilem, sed modo violento mox in nihilum redigendam. Naturae incorruptibili convenit duratio perpetua; quod autem convenit naturae, Deus auctor naturae eidem non subtrahet. Idem **2.** colligitur ex *naturali animae praestantia.* Repugnat animam, quae est substantia spiritualis, corpore longe excellentior, ratione exsistentiae suae ita a corpore dependere, ut illo pereunte a Deo in nihilum sit redigenda. Mens rationalis certo non solum hunc habet scopum, ut corpus informet; ad hoc enim non opus est facultatibus spiritualibus; ergo non est, cur una cum corpore destruatur. **3.** *Finis ultimus,* ad quem anima est destinata, idem exigit. Mens humana ad finem mundi, qui est gloria Dei, peculiari ratione conferre debet; ipsius enim est, bonum infinitum cognoscere et amare. At finis iste certo non terminatur vita praesenti, sed semper perdurat; nunquam non Deo honor et obsequium debetur; nunquam potentia Deum cognoscendi et amandi in anima deficere potest; nunquam Dei cognoscibilitas et amabilitas exhauritur; semper itaque anima finem habet sibi proportionatum, ob quem conservetur. Si mens una cum corpore esset destruenda, ne in hac quidem vita Deo

debitum honorem deferre posset; non enim sibi persuaderet, Deum esse summe bonum et summo amore dignum, si sciret, se ab ipso in nihilum esse redigendam; vel certe Dei obsequium negligeret, nec Deus honorem suum vindicare posset, homines impios puniendo, quia bonis non minus quam malis intereundum esset, et impii ultro mortem sibi adsciscendo Deum vindicem effugere possent. Ergo cum finis animae praestitutus sit perpetuus, nec in hac vita satis obtineri queat, vitam perennem ei esse destinatam patet.

587. Accedit **4.** *desiderium semper vivendi animae naturaliter insitum.* „Unumquodque, ait s. Thomas 1. p. q. 75. a. 6., naturaliter suo modo esse desiderat. Desiderium autem in rebus cognoscentibus sequitur cognitionem. Sensus autem non cognoscit esse nisi sub hic et nunc. Sed intellectus apprehendit esse absolute et secundum omne tempus. Unde omne habens intellectum naturaliter desiderat esse semper. Naturale autem desiderium non potest esse inane.“ Simile argumentum deducitur **5.** *ex desiderio felicitatis.* Anima naturaliter desiderat felicitatem undequaque perfectam, unde sequitur, eam ad ejusmodi felicitatem assequendam esse destinatam; fieri enim nequit, ut desiderium animae ipsa natura insitum et plane necessarium inane sit et fine careat. Sed in hac vita felicitas obtineri nequit. Hinc inferri debet, animam dissoluto etiam corpore consequi vitam, in qua vera et perfecta beatitate potiri possit, hancque aeternam esse duraturam, quia felicitas, quae terminum habet, felicitas vera dici nequit.

588. Accedunt **6.** plures aliae rationes *ex ordine providentiae divinae* depromptae, quarum unum attulisse sufficiet. Dei sanctitas et justitia postulat, ut virtuti mercedem, sceleri poenam retribuat, nec justos et injustos ejusdem conditionis esse permittat. Atqui homines scelerati in hac vita haud raro faustiori fortuna gaudent quam probi et pii; ergo sequitur, etiam superesse vitam, quae debitae retributioni locum praebeat. Eadem veritas *universali suffragio generis humani confirmatur.* Inde a prima memoria omnes gentes persuasum habuerunt, animam cum corpore non esse exstinguendam. Temporibus antiquis hanc fuisse persuasionem gentium cultiorum, et veteres scriptores diserte testantur, et monumenta ac libri sacri ab illis relicti, qui nostra aetate in dies magis explorantur, indubie confirmant. Nec objici potest, quod scita buddhistica in Asia longe lateque propagata vim hujus assertionis infringant. Attendendum enim est: **a.** Opinio a Buddhismo introducta nova fuit et antiquiori persuasioni indorum opposita. **b.** Buddhismus non simpliciter docet, animae cum corpore intereundum esse; tenet enim doctrinam metempsychoseos. **c.** Vox *Nirvana,* qua sortem ab anima maxime expetendam designat, non proprie dictam annihilationem significare videtur; **d.** certum est asseclas buddhismi ut plurimum doctrinae de animorum immortalitate esse addictos. Eadem est persuasio gentium barbararum hodiedum superstitum, quae ritibus funebribus multo plus tribuere solent quam gentes cultiores. Quare cum Cicerone *Quaest. tusc.*

l. 1. dicere licet, „uti deos esse natura opinamur, sic permanere animas arbitramur consensu omnium nationum.“

589. **Thesis LXXXV.** ***De composito humano tenenda sunt: 1. hominem coalescere ex corpore et anima rationali sive spiritu; 2. ita animam ad corpus referri, ut vera ac per se sit ejus forma; proindeque 3. praeter animam rationalem in homine nullum aliud esse vitae corporalis principium.***

Declaratio. Hac thesi genuinam et catholicam doctrinam de composito humano contra eos vindicabimus, qui *trichotomiam* propugnant. Hanc praeter philosophos graecos olim amplexi sunt manichaei, secundum quos duplex est in unoquoque homine anima, bona altera a principio bono, altera mala a principio malo; etiam Apollinaris, et recentiori aetate plures e protestantibus; ex catholicis vero in primis Güntherus cum sua schola, qui quamvis aversetur *crassam*, secundum quam homo tribus componitur *substantiis* (spiritu, anima, corpore), *subtiliorem* tamen quandam trichotomiam profiteri dici potest, quatenus praeter corpus *duplex* admittit principium vitae *substantialiter* distinctum, spiritum scil. rationalem et principium vitae animalis et vegetativae (quod tamen, quamvis a spiritu separent, substantiam a corpore distinctam esse negant). Jam vero trichotomia etiam haec subtilior adversatur doctrinae catholicae.

590. **Demonstratio p. I.** Hominem ex *spiritu* sive *anima* et *corpore* coalescere, probatur **1.** ex Gen. 2, 7. (n. 592.) et Ezech. 37, 10., ubi describitur hominis *genesis*; **2.** ex Eccles. 12, 7. (n. 579.), ubi ejusdem habes *analysim*; **3.** ex aliis Scripturae effatis[1]), in quibus **a.** describitur homo ut coalescens sive ex corpore et spiritu sive ex *corpore* et *anima*; **b.** mors ut separatio spiritus sive animae a corpore; et **c.** *spiritus* et *animae* voces ad eandem designandam adhibentur substantiam, si de homine sit sermo, licet forte eandem non semper secundum eundem designent respectum; quae non solum probant hominem coalescere ex spiritu sive anima et corpore, sed etiam eum non componi *tribus* substantiis; secus enim tam constans loquendi ratio partim falsa, partim manca admodum foret. Quare conc. oecumenicum VIII. statuit can. 11: „Vetere et novo Testamento *unam* animam, rationalem et intellectualem, habere hominem docente et omnibus deiloquis patribus et magistris Ecclesiae eandem opinionem asseverantibus: quidam *duas* eum habere animas putant . . . Itaque sancta haec et

[1]) Matth. 10, 28: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam;* Luc. 8, 55: *Reversus est spiritus ejus* (filiae Jairi) *et surrexit continuo;* 1. Cor. 7, 34: *Mulier innupta et virgo cogitat, quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu;* Jac. 2, 26: *Corpus sine spiritu mortuum est;* Matth. 16, 25: *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam* etc.

universalis synodus talis impietatis parentes et eis consentientes anathematizat vehementer."

591. **Demonstratio p. II.** *De fide* est, animam rationalem esse *formam corporis,* atque ita forma est corporis, ut sit principium omnis vitae, sensus, motus corporis, quae illatio *citra errorem in fide negari nequit;* quare pariter *error in fide* erit, praeter animam rationalem aliud statuere principium vitae animalis et vegetativae ab illa substantialiter distinctum. Sane conc. viennense (Clementina *Fidei catholicae, de summa Trinit. et fide cathol.* I, 1.) »doctrinam omnem seu positionem temere asserentem aut vertentem in dubium, quod *substantia animae rationalis* seu intellectivae *vere ac per se humani corporis non sit forma,* velut *erroneam* ac veritati catholicae inimicam fidei,« rejicit, et definit, »quod quisquis deinceps asserere, defendere seu tenere pertinaciter praesumpserit, quod *anima rationalis* seu intellectiva *non sit forma corporis humani per se et essentialiter,* tamquam *haereticus* sit censendus.« »Cum igitur, subjicit conc. coloniense c. 14., secundum conciliorum decreta anima rationalis vere ac per se sit corporis forma, et cum illorum temporum doctores gravissimi formam illud dicant principium, *quo corpus vivit, sentimus, movemur et intelligimus* . . . dubium esse nequit, e conciliorum mente anima rationali *a Deo creata* ipsa omnes illas vitae nostrae operationes perfici, eamque esse veram per se atque immediatam corporis formam.« Quare Pius IX. in lit. *ad episc. wratisl.* 30. Apr. 1860. authentice declarat: »Considerantes hanc sententiam, quae *unum* in homine ponit principium, animam scil. rationalem, a qua corpus quoque et motum et vitam omnem et sensum accipiat, in Dei Ecclesia esse *communissimam* atque doctoribus plerisque et probatissimis quidem maxime cum Ecclesiae dogmate ita videri conjunctam, ut hujus sit *legitima solaque vera interpretatio,* nec proinde *sine errore in fide* possit negari.«

592. Concilii doctrina probatur **1.** ex Gen. 2, 7: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae et factus est homo in animam viventem.* Hic enim **a.** *duplicis* tantum fit mentio elementi, limi et spiraculi vitae; quo **b.** intelligi debet (immediate vel saltem mediate) *anima rationalis;* ut patet ex Eccles. 12, 7. (n. 579.), et alioquin praecipui elementi naturae humanae nulla facta fuisset mentio; huic vero **c.** adscribitur *omnis vita,* ut patet tum ex nomine, tum ex effectu ex hac inspiratione secuto, nam exinde factus est limus utique *vita omni* carens in *animal vivens.* Neque **d.** ullo modo probabile est, verbis *inspiravit spiraculum vitae* significari infusionem simul animae rationalis et principii vitae sensitivae et vegetativae ab anima rationali substantialiter distincti. Hinc **e.** explicatur usus loquendi s. Scripturae, quo *promiscue* adhibentur, cum de homine est sermo, voces *animae* et *spiritus,* quod scil. anima rationalis, ideoque spiritualis, et principium vitae sensitivae atque animans corpus substantia *unum* sint atque idem; secus enim promiscuus hic usus non esset *legitimus,* ut probant ipso facto adversarii, qui sedulo abstinent ab hac usurpatione promiscua.

593. Probatur 2. doctrina catholica luculento *traditionis suffragio.* Huc pertinet a. promiscuus vocum *spiritus* et *animae* usus; huc faciunt b. animae humanae definitiones, quae penes patres occurrunt; inter proprietates enim animae rationalis recensent *virtutem vivificandi,* animandi, informandi corpus. Ita a Joan. Damasceno *de fid. orthod.* l. 2. c. 12. anima definitur „vivens, simplex et incorporea substantia... immortalis, rationis et intelligentiae particeps, organis instructo utens corpore, *cui vitam, incrementum, sensum et gignendi vim tribuat,* non aliam a se sejunctam mentem habens: mens quippe nihil aliud est quam subtilissima ipsius pars (i. e. virtus, facultas) . . . arbitrii libertate volendique et agendi facultate praedita.“ Ita et Cassiodorus *de anima* c. 2: Anima hominis, ut *veracium doctorum consentit auctoritas,* est *a Deo creata,* spiritalis propriaque substantia, sui corporis *vivificatrix,* rationalis quidem et immortalis, sed in bonum malumque convertibilis.“ Accedunt c. diserta testimonia. Clarissime adversariorum errorem proscribit Gennadius *de eccles. dogmatibus* c. 15: „Neque *duas* animas dicimus in *uno* homine . . . unam animalem, qua animetur corpus et immixta sit sanguini, et alteram spiritalem, quae rationem ministret: sed dicimus *unam* esse *eandemque animam* in homine, quae et corpus sua societate vivificet, et semetipsam sua ratione disponat, habens in se libertatem arbitrii, ut in suae substantiae eligat cogitatione, quod vult.“ Huc deinde d. plura spectant testimonia admodum authentica, in quibus de incarnatione sermo est. Ita in conc. oecumenico V. can. 4. decernitur admittendam esse unionem Dei Verbi πρὸς σάρκα ἐμψυχομένην ψυχῇ λογικῇ καὶ νοερᾷ; et Leo I. in ep. *ad Flavianum* c. 2. docet: „Verbum caro factum est et habitavit in nobis: h. e. in ea carne, quam assumpsit ex homine et quam *spiritu vitae rationalis animavit.*“

594. Accedit 3. ipsa *experientia* eaque duplex. Experimur enim a. unum *idemque* plane subjectum, quod alias atque alias experitur sensationes, quodque sensitivi appetitus actus elicit, etiam intelligere, ratiocinari ac velle. Atqui haec identitatis conscientia hypothesi *duarum* animarum, quarum una intelligit, altera sentit, utraque vero suam conscientiam habet, explicari nullatenus potest. Provocat b. s. Thomas ad alterum factum *c. gentes* l. 2. c. 58: „Diversae vires, quae non radicantur in *uno principio,* non impediunt se invicem in agendo, nisi forte earum actiones essent contrariae . . . Videmus autem, quod diversae operationes animae impediunt se, cum enim una est intensa, altera remittitur. Oportet igitur quod istae actiones et vires, quae sunt earum proxima principia, reducantur in *unum* principium.“ Neque juvat adversarios provocare ad luctam internam, quam in nobis experimur. Sicut enim una eademque mens trahi potest oppositis argumentis in assensum vel dissensum; sicut voluntas diversis motivis ad volitiones contrarias, unde et in ipsa mente vel voluntate rationali quan-

dam subinde experimur luctam: ita poterit una eademque anima bono rationis et bono sensibili in diversas trahi partes; imo haec lucta probat animae rationalis et principii vitae sensitivae *identitatem*, cum eadem plane anima has contrarias experiatur inclinationes.

595. Ad explicanda plura Scripturae patrumque testimonia, ad quae alterius theoriae patroni provocant, adverti debet, vocem *spiritus* multiplicis esse potestatis. Designare enim potest modo ipsam *animam rationalem*, modo animam, sed secundum *nobiliores* ejus facultates; unde Augustinus passim inculcat adversus Vinc. Victorem *de anima et ejus orig.* l. 4. c. 22. n. 36. ss. »proprie dici spiritum non universam animam, sed aliquid ipsius.« Si ita distinguitur spiritus ab anima, nomine *spiritus* intelligitur anima quatenus est *principium vitae rationalis*, nomine autem *animae* eadem substantia, quatenus *animat*, informat corpus, principium est vitae sensitivae et vegetativae. Nomine spiritus saepe etiam designantur vel *charismata* s. Spiritus, quatenus sunt principium vitae spiritualis et supernaturalis; vel ipse *Spiritus s.* justos tamquam templa sua inhabitans, regens, fovens. Jam vero una ex his tribus posterioribus significationibus admissa, quaedam si vis trichotomia vere legitimeque potest concedi, atque apte omnia, quae opponi solent, Scripturae et patrum effata explicantur.

596. Alia hominis praerogativa est, quod factus sit ad *imaginem et similitudinem* seu ad imaginem similem Dei Gen. 1, 26. s. Quae imaginis ratio ei competit non ratione corporis, sed secundum animam. Si vero accuratius inquirimus, *in quo* consistat haec *imaginis ratio*, patres in diversa abire videntur. Alii enim eam constituunt in *simplicitate* vel *spiritualitate*, vel *immortalitate*; alii in *intelligendi vi*, alii *in libertate*, qua homo est suorum actuum dominus; alii distinguentes inter imaginem et similitudinem, illam reponunt in *praerogativis naturalibus*, hanc *in gratia;* alii imaginis dignitatem cernunt in *dominio*, quo homo potitur in universa, et ratione cujus vices quasi gerit Dei invisibilis hisce in terris; alii eam collocant *in virtutum exercitio*, quo Deum imitamur eique similes reddimur. Sed haec opinionum varietas non est verus dissensus; omnes enim hae sententiae se mutuo expoliunt et perficiunt, *unamque* constituunt sententiam *plenam*. Distinguatur scil. inter imaginis *essentiam, perfectionem, manifestationem* seu splendorem, quo se imago prodit, et omnia facile in harmoniam revocantur.

597. Si quaeritur imaginis *essentia*, ea continetur ipsa perfectionum summa, quibus homo bruta praecellit, seu in ejus *rationalitate;* nam eo certo continetur, quo a brutis essentialiter distinguitur et magis ad Deum accedit; hoc autem est *ratio* cum suis consectariis sc. immortalitate, libertate etc. Imaginis vero major minorve potest esse *perfectio*, quod etiam insinuant patres, cum inter imaginem et similitudinem discernunt atque statuunt, hominem ratione animae rationalis esse Dei imaginem; hanc vero imaginem perfici similitudine speciali per gratiam et virtutes[1]), in primis

[1]) Cum etiam angeli sint substantiae spirituales, gratiae donis ornati gloriaque coelesti beati, liquet et ipsis competere imaginis similitudinisque divinae

vero per virtutis exercitium (cf. Matth. 5, 44. ss.). Quare *duplex* in homine distingui potest imago, *naturalis* altera, hinc essentialis et indelebilis; altera vero *supernaturalis,* quae acquiri, perfici, sed et obscurari atque amitti potest. Imaginis denique *manifestatio,* splendor et velut quaedam actuatio continetur illo dominio, quo in creata potitur. Factus est enim ad imaginem Dei Gen. 1, 26., ut illis praesit loco Dei atque vicaria potestate. Quocirca plures patres imaginis rationem in hoc quoque *dominio* reperiunt.

Caput III.

De hominis ad statum supernaturalem elevatione et primitiva conditione.

598. Exponemus **1.** paucis *errores* de protoparentum primitiva conditione quidque hac de re doceat Ecclesia catholica; **2.** accurate evolvemus conceptus *naturae, naturalis, supernaturalis, praeternaturalis,* a quibus fere omnis disputatio dependet. Quibus praemissis **3.** ad stabiliendam doctrinam catholicam accedemus.

Articulus I.

Varii errores circa originalem protoparentum conditionem et Ecclesiae catholicae doctrina de eadem.

599. Pelagiani **1.** errarunt per *defectum;* docebant enim teste Mario Mercatore in *commonit.* super nomine Coelestii n. 1.: »Adamum mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, mortuus fuisset. Quoniam peccatum Adae ipsum solum laesit et non genus humanum. Quoniam parvuli, qui nascuntur, in eo statu sunt, in quo fuit Adam ante praevaricationem. Quoniam neque per mortem vel praevaricationem Adae omne genus hominum moritur, neque per resurrectionem Christi omne hominum genus resurgit.« A quibus non multum dissentiunt sociniani. Per *excessum* errant **2.** Lutherani, secundum quos **a.** protoparentes pluribus instructi erant donis, quibus modo caremus, quae **b.** non fuerunt supernaturalia, naturae superaddita, sed naturalia, imo essentialia; ea vero **c.** amissa sunt per peccatum originis, quo amisimus etiam liberum arbitrium; ideoque **d.** natura humana intrinsecus fuit corrupta. Fatendum tamen est, posteriores protestantes hanc doctrinam emollire, sicut fere omnes Lutheri errores. Non dissimilem **3.** doctrinam proposuit Bajus, cujus summa est: **a.** dona omnia, quibus Adamus ornatus fuit quaeque amisit peccando, ut

---

praerogativam. Idcirco autem haec praerogativa speciatim de homine praedicatur, quod magis in eo est admiranda, cum corpore mortali, quod aggravat animam, constet et admodum sit fragilis. Alias rationes addit Scheeben *Handb. der kath. Dogmatik* §. 147., secundum quem anima quadamtenus Deum plenius repraesentat quam angeli, scil. **a.** ratione informationis corporis, qua vivificam Dei in omnibus praesentiam imitatur; **b.** ratione corporis, quo animae dignitas et praestantia quasi manifestatur sicut universitate rerum manifestantur perfectiones et divitiae divinae; **c.** ratione dominii, vi cujus est centrum et caput visibilis universitatis rerum et Dei in terris vicarius.

sunt consortium divinae naturae, adoptio, integritas seu immunitas a concupiscentia, immortalitas, dona esse homini debita, debita quidem non *necessitate essentiae* (ac si essent de essentia naturae humanae), sed *necessitate exigentiae,* ut scil. finem proprium sibique innocenti debitum consequi possit; proinde **b.** hominem absque hisce donis seu prouti nunc nascitur, creari non potuisse, eoque sensu *naturalia* dici posse. Si vero **c.** hinc inde *gratia, gratuita* appellentur, *impropriam* esse locutionem; *gratiae* enim nomine ea tantum intelligi munera, quae per J. Christum male merentibus et *indignis* conferantur. Hos errores plus minus recoquunt Jansenius, Quesnellus, et synodus pistoriensis. **4.** Doctrina Hermesii ad haec redit momenta: **a.** sanctitatem christianam contineri moralitate naturali; quare **b.** ex eo, quod protoparentes fuerint conditi in sanctitate et justitia, non sequi, eos *supernaturali* quodam dono fuisse ornatos; sequi tantum **c.** facultates morales ordinatas fuisse in bonum honestum, atque concupiscentiam rationi subjectam. Propter quam **d.** bonam hominis dispositionem Deum sibi in homine complacuisse, atque in hac complacentia consistere *gratiam habitualem;* **e.** ratione hujus complacentiae exstitisse Deum inter et hominem habitum amicitiae filiationisque adoptivae, qui licet debitus, *supernaturalis* sit dicendus.

600. Doctrina *catholica* ad haec revocatur capita: **a.** conditionem Adae ante peccatum meliorem felicioremque fuisse ea, quae peccatum est consecuta. Idcirco autem **b.** fuisse meliorem, quod protoparentes donati fuerint gratia sanctificante, quae contineatur sublimatione et exaltatione in consortium divinae naturae ac adoptione in filios Dei; quod praeterea acceperint integritatem, immunitatem a necessitate moriendi et a doloribus, ac scientiam; eaque dona **c.** non fuisse debita humanae naturae quamvis innocenti, hinc non naturalia, sed praeteret supernaturalia; ideoque **d.** hominem potuisse a Deo illis donis destitutum condi.

Articulus II.

De notionibus naturae, naturalis, supernaturalis et praeternaturalis.

601. I. Natura. „Sciendum est, inquit Thomas q. disp. *de Verbo incarnato* a. 1., quod nomen *naturae* a *nascendo* sumitur, unde primo est dicta natura quasi *nascitura* ipsa *nativitas* viventium, scilicet animalium et plantarum. Deinde tractum est nomen naturae ad principium praedictae nativitatis. Et quia hujusmodi nativitatis principium intrinsecum est, ulterius derivatum est nomen *naturae* ad significandum interius principium motus . . . et quia motus naturalis praecipue in generatione terminatur ad *essentiam* speciei, ulterius essentia speciei, quam significat definitio, natura vocatur." Natura ergo **1.** *etymologice* significat originem, nativitatem, sicut vox graeca φύσις a φύω, quo sensu Paulus scribit Eph. 2, 3: *Eramus natura filii irae* i. e. ab ipsa

nativitate, ipsa origine. **2.** *Ontologice* significat ipsam *rei essentiam,* proinde quidquid rei definitione continetur; unde saepe essentia, substantia et natura promiscue adhibentur. Plerumque tamen **3.** significat essentiam sensu *dynamico,* quatenus est *principium operationis.* Quocirca non solemus loqui de natura lapidum seu generatim earum rerum, quae activitate carent. Cum vero **4.** rei essentiam in sese non cognoscamus, sed e rei proprietatibus sensibilibus ratiocinando vel conjiciendo inferamus, natura subinde designat *summam* earum *qualitatum,* per quas rei substantia se prodit, nobis innotescit et ab aliis distinguitur.

602. II. Naturale. Ex dictis variae jam hujus vocis significationes derivari possunt. Potest scil. accipi **1.** sensu *etymologico,* ut idem significet, quod *originale;* quo sensu patres praerogativas naturae humanae in Adamo superadditas subinde *naturales* vocant. Huc forte referri possunt Augustini verba *c. Faustum* l. 26. c. 3: „Id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit, a quo est omnis modus, numerus, ordo naturae." **2.** Secundum duplicem aliam naturae significationem *naturale* dicitur, quidquid vel naturam sive rei essentiam *constituit,* vel ex natura constituta *dimanat,* ad eam pertinet, vel quod natura suis viribus attingere, assequi aut *efficere potest,* vel quod eidem *debetur,* ut proprium assequatur finem. Huic acceptioni potissimum opponitur *supernaturale,* ut infra videbimus. Latiori significatione **3.** naturale dici potest, quidquid opponitur ei, quod est *contra naturam* et cum natura pugnat, ideoque significat quidquid naturae est *consentaneum,* eam ornat atque perficit. Hoc sensu gratiae dona *naturalia* dici possunt, peccatum vero *contra naturam.*

603. III. Supernaturale. Plane falsae sunt notiones, secundum quas supernaturale vel idem est ac *supersensibile,* quod sub sensus non cadit, vel id, quod non a causis secundis, sed *immediate* a Deo producitur, vel idem ac infinitum, divinum, increatum. Quare ut accurate *supernaturalis* notionem evolvamus, haec ex ordine statuimus: **1.** supernaturale est id, quod est *supra naturam:* quod proinde **a.** neque ad naturam pertinet *constitutive,* neque *consecutive,* neque *dynamice,* neque *exigitive* et *finaliter;* quod **b.** *extra naturae ambitum* ac velut atmosphaeram positum *ad naturam* jam constitutam *accedit,* eamque **c.** accessu suo, infusione sua *perficit,* perficiendo elevat atque elevando *ad altiorem transfert ordinem;* quod proinde **d.** non solum debitum *personale,* sed et debitum excludit *naturale*[1]). Quocirca **e.** dona super-

[1]) De hoc duplici debito cf. Thomam 1. 2. q. 111. a. 1. ad 2.: „Potest intelligi *duplex* debitum. Unum quidem *ex merito* proveniens, quod refertur *ad*

naturalia passim a scholae theologis et etiam a patribus *superaddita,* superapposita vocantur. Jam vero **2.** *triplex* considerari potest natura, scil. **a.** natura aliqua creata *singularis;* **b.** *universa* natura creata; **c.** universa natura *possibilis* seu creabilis. Si in supernaturalis notione *natura* accipitur primo alteroque modo, quod respectu unius naturae est naturale, relate ad alteram inferiorem poterit esse supernaturale. Si vero **3.** accipitur natura tertio sensu, quo accipienda est in hac quaestione, ubi quaeritur de eo, quod est *simpliciter* et absolute supernaturale, cum supra omnem creabilem naturam sit tantum natura divina, liquet, supernaturale contineri *participatione speciali boni divini* unius Dei proprii et naturalis[1]).

---

personam (hinc personale), cujus est agere meritoria opera, secundum illud ad Rom. 4, 4: *Ei, qui operatur, merces imputatur secundum debitum, non secundum gratiam.* Aliud est debitum *secundum conditionem naturae* (hinc naturale), puta si dicamus debitum esse homini, quod habeat rationem et alia, quae ad humanam pertinent naturam . . . Dona naturalia carent primo debito, non autem carent secundo; sed dona supernaturalia utroque debito carent et ideo specialius sibi nomen *gratiae* vindicant.‹

¹) Potest autem haec *supernaturalis* notio quoad utrumque elementum, *negativum,* secundum quod est extra et praeter naturae ambitum, et *positivum,* vi cujus natura *supra suum ordinem* elevatur, duplici modo illustrari: *primo* per analysim alicujus praerogativae supernaturalis, ut *filiationis adoptivae.* Sicut de ratione servi non est, ut sit filius adoptivus; neque haec praerogativa ipsi debetur, neque eam ullis operibus promereri potest, quamvis multam et magnam alioquin mercedem possit apud patremfamilias sibi acquirere; si vero in filium adoptatur, supra suum elevatur statum, ex servorum ordine extrahitur et transfertur in familiam, huic inseritur et particeps evadit bonorum filio debitorum atque propriorum: ita si homo per gratiam in filium Dei adoptatur, praerogativa ei conceditur, quae non est de ratione naturae *servae,* neque ei debita, quam nullo modo promereri potest suis operibus, quamvis beatitudinem aliquam naturalem mercedis instar bonis suis operibus obtinere possit, eaque super propriam suam vilitatem elevatur atque veluti ad ordinem transfertur divinum, quatenus particeps evadit illius beatitudinis et hereditatis, quae est propria Filii unigeniti: *Si filii, et heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi* (Rom. 8, 17.). Alio modo illustrari potest ex *comparatione cum incarnatione.* Libenter enim inculcant patres cum Fulgentio ep. 17. n. 15.: »Ille (Filius), quod ex prima nativitate natura non fuit, secunda nativitate per gratiam factus est, ut nos, quod primae nativitatis natura non fuimus, gratia secundae nativitatis essemus.‹ Sicut scil. Dei Filius per incarnationem *infra suam naturam* velut descendit (*semetipsum enim exinanivit* Philip. 2, 7.) factus particeps naturae humanae, se inserens humanae naturae, humano generi (*formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo*), quae natura humana est *extra, praeter* et *infra* naturam divinam, in qua erat (*cum in forma Dei esset*): ita per dona supernaturalia, quae sunt extra, praeter, et supra naturam creatam, haec attollitur ad altiorem ordinem, consors fit naturae divinae (2. Petr. 1, 4.), inseritur familiae divinae; fit enim homo filius Dei, Christi primogeniti frater atque Spiritui s. desponsatur.

604. Ut autem *supernaturalis* notio clarior ac magis distincta reddatur, eam comparemus cum notionibus affinibus. Et in primis **a.** conferatur cum *praeternaturali*, cum quo convenit quoad elementum *negans*, quod descripsimus n. **1.** lit. **a.**; differt vero in elemento *positivo:* praeternaturale enim continetur quidem bono *indebito*, sed non bono ordinis *divini;* perficit quidem naturam, sed intra suos limites; non extrahit eam *extra* suos limites neque elevat *supra* ordinem *totius* naturae, seu continetur bono huic quidem naturae indebito, sed non indebito toti naturae. Convenit supernaturale **b.** cum *gratuito*, ut species cum genere; et **c.** cum *miraculoso* in eo, quod utrumque creatas superet vires, proinde unum Deum habeat auctorem, sed non omne supernaturale est miraculosum. Cf. n. 19.

Porro τὸ *supernaturale*[1]) dividitur **a.** in supernaturale *simpliciter* et *absolute*, et in supernaturale *secundum quid* et *relative* secundum dicta n. 603; **b.** in supernaturale secundum *substantiam* seu entitatem, de quo hucusque disseruimus: et supernaturale *secundum modum*, quod continetur bono quidem naturali, sed quod modo confertur, qui excedit vires et exigentiam naturae ut sanitas miraculose restituta.

605. Quibus praemissis jam intelligi poterit, quid sit *status naturalis, supernaturalis* etc. Status ex ipsa vi nominis significat firmam et permanentem rei positionem in aliquo sibi convenienti situ; et cum de statu naturae rationalis est sermo, intelligitur conditio seu modus se habendi naturae rationalis ad Deum tamquam ad finem suum ultimum juxta divinae providentiae ordinationem. Haec vero alia atque alia esse potuit; quare varios humanae naturae status distinguunt theologi. Praecipui sunt: status naturae *purae*, in quo natura humana habet, quidquid ei debetur, et nihil habet naturae superadditum seu indebitum (n. 622.) Status naturae *integrae*, in quo ea consideratur sana et integra cum donis praeternaturalibus absque defectibus, qui naturam sponte sua consequuntur, proinde absque concupiscentiae rebellione et morte aliisque naturae morbis, non tamen cum destinatione ad finem supernaturalem. Si vero homo ad finem destinetur supernaturalem, qui omnem naturae creatae superet exigentiam, mediisque ad hunc finem consequendum opportunis instruatur, status est *supernaturalis*. Status vero ille, in quo ante lapsum fuit Adamus (n. 606. ss.) status dicitur *originalis justitiae et sanctitatis*[2]). Status naturae *lapsae* ille

---

[1]) Ex *supernaturalis* notione exposita liquet, errare Bajum sive cum normae instar statuit, ea non esse supernaturalia, sed naturalia, quae originem comitantur; sive cum contendit, *indignitatem* naturae postulari, ut gratiae dona censeri possint *supernaturalia;* nam supernaturale dicitur independenter a tempore, quo confertur, et de natura *in se* spectata, non ratione peccati, quo forte inquinetur. Errat quoque Jansenius contendens, rationem *supernaturalis* boni pugnare quidem cum debito *ex operibus* profecto, apte vero posse conciliari cum debito, quod *ex insita naturae conditione* dimanat.

[2]) Dicimus statum *originalis justitiae et sanctitatis*, quia theologi non satis inter se conveniunt in definiendo *originalis* justitiae *ambitu*. Secundum alios ea complectebatur cum immunitate a culpa dona praeternaturalia scientiae, immortalitatis, felicitatis et in primis integritatis, ita tamen, ut a gratia distingueretur; secundum alios ad eam spectabant omnia dona tam supernaturalia quam praeternaturalia Adamo collata.

est, qui lapsum Adami immediate consecutus est; qui tamen non duravit, cum mox promiserit Deus reparatorem ac proinde inceperit status naturae *reparatae,* in quo modo sumus. Verum horum statuum accuratiorem notionem disputationis progressu dabimus.

Articulus III.

Doctrina catholica de statu originali protoparentum adversus varios errores defenditur.

606. **Thesis LXXXVI.** ***Protoparentes gratia sanctificante erant ornati.***

Demonstratio. Protoparentes gratia fuisse praeditos sanctificante, dono scil. aliquo habituali, quo constituerentur Deo speciali modo grati, amici, justi, filii Dei adoptivi, heredes gloriae coelestis, pares ad hanc bonis operibus promerendam, dogma est *fidei catholicae,* ut colligitur ex conc. tridentino sess. 5. can. 1. et 2: „Si quis Adae praevaricationem sibi soli et non ejus propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam eum perdidisse etc., A. S.“

Probatur veritas catholica **1.** ex fine oeconomiae Christi, qui fuit renovare, redimere, reconciliare, restaurare genus humanum Adami peccato lapsum, nos eripere de potestate tenebrarum etc., quibus evidenter significatur praesentem humani generis conditionem non esse primitivam et originalem[1]). Quocirca Gregorius naz. or. 38. n. 23. docet: „Mysteriorum Christi omnium unum hoc caput atque unus hic scopus, nimirum mea perfectio et instauratio atque ad primum illum Adamum reditus.“ Atqui renovatio atque restauratio perficitur et continetur infusione *gratiae sanctificantis,* qua ex inimicis amici, ex filiis irae filii Dei constituimur. Ergo et hac gratia genus humanum in Adamo auctum fuit atque ornatum. Ideo Gregorius nyssenus in fine cap. 30. *de opificio hominis* occasione verborum Eph. 4, 23: „Age igitur, inquit, revertamur omnes ad divinam illam gratiam, qua rerum initio Deus hominem creatum ornavit, cum diceret: *Faciamus hominem*“ etc. Quare cum Eccl. 7, 30. dicitur Deum creasse hominem *rectum,* id debet intelligi de *rectitudine* seu justitia *supernaturali* ex gratia profecta; *recti* enim nomine *constanter* designat s. Scriptura *justum*, non eum, qui *ex* se est justus, sed *Dei gratia.*

---

[1]) Hunc fuisse incarnationis scopum colligitur ex ipsis nominibus *redemptoris, redemptionis, reconciliationis, mediatoris* etc. Cf. Rom. 3, 25. s.; 5, 12. ss.; 2. Cor. 5, 18. s.; Colos. 1, 13.: *Qui Deus Pater eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii dilectionis suae, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum* etc.

607. Eadem veritas probatur **2.** traditione et quidem **a.** ex disertis patrum verbis; ita J. Damascenus *de fide orthod.* l. 2. c. 30. scribit: „Hunc igitur hominem (primum) summus ille opifex masculum condidit divinam ei gratiam impertiens seque per eam ipsi communicans." Diserte quoque **b.** affirmant, Adamum gratiam acceptam amisisse. Ita Irenaeus l. 3. c. 23. n. 5. inducit Adamum plorantem; „Eam, quam habui a Spiritu sancto stolam sanctitatis, amisi." Ad haec **c.** conferentes insufflationem Christi Joan. 20, 22. cum inspiratione Dei Gen. 2, 7. docent cum Severiano Gabalorum episcopo or. 5. *de mundi creat.* n. 5: „Eam, quae perierat Adami insufflationem, Christus restituit, et factus est rursus homo in animam viventem." Ita Basilius *de Spiritu s.* c. 16. n. 39: „Dominus renovans hominem eique *iterum* reddens gratiam, quam ex afflatu Dei acceptam amiserat, cum inspirasset in faciem apostolorum, quid ait?" etc.

608. **Thesis LXXXVII.** ***Inter bona protoparentibus collata numerari debet immunitas a concupiscentia.***

Declaratio. Ut *integritatis* donum rite intelligatur, paucis *concupiscentiae* morbum, cui illa medebatur, explicabimus. *Concupiscentiae* nomine significatur vel **1.** generatim *quicunque appetitus boni,* quo sensu loquuntur theologi *de amore concupiscentiae* etiam respectu Dei; vel **2.** *appetitus boni sensibilis;* vel **3.** in specie *pronitas* illa, qua appetitus fertur in bona sensibilia contra rationis ordinem, quo praecipue sensu hac in disputatione accipitur; atque ita accepta continetur **a.** prosecutionibus aversationibusque bonorum malorumque sensibilium, quae **b.** sponte sua consequuntur apprehensiones sensiles, praevertunt vero **c.** rationis deliberationem suoque **d.** illicio nituntur voluntatem ad consensum pellicere; qua **e.** non consentiente pugna oritur inter partem hominis superiorem seu rationalem et inferiorem seu animalem; ejusmodi vero **f.** appetitiones partis inferioris junctae sunt immutationibus in corpore, quae illis respondent, et quibus corpus paratum redditur ad id assequendum vel aversandum, quod concupiscentia appetit vel aversatur, quos motus **g.** ratio pro arbitrio compescere nequit. Distinguitur autem concupiscentia in *habitualem* et *actualem* pro pronitate habituali vel actuali ad concupiscendum[1]).

609. Quod si quaeritur, utrum concupiscentia sit *mala,* haec teneantur: **a.** concupiscentiam in praesenti rerum ordine esse malum *poenae,* quod consecutum est Adami peccatum; **b.** malum esse, quatenus est quaedam *imperfectio* consistens in defectu physico; non autem **c.** malum esse *morale* seu peccatum proprie dictum, nam hoc continetur actu *libero,* motus vero

---

[1]) Distingui potest concupiscentia *duplex,* altera apetitus *sensitivi,* quam descripsimus; altera, quae huic analogice respondet, voluntatis *rationalis* inferioris. Secernunt enim theologi post Augustinum in ipsa rationalitate *duplicem* rationem, ideoque etiam duplicem appetitum seu voluntatem, *superiorem,* qui fertur in bona superiora, spiritualia, divina; et *inferiorem,* qui tendit in bona naturae humanae congrua quidem, sed inferioris ordinis, ut sunt honores, fama propria etc. Jam vero sicut appetitus sensitivus adversatur saepe rationi generatim: ita voluntas rationalis inferior voluntati superiori. Ratio generatim spectata se habet ad partem hominis inferiorem ut homo ad animal; ratio superior ad inferiorem, ut vir ad uxorem.

concupiscentiae praevertunt deliberationem, et nonnisi accedente libero voluntatis consensu paritur peccatum; nihilo minus **d.** in ordine moralitatis concupiscentiae motibus quandam inesse *malitiam,* non quidem *formalem,* sed *materialem,* tum quia plerumque sunt contra rationem seu moralitatis normam; tum quia destituuntur rationis ordine, rationis deliberationem nutumque praevertendo atque irrefrenate in sua tendendo objecta; tum quia ad peccatum alliciunt. Quare **e.** cum concupiscentia a Paulo vocatur *peccatum* Rom. 7., s. Augustini l. 1. *de nuptiis et concup.* c. 23. n. 25. notentur verba: »Vocatur *peccatum,* quia peccato facta est, cum jam in regeneratis non sit peccatum: sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua; et manus vocatur scriptura, quam facit manus. Idemque sic vocatur peccatum, quia peccatum, si vincit, facit: sicut vocatur frigus pigrum, non quod a pigris fiat, sed quod pigros faciat.« Consistebat ergo donum *integritatis* in perfecto rationis dominio, vi cujus ita obnoxiam sibi habebat partem inferiorem, ut hujus motus nunquam praeverterent turbarentque suo impetu rationis deliberationem, sed penderent a rationis nutu, adeo ut ab ea pro lubitu potuerint excitari atque semel excitati etiam comprimi. Cum autem vi hujus doni perfecta regnaret harmonia et concordia in homine inter partem inferiorem et superiorem exsularetque illud dissidium, quod excitat concupiscentia, aptissime dictum est donum *integritatis.*

610. **Demonstratio.** Probatur thesis **1.** ex Gen. 2, 25: *Erat autem uterque nudus, Adam scil. et uxor ejus, et non erubescebant;* coll. 3, 7: *Et aperti sunt oculi amborum; cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata;* v. 11: *Quis indicavit tibi, quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo praeceperam tibi, ne comederes, comedisti?* ex quibus liquet **a.** protoparentes iis in adjunctis fuisse a concupiscentia immunes, in quibus homines reliqui eidem sunt obnoxii; idque **b.** diserte notari tamquam quid singulare, cessasse vero **c.** quo primum peccarunt, et quidem **d.** nexu causali et in poenam peccati. Ergo ante peccatum dono integritatis erant praediti. Hoc argumento libenter utuntur patres praesertim adversus pelagianos. **2.** Paulus Rom. 7, 7. ss. concupiscentiam vocat *peccatum;* atqui ita eam non appellasset, si esset consequens naturam humanam, prout a Deo fuit creata; eoque minus, quod Eccles. 7, 30. dicatur Deus fecisse hominem *rectum,* et ipse affirmet, per hominem peccatum in hunc mundum intrasse Rom. 5, 12. Ergo eatenus eam peccatum vocat, quatenus est vel peccatum *formale,* quod a nullo prudente theologo admittetur; vel quatenus tantum *inclinat ad peccatum,* quae causa, ratione habita Eccles. 7, 30. et Rom. 5, 12., non videtur *sufficiens,* ut id, quod sponte sua consequitur naturam tanta cura a Deo institutam (Gen. 1, 26; 2, 7.), vocetur peccatum; vel denique quia, ut conc. tridentinum declarat sess. 5. can. 5. „*ex peccato est et ad peccatum inclinat,*" quae una ratio satisfacit. Ergo si concupiscentia est sequela peccati, ante peccatum ea carebant protoparentes. Denique

3. id probatur ex controversia cum pelagianis, contra quos catholici duce Augustino strenue tuebantur, Adamum fuisse integritatis dono insignem. „Credimus itaque, scribit Petrus diaconus *ad epp. Africae* n. 15., bonum et sine ulla carnis impugnatione a Deo creatore omnium factum Adam."

611. **Thesis LXXXVIII.** ***Alterum protoparentum bonum fuit donum immortalitatis corporis, quo possent non mori, et mortui revera non essent, si conditionem divinitus statutam sancte servassent.***

Demonstratio. Thesis est *de fide,* ut patet ex pluribus Ecclesiae definitionibus, ex. gr. conc. plenarii carthaginiensis can. 1: „Ut quicunque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore h. e. de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturae, A. S." Probatur autem ejusdem veritas non solum ex controversia catholicorum cum pelagianis sec. V., qui propterea quoque damnati sunt, quod docuerint, Adamum creatum fuisse mortalem, adeo ut etiamsi non peccasset, mortuus esset; sed etiam ex divinis literis, quae clare docent, mortem esse sequelam et fructum primi peccati; Sap. 2, 23: *Deus creavit hominem inexterminabilem et ad imaginem similitudinis suae fecit illum.* Quis ergo illum non solum secundum animam, sed et secundum corpus *exterminavit? Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Rom. 5, 12: *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit;* 1. Cor. 15, 21. s.: *Quoniam quidem per hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum.* Unde clare excluditur effugium eorum, qui contendunt sermonem esse tantum de morte *spirituali;* nam licet et haec ex Adamo in omnes fuerit propagata, hisce tamen in locis intelligenda est praecipue vel etiam mors *corporis:* nam Paulus in toto capite disputat de resurrectione *corporum.* Quod effugium adhuc clarius excluditur Rom. 8, 18: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem.* Eccli. 25, 33: *A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur;* quae intelligi nequeunt de morte spirituali.

612. Eadem veritas colligitur ex Gen. 2, 17: *In quocunque die comederis ex eo* (ligno scientiae boni et mali), *morte morieris:* quae quamvis intelligi possint etiam de morte *spirituali,* explicanda sunt quoque de morte *secundum corpus,* ut patet **a.** ex sensu obvio verborum; **b.** quia rationem continent *sanctionis;* **c.** ex locis parallelis, quos jam adduximus; **d.** ex exsecutione Gen. 3, 17. ss.: *Quia audisti vocem uxoris tuae et comedisti de ligno . . . in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es: quia pulvis es et in pul-*

verem reverteris; neque obstat, quod de morte sermo sit incurrenda *ipso die*, quo Adamus peccaret. Nam verba: *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris,* apte omnino ita explicantur: *morti eris obnoxius,* vel eris mortalis, vel mori incipies. Proinde *morte morieris* illico secundum animam eodemque instanti debitum incurres mortis secundum corpus, eris mortalis incipiesque mori.

613. Hisce bonis adjunxit Deus singularem scientiam, ut colligimus ex Eccli. 17, 1. ss. et ex iis, quae legimus Gen. 2, 19: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terrae et universis volatilibus coeli, adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea: omne enim, quod vocavit Adam animae viventis, ipsum est nomen ejus* (ad amussim illi conveniens, undequaque aptum). *Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, et universa volatilia coeli et omnes bestias terrae;* quae impositio nominum iis in adjunctis insignis plane scientiae est specimen. »Ipse Pythagoras, refert Augustinus *operis imperf.* l. 5. c. 1., a quo philosophiae nomen exortum est, dixisse fertur, illum fuisse omnium sapientissimum, qui vocabula primus indidit rebus.« Et revera character proprius Adami, qui a Deo non solum constitutus fuit principium humani generis in ordine *physico* ratione generationis, sed etiam in ordine *ethico, sociali* et *theologico* ratione institutionis, exigebat, ut par esset tanto muneri, scientiam non quamcunque, sed plane insignem, quam promovebat etiam felix ipsius conditio. Quam ob rem scribit Augustinus *op. imperf.* l. 5. c. 1: »Quis dubitet christianus eos, qui in hoc seculo erroribus aerumnisque plenissimo ingeniosissimi apparent, quorum tamen corruptibilia corpora aggravant animas, si illius (Adami) ingenio comparentur, distare longe amplius quam celeritate a volucribus testudines distant[1]).« Haec omnia voluit Deus cumulata singulari prorsus felicitate, qua protoparentes ab omnibus aerumnis et doloribus essent soluti iisque abundarent, quae vitae suavitatem conciliant: quod colligitur partim ex dictis, partim ex descriptione primitivae conditionis protoparentum Gen. 2, 8. ss. coll. 3, 16. ss. Hujus fidei etiam apud gentes reperiuntur vestigia, cum auream quandam aetatem hanc nostram praecessisse plus minusve persuasum habuerint.

614. **Thesis LXXXIX.** ***Recensita bona super et praeter naturam fuerunt, proinde naturae humanae indebita.***

Demonstratio. Thesis statuitur adversus Lutherum, Bajum, Jansenium, Quesnellum etc., qui contendunt, ea dona fuisse protoparentibus *naturalia* vel saltem *debita.* Ea quidem non est *fidei dogma,* doctrinam tamen continet omnino *catholicam,* ut colligitur ex

---

[1]) Quare rejici debet quorundam opinio, secundum quam protoparentes conditi sunt in statu plane *rudi* et *imperfecto,* adeo ut essent *infantium* instar. Potest tamen eorum conditio infantilis dici vel **1.** ratione *novitatis* status, ideoque si vis ratione aetatis; vel **2.** ratione *perfectionis consequendae;* vel **3.** ratione *innocentiae* et simplicitatis, quam Christus commendat et exigit dicens Matth. 18, 3.: *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum;* vel **4.** ratione immunitatis a stimulo concupiscentiae.

censura Pii VI., qua declaratur „doctrina synodi (pistoriensis n. 16.) de statu felicis innocentiae, qualem eum repraesentat in Adamo ante peccatum, complectentem non modo integritatem, sed et justitiam interiorem cum impulsu in Deum per amorem caritatis atque primaevam sanctitatem aliqua ratione post lapsum restitutam; quatenus complexive accepta innuit, statum illum sequelam fuisse creationis, debitum ex naturali exigentia et conditione humanae naturae, non gratuitum Dei beneficium: *falsa,* alias *damnata* in Bajo et Quesnello, *erronea, favens haeresi pelagianae*[1])."

615. Probatur autem **1.** hac ratione: Adamus dona, quae praecedentibus thesibus ipsi vindicavimus, peccando amisit. Atqui peccando nihil amisit *naturale;* ergo haec dona non erant naturalia. Eum autem nihil amisisse naturale, adeo certum visum est scholae, ut eo asserto uteretur tamquam *demonstrationis principio.* Ita passim s. Thomas, qui 1. p. q. 95. a. 1. statuit: „Manifestum est autem, quod illa subjectio corporis ad animam et inferiorum virium ad rationem non erat *naturalis:* alioquin post peccatum mansisset, cum etiam in daemonibus data naturalia post peccatum permanserint, ut Dionysius dicit c. 4. *de div. nominibus.*" Pariter patres in disputatione cum monotheletis supponebant, manente natura, manere naturalia; ideoque inferebant, Christum eo ipso humanam habere voluntatem, quod humanam assumpserit naturam. Confirmatur haec illatio efficaci *analogia*: in praesenti enim rerum ordine ob peccata actualia non solent amitti dona naturalia, sed *supernaturalia,* gratia scil. sanctificans. Ergo *a fortiori* non privabitur *universum* genus humanum propter peccatum *originale* minus ad ipsum spectans, quam peccatum actuale ad singulos, bonis naturalibus, sed bonis tantum supernaturalibus atque indebitis.

616. Probatur 2. ex donorum *praestantia.* Sane *gratiam sanctificantem* non esse praerogativam naturalem et debitam, sed *indebitam plane* et supernaturalem colligitur ex effectibus ejusdem *formalibus,* quorum ipsa sua inhaesione est causa. Per eam enim constituimur

---

[1]) Sane damnatae sunt propositiones Baji, „21. Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis; 23. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali et gratuito supra conditionem naturae suae fuisse exaltatum, ut fide, spe et caritate Deum supernaturaliter coleret; 24; 26. Integritas primae conditionis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis ejus conditio; 78. Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio;" Quesnelli 35: „Gratia Adami est sequela creationis et erat debita naturae sanae et integrae."

a. filii Dei adoptivi: atqui adoptio bonum est nulli naturae debitum. Cf. n. 603. annot. Quapropter toties patres inculcant nos *non natura,* sed *gratia* esse Dei filios. Constituimur **b.** Dei amici. „Quid autem majus, ait Cyrillus alex. l. 10. *in Joan.* c. 23., quid clarius, quam Christi amicum et esse et appellari? Excedit haec dignitas naturae humanae terminos. Omnia enim serviunt Creatori, ut ait psalmista, nec quidquam est, quod jugo servitutis non subjiciatur. Quod cum ita sit, ad *supernaturalem* gloriam Dominus servos suos mandata sua servantes redigit, non servos, sed amicos appellans et ut amicos in omnibus tractans." Constituimur **c.** heredes Dei et coheredes Christi; atqui naturale censeri nequit creaturae jus habere ad bona propria Dei, ad bona Domini et regis nostri. **d.** Per gratiam *deificamur* divinaeque naturae reddimur consortes, ut praeeunte Petro 2. ep. 1, 4. patres passim docent. Ita Augustinus in Ps. 49. n. 2: „Manifestum est ergo, quia homines dixit deos (Ps. 82, 6.) ex gratia sua deificatos... Si filii Dei facti sumus, deificati sumus; sed hoc est *gratiae* adoptantis, *non naturae* generantis." Atqui deificatio appellari nequit, nisi participatio eorum bonorum, quae sint *supra naturam;* quousque enim bona debita sunt naturae humanae ejusque comprehensa ambitu, homo iis praeditus non est nisi homo, neque consors altioris naturae. Ergo deificatio seu participatio divinae naturae dici nequit *ulli creaturae,* licet innocentissimae, licet angelicae, debita vel naturalis. „Supernaturalis proin dicenda est, infert conc. coloniense l. c., gratia illa sanctificans, qua homo adeo supra suam conditionem elevabatur, ut filius Dei esset per adoptionem fieretque idoneus, qui felicitatem illam consequeretur, quae cum in Dei cognitione intuitiva consistat, omnem hominis facultatem naturalem transcendit."

617. Quare reliqua quoque dona non erant naturalia et debita. Nam naturalia non pendent a supernaturalibus, ut patet *ex rei natura* et ex *analogia* praesentis ordinis, in quo naturalia non pendent a supernaturalibus. Atqui haec dona ex positiva saltem Dei voluntate pendebant quoad ipsorum conservationem a gratia sanctificante, qua amissa, mox perierunt. Ergo non fuerunt dona naturalia et debita; quia autem naturam humanam per se ad altiorem non transferebant ordinem, sed nonnisi intra suos perficiebant limites, *praeternaturalia* apte meritoque dicuntur (cf. n. 604.). Praeterea ex Gen. 3, 19: *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es: quia pulvis es, et in pulverem reverteris*, liquet, donum immortalitatis non fuisse naturale et debitum; mors enim exhibetur ut naturalis sequela ipsius originis et conditionis humanae. Si vero illa non est naturalis, neque ipsa immunitas a doloribus, neque illa

discendi facilitas, quae intime connexa sunt. Quare analogia ducimur ad conjiciendum, neque integritatem fuisse naturalem et debitam.

618. Praeterea **3.** si haec bona essent debita naturae humanae innocenti et nunc tantum ratione indignitatis nostrae indebita et supernaturalia, hac indignitate per baptismum ablata et deleta, jam iterum fierent debita et consequenter naturalia. Atqui hoc citra manifestum errorem affirmari nequit. Ergo neque olim fuerunt debita et naturalia. Quod **4.** docent patres, quoties vel illa dona *non naturae* sed *gratiae* adscribunt, vel affirmant, hominem peccando gratiae veste fuisse nudatum gratuitisque spoliatum, quam doctrinam ita expressit Lombardus in 2. dist. 25. n. 8: „Hic (Adam) est enim ille, qui a latronibus vulneratus est et spoliatus (respicit parabolam Luc. 10, 33. ss.), vulneratus quidem in naturalibus bonis, quibus non est privatus, alioquin non posset fieri reparatus: spoliatus vero gratuitis, quae per gratiam naturalibus addita fuerant;" brevius etiam Athanasius *de incarn.* n. 4: „Praecepti transgressio illos *ad propriae naturae conditionem* revocavit."

619. **Corollaria.** Si haec dona fuerunt naturae humanae indebita, potuit homo etiam absque illis creari. *Potuit ergo* **1.** *Deus creare hominem, quin eum gratia sanctificante ditaret.* Et revera eatenus tantum affirmare liceret, hominem *sine gratia* sanctificante creari non potuisse, quatenus ea includeretur notione sive Dei creantis, sive naturae humanae creatae. Atqui ea nec continetur Dei creantis notione, quae differt a notione Dei se amici et patris instar communicantis et in filium adoptantis; nec notione naturae humanae creatae, quae qua creata rationem potius habet *servae* quam *filiae*[1]).

620. *Potuit Deus* **2.** *Adamum creare absque integritatis dono;* quod Scheeben in adnot. ad a. 1. praeclari l. Casini *quid est homo* ita confirmat: »Si Deus modo, cum nos tamquam membra Christi infinita et ineffabili caritate complectitur (ob quam Apostolus exclamat: *Si Unigenitum Filium pro nobis dedit, nonne cum ipso omnia donavit?* Rom. 8, 32.), istam pravitatem in nobis relinquit, ut sit nobis occasio majoris victoriae atque gloriae: quomodo dicas, Deum natura ipsa exigente ab initio eam ex debito removere debuisse, praesertim cum natura per se amorem infinito minorem mereatur, quam is sit, quem modo, licet post demeritum Adae, per merita

---

[1]) Excipi tamen posset: Id debitum et naturale censeri debet, quod Deus *nonnisi intuitu peccati* creaturis potest denegare. Atqui Augustinus contra pelagianos disputans passim inculcat, Deum creaturis nonnisi intuitu peccati negare gratiam, adoptionem, regnum coelorum. Ergo haec naturae innocenti sunt naturalia, vel saltem debita. Verum Augustinus loquitur *de ordine historico*, de ordine a Deo libere instituto, in quo haec homini innocenti erant debita, sed non ex rerum naturis, ut censuit Lutherus; non ex creaturae rationalis exigentia ad finem suum consequendum, ut opinati sunt Bajus et Jansenius, sed *ex libero Dei decreto*, quo voluit homines ex mera gratia in filios adoptare ac beatitudinis suae reddere participes.

infinito majora novi Adami promeretur?« Ad rem quoque docet s. Thomas, in 2. sent. d. 31. q. 1. a. 2. ad 3: »Poterat Deus a principio, quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terrae formare, quem in conditione naturae suae relinqueret, ut scil. mortalis et passibilis esset, et pugnam concupiscentiae ad rationem sentiens: in quo *nihil humanae naturae derogaretur,* quia hoc ex principiis naturae consequitur; non tamen iste defectus in eo rationem culpae et poenae habuisset, quia non per voluntatem iste defectus causatus esset[1].«

621. *Potuit Deus* **3.** *hominem ita creare, ut idem esset obnoxius tam doloribus et aerumnis, quam ignorantiae et morti;* quod corollarium simili ratione probatur ac praecedens. Et sane si optime conciliari potest cum divina sapientia et bonitate Dei permissio, qua vel sanctissimos viros, filios suos carissimos, imo vel immaculatissimam Filii sui unigeniti matrem, gravibus permisit esse obnoxios miseriis ipsique morti: affirmari nequit, naturae *servae,* quamvis innocenti, deberi immunitatem a quavis miseria[2]) etc.

622. *Quare* **4.** *possibilis est status naturae purae.* Ut rite intelligatur, quid sit status *naturae purae,* advertatur **1.** naturae *puritatem* tolli posse tum *subtractione,* eorum scil. quae naturae, ne sit in se manca, sunt debita,

---

[1]) Ad *difficultates* solvendas advertatur **1.** Deum non teneri ad *optimum,* proinde nec ad *omnes* tollendos *defectus,* qui sponte sua consequuntur naturam creatam, cujusmodi est concupiscentia. Tunc **2.** esset difficultas, si concupiscentia rationi *nullatenus* subesset, vel ad peccandum *necessitaret,* vel si Deus *nulla* suppeditaret ad eam vincendam auxilia necessaria; horum autem nihil affirmare licet. Prae oculis habeatur **3.** vitam praesentem non esse stadium *quietis* et *felicitatis,* sed stadium *vere agonis* verique certaminis, in quo nonnisi *strenue* pugnantes praemium assequantur aeternum; concupiscentiam autem occasionem esse *multiplicis boni,* meriti virtutumque exercitii. Idcirco vero **4.** patres, Augustinum nominatim, concupiscentiam exhibere ut *vitium* et *morbum,* non solum quod sit defectus quidam et veluti rubigo (sed naturalis) naturae humanae, sed praesertim quod loquantur de ordine *praesenti* et *historico,* in quo ea est *fructus peccati, rebellio* propter excussum rationis jugum, cui prius erat et secundum institutionem primitivam Dei debebat esse obnoxia, *anomalia* quaedam, ratione habita illius praestantissimi archetypi, secundum quod homo creatus fuit a Deo. Neque **5.** *pudor,* qui concupiscentiam comitatur, probat, eam tali infici malitia, ut non potuerit permitti in creatura innocenti; ille enim partim prodit ejus originem ex peccato, partim est naturalis; solemus enim pudore affici propter alios quoque defectus ab omni labe immunes. In primis vero **6.** est inculcandum, de concupiscentia, *qualis esset vi conditionis* in statu naturae integritatis dono destitutae, *non judicari* legitime ex concupiscentiae aestu et effrenata libidine, qua *modo* persaepe inficitur. Nam negari nequit concupiscentiae vehementiam *pendere quam plurimum a causis quibusdam particularibus;* ab ipsis *parentibus, educatione, occasionibus,* in quibus aliquis versatur, peccatis actualibus commissis etc.

[2]) Verum hic iterum *serio* expendatur, plurimas miserias, quae *modo* affligunt genus humanum, non esse sequelas (immediatas), quae *necessario* consequantur naturam humanam *vi conditionis suae,* sed sequelas *peccatorum actualium, malitiae* et *perversitatis humanae.* Quare *praepostere* ex statu *historico* et actuali miseriae humanae infertur, qualis ea esset *vi status naturae purae.*

connaturalia; tum *additione* eorum, quae sunt *supra* et *praeter* naturam, ut gratiae sanctificantis, immortalitatis, sive etiam peccati vi originis ipsi inhaerentis. *Positive* autem **2.** naturae puritatem exigere ea *omnia* et ea *solum,* quae continentur *idea hominis* in ordine *metaphysico, physico, ethico* et *finali* seu eudaemonico considerati; proinde ea omnia quae *necessaria* sunt, ut homo non solum vitam *physicam* degere possit, sed etiam vitam *moralem,* ad quam requiruntur sufficiens cognitio (seu cognoscendi possibilitas) legis moralis et potentia (sive proxime sive saltem remote) sufficiens eam servandi; requiri etiam media *vere* et *relative sufficientia* ad consequendam beatitudinem *naturalem,* indigentiae, exigentiae et desiderio (vere) naturali *undequaque* convenientem[1]). Hujus vero status possibilitas post ea, quae hucusque diximus est manifesta. Immerito enim in dubium revocatur possibilitas illius status naturae humanae, in quo ea haberet *omnia,* quae continentur ejus *notione* eique debentur in ordine *metaphysico, physico, ethico* et *finali,* et in quo careret donis omnibus *indebitis.* Atqui hic est ipse status naturae purae. Ergo status naturae purae merito judicatur *possibilis.* Jure ergo damnata fuit prop. 55. Baji: „Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.“

Caput IV.

De Adami lapsu lapsumque consecuta miseria.

623. Tribus articulis omnia complectemur, quae ad tristem illum spectant statum, qui felicem protoparentum conditionem propter eorum peccatum est consecutus. Probabimus scil. **1.** Adamum lapsu suo universae nocuisse propagini, quam *peccato* infecit; **2.** in hujus peccati *naturam* inquiremus ejusque **3.** expendemus *sequelas.*

Articulus I.

De Adami lapsu deque peccati originalis in omnes homines transfusione.

624. Quae Adami lapsum spectant, paucis expediemus. Certum est **1.** *Deum protoparentibus praeceptum tradidisse* servandum. Gen. 2, 16. s.: *Praecepit ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Cf. 3, 3. 11. 17; Rom. 5, 18. Illos **2.** legem esse *transgressos* pariter est manifestum ex Gen. 3.

---

[1]) Haec omnino sunt tenenda, ut habeatur *genuina* et *rationalis* status naturae purae notio. Quare ad rem em. card. Franzelin *de habitudine rationis humanae ad divinam fidem* c. 4. §. 3. scribit: „Sine dubio falluntur, qui praesentem ordinem providentiae cum statu naturae purae ita comparant, ut statum praesentem considerent detractis omnibus auxiliis supernaturalibus et nullis substitutis aliis, quam quae nunc sunt adjutoriis naturalibus, tum talem fore statum purae naturae sibi persuadent.“

Peccatum **3.** *Adami plane fuisse gravissimum,* ut patet **a.** ex *solemnitate,* qua fuit impositum praeceptum; **b.** ex *facilitate* illud servandi; **c.** ex *sanctione* adjecta, et **d.** ex praecepti *scopo,* qui erat, ut Adamus praecepti observantia supremum Dei testaretur et profiteretur dominium. Violata lege **4.** *protoparentes felici,* in quo conditi erant, *statu excidisse,* iram indignationemque Dei incurrisse, originalem justitiam et sanctitatem amisisse atque secundum corpus et animam in deterius commutatos esse, ut docet conc. tridentinum sess. 5. can. 1., probatur ex Gen. 3. et ex disputatione catholicorum cum pelagianis.

625. *Adamum* **5.** *transgrediendo legem non solum sibi sed universae quoque nocuisse propagini,* quod est dogma fidei catholicae contra pelagianos semper defensum. Quare conc. tridentinum sess. 5. can. 2. statuit: „Si quis Adae praevaricationem sibi soli, et non ejus propagini, asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum, mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animae, A. S.“ Nondum autem accuratius inquirimus in damni ab Adamo generi humano illati *naturam.*

Et sane certum est, voluisse Deum, ut *praerogativae* Adamo concessae *transirent in posteros*; nam **1.** naturae immediate a Deo creatae fuerunt exemplarium archetyporum instar pro qualibet specie, adeo ut ad eum typum esse deberent expressa, quotquot temporis cursu illius speciei orirentur individua. Idem colligitur **2.** ex *incarnationis fine,* qui fuit in primis *reparatio ruinae* per Adamum illatae; non fuit ergo haec *particularis, personalis,* unius Adami, sed *universalis, totius* naturae; proinde et ordo a Deo in Adamo institutus fuit *universalis,* omnibus ex ipso nasdituris communis. Probatur **3.** maxime ex controversia cum pelagianis, contra quos semper defensum fuit, ordinem, in quo nascimur, non esse *primitivum,* non fuisse a Deo primario intentum, sed peccati Adami esse sequelam. Merito proinde ait s. Hilarius apud Augustinum l. 2. *contra Jul.* c. 8. n. 27: „In Adae offensa *generositatem* primae et beatae illius creationis amisimus;“ et Anselmus *de conceptu virgin.* c. 23: „In tanta gratiae altitudine positus (Adamus) bona, quae sibi et illis (posteris) servanda acceperat, sponte deseruit; idcirco filii perdiderunt, quod pater illis, cum servando dare posset, non servando abstulit.“

626. **Thesis XC.** ***Damnum ab Adamo generi humano peccato illatum, eo continetur, quod in omnes suos posteros transfuderit non solum mortem poenasque corporis, quas incurrit, verum etiam peccatum.***

Declaratio. Peccatum originis negarunt ineunte sec. V. Theodorus mopsuestenus, hujus haeresis praeformator, Pelagius et Coelestius,

secundum quos verba Pauli Rom. 5, 12. dicentis, peccatum per Adamum intrasse hunc in mundum, omnesque peccasse in Adamo, non sunt intelligenda de peccato aliquo generatione transfuso, sed de peccato mali exempli, quo Adamus peccatoribus praeivit, quodque omnes qui peccant imitantur; quapropter *mortis* nomine per peccatum ingressae mors designatur non corporalis sed *spiritualis.* Potiora eorum argumenta paucis proponit Augustinus *de peccat. meritis et remiss.* l. 3. c. 2. s.: »Si Adae, inquiunt, peccatum etiam non peccantibus nocuit, ergo et Christi justitia etiam non credentibus prodest, quia similiter, imo et magis dicit (Apostolus) per unum salvari, quam per unum ante perierunt . . . Deinde ajunt: Si baptismus mundat antiquum illud delictum, qui de duobus baptizatis nati fuerunt, debent hoc carere peccato; non enim potuerunt ad posteros transmittere, quod ipsi minime habuerunt. Illud quoque accedit, quia si anima non est ex traduce, sed sola caro, ipsa tantum habet traducem peccati et ipsa sola poenam meretur: injustum esse dicentes, ut hodie nata anima non ex massa Adae tam antiquum peccatum portet alienum. Dicunt etiam, nulla ratione concedi, ut Deus, qui propria peccata remittit, imputet aliena.« Peccatum originale, aliis omissis negarunt etiam arminiani et sociniani.

Thesis continet *dogma* religionis christianae *fundamentale,* nam »hoc qui negat, inquit Augustinus, ipsa christianae fidei subvertere fundamenta conatur.« Quapropter saepius ab Ecclesia solemniter fuit definitum et inculcatum, nominatim tota sess. 5. synodi tridentinae, cujus can. 2. cf. 625; can. vero 4. statuitur: »Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam, unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis, in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur; A. S.: quoniam non aliter intelligendum est id, quod dixit Apostolus (Rom. 5, 12): *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*[1]): nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit: propter hanc enim regulam fidei ex traditione apostolorum etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* (Joan. 3, 5.).« Modo autem

---

[1]) Circa haec verba adverte **1.** vocem *peccati* non accipi hic *metonymice* pro *morte* miseriisque humanis, ut contendunt Julianus et zwingliani; ab his enim distinguitur ut *causa: et per peccatum mors;* neque pro *vitiositate* (secluso peccato), nam non ita accipitur vox *ἁμαρτία* v. 13. et 14; multo minus v. 15. ss., ubi dicitur *delictum,* opponitur *justitiae,* quae ex Christo in nos redundat; exhibetur ut forma, qua constituimur peccatores v. 19., sicut justitia constituimur justi. *Mortis* vero nomine **2.** non designari *exclusive* mortem *spiritualem;* sed mortem *corporalem* vel unice vel praecipue (cf. n. 611. s.). **3.** verba ἐφ' ᾧ *in quo,* juxta leges sanae interpretationis, incolumi manente dogmate catholico de peccato originali, reddi posse *eo quod.*

tantum de peccati cujusdam, quod generatione transfunditur exsistentia solliciti, nondum in ejus essentiam inquirimus.

627. **Demonstratio.** Locus *classicus*, quo semper catholici usi sunt ad peccatum originale probandum, legitur Rom. 5, 12. ss. Verba v. 12. cf. n. praeced., ex quibus hoc eruere licet argumentum: Ex verbis Pauli sequitur **a.** tantum patere peccatum, quantum pateat mors; **b.** omnes qui moriuntur, peccasse et idcirco omnes mori, *eo quod* peccaverint. Atqui etiam infantes moriuntur. Ergo et ipsi peccarunt; sed non peccato proprio et actuali. Ergo in Adamo (in quo omnes peccaverunt), cujus peccatum in omnes pertransiit, quo infecti nascuntur jam *filii irae* Eph. 2, 3. atque idcirco morti obnoxii. „Omnes, inquit Augustinus *c. Jul.* l. 4. n. 104., qui nondum nati nihil per proprias voluntates agere poterant vel boni vel mali, in uno potuerunt peccare, in quo per rationem seminalem erant, quando ille propria voluntate peccatum illud grande peccavit naturamque in se vitiavit, mutavit obnoxiavitque humanam."

628. Confirmatur haec illatio v. 18. s.: *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi.* Advertatur autem, hos *multos* (οἱ πολλοί) non opponi *omnibus* hominibus, sed *uni,* per quem sive lapsi sive reparati[1]) sunt; hinc sunt *universa multitudo* quique alibi dicuntur *omnes:* quocirca promiscue hic dicuntur *multi* et *omnes.* Ita vero instituimus

[1]) Neque obstat, quod non *omnes* homines in Christo et per Christum justificentur, sed tantum *multi.* Nam **1.** ut diximus, *omnes* opponuntur *uni.* Atqui sicut omnes, qui nascuntur ex Adamo, moriuntur et condemnationi sunt obnoxii: ita *omnes* prorsus, qui ex Christo regenerantur, justificantur, et nullus est justorum qui per Christum non justificetur. Ergo perfectus est parallelismus, dummodo ratio habeatur *conditionis* in utroque membro: *nativitatis* et *regenerationis;* sicut enim illa ratio est *contrahendi delicti,* ita haec ratio est *accipiendae salutis et justitiae.* Quod autem *lapsi* et *regeniti* non sint aequales *numero,* inde oritur, quod conditio participandi lapsum, nativitas ex Adamo, non pendeat a nobis: conditio vero consequendae justificationis i. e. regeneratio pendeat a *libero* arbitrio hominum. Sed et quoad *extensionem* potest reparatio dici *aequalis* ruinae, quatenus Christus, quantum est *ex se,* pro *omnibus* est mortuus: hinc *per unius hominis justitiam in omnes* omnino *homines in justificationem* sive *actu* sive *virtute,* quantum est ex parte Christi: sicut verissime dici potest, Adamum actu multos infecisse peccato, sed *virtute* et *quantum est ex se* longe plures, in hypothesi scil. si plures gignerentur homines; omnes enim illos, quantum est ex se, infecit, *qui possent ex ipso gigni.* Quemadmodum ergo hi actu non inficiuntur, quia non adimpletur *generationis conditio:* ita illi actu non justificantur, qui ex Christo non regenerantur, non ex defectu virtutis in Christo, sed ex conditionis defectu.

argumentum: „Teste Apostolo ita homines constituuntur Adami inobedientia peccatores, sicut Christi obedientia justi. Atqui justi constituuntur obedientia Christi per *regenerationem.* Ergo et ipsa *nativitate* ex Adamo constituentur propter ejus inobedientiam peccatores. Praeterea *omnes* dicuntur Adami delicto condemnari, et quidem *condemnatione,* cui opponitur *justificatio.* Ergo eo ipso exhibentur participes *culpae.*

629. Peccatum originale probatur **2.** ex iis effatis, quibus Christus exhibetur *omnium* redemptor, reconciliator, mediator etc.; Joan. 1, 29., ubi dicitur *agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* (τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου), quod tantum intelligi potest de peccato quodam toti mundo seu universo humano generi communi, de peccato naturae, quod una cum natura per generationem in omnes transit, quod omnes peccarunt in suo parente Adamo; ex 2. Cor. 5, 14. ss.: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est Christus: ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.* „Conclusio haec apostoli, inquit Augustinus *op. imperf. adv. Jul.* l. 1. n. 64., *invicta* est, ac per hoc, quia et pro parvulis mortuus est, profecto etiam parvuli mortui sunt." Et l. 1. *de peccat. meritis et remiss.* c. 23. n. 33: „Quis audeat dicere, non esse Christum infantum Salvatorem, nec Redemptorem? Unde autem salvos facit, si nulla in eis est originalis aegritudo peccati? unde redimit, si non sunt per originem primi hominis venumdati sub peccato?"

630. *Tertium* argumentum petitur *ex baptismi necessitate* Joan. 3, 3: *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* „Cur nascetur denuo, quaerit merito Augustinus *de pecc. meritis et remiss.* l. 1. c. 30. n. 58., nisi renovandus? unde renovandus nisi a vetustate? qua vetustate, nisi in qua vetus homo noster simul crucifixus est cum illo, ut evacuetur corpus peccati (Rom. 6, 6.)? aut unde imago Dei non intrat in regnum Dei, nisi impedimento prohibente peccati?"

Cum vero pelagiani concederent infantes esse baptizandos, ut consequantur regnum coelorum: imo etiam permitterent illis conferri baptismum *in remissionem peccatorum,* quin tamen propterea peccatum admitterent originale, statuit conc. milevitanum II. et carthaginense plenarium a. 418. can. 2: „Item placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur unde sit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit: quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus: *Per unum hominem pec-*

catum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt (Rom. 5, 12.): nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.«

631. Suffragatur **4.** *traditio,* ad quam jam provocat s. Augustinus, qui prolatis veterum suffragiis l. 2. *c. Julianum* c. 10. n. 33., ita disserit: „Propter quam catholicam veritatem sancti ac beati et in divinorum eloquiorum pertractatione clarissimi sacerdotes, Irenaeus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius (nazianzenus), Innocentius, Joannes (Chrysostomus), Basilius, quibus addo presbyterum, nolis velis, Hieronymum, ut omittam eos, qui nondum dormierunt, adversus vos proferunt *de omnium hominum peccato originali obnoxia successione* sententiam."

Cum de patrum *occidentalium* fide dubium prudens vix esse possit, patrum vero *graecorum* doctrina minus certa videatur, animadvertimus: **1.** Necessarium non esse *singulorum* patrum accuratius expendere sententias, si de traditione constat ex praxi manifesta, cujusmodi erat hac in quaestione *infantium baptismus* in remissionem peccatorum et *exorcismi* eidem praemissi, qui *supponunt* peccatum originale. **2.** Quoties constat de fide *Occidentis,* constare etiam de fide *Orientis,* qui *unam* cum illo usque ad Photii schisma constituebat Ecclesiam: unitas autem Ecclesiae *unitatem* supponit *fidei* (n. 122.). **3.** Cum Ecclesia graeca posterioribus saltem seculis circa hoc dogma conspiraverit cum Ecclesia latina, manifestum est semper hanc in Ecclesia graeca exstitisse fidem et traditionem.

632. Concedimus tamen **4.** non tot *splendida* et diserta testimonia pro dogmate catholico reperiri apud patres *graecos* ut apud *latinos,* qui necessitate compulsi hoc dogma data opera instanterque adversus pelagianos defenderunt et explicarunt. Quam ob rem cum Julianus provocasset ad Chrysostomum dicentem: »Ideo et infantes baptizamus, quamvis *peccata non habentes,*« respondet Augustinus l. 1. c. 6. n. 22.: »Intellige *propria,* et nulla contentio est. At, inquies, cur non ipse addidit *propria?* Cur, putamus, nisi quia disputans in catholica Ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur? tali quaestione nullius pulsabatur, vobis nondum litigantibus *securius* loquebatur?« Quare **5.** si testimonia reperiantur implexa vel ad speciem contraria dogmati catholico, haec prae oculis habeantur: **a.** eam interpretationem esse praeferendam, qua patrum verba *conspirent* cum doctrina patrum aequalium et Ecclesiae, in cujus communione ad finem usque vitae vixerunt (n. 126); **b.** *silentium* non aequivalere *negationi;* **c.** aliud esse *dogmatis substantiam,* aliud certum quendam illius *proponendi modum;* **d.** dogma hoc quoad *substantiam* sufficienter proponi, si dicatur, propter Adami lapsum damnatum fuisse humanum genus, indigere reconciliatione; Christum coelum iterum aperuisse, omnium esse Redemptorem, neminem sine ipso consequi salutem etc.; haec enim omnia peccatum quoddam *com-*

mune, adeoque *originale* supponunt. Jam vero nullus erit patrum graecorum, qui haec non saepe doceat atque inculcet[1]).

633. **Corollarium.** Haec argumenta probant etiam *infantes* parentum *baptizatorum* peccato originali esse obnoxios, seu non esse propter parentes ab hac macula jam mundatos. Neque quod dicantur 1. Cor. 7, 14. *sancti,* contrarium probat. Praedicatum enim *sancti* alia atque alia usurpatur significatione, nec semper designat sanctitatem *internam,* sed subinde *externam* tantum, quae cum peccato consistere possit; quo sensu vel in hoc textu vir infidelis dicitur *sanctificari* per mulierem fidelem. Dicuntur ergo infantes fidelium *sancti,* quia utpote filii parentum Deo dicatorum *eo ipso* jam Deo sunt dicati, ad Deum destinatione spectant proximeque sunt per baptismum *sanctificandi,* sunt candidati fidei.

Articulus II.

De peccati originalis natura.

634. Vere scripsit Augustinus l. 1. *de moribus Eccl.* l. 1. c. 22. n. 40., „antiquo peccato nihil esse *ad praedicandum notius,* nihil ad *intelligendum secretius.*" Hinc alii in alias de ejus natura abierunt sententias. Prius sententias erroneas excludemus.

Praetermissa opinione absurda Flacci Illyrici, secundum quem pec-

---

[1]) Ceterum clara et efficacia sunt testimonia illa pro asserendo peccato *originali,* quibus dicunt, nos *in Adamo* comedisse de fructu prohibito, transgressos esse legem in paradiso divinitus datam etc.; quae simul continent commentarium verborum Pauli: *in quo omnes peccaverunt* Rom. 5, 12. Ita autem loquuntur praetermissis patribus *latinis* Irenaeus l. 5. c. 16.: „Deum in primo Adam *offendimus* non facientes ejus praeceptum; in secundo autem Adam reconciliati sumus obedientes usque ad mortem facti: neque enim alteri cuidam eramus debitores, sed illi, cujus praeceptum transgressi fueramus ab initio;" Basilius hom. *in psalm.* 114.: „Quoniam itaque et nos in paradisi domicilio illo gloriosi et illustres aliquando eramus, ac subinde infames et viles ruina et prolapsione *nostra* facti sumus, Deus noster miseretur, cum videt, quales ex qualibus facti sumus;" liturgia s. Basilii apud Renaudot *collect. liturg.* 1, 14.: „Aperuisti mihi paradisum voluptatis . . . manifestasti mihi arborem vitae: ostendisti mihi spinam mortis, ne ex ea comederem; mihi interdixisti ex ea sola ne ederem: comedi voluntarie, sponte neglexi mandatum tuum, contempsique praecepta tua, atque induxi sententiam mortis;" Chrysostomus hom. 11. *ad antioch.:* „Ego quidem, ita inducit Deum hominem alloquentem, ad majorem te vocabam honorem; tu vero teipsum munere indignum reddidisti paradiso excidens; verum tamen neque sic te despiciam, sed peccatum tuum corrigens in coelum reducam." Athanasius or. 1. *adv. arianos* n. 51.: „Peccante Adamo, peccatum in omnes homines pertransiit;" *in Ps.* 1, 7.: „Omnes qui ex Adamo oriuntur, in iniquitatibus concipiuntur damnatione collapsi proavi sui." Quare auctor homiliae 3. *de paradiso* quondam Basilio adscriptae n. 4.: „Quotiescunque, inquit, florem conspicio, *in mei peccati* memoriam redeo, cujus reatu indictum terrae, ut mihi spinas ac tribulos germinet" etc.

catum originale consistit in *forma quadam substantiali mala,* qua fiat, ut peccatum non tam in anima exsistat, sed sit *ipsa anima substantialiter corrupta,* rejiciendus est **1.** error Zwinglii, secundum quem illud consistit in *miseriis* et *poenis,* quae consecutae sunt Adami peccatum, ideoque nonnisi metonymice peccatum est dicendum. Refellitur autem omnibus, quibus comprobavimus dogma catholicum; quae ostendunt, non solum transiisse miserias in Adami posteros, verum etiam *peccatum,* vi cujus constituuntur *peccatores* (Rom. 5, 19.), *spiritualiter mortui* (2. Cor. 5, 14.), *filii irae* (Eph. 2, 3.), redemptione et reconciliatione indigni (n. 629.). Fide deinde christiana edocemur, baptismo *deleri* peccatum originis; sed baptismo non delentur *sequelae* poenaeque Adami peccato inductae.

Cum eadem fide **2.** pugnat error Lutheri, secundum quem *peccatum originale est ipsa concupiscentia,* quae licet in regeneratis maneat, credentibus tamen non imputatur. Nam **1.** baptismo peccatum originis deletur; atqui baptismo *concupiscentia* non tollitur. **2.** Concupiscentia vel idcirco est peccatum, quia *effectus* est peccati Adami, vel quia *ad peccandum allicit,* vel quia ipsa ad concupiscendum pronitas *habitualem* cum lege divina involvit *pugnam* atque adeo est peccatum. Atqui non est peccatum ob *primam* rationem, alioquin et mors esset peccatum; non propter *alteram,* quia quamdiu allicit tantum et homo resistit, non est peccatum. Ad rem Augustinus *l. 6. adv. Jul.* c. 15. n. 47. explicans verba Jac. 1, 14. 15: *Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum,* scribit: »In his verbis *partus* a *pariente* discernitur. Pariens enim est *concupiscentia,* partus *peccatum.* Sed concupiscentia non parit, nisi conceperit; nec concipit, nisi illexerit h. e. ad malum perpetrandum obtinuerit volentis *assensum.* Quod ergo adversus eam dimicatur, hoc agitur, ne concipiat pariatque peccatum.« Neque etiam propter *tertiam* rationem concupiscentia est proprie et formaliter peccatum, quamdiu deest *consensus.*

635. Secundum Hermes **3.** peccatum Adami **a.** nequit haberi pro peccato totius naturae humanae; quocirca **b.** illud *in quo omnes peccaverunt* Rom. 5, 12. sic est explicandum: in quo omnes *ad peccandum facti sunt proni,* propter illam scil. deordinationem, quae viget inter sensualitatem et rationem: quae discordia **c.** Deo displicet independenter ab Adami peccato, non tamen *proprie* dictum est peccatum; ejus autem **d.** propagatio facile explicatur per solas leges physicas. Verum haec opinio praedamnata est a conc. tridentino sess. 5. can. 5: »Si quis . . . asserit (per gratiam quae in baptismo confertur) non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet: sed illud dicit tantum radi aut non imputari, A. S.« Atqui per baptismum non tollitur dispositio et pronitas ad concupiscendum. Iterum damnata fuit a Gregorio XVI. Brevi d. 26. Sept. 1835. et in conc. coloniensi tit. V. cap. 16. Renovat autem Hermes sua doctrina *errorem* Lutheri, secundum quem peccatum orginale consistit in *concupiscentia; errorem* Zwinglii, cui peccatum originale non est peccatum *proprie,* sed *metonymice* tantum, conditio nimirum quaedam mala ex peccato orta, quaeque ad peccatum inclinet; *errorem Baji,* cujus damnatae sunt prop. 46. et 47: »Unde peccatum originis vere habet rationem peccati *sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem,* a qua originem habuit.«

636. Jam eam de essentia et natura peccati originalis sententiam proponamus, quae *communior* dici potest inter theologos catholicos.

Thesis XCI. ***Peccatum originale consistit in singulis in privatione gratiae sanctificantis, quae voluntaria est voluntate capitis naturae, cujus praevaricatio omnibus imputatur.***

Demonstratio. Pro intelligentia hujus sententiae haec notentur: **1.** Protoparentes a Deo auctos fuisse donis supernaturalibus et plane *indebitis* (n. 614.). **2.** Voluisse Deum, ut haec dona a protoparentibus transirent vi generationis una cum natura ad eorum posteros; ea proinde fuisse non *personalia,* sed quasi *naturalia,* i. e. naturae ipsi humanae concessa omnibusque hominibus ex Creatoris intentione communia. Cf. n. 625. Verum **3.** Adamum eas peccando amisisse, qua amissione spoliavit, nudavit, vitiavit in se tamquam in radice humanam naturam. „Spoliavit, inquit Anselmus *de conceptu virgin. et pecc. orig.* c. 23. al. 21., persona naturam bono justitiae in Adam, et natura egens facta omnes personas, quas ipsa de se procreat, eadem egestate peccatrices et injustas facit.“ Quare **4.** homines modo nasci hisce donis privatos, ideoque secundum corpus et animam *in deterius mutatos, abnormes* a praestantissimo archetypo primitivo, quod Deus condiderat, atque propterea *ipsi invisos.* **5.** Hac *privatione* contineri partim *peccatum* originale, partim *poenam* ejusdem: *privatione* scil. *gratiae sanctificantis,* quatenus haec includit supernaturalem hominis in Deum conversionem, contineri ipsum *peccatum originale* singulos inficiens; in privatione vero ejusdem gratiae, quatenus secum fert supernaturalem Dei conversionem ad hominem, et in privatione integritatis, immortalitatis et felicitatis consistere ejusdem poenam.

637. Revera autem in *privatione gratiae sanctificantis,* quae omnibus Adami posteris secundum voluntatem Dei Conditoris inesse deberet, consistere peccatum originale, probatur **a.** ex *effectu baptismi,* qui in primis institutus est ad delendum peccatum originale. Baptismus vero hoc peccatum delet per gratiam, quam confert, ut docet concilium tridentinum sess. 5. can. 5., restituta stola innocentiae, quam Adam sua inobedientia sibi et nobis perdidit (ib. sess. 6. cap. 7.). **b.** Ex doctrina ejusdem conc. (n. 625.) et conc. arausicani II. can. 2. peccatum ex Adamo in posteros transfusum est *mors animae;* anima vero moritur privatione gratiae sanctificantis; **c.** ex *consensu* et *auctoritate* scholae, quae non dissentit ab Anselmi doctrina l. c. cap. 27: „Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in eisdem infantibus, nisi ipsam, quam supra posui, factam per inobedientiam Adae *justitiae debitae nuditatem;*“ **d.** ex *oppositione,* quam Paulus Rom. 5, 15. ss. instituit inter peccatum, quo omnes infecti nascuntur, et gratiam atque

justitiam, qua omnes in Christo regeniti justificantur; denique **e.** *ex analogia;* ita enim se habet peccatum originatum (transfusum in homines) ad peccatum originans (i. e. peccatum Adami, quod causa est peccati originalis in hominibus), sicut peccatum habituale ad actuale: sed peccatum habituale continetur modo in privatione gratiae sanctificantis peccato actuali inducta.

638. Verum **6.** haec privatio gratiae *per se* non habet rationem *culpae* (nam etiam in statu naturae purae homines carerent ea gratia), sed unice ex dependentia a voluntate Adami liberrime peccantis, quae causa fuit hujus privationis; sicut modo privatio gratiae sanctificantis, qua continetur macula peccati habitualis, rationem peccati habet, quod libere peccato actuali sit inducta. Cf. supra n. 635. Baji prop. 47. Sed quomodo **7.** haec privatio nobis imputari potest ad *peccatum,* cum non nostra, sed voluntate Adae inducta fuerit? In hoc latet *hujus dogmatis* difficultas et *mysterium,* quod nunquam clare explicabitur; ad illud tamen nonnihil illustrandum minuendamque difficultatem prae oculis habeatur **a.** doctrina s. Thomae, peccatum originis *gravissimum* quidem esse in ratione *damni,* privamur enim bonis maximis, indebitis tamen; *minimum* vero in ratione *peccati,* eo quod minimum habet de *voluntario;* non enim voluntarium est voluntate *propria,* sed voluntate Adami, *capitis* humani generis. Advertatur **b.** peccatum originale non esse peccatum *personale,* sed peccatum potius *naturae,* illius scil. naturae, quae in Adamo veluti recapitulata exsistens Dei incurrit offensam et cujus naturae reddimur participes generatione, qua filii lege naturali veluti excrescunt ex protoparente radice fecunda, sed infecta. Advertatur **c.** propter hoc peccatum hominem privari bonis tantum *indebitis,* non vero bonis naturalibus. Denique **d.** memores simus infinitae justitiae Dei, qui certissime hoc peccatum nobis non imputaret, si ea imputatio vel *umbram* involveret *injustitiae*[1]).

---

[1]) Egregia sunt, quae ad dogma catholicum illustrandum habet s. Thomas *de malo* q. 4. a. 1.: „Aliquis homo singularis *dupliciter* potest considerari. Uno modo secundum quod est *quaedam persona singularis;* alio modo, secundum quod est *pars alicujus collegii:* et *utroque* modo ad eum potest aliquis actus pertinere; pertinet enim ad eum, in quantum est singularis persona, ille actus, quem *proprio arbitrio* et per se ipsum facit; sed in quantum est pars collegii, potest ad eum pertinere actus *alienus,* quem per se ipsum non facit, nec proprio arbitrio; sed qui fit a toto collegio vel a pluribus de collegio vel *a principe collegii;* sicut illud quod princeps civitatis facit, dicitur civitas facere . . . Hujusmodi enim collegium hominum reputatur quasi *unus homo,* ita quod diversi homines in diversis officiis constituti sunt quasi diversa membra unius corporis naturalis . . . Sic ergo tota multitudo hominum a primo parente humanam naturam accipientium quasi unum collegium, vel potius sicut *unum corpus unius hominis,* consideranda est;

639. Hinc explicatur *transfusio peccati* originalis. Cum enim hoc consistat in privatione gratiae sanctificantis, quam natura humana in protoparentibus veluti in suo stipite et radice exsistens amisit, natura humana *hoc dono privata* generatione communicatur ac proinde eo ipso macula ab origine est infecta. Si vero excipitur, animam *immediate* creari a Deo, illi proinde inesse non posse peccatum, respondet s. Thomas *de potentia* q. 3. a. 9. ad 3: „Sic peccatum originale est in anima, inquantum (anima) pertinet ad naturam humanam. Humana autem natura traducitur a parente in filium per traductionem carnis, cui postmodum anima infunditur, et ex hoc infectionem incurrit, quod fit cum carne traducta una natura. Si enim non uniretur ei ad constituendam naturam, sicut angelus unitur corpori assumpto, infectionem non reciperet." Si autem quaeritur, *quare justus non gignat justum,* sed filium peccato infectum: respondemus, ideo parentes justos non amplius derivare justitiam vi generationis in filios, quia in statu praesenti justitia non est amplius praerogativa *naturae adnexa* sicut in statu *originali,* sed *donum personale,* quod quilibet homo sibi acquirere debet; proinde sicut doctus non gignit doctum, dux ducem, medicus medicum, quia doctrina, peritia militaris etc. sunt praerogativae personales, propriae, non bona familiae: ita neque justus gignere modo potest justum. Si vero quaeritur, quare Adamo peccante transierit quidem peccatum, non vero eo poenitente fructus poenitentiae scil. reconciliatio; responderi debet, Adamum primo peccato *dignitate capitis* excidisse, neque, qua peccator erat, parem ullo modo fuisse promerendi vel impetrandi tantum bonum indebitum, quale est reconciliatio naturae humanae cum Deo offenso. Verum Deus misericordia motus ipse substituit aliud digniusque caput Christum Jesum, qui satisfactione condigna exhibita reconciliaret humanum genus lapsum; quare nonnisi intuitu hujus satisfactionis futurae contulit Adamo poenitendi gratiam, qua se disponeret ad impetrandum illius satisfactionis fructum i. e. reconciliationem, quam modo singuli non assequuntur, Deo ita disponente, nisi regeneratione intuitu J. Christi, capitis ordinis restaurati: sicut generatione participes redduntur peccati Adami, capitis ordinis lapsi.

---

in qua quidem multitudine unusquisque homo, etiam ipse Adam, potest considerari vel quasi singularis persona, vel quasi aliquod *membrum* hujus multitudinis, quae per naturalem originem derivatur ab uno" etc. Deinde prosequitur: „Si ergo consideretur iste defectus (originalis justitiae) hoc modo per originem in istum hominem derivatus, secundum illud, quod iste homo est quaedam persona singularis, sic hujusmodi defectus non potest habere rationem culpae, ad cujus rationem requiritur, quod sit *voluntaria;* sed si consideretur iste homo generatus sicut *quoddam membrum* totius humanae naturae a primo parente propagatae, ac si omnes homines essent unus homo, sic habet rationem culpae propter voluntarium ejus principium, quod est actuale peccatum primi parentis: sicut si dicamus, quod motus manus ad homicidium perpetrandum, secundum quod manus per se consideratur, non habet rationem culpae, quia manus de necessitate movetur ab alio; si autem consideretur, ut est pars totius hominis, qui voluntate agit, sic habet rationem culpae, quia sic est voluntarius. Sicut ergo homicidium non dicitur culpa manus, sed culpa totius hominis; ita hujusmodi defectus non dicitur esse peccatum personale, sed peccatum totius naturae: nec ad personam pertinet, nisi in quantum natura inficit personam."

640. **Scholion.** Non desunt theologi, qui peccatum originale paulo secus explicent. Secundum hos scil. **1.** peccatum originale analogia respondet peccato habituali, quod secundum ipsos *formaliter* non continetur gratiae sanctificantis privatione, quae poenae potius habet rationem; sed **2.** non est aliud, quam peccatum actuale physice licet praeteritum, in ordine tamen morali et imputationis perseverans, quia nondum retractatum vel saltem nondum remissum, et idcirco ratio semper sufficiens immutati status et relationis Dei ad hominem, inimicitiae scil. habitualis. Quare **3.** peccatum originale consistit in ipso peccato naturae humanae in Adamo ejusdem capite et principio exsistentis physice quidem praeterito, atque ipsi Adamo, qua persona est singularis, sed nondum illis, qui generatione hujus naturae redduntur participes, remisso: quod idcirco ratio est perseverans, propter quam et posteri priventur donis illis indebitis in Adamo ipsis quoque concessis, et debito sint obnoxii incurrendae irae atque inimicitiae divinae. Pluribus tamen haud immerito haec sententia minus consona videtur modo loquendi et sentiendi conc. tridentini.

Articulus III.

De peccati originalis sequelis.

641. Damna humano generi per originis peccatum *certo* illata haec sunt: **1.** in ordine *theologico* illud amissa gratia sanctificante omnes quoque ejusdem effectus formales amisit. **2.** Amisit integritatis donum, seu obnoxium factum est concupiscentiae, quae quandoque vocatur (τὸ) *materiale* peccati originalis, non quasi ea proprie peccati habeat rationem (n. 634.), sed **a.** per *extrinsecam denominationem,* quia consectarium est veluti primarium amissionis gratiae; **b.** secundum quandam *integrationem;* sicut enim integritas exornabat, complebat justitiam originalem, et sicut actus externus, licet in se non habeat peccati rationem, actum tamen internum peccaminosum complet et integrat: ita concupiscentia complet et integrat aliquo modo peccatum originale; **c.** secundum *significationem,* quia peccati originalis est veluti signum. Amisit **3.** homo in ordine *physico* alia dona praeternaturalia, quae humanam insigniter perficiebant naturam, et incurrit **4.** seductoris *captivitatem,* ut nunquam non professa est universa Ecclesia adhibitis ante baptismum exorcismis. Centro autem **5.** perturbato nil mirum, si et ordo *cosmicus* sit turbatus, rerum visibilis universitas vanitati fuerit subjecta (Rom. 8, 20.) et a primordiali conditione sua prope dimota censeatur. Cf. Gen. 3, 18. Merito proinde conc. tridentinum definivit sess. 5. can. 1., Adamum per praevaricationis offensam secundum corpus et animam in *deterius* fuisse commutatum, non utique secundum suam naturam *philosophice* spectatam, sed *comparate* ad illum statum, in quo fuit ante peccatum, auctus tot donis *indebitis;* merito etiam definire potuit sess. 6. cap. 1. liberum

arbitrium fuisse *attenuatum* et *inclinatum*, scil. propter gratiae et virtutum infusarum amissionem, propter privationem gratiarum actualium, propter amissum integritatis donum et succrescentem membrorum rebellionem, propter daemonis captivitatem, quam incidit etc.; quod schola expressit axiomate illo, hominem Adami peccato spoliatum fuisse *gratuitis*, vulneratum vero *in naturalibus.*

642. Contra bajanos, jansenianos et lutheranos, qui in describendis peccati originalis sequelis modum excedunt, tenendum est **1.** hominem per originis peccatum *nullum amisisse bonum naturale* proprie dictum, quod naturam constituat constitutamque consequatur; speciatim vero **2.** *non amisisse liberum arbitrium,* qua de re statuit conc. tridentinum sess. 6. can. 5. »Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et exstinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a satana invectum, A. S.« Neque huic errori favent quaedam Augustini testimonia, quibus affirmat, per Adami peccatum *liberum periisse arbitrium.* Loquitur enim Augustinus non de arbitrio libero *naturali,* sed *historico,* quale illud prodiit e manibus Dei, prout ipse clare se explicat *contra duas epist. pelagianorum* l. 1. c. 2. n. 5: »Quis autem nostrum dicat: quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa, *quae in paradiso fuit,* habendi plenam cum immortalitate justitiam.«

643. Hactenus *de certis.* Quod *controversa* attinet, non desunt theologi, qui concedant quidem, hominem per peccatum *nullum* amisisse bonum *naturale;* sed innixi doctrinae conc. tridentini de commutatione hominis *in deterius* et axiomati scholae de ejusdem *vulneratione in naturalibus,* contendunt, hominem secundum facultates naturales factum esse *debiliorem,* proinde inter hominem lapsum et hominem in statu naturae purae id esse discriminis, quod inter hominem *aegrotum* et *sanum.* Contradicunt tamen alii, qui censent, hominem per peccatum originale secundum naturam *nullatenus* fuisse laesum, cum spoliatus tantum fuerit *indebitis,* adeoque hominem lapsum, naturam si spectes, *consideratione* tantum, *non re* differre ab homine in statu naturae purae, sicut differt homo *spoliatus* a *nudo;* atque propterea miserias, quibus modo sumus obnoxii, dici et esse poenas, vulnera, morbos etc. tantum comparate ad illum statum felicem, quo Adami praevaricatione excidimus, non vero comparate ad statum naturae purae. Quae sententia videtur praeferenda. Nonnulli, ut aliquid priori concedant sententiae, putant, hominem per Adami praevaricationem factum esse non quidem intrinsecus, tamen *extrinsecus* debiliorem propter auctas difficultates bene agendi, praesertim ex daemonum tentationibus.

Sectio III.

De Angelis.

644. Omnia, quae ad *angelos,* tertium ex operibus divinis (n. 567.), spectant, commode ad quatuor revocantur capita: **1.** de angelorum *exsistentia* et *natura;* **2.** de eorum *primitivo statu* et quorundam *lapsu;* dein **3.** speciatim de angelis *bonis* et **4.** de angelis *malis.*

Caput I.
De angelorum exsistentia et natura.

645. *Angelos* **1.** *exsistere* evidenter docet revelatio, imo suadet et ratio. Sane facto ipso constat **a.** voluisse Deum divitias gloriae perfectionisque suae manifestare productione generum specierumque, quarum aliae aliis sine fine sint perfectiores; has **b.** miram quandam constituere scalam; exsistere **c.** substantias corporeas, exsistere naturas mixtas corpore et spiritu. Exsistere autem posse **d.** substantias *mere spirituales* patet ex animabus a corpore separatis. Hae vero prae ceteris Dei similitudinem, quam ipse in creando adumbrare voluit, prae se ferunt. Quare **e.** admodum est probabile, Deum ejusmodi substantias a corpore prorsus solutas, quas *angelos* dicimus, produxisse. Quae illatio confirmatur populorum omnium in admittenda spirituum exsistentia conspiratione.

646. Angelos **2.** *a Deo esse creatos*, non vero emanatione e Dei prodiisse substantia, Ecclesia contra gnosticos, manichaeos, priscillianistas semper tenuit (n. 551.); probatur vero iisdem fere argumentis, quibus ostendimus, Deum universitatem rerum ex nihilo creasse. Quod vero **3.** *tempus creationis* eorundem attinet, non una eademque fuit hac de re veterum sententia; sed omnino tenendum est, quamvis id non sit de fide, *angelorum creationem non praecessisse* (saltem diu) *primam mundanae materiae creationem.* Cui sententiae subscribunt unanimes theologi scholae, favet conc. lateranense (n. 551.), quod *eidem* temporis *initio* assignat creationem naturae et angelicae et mundanae; favent Scripturae Gen. 1. 1.; Prov. 8, 22.; Joan. 17, 5; Ephes. 1, 4. (n. 568.) etc., e quibus liquet haec duo velut synonyma haberi, exstitisse aliquid ante primam mundanae materiae productionem et illud esse aeternum. Quare Epiphanius *haer.* 65. n. 5.: „Illud evidenter, inquit, divinus sermo declarat, neque post sidera (Job 38, 7.) productos angelos, neque ante coelum terramque constitutos. Est enim certa et immutabilis illa sententia, ante coelum et terram nihil omnino conditarum rerum exstitisse, quoniam *in principio creavit Deus coelum et terram,* ut illud sit creandi principium, ante quod creatis ex rebus omnino nulla fuerit.“

647. De *angelorum natura* haec sunt tenenda: **1.** *eam esse humana praestantiorem,* quod colligitur ex loquendi ratione s. Scripturae Ps. 8, 6. etc.; ex disputatione Pauli Hebr. 1., ubi praestantiam Christi inde probat, quod angelis sit melior; ex sentiendi ratione totius christiani nominis. Quare 2. *angeli praediti sunt intelligendi volendique facultate* eaque humana praestantiori; quod patres eo quoque significant, quod eos vocent substantias νοεράς, νοῦς.

Sed quamvis praecellens sit eorum cognitio, tenendum tamen est, eos **1.** per sese *non cognoscere certo humani cordis secreta,* quae cognitio in divinis literis uni Deo ut propria reservatur; quocirca patres passim ex eo, quod Christus cordium novisset secreta, ejus inferunt divinitatem. **2.** *Angelos*

non posse vi proprii intellectus praescire futura libera, nam et horum cognitio in divinis literis uni adscribitur Deo, ac eorum praescientia nota exhibetur divinitatis. Cf. Is. 41, 22. s.; 44, 6; Dan. 2, 28. etc. **3.** *Eos lumine naturali plura fidei nostrae mysteria assequi non posse* (n. 389. s.), sed solum Deo revelante, a quo non omnia eodem didicerunt tempore; quaedam ipsis adhuc occulta videntur, ut dies judicii secundum illa Marc. 13, 32.; quaedam prius obscurius indicata, clarius deinde perspexerunt, postquam scil. adimpleta sunt. Cf. Eph. 3, 8. ss.

648. *Angeli* **3.** *virtute agendi humana praestantiori sunt praediti,* quod confirmatur etiam ex ipsis eorundem nominibus; quidam enim dicuntur *virtutes, potestates, principatus, dominationes.* „Quid vero possint per naturam, inquit Augustinus *de Trinit.* l. 3. n. 18., nec possint per prohibitionem, et quid per ipsius naturae suae conditionem facere non sinantur, homini explorare difficile est, imo vero impossibile“ etc.

Haec tamen videntur posse statui: **1.** *angelos carere creandi potestate* (cf. n. 578.); **2.** eos nihil virtute propria facere posse, quod sit vel *contra* vel *supra* vel *praeter* vires legesque universi: hoc enim illius tantum est proprium, qui ab his est exemptus quique legum est auctor et dominus; quare miracula *proprie* dicta patrare nequeunt. Tamen **3.** cum angeli nobis sint multo perspicaciores, leges viresque naturae quam accuratissime cognoscant atque majori excellant agendi virtute, effectus producere poterunt, qui sunt praeter et supra ordinem naturae nobis notae, qui proinde erunt miri, et si vis *miracula secundum quid* et quoad nos dici poterunt.

649. **Thesis XCII.** ***Angeli sunt puri spiritus.***

Demonstratio. Plures negarunt angelos esse spiritus puros, neque diffitemur aliquos etiam ex patribus adscripsisse ipsis corpus[1]), vel dubios haesisse, ut adhuc s. Bernardum s. 5. *in Cant.,* vel ita de angelis disseruisse, ut incertum sit, quid de hac re senserint. Angelos autem carere corpore seu esse spiritus *puros,* non est quidem *de fide,* sententia tamen ita in universis scholis christianis recepta et definitioni lateranensi tam conformis est, ut jam modo *temerarium* foret, id in dubium revocare. *Spiritus* autem nomine intelligimus substantiam simplicem, corpus materiemque ex-

[1]) Huc referri possunt plures ex iis, qui Gen. 6, 2. secundum LXX (*Videntes angeli Dei filias hominum, quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores* etc.) innixi putarunt, angelos cum filiabus hominum peccasse. Dico *plures,* non *omnes;* poterant enim opinari nonnulli, angelos per corpora *assumpta* peccasse, vel corpori fuisse junctos post suum e coelo lapsum. Ceterum quod hunc textum attinet, adverti debet, versionem alexandrinam minus esse aptam, atque praeferendam vulgatam, quae habet: *Videntes filii Dei* etc., cum **a.** angeli *lapsi* nunquam dicantur *filii Dei;* cum **b.** nullo modo possint *ducere uxores,* inire *stabile* matrimonium, de quo ibi est sermo, quidquid sit de quaestione, an possint transeunter coire cum muliere; cum **c.** nulla vel *minime* sit ratio cogitandi hic de angelis; quare **d.** reliquae versiones hanc deserunt interpretationem et alii patres eam gravissimis verbis reprobant.

cedentem, quae vitam suam intelligendo volendoque explicat. Spiritus vero *purus* est spiritus, qui per se est natura *completa,* nec actu nec destinatione ordinatus, ut cum corpore in unam coalescat naturam.

Probatur autem thesis **1.** ex silentio Scripturarum, quae neque *diserte* corporum meminit angelicorum, neque *aequivalenter*[1]), eos vocans animas. **2.** Scriptura non *homines,* sed hominum *animas* solet vocare *spiritus;* angelos vero, quos non appellat *animas,* passim vocat spiritus; igitur sat clare significat, angelos non esse compositos elemento spiritali et corporeo, sed habere adaequate naturam spiritualem, qualis est animarum natura. **3.** Conc. lateranense cap. 1. *Firmiter* definit, Deum „sua omnipotenti virtute utramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam." Ex quibus evidenter sequitur **a.** naturam angelicam esse *spiritualem,* **b.** nil habere admixtum corporei, cum per hoc distinguatur a natura humana: ita **c.** unica absolvi substantia, sicut anima humana, quae licet destinetur ad unionem cum corpore, in se tamen est spiritualis. Nil mirum ergo **4.** quod schola unanimis admiserit angelos esse puros spiritus. Nec desunt **5.** patres, qui id docent[2]). Ita Damascenus definit angelum „substantiam intelligentem materiae atque corporis expertem." Cassiodorus inde probat animam non esse angelum, „quia carni sociabilis est." Denique **6.** hanc veritatem suadet conjectura illa, qua ostendimus, angelorum exsistentiam esse secundum rationem n. 645.

650. Quod angelorum *numerum* attinet, constat ex Dan. 7, 10; Apoc. 5, 11. etc. eum esse admodum *magnum.* Omnes autem perfectissimam quandam constituere *societatem,* dubium esse nequit, cum exhibeantur quasi

---

[1]) Neve quis provocet ad angelorum *apparitiones,* cum inde sequeretur, etiam *Deum,* qui subinde apparuit, habere corpus, vel angelos esse *homines;* apparuerunt enim saepe in forma humana.

[2]) Plura patrum effata, quae opponi solent, satis commode ita explicari possunt, ut nostrae non adversentur sententiae. Subinde enim patres materiale, *corporeum* dicunt, quod loco definitur, vel non omnimoda gaudet simplicitate: quo sensu omnia comparate ad Deum corporea appellant. Quod si angelos dicunt *ignem,* vel *ex igne, aëre* etc. constare, loquuntur sensu laxiori seu translato, quo sensu nos angelos dicimus *spiritus,* πνεύματα, quae etiam per se significant aliquid materiale. Eos autem haec accipere sensu laxiori vel translato, inde liquet, quod doceant angelos esse hominibus praestantiores, intelligentes, et vix credibile sit, eos putasse ignem materialem intellectus esse capacem: quare alii significantius angelos vocant ignem *immaterialem.* Huic vero loquendi rationi occasionem praebuerunt verba Ps. 103, 4: *Qui facis angelos spiritus* i. e. ventorum instar celeres agilesque: *et ministros tuos ignem urentem* i. e. tam subtiles, fervidos, puros, lucentes, ignitos, omnia penetrantes ac si essent flamma ignis.

Dei aula et exercitus. Quod etiam colligitur ex iis, quae patres passim, frequentius vero theologi disputant de angelicis *ordinibus*. De quibus haec advertimus: **1.** citra *temeritatis* notam non licere universim atque infinite aspernari doctrinam *de novem angelorum ordinibus;* ea enim **a.** innuitur in divinis literis, in quibus occurrit mentio *angelorum* passim: *archangelorum* 1. Thess. 4, 15; *thronorum, dominationum, principatuum, potestatum, virtutum* Col. 1, 16; Eph. 1, 21; *cherubim* Gen. 3, 24; Ex. 15, 28; *seraphim* Is. 6, 2. Ex patribus vero **b.** plurimi, etiam vetusti, modo 6 vel 7, modo 8 et etiam 9 angelorum ordines recensent sive gradu, sive munere, sive alia quadam ratione distinctos (*opusc.* VII, 126. ss.). Eam deinde doctrinam **c.** post vulgatum Dionysii Areopagitae *de coelesti hierarchia* librum unanimi consensione recepit illustravitque schola universa. Neque tamen **2.** haec sententia fidei dogmatibus est accensenda, nam nulla de ea exstat Ecclesiae definitio vel monumentum authenticum, quo ea credenda comprobetur; ex veteribus vero non desunt, qui vel de angelicorum ordinum numero dubii haereant, vel diserte affirment, certi hac de re nil definiri posse.

Caput II.

De angelorum conditione primitiva et plurium lapsu.

651. Tenendum in primis est, *angelos ad supernaturalem ordinem divina gratia fuisse evectos.* Dicuntur enim **1.** passim in Scripturis et frequenter a patribus *sancti, coelestes, angeli lucis, amici Dei, filii Dei* etc. non secus ac homines justi. Hisce vero praedicatis designatur modo praerogativa ex gratia profecta. Ipsi **2.** *vident Deum* facie ad faciem, sunt cives regni coelorum, illius participes beatitatis, qua justi in coelo potiuntur. Cf. Luc. 20, 35; Hebr. 12, 22; Matth. 18, 20., ubi Christus dicit: *Angeli eorum* (parvulorum) *in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est.* Visio beatifica autem et beatitudo justis reservata est *omni creaturae* indebita et supernaturalis. Idem **3.** colligitur patrum suffragio. Ita Joan. Damascenus *de fide orthod.* l. 2. c. 3: „Per Verbum omnes angeli creati sunt et Spiritu sanctificante consummationem acceperunt, ut pro sua quisque dignitate et ordine splendoris gratiae essent participes.“ Fulgentius *ad Trasimundum* l. 2. c. 3: „Non alia gratia stantem angelum a ruina potuit custodire, nisi illa, quae lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Una est in utroque gratia operata, in hoc ut surgeret, in illo ne caderet.“

652. Tenendum est **2.** *plures angelos e statu supernaturali excidisse peccato.* Cui assertioni omnes illi adversantur, qui daemonum exsistentiam negant vel saltem in dubium revocant. Sed angelorum lapsus et daemonum exsistentia *dogma est catholicum;* nam conc. lateranense IV. cap. 1. profitetur: „Diabolus et alii daemones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali.“ Quod

1. semper professa est universa antiquitas. Ita s. Leo *ep. ad Turrib.* c. 6: „Fides vera, quae est catholica, omnium creaturarum sive spiritualium sive corporalium bonam confitetur substantiam, et mali nullam esse naturam; quia Deus, qui universitatis est conditor, nihil non bonum fecit. Unde et diabolus bonus esset, si in eo, quod factus est, permaneret. Sed quia naturali excellentia male usus est, et in veritate non stetit (Joan. 8, 44.), non in contrariam transiit substantiam, sed a summo bono, cui debuit adhaerere, descivit." Angelorum lapsus traditur **2.** Joan. 8, 44; Luc. 10, 18: *Videbam satanam,* inquit Christus, *sicut fulgur de coelo cadentem;* 2. Petr. 2, 4: *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari;* ep. Judae v. 6: *Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum,* dignitatem, originalem praecellentiam, *sed dereliquerunt suum domicilium* i. e. meritorie et hinc coacti sunt deserere coelum (Apoc. 12, 7. s.), *in judicium magni diei, vinculis aeternis sub caligine,* in loco caliginoso, *reservavit.* Evidens deinde **3.** est ex revelatione exsistentia daemonum. Cum vero Deus nequeat esse auctor malae voluntatis, sed quidquid creat sit bonum et bonum valde: nil aliud reliquum est, quam quod angeli quondam creati boni atque in statu laetiori culpa propria inde exciderint. Quod si quaeras, quo peccato ceciderint, respondet *communior* sententia, eos peccato *superbiae* cecidisse.

653. *Visum autem est* **3.** *Deo angelis libere praevaricantibus nullum facere reparationis ac poenitentiae locum.* Quod colligitur **a.** tum ex s. Scripturae silentio: nullibi enim ejusmodi reparationis fit mentio; tum ex testimoniis sat disertis supra allatis. Idem **b.** docent patres, qui rationem simul reddunt, quare Deus, qui humani generis lapsi est misertus, angelis peccantibus non pepercerit.

Primam rationem proponit Gregorius M. *Moral.* l. 9. c. 50: „Angelorum spiritus idcirco irremissibiliter peccarunt, quia tanto robustius stare poterant, quanto eos carnis commixtio non tenebat. Homo vero idcirco post culpam veniam meruit, quia per carnale corpus aliquid, quo seipso minor esset, accepit." Aliam adjicit Alcuinus *in Gen.* q. 4: „Angelus sui sceleris inventor fuit, homo vero alterius fraude seductus." Neque illa ratio praetermittenda est, quod non omnes angeli perierint; qui vero ceciderunt, propria culpa sunt lapsi; homines vero *omnes* propter *unius* delictum, hinc plurimi absque propria culpa personali, condemnati sunt. Quare horum causa prae angelorum causa melior, seu potius veniae propinquior.

Denique **c.** colligitur haec veritas ex damnatione Origenis, contra quem semper assertum fuit, angelis lapsis nullam esse spem reparationis. Verum quidem est, patres in Origene maxime damnasse, quod negaverit aeternitatem poenarum admiseritque alternantes vices lapsus et reparationis; sed ex eorum disserendi ratione liquet, nullam semel damnatis esse spem

reparationis, et ex angelis lapsis nullum fuisse reparatum seu veniam esse consecutum: quod, si locus poenitentiae eis fuisset relictus, omnino esset incredibile.

Caput III.
De angelis bonis.

654. Dilatis iis, quae angelorum beatitudinem coelestem spectant, ad tractatum de Deo omnium consummatore, de eorum *ad Deum relatione* sufficit dixisse, eos Deo frui, Deum laudare eique ad omnem nutum promptissime obsequi. Et revera Deus iis in administranda hac rerum universitate saepe utitur, ut patet ex universa s. Scriptura. Ad invicem vero uniuntur habitu mutuae caritatis, quae etiam benefica est. Quare frequens est scholae assertum, angelos inferiores a superioribus *illuminari,* quod ita s. Thomas 1. p. q. 106. a. 1. ad 1. explicat: „Rationes divinorum operum, quae in Deo cognoscuntur sicut in causa, omnes quidem Deus in seipso cognoscit, quia seipsum comprehendit: aliorum vero Deum videntium tanto unusquisque in Deo plures rationes cognoscit, quanto eum perfectius videt. Unde superior angelus plura in Deo de rationibus divinorum operum cognoscit quam inferior, et de his eum illuminat.“ Eorum ad homines relationem explicabit

655. **Thesis XCIII.** ***Angeli in hominum custodiam deputantur.***

Demonstratio. Tamquam *fidei dogma* tenendum est, *angelos in hominum custodiam deputari.* Quod sicut Paulus Hebr. 1, 14. clarissime tradit: *Nonne omnes* (angeli) *sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis?* ita *unanimiter* patres docent. Ideo Origenes inter ea, de quibus nulla in Ecclesia est controversia, etiam hoc memorat *de princ.* praef. n. 10: „Est etiam illud in ecclesiastica praedicatione positum: esse angelos Dei quosdam et virtutes bonas, qui ei ministrant ad salutem hominum consummandam;“ et Hilarius cap. 18. *in Matth.* 18. n. 5. scribit: „Angeli praesunt pusillorum fidelium orationibus. Praeesse angelos *absoluta auctoritas* est.“ Augustinus vero ita probat *de doctr. christ.* l. 1. c. 30. angelos quoque a nobis esse diligendos: „Si vel cui praebendum est, vel a quo nobis praebendum est officium misericordiae, recte proximus dicitur, manifestum est, hoc praecepto, quo tenemur diligere proximum, etiam sanctos angelos contineri, a quibus tanta nobis misericordiae impenduntur officia, quanta *multis divinarum Scripturarum locis* animadvertere facile est.“

656. Verum ut hanc angelorum custodiam accuratius determinemus, dicimus **1.** *singulos fideles suos habere angelos custodes.* Quod quidem de fide non est, sed *certum* habetur, et colligitur ex Matth. 18, 10: *Videte,*

ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quia angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est. Hinc liquet, saltem illos, qui spectabant ad populum promissionis, ad judaeos, suum habuisse angelum tutelarem. Sed profecto synagogae praerogativae transierunt ad Ecclesiam. Accedit unanime patrum suffragium. »Adest unicuique nostrum, inquit Origenes hom. 20. *in Num.*, etiam minimis, qui sunt in Ecclesia Dei, angelus bonus, angelus Domini, qui regat, qui moveat, qui gubernet, qui pro actibus nostris corrigendis et miserationibus exposcendis quotidie videat faciem Patris.« Athanasius *in Ps.* 90, 11. citatis variis Scripturae effatis subdit: »*Ex omni parte* igitur ediscimus, quod universorum Deus eos, qui credunt in ipsum, per angelos custodiat.« Idem eruit Chrysostomus ex Act. 12, 15. hom. 26. in h. l. n. 5. Refert enim s. Lucas, fideles audientes a puella, Petrum, quem Herodes in carcerem conjecerat, stare ante januam, noluisse id credere, sed respondisse: *Angelus ejus est.* Indubium ergo illis erat, fidelium saltem quemlibet *suum* habere angelum. Quare Primasius *in Hebr.* 1, 14. scribere potuit: »Generaliter autem, sicut doctores dicunt, *unicuique fidelium* ab ortu nativitatis vel potius a tempore baptismatis datur a Deo angelus ad sui custodiam et qui suadeat bona agere.«

657. *Communis* est **2.** theologorum sententia, *singulis hominibus suos adesse angelos custodes*, nam sine ulla limitatione pronunciat Hieronymus *in Matth.* 18, 10: »Magna dignitas animarum, ut *unaquaeque* habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum,« et Theodoretus q. 3. *in Gen.*: »Christus Dominus dixit, singulos homines subesse singulorum angelorum procurationi.«

658. Plures quoque patres **3.** docent, *singulis regnis, provinciis, ecclesiis praeesse angelos.* Quod confirmant[1]) ex Dan. 10, 13; Deut. 32, 8. sec. LXX; Act. 16, 9; Zach. 1, 12. etc. Ita passim Theodoretus, ut *in Dan.* 10, 13: »Ex his igitur discimus, quod unicuique angelorum singulorum e nobis cura concredita sit, ut custodiant et tueantur et a pravi daemonis nos liberent insidiis. Archangelis vero illud munus impositum, ut gentium sint praefecti, sicut b. Moyses docuit (Deut. 32, 8), cujus dictis item b. Daniel consentit, cum ipse regni persarum principis et rursus paulo post principis graecorum mentionem faciat.« Ambrosius serm. 1. *in Ps.* 118. n. 9: »Quanto magis, si quis allevet mentis oculos et consideret, plena esse angelorum omnia, aëra, terras, mare, ecclesias, quibus angeli praesunt (mittit enim Dominus angelos suos ad defensionem eorum, qui heredes futuri sunt promissorum coelestium), concepto potest renunciari peccato . . . . (n. 12.). Plenus est enim mundus sanctarum virtutum, quia plenus est nequitiarum. Plenus est orbis terrarum remediis, quia plenus est laqueis.«

---

[1]) Dan. 10, 13. ubi Gabriel Danieli refert: *Princeps autem regni persarum restitit mihi viginti et uno diebus: et ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorum meum et ego remansi ibi juxta regem persarum;* v. 21.: *Nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester;* Zach. 1, 12: *Respondit angelus Domini et dixit: Domine exercituum usquequo tu non misereberis Jerusalem ut urbium Juda, quibus iratus es?* etc.

Caput IV.

De angelis malis seu de infestatione daemoniaca.

659. De ipsis angelis malis, quantum satis est, c. 2. egimus. Nonnulla de eorum ad humanum genus relatione dicenda supersunt, quae cum tota sit *polemica*, voce generica *infestationis* designatur: cujus nomine intelliguntur omnes daemonum conatus viribus suis utentium ad mala moralia vel saltem physica in mundo promovenda. *Triplex* autem distinguitur species: *tentatio* scil., *obsessio* et *magia*. Antequam de singulis disseramus, in primis monendum est, daemones citra Dei permissionem nihil contra homines posse: quod passim patres eorum occasione inculcant, quae narrantur in Jobi historia cc. 1. 2. et Matth. 8, 29. ss. de daemonibus rogantibus, ut de obsessis pulsi porcorum saltem gregem ingredi permitterentur.

660. Quod attinet **1.** *tentationes,* manifestum est, illas non quidem semper, saepe tamen e diaboli oriri suggestione, ut Scripturae frequenter testantur. Cum tentationibus cohaerent multiplicis generis *persecutiones,* quas commovit diabolus in ipsum Christum Joan. 13, 2; et commovet in ejus ministros Luc. 22, 31. s. et membra Apoc. 2, 10. universumque Christi corpus Matth. 16, 18; cohaerent et *illusiones* admodum periculosae. Illudit autem hominibus vel patratis signis et prodigiis ita stupendis, ut vel electi possent induci in errorem Matth. 24, 24; vel se transfigurans in angelum lucis 2. Cor. 11, 14. falsisque revelationibus decipiens homines male credulos 2. Paralip. 18, 18. ss.

661. Succedit **2.** altera infestationis species, scil. *obsessio,* cujus nomine intelligitur potestas daemonis ad nocendum homini cum actuali vel habituali vexatione tum negativa tum positiva conjuncta. Distinguuntur varii gradus, quorum primus dicitur *circumsessio,* quando daemon corpus nondum invasit, hominem tamen extrinsecus quasi obsidet, omni ex parte vexat et in actionibus communibus, praecipue spiritualibus, impedit gravibusque tentationibus vexat; alter dicitur presse *obsessio,* si nimirum daemon corpus jam inhabitat, vires physicas et psychicas sibi vindicat et usurpat, iisque tamquam suis modo in gradu majori, modo in minori utitur, adeo ut in tali homine grave oriatur actionum dissidium. Tertius dicitur *possessio,* qui obsessionis mox descriptae intensior est gradus, atque tunc obtinet, cum daemon hominem ita occupat, ut fere omnis ejus cesset actio, quae tamen conditio plerumque non est diuturna. Hanc daemonis infestationem omnes, ut per se patet, ii negant, qui daemonum inficiantur exsistentiam; verum etiam ex iis, qui hanc concedunt, alii **a.** negant illius possibilitatem, vel **b.** eam divinitus permitti, vel **c.** factum, vel denique **d.** facto admisso pro Christi tempore, ex Redemptoris de daemone victoria inferunt, obsessionem penitus modo cessasse. Contra quos totidem statuemus propositiones.

662. **Thesis XCIV.** ***De obsessione daemoniaca haec tenenda sunt: 1. eam esse possibilem, 2. ejus permissionem cum divina sapientia providentiaque posse conciliari, eam 3. quondam obtinuisse atque 4. post Christi quoque tempora adhuc obtinere.***

Demonstratio p. I. *Obsessio daemoniaca est possibilis.* Sane **a.** spiritus generatim agere possunt in corpus, ut patet ex anima informante corpus; **b.** elementa maxime subtilia, ut aër, lux, magnetismus etc. mirum in modum hominem saltem secundum ejus vires inferiores possunt afficere et phaenomena plane stupenda producere. Quare **c.** daemon, qui pollet virtute agendi magnaque sagacitate et experientia circa leges viresque naturae, poterit immediate, vel saltem mediate, mediantibus scil. viribus naturalibus, in hominum corpora agere. Nulla ergo vel probabilis reddi potest ratio, quare obsessio daemoniaca sit impossibilis.

663. **Demonstratio p. II.** *Non adversatur divinae providentiae obsessionis permissio.* Etenim non repugnat divinae providentiae permissio morborum, tentationum, illusionum, persecutionum, seductionum etc., quae multo plus corporibus animisque saepe nocent, quam omnis obsessio, atque teste Scriptura persaepe a daemone excitantur. Rationes autem illam permittendi recenset Bonaventura in 2. dist. 8. p. 2. a. 1. q. 1: „Permittit autem hoc Dominus sive ad gloriae suae ostensionem (cf. Joan. 9, 3.), sive ad peccati punitionem, sive ad peccantis correctionem (cf. 1. Cor. 5, 3. ss.), sive ad nostram eruditionem. Sed ex qua istarum causarum determinate permittat, latet hoc humanam industriam, propter hoc, quod occulta sunt Dei judicia; hoc tamen planum est, quod non sint injusta, et ideo non permittit talia sine causa.“

664. **Demonstratio p. III.** *Obsessionis factum tempore Christi negari nequit,* quin omnis fides evangelistarum historica in dubium vocetur. Et sane **1.** saepissime mentio fit obsessorum a daemone Matth. 4, 24: *Obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui daemonia habeant, et lunaticos et paraliticos, et curavit eos;* 8, 16; Luc. 8, 27. etc., quibus in locis satis accurate distinguuntur ab aegrotis. Diserte **2.** affirmatur, Christum ejecisse daemonia Marc. 1, 34: *Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus et daemonia multa ejiciebat, et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum;* Luc. 11, 14; morbos vero ejici, non satis apte dicitur. Ad haec **3.** Christus alloquitur daemones, eos interrogat de nomine, increpat atque ut exeant praecipit; quae agendi ratio evidenter supponit daemonis in obsesso praesentiam; Luc. 8, 30: *Interrogavit autem illum Jesus dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio, quia intraverant daemonia multa in eum.* Daemones **4.** exhibentur loquentes, clamantes, rogantes Christum etc. Matth. 8, 31. s.: *Daemones rogabant eum dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos* etc. Denique **5.** aliis omissis Christus apostolis tradidit potestatem ejiciendi daemones distin-

ctam a charismate sanandi morbos, Matth. 10, 1: *Et convocatis duodecim discipulis suis dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem;* Marc. 16, 17.

665. **Demonstratio p. IV.** *Post Christi mortem obsessio locum adhuc habet*[1]. Licet enim devictus fuerit morte Christi diabolus, nondum tamen penitus fracta est ejus potestas (cf. 1. Cor. 15, 21. ss.), et ideo permittitur sicut homines tentare, excitare tempestatem contra Ecclesiam, ita etiam subinde obsidere homines. Cujus facti argumentum est *exorcistarum ordo,* qui a remotissima aetate in Ecclesia semper fuit; testes sunt, quotquot patres contra ethnicos scripserunt atque nominis crucisque Christi virtutem laudibus extulerunt, et conciliorum decreta de energumenis edita. Cf. *opusc.* I, 105. et XI, 128.

666. Tertium infestationis genus est *magia.* Nomine magi in genere is designatur, qui mira et insolita ceterorum hominum facultatem superantia efficere potest, et quidem vel ope notitiae virium naturalium, quae aliis sunt occultae, vel ope artis et dexteritatis, vel ope daemonis: quod si primum obtinet, magia dicitur *naturalis;* si alterum, *artificialis;* si tertium, magia appellatur *nigra.* Alii hujus magiae possibilitatem vel factum simpliciter negant, vel inter certos tantum limites concedunt.

667. **Thesis XCV.** ***Distinctione facta inter crimen, factum et artem magiae, concedimus 1. crimen et 2. etiam factum magicum esse possibile, atque subinde contigisse vel contingere; sed 3. magiae artem non putamus esse admittendam.***

Demonstratio. Ut **1.** magiae *crimen* committatur, sufficit impius hominis conatus ope daemonis mira patrandi, qui certe est possibilis sive effectus sequatur, sive non sequatur. Possibile ergo est magiae crimen; cujus possibilitatem imo exsistentiam etiam testantur leges ab ipso Deo, et deinde ab Ecclesia in magiam statutae. *Ars* vero

---

[1]) Sicut absolute negare obsessionis atque generatim infestationis daemoniacae facta „procedit ex radice infidelitatis,“ sive incredulitatis, quia non credunt esse daemones, nisi in aestimatione vulgi, ut docet s. Thomas in 4. sent. dist. 34. q. 1. a. 3: ita neque facile quis a daemone obsessus credendus est. Prae oculis habeantur verba ritualis romani tit. *de exorcizandis obsessis:* „In primis ne facile credat (exorcista) aliquem a daemone obsessum esse, sed nota habeat ea signa, quibus obsessus dignoscitur ab iis, qui atra bile vel morbo aliquo laborant. Signa autem obsidentis daemonis sunt: ignota lingua loqui pluribus verbis vel loquentem intelligere, distantia et occulta patefacere, vires supra aetatis seu conditionis naturam ostendere et id genus alia, quae cum plurima occurrunt, majora sunt indicia“ etc.

2. *magica* non videtur admittenda. Hujus enim nomine intelligimus facultatem positis quibusdam signis effectus miros daemonis ope *certo et constanter* producendi. Atqui non facile probabitur Deum semper daemonibus, qui citra ipsius permissionem nil possunt, permissurum, ut pro lubitu homines infestent atque omnibus impiorum conatibus in hominum damnum inserviant, quotiescunque scil. magis vel sagis certa adhibere libuerit signa. Haec deinde ars quandam daemonis supponit omnipraesentiam, liberrimum in res creatas dominium atque in promisso servando fidelitatem, quae *supponi* quidem *gratis* possunt, *probari* vero *nequeunt*.

668. *Facta* **3.** seu eventus magici nequeunt revocari in dubium. Nomine facti magici designamus quemlibet effectum ab homine ope daemonis productum. Fatemur quidem, nimia saepe peccatum fuisse credulitate; fatemur etiam, difficile saepe esse, effectum magicum ab effectu discernere mere naturali; tamen cum facta magica sint possibilia, et tot facta a testibus fide dignis referantur, eorum exsistentiam in dubium vocare non licet; eoque minus quod sacrae literae sat clare 2. Thess. 2, 9; Matth. 24, 24. ejusmodi factorum testentur exsistentiam et clarius adhuc patres, qui insuper explicant, quomodo daemones possint patrare opera stupenda. Cf. *opusc.* XV, 18. et 67; XIX, 116. ss.

669. Ad facta *magica* revocari possunt phaenomena *somnambulismi magnetici* et *artificialis*, in primis vero *spiritismi*. Illius phaenomena magis singularia ex. gr. sunt: Intuitio clara rerum etiam occultarum vel maxime distantium; cognitio cogitationum; sensuum commutatio, qua v. gr. visus transfertur ad occiput vel epigastrium, auditus ad pedes etc.; elevatio facultatum intellectualium, adeo ut vel rudes calleant veritates metaphysicas vel medicas accuratas, idiomata ignota etc. Phaenomena vero magis singularia *spiritismi* sunt corporum per aëra translatio et motus miri, omnis generis soni, responsa ad quaestiones propositas per pulsus seu percussiones certo numero editas, vel per manus personae, quae *medium* dicitur, virtute invisibili sive admotas alphabeti literis, e quibus responsio componitur, sive ad eam scribendam applicatas etc. Praecipuum autem phaenomenon est *evocatio spirituum*, angelorum scil. et animarum hominum defunctorum: qui spiritus comparent atque personam assumunt sanctorum, b. Mariae V., imo ipsius Christi, atque ad quaestiones propositas respondent ac pro auditorum ratione modo haeresim calvinianam, modo doctrinam catholicam, plerumque tamen rationalismum purum putidumque naturalismum depraedicant.

670. De horum phaenomenorum *veritate historica* nullum oriri potest dubium prudens. Confirmatur enim ea **a.** innumerorum hominum testimonio, etiam **b.** a doctis, a viris in ecclesiastica dignitate constitutis, quorum maximi intererat fraudes, mendacia, praestigia detegere; a testibus insuper **c.**, qui illa facta prius negabant atque irridebant. Confirmantur **d.** phaenomena saltem somnambulismi magnetici authentica relatione a deputatione facultatis medicae parisiensis post examen data opera et diligentissime per quinquennium (1826—1831.) institutum edita.

671. Haec vero phaenomena **1.** nequeunt proficisci tamquam a causa *adaequata* vel principali *a fluido aliquo materiali,* cum plura attingant ordinem spiritualem, atque prodant causam *intelligentem* et *liberam.* Neque **2.** horum causa *physica* et *immediata* esse potest *voluntas* sive personae magnetizatae, sive personae magnetizantis, quia hominis non est proprium agere solo nutu atque producere effectus adeo miros. Quod si *sola voluntas humana* sufficeret ad hos producendos effectus, cur non semper pro lubitu eos producere potest? Eadem de causa **3.** horum effectuum *causa physica* et *mediata* non est *voluntas humana* mediantibus viribus, quae ejus subsunt nutui; insuper non potest homo alteri communicare, quo ipse prorsus caret, ut est notitia linguarum vel rerum, quas ipse penitus ignorat. Quare **4.** poterit quidem homo esse causa *mediata* et *moralis,* praeter quam tamen alia causa *immediata, physica, intelligens,* hominum nutui saepe obsequens est statuenda. Quae **5.** neque Deus est, neque angeli boni sunt, ut manifestum est.

672. Quare **6.** concludendum est, *horum phaenomenorum* si non omnium, multorum certe, *daemonem esse causam.* Neque enim **a.** causa alia cum *ulla probabilitatis specie* assignari potest; daemon vero **b.** *plane sufficiens* et par est (supposita Dei permissione) ejusmodi producendis phaenomenis, et Christus **c.** praedixit venturos esse pseudochristos et pseudoprophetas, qui daturi essent *signa magna et prodigia* ad decipiendos vel ipsos electos Matth. 24, 24., utique *ope daemonis,* ut colligitur ex 2. Thess. 2, 9. Auctoritate etiam **d.** patrum constat, jam olim similia contigisse phaenomena, quae adscribere solebant *daemoni.* Ita ex. gr. scribit jam Tertullianus *Apolog.* c. 23. n. 92: »Porro si et magi phantasmata edunt, et jam defunctorum infamant animas (quando scil. animae virorum celebrium ad nutum sagae nefariae excitantur vel excitari simulantur), si pueros in eloquium oraculi elidunt (incantant, ut corruant velut caduci, in quo dein statu plura praesagire solebant), si et somnia immittunt, habentes semel invitatorum angelorum et daemonum assistentem sibi potestatem, per quos et caprae et *mensae divinare consuerunt:* quanto magis ea potestas de suo arbitrio et pro suo negotio studeat totis viribus operari, quod alienae praestat negotiationi?« Quibus omnibus expensis *non temere* affirmatur, *somnambulismum magneticum et spiritismum,* si secundum *potiora* eorundem spectentur phaenomena, *instaurationem esse superstitionis et magiae paganae,* quae praesertim ante Christi adventum religionisque christianae per orbem propagationem viguit, et modo invalescente iterum incredulitate et multorum a Deo apostasia reviviscere incipit, forma quidem nonnihil immutata et ad urbanitatem quandam redacta. Digna poena, ut qui prae superbia Deo, cui servire regnare est, obsequi nolunt, mancipia fiant atque ludibrium daemonum.

Tractatus VII.

De Verbo incarnato.

673. *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum: et plagis impositis abierunt semivivo relicto. Accidit autem, ut sacerdos quidam descenderet eadem via, et viso illo praeterivit. Similiter et levita, cum esset secus locum et videret eum, pertransiit. Samaritanus autem quidam iter faciens venit secus eum, et videns eum misericordia motus est. Et appropians alligavit vulnera ejus infundens oleum et vinum: et imponens illum in jumentum suum duxit in stabulum et curam ejus egit.* Luc. 10, 30. ss. Haec, quae parabolam referre videntur, paucis enunciant, quae disputatione praecedenti fuse demonstravimus quaeque in hac atque in sequenti dicemus. Homo enim ille, si patrum unanimem audimus interpretationem, non est alius ab *Adamo,* qui ex felicissima paradisi conditione redactus est in miserum praesentis vitae statum incidens in daemonis insidias, qui eum donis supernaturalibus despoliavit, atque ablatis donis praeternaturalibus multiplici affecit vulnere. Lapsum genus humanum neque lex, neque prophetae erigere valuerunt. Quod cum videret unigenitus Dei Filius, misericordia motus appropiavit i. e. accessit descendens per assumptionem naturae nostrae, qua semetipsum exinanivit in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo; sollicite nostri gessit curam, vulnera sanavit, bona ablata restituit atque ita Adami reparavit ruinam.

674. Lapsum humani generis consideravimus, consideremus modo ejus *reparationem* per *Verbi incarnationem.* Universa autem doctrina *de incarnatione* in *duas* partes dividi potest, in *Christologiam* scil. et in *soteriologiam:* quarum illa Verbum incarnatum in se, personam boni samaritani seu Redemptoris, altera vero ejus opus in hominum salutem contemplatur. *Christologia* vero *sex* in capita dispescitur, quorum quatuor ex ipsa incarnationis analysi sponte sua eruuntur, alia vero duo appendicis instar ad uberiorem mysterii adjiciuntur illustra-

tionem. Considerare enim 1. possumus *personam divinam,* quae visibilem assumpsit naturam; 2. *naturam assumptam;* 3. habitum, qui inter personam assumentem naturamque assumptam intercedit, seu *unionis rationem;* 4. *ea quae* unionem sponte sua *consequuntur.* Expendemus deinde 5. incarnationis *necessitatem,* atque 6. quaecunque spectant *ab b. Mariam V.,* ex qua carnem sumpsit Verbum.

PARS I.

Christologia.

Caput I.

675. **Thesis XCVI.** ***Unigeniti incarnatio 1. non fuit absolute necessaria; neque 2. necessaria fuit in hypothesi sive creationis, sive lapsus humani generis, sive reparationis ejusdem; necessaria tantum fuit 3. in hypothesi, quod Deus noluerit humanum reparare genus citra exhibitam sibi satisfactionem condignam.***

Demonstratio p. I. *Incarnatio Filii Dei absolute non fuit necessaria.* Sane 1. incarnatio praesupponit creationem, quae certe non est absolute necessaria (n. 563.) 2. Incarnatio fructus est caritatis, gratiae et misericordiae erga humanum genus lapsum, gratia vero et misericordia necessitati non subsunt. 3. Fides docet Filium Dei propter nos nostramque salutem factum esse hominem. Quod si incarnatio esset absolute necessaria, jam non propter nos sed propter semetipsum Deus fieret homo: sicut nec propter nos nostramque salutem Pater ab aeterno genuit Filium.

676. **Demonstratio p. II.** Multiplici distincta hypothesi tenendum est, *incarnationem in hypothesi creationis non fuisse necessariam.* Hoc defendimus contra eos, secundum quos Deus liber quidem fuit in decernenda creatione, qua semel decreta debuit ex amore suae infinitae perfectionis illum eligere mundum, quo sua gloria perfectissime manifestaretur. Ejusmodi vero mundus est ille, cujus fastigium est incarnatio. Verum 1. horum opinio innititur systemati, quod *Optimismus* dicitur, cujus vidimus falsitatem (n. 566.). 2. Quomodocunque demum incarnatio spectetur, licet stupenda plane sit divinae gloriae manifestatio, semper tamen est quaedam etiam Dei demissio et exinanitio et indebita exaltatio creaturae in Deum. Atqui sat humiliter cogitant de Deo, qui defendunt, eum debere, quo creatura sua sit perfecta opusque se dignum, exinaniri et hypostatica unione naturam complecti humanam, nec alio modo posse condigne suam manifestare gloriam. Quare dum nimis sunt solliciti de opere manuum Dei, obliviscuntur divinae majestatis, nec ejus ut par est rationem habent. Quanto magis resplendet Dei misericordia, independentia, adeoque majestas, si in hypothesi creationis nulla actus necessitate, sed sola caritate motus naturam assumat humanam?

677. **Demonstratio p. III.** *Neque necessaria est incarnatio in hypothesi lapsus humani generis.* Quod suaderi potest **1.** analogia quadam; si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, nec parcere debuit humano generi lapso, proinde nec illud per incarnationem reparare. **2.** Exaltatio in illum statum, e quo lapsus est homo, plane indebita fuit (thes. LXXXIX.); ergo et restitutio in illum statum erit indebita. Quocirca **3.** passim in divinis literis humani generis reparatio et reconciliatio per incarnationem caritati, misericordiae, gratiae divinae adscribuntur. Cf. Rom. 3, 24; Ephes. 2, 4. ss.; Tit. 2, 11; 3, 4. s.

678. **Demonstratio p. IV.** *Neque absolute necessaria fuit incarnatio in hypothesi, quod Deus voluerit humanum genus lapsum reparare:* quae propositio, teste Valentia in 3. p. disp. 1. q. 1. p. 5., „sententia est certissima et communis omnium theologorum, quam defendit d. Thomas 3. p. q. 1. a. 2.“ Et merito, cum opinio opposita **1.** citra rationem sufficientem divinae sapientiae et potentiae limites ponat. Quam ob rem **2.** passim a patribus[1]) reprobatur. Ita ab Athanasio or. 2. *c. arian.* n. 68: „Sine ullo ejus (Filii) adventu poterat Deus tantummodo dicere atque ita solvere maledictionem. Verum attendere oportet, quid sit hominibus utile, non autem, quid in omnibus possit Deus;“ ab Augustino *de agone christ.* n. 12: „Sunt autem stulti, qui dicunt: Non poterat aliter Sapientia Dei hominem liberare, nisi susciperet hominem et nasceretur ex femina, et a peccatoribus omnia illa pateretur! Quibus dicimus: Poterat omnino! Sed si aliter faceret, similiter vestrae stultitiae displiceret;“ a Bernardo ep. 190. *ad Innocentium* II. c. 8. n. 19: „Quis negat omnipotenti ad manus fuisse alios et alios modos nostrae redemptionis, justificationis, liberationis?“ . . .

679. **Demonstratio p. IV.** *Necessaria fuit incarnatio ea in hypothesi, quod Deus citra condignam satisfactionem sibi exhibitam noluerit*

---

[1]) Si qui patres sint, qui doceant Verbi incarnationem fuisse necessariam (cf. Petavium l. 2. *de incarn.* c. 12.), ii intelligendi sunt non de necessitate *absoluta*, sed de *hypothetica*, scil. ea in hypothesi, in qua hanc necessitatem ipsi concedimus: vel de ea necessitate, quae nonnisi *congruentiae* aequipollet, quo sensu etiam s. Thomas 3. p. q. 1. a. 2. incarnationis necessitatem tuetur. Ceterum ex dictis infertur, potuisse Deum citra Verbi incarnationem intuitu satisfactionis a puro homine exhibitae reparare humanum genus. Qui enim potest citra ullam satisfactionem remittere offensam, a fortiori poterit eam condonare qualicunque demum satisfactione contentus. Hic vero reparationis modus toto coelo distaret a reparatione per Christum, quae secundum omnia sua adjuncta spectata tam abundans, tam splendida, tam efficax et gratiarum fecunda fuit, ut vel sola argumentum sit haud invalidum divinitatis illius, qui ejusmodi reparationis auctor est et fons.

humanum reparare genus. Cujus ratio ita paucis poterit enunciari: Ut satisfactio sit condigna, hoc est, offensae adaequata compensatio, opus est, ut persona satisfaciens sit dignitatis aequalis cum persona offensa, vel certe ut non tanta sit inter eas distantia, quae nulla operum excellentia possit exaequari. Sicut enim injuriae gravitatem in primis personae offensae dignitate dimetimur, ita satisfactionis valorem personae satisfacientis aestimamus dignitate. Quod si hoc merito in quacunque satisfactione condigna postulatur, a fortiori exigi poterit, si unica satisfactione sint delendae culpae prope innumerae, promerendaque innumera gratiae dona. Atqui Deum inter et creaturam quamlibet distantia est infinita. Nulla proinde pura creatura condigne poterit pro humani generis peccatis satisfacere Deo; quare ut ejusmodi satisfactio condigna sit possibilis, necessaria est personae divinae incarnatio. Persona enim divina incarnata secundum eam naturam, quam assumpsit, poterit satisfacere, quod secundum naturam divinam non potest; et quia infinitae est majestatis, in has satisfactiones secundum naturam assumptam exhibitas infinita redundabit dignitas, valor atque pretium, quo carent actiones cujuscunque creaturae. Ad rem Ambrosius l. 6. *in Luc.* n. 108: „Quis tantus homo, inquit, in quo omnium peccata morerentur? Idcirco non unus e plebe, non unus e numero, sed Filius Dei a Deo Patre electus est, qui cum supra omnes esset, pro omnibus se posset offerre: quem mori oportuit, ut cum esset fortior morte, alios liberaret."

680. **Scholion I.** Quaerunt theologi, utrum Filius Dei humanam induisset carnem, etiamsi Adamus non peccasset. Affirmant gravissimi theologi ut Albertus M., Suarez, Ysambert, Frassen etc., qui statuunt, Deum ante res omnes decrevisse incarnationem Filii sui propter excellentiam mysterii et gloriam Christi; ita ut ipse finis esset totius creationis, ac propterea venturus etiam si Adam non peccasset, non tamen in carne passibili. Verum non minus graves theologi ut Bonaventura, Valentia, Petavius, Lessius etc., cum Thoma 3. p. q. 1. a. 3. id negant. Cui sententiae *neganti* 1. favent *Scripturae,* quae constanter, diserte vel aequivalenter, rationem missionis et incarnationis Filii exhibent nostram ruinam, mundi peccatum, Adami lapsum etc. „Unde, infert Thomas, cum in s. Scriptura *ubique* incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur, *convenientius* dicitur, incarnationis opus ordinatum esse a Deo in remedium contra peccatum, ita quod peccato non exsistente incarnatio non fuisset." Favent 2. patres, qui aequivalenter et *diserte* huic subscribunt sententiae. Ita s. Leo s. 48. al. 47. n. 1: „Nec alia fuit Dei Filio causa nascendi, quam ut cruci posset affigi;" s. Athanasius *de incarn.* n. 4.: „Quia enim sermonem habemus de Salvatoris nostri ad nos adventu, necesse est etiam de hominum primordiis loqui, quo plane perspicias nostram causam ejus adventus fuisse occasionem nostroque peccato Verbi benignitatem excitatam fuisse, ut ad nos accederet et inter homines Dominus appareret;" Ambro-

sius *de incarn. dominicae sacramento* c. 6. n. 56: »Quae erat causa incarnationis, nisi ut caro, quae peccaverit, per se (i. e. per Verbum) redimeretur?« Augustinus *serm.* 175. al. 9. *de verbis Apostoli* n. 1: »Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, et nulla est causa medicinae;« Theodoretus *in 1. Tim.* 1, 15: »Quod peccatorum gratia Unigenitus homo factus sit, ipsemet docuit in sacris evangeliis (Luc. 5, 32.).« Ad rem proinde Petavius expensis Scripturae effatis non aliam incarnationis causam praeter peccatum significantibus subjicit l. 2. c. 17: »Divinare est ergo, comminisci causam aliam adventus illius et susceptae carnis praeter hanc, quam unicam tot illa fidei oracula et coelestia responsa personant.«

681. **Scholion II.** Non inutile erit, paucis in antecessum attigisse quasdam difficultates, quae contra ipsam *mysterii hujus possibilitatem* urgeri solent. Videtur enim incarnationis mysterio in discrimen vocari *immutabilitas* Dei. Quam difficultatem ut minuant patres, ad nonnullas provocant analogias, quarum illa maxime ipsis est familiaris, quam petunt ex verbo mentis: quod cum pronunciatur, veluti incarnatur, sensibile ac quodammodo palpabile redditur, absque ulla sua mutatione. »Cum intellectus inest cordi meo, inquit Augustinus *serm.* 28. n. 5., et volo, ut insit etiam cordi tuo, quaero, qua ad te transeat, quasi vehiculum sonum: assumo sonum et quasi impono intellectum, et profero et produco, et doceo et non amitto. Si potuit hoc facere intellectus meus de voce mea, non potuit Verbum Dei de carne sua? Ecce enim Verbum Dei, Deus apud Deum, Sapientia Dei manens incommutabiliter apud Patrem ut procederet ad nos, carnem quasi sonum quaesivit eique se inseruit et ad nos processit et a Patre non recessit.« Alia analogia utitur s. Bonaventura in 3. dist. 1. a. 1. q. 1. scribens: »Si enim crystallus superinducatur radio jam domum illuminanti, crystallus illuminari dicitur et a radio pertransiri et ei copulari absque mutatione facta ex parte radii, sed solum ex parte crystalli: sic suo modo, sed longe spiritualius intelligendum est in natura assumpta et persona Verbi.« Ideo autem Verbum per incarnationem non mutatur, quia ad proprie dictam mutationem requiritur, ut aliquid aliter simpliciter et absolute se habeat, quam prius: ut acquirat aliquid, quod antea simpliciter et omnino non habebat. Res autem, quae modo aliquo praestantiori, nempe eminenter, aliquid prius habuit, non proprie mutatur, si illud postea acquirat formaliter, quia non simpliciter et absolute illo prius carebat. Si autem diceretur mutari, lis esset de *nomine*, non de *re*. Atqui Verbum assumptione naturae humanae nil acquisivit, quod antea eminentissime jam non possideret. Verbi igitur persona naturae humanae accessione non fuit immutata.

682. Alia ex parte impugnatur Verbi incarnatio, quod scil. fieri non possit, ut una persona divina sine altera incarnetur, eoque magis, quod opera ss. Trinitatis ad extra sint communia (n. 530.). Ad quam difficultatem solvendam advertimus **1.** productionem et unitionem visibilis naturae, qua invisibilis ex sese Unigenitus conspicuus factus est, si spectentur *efficienter* seu quatenus sunt operationes, Deo uni et trino esse asserendas. Quod docent definitiones conciliorum, patres et ipsae Scripturae, quae incarnationem modo Patri Hebr. 10, 5; modo ipsi Filio Phil. 2, 6; modo

Spiritui s. adscribunt Matth. 1, 18. col. Luc. 1, 35. Quare merito dicit Durandus in 3. dist. 1. q. 2. n. 6. »totam ss. Trinitatem incarnare, sed non incarnari.« Quod non impedit **2.** quominus incarnationis opus speciali modo Spiritui sancto *approprietur* (n. 549.). Inde tamen **3.** inferre non licet, Spiritum s. esse vel dici posse *patrem* Christi. Cujus rationem reddit s. Thomas l. c. a. 3. scribens: »Necessarium scil. est ad hoc, ut quis dici possit alterius Filius, ut nascatur in similitudinem naturae illius, qui dicitur pater; sed Christus non est natus ex Maria V. in similitudinem naturae Spiritus sancti.« Si vero **4.** quaeritur, qua ratione fieri possit, ut natura humana solius sit Filii, respondemus **a.** cum Claudiano Mamerto *de statu animae* l. 3: »Quaerunt rationem hujus mysterii, quod semel factum est, cum ipsi reddere rationem nequaquam possint ejus rei, quae fit semper, quomodo societur anima corpori, ut fiat homo.« Deinde **b.** haec unio in eo consistit, quod is, qui habuit ab aeterno divinam naturam, in tempore sibi vindicet ac propriam habeat humanam atque accidentis prope in modum sustentet, qua citra realem sui immutationem homo denominatur. Sicut, ut non desit aliqua analogia, si plures pronuncient nomen Petri, sonus quidem seu vox efficitur a pluribus ac proinde *efficienter* ad plures spectat, sed unum tantum significat seu *significative* ad unum pertinet; vel si tres unam vestiunt puellam (qua analogia utitur s. Bonaventura), una est induta, licet tres in ea induenda occupentur. Cf. annot. 1. p. 320.

Caput II.

De persona assumente naturam humanam seu de divinitate Christi.

683. **Thesis XCVII.** ***Filius Patris unicus in beata temporum plenitudine de coelo descendit naturaque humana assumpta visibilis inter homines apparuit atque alius non est a Christo Jesu.***

Demonstratio. Ex tractatu de ss. Trinitate supponimus contra sabellianos, tres esse personas realiter distinctas in natura divina; supponimus deinde secundam personam i. e. Patris Filium seu Verbum esse Deum (th. LXXIII.). Quod modo quaeritur est, utrum homo ille, qui dicitur *Christus Jesus,* quique visibilis inter homines versabatur, sit Deus, Dei Filius in humana forma seu natura conspicuus, Verbum caro factum. Hoc propugnamus tamquam dogma fundamentale religionis christianae omnibus symbolis plus minusve expressum ac nunquam non ab universa Ecclesia contra haereses quam plurimas assertum. Supposita Verbi divinitate facile illud probatur, cum Scripturae passim testentur[1]), Verbum factum esse carnem, et habitasse

[1]) Joan. 1, 14: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis;* Joan. 3, 16: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam;* Rom. 8, 32; Gal. 4, 4;

inter nos; Patrem misisse, dedisse Filium suum Unigenitum, qui factus sit ex muliere, propitiatio pro peccatis nostris. Hic autem tota Scripturarum serie exhibetur non alius a Christo Jesu. Ergo Christus Jesus est Deus incarnatus, Deus conspicuus in forma humana.

684. Verum Filii seu Verbi divinitate non supposita, thesis veritas inde probatur, quod in divinis literis Christus Jesus clarissime praedicetur *Deus, Deus verus, Deus magnus, Deus super omnia benedictus, Deus Jehovah* (n. 507.). Cum autem aliunde constet, eum esse hominem, certum omnino est, Deum manifestatum esse in carne secundum promissiones[1]) patribus factas. Quibus adde ad Philip. 2, 5: *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo.* Hic enim sermo est de Christo Jesu, qui evidenter exhibetur Deus: quomodocunque enim explicetur illud *in forma Dei,* talis semper ei adscribi debet conditio et natura, ratione cujus absque ulla Dei injuria aequalem se Deo arbitrari possit. Atqui plane evidens est, hoc tantum posse, si habeat naturam divinam, si et ipse sit Deus. Ergo manifesto Christus Jesus Deus perhibetur. Simul vero affirmatur eum habuisse naturam humanam, hominis instar inter nos esse versatum. Ergo Christus Jesus Deus est in humana natura conspicuus seu carofactus[2]).

At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege: ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut filiorum adoptionem reciperent; 1. Joan. 4, 9: *In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum Unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum;* 5, 20.

[1]) Is. 35, 4. s.: *Dicite pusillanimis: Confortamini et nolite timere, ecce Deus vester ultionem adducet retributionis, Deus ipse veniet, et salvabit vos. Tunc aperientur oculi coecorum* etc.; 52, 6: *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum;* Zach. 2, 10: *Lauda et laetare, filia Sion, quia ecce ego venio et habitabo in medio tui, ait Dominus;* Baruch 3, 36. ss.: *Hic est Deus noster et non aestimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinae et tradidit illam Jacob puero suo et Israel dilecto suo. Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est;* Mal. 3, 1. s.: *Ecce ego mittam angelum meum: et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.*

[2]) Martyrum testimonium, quod maximi est faciendum, cf. *opusc.* XIII, 7. ss. Vel ipsis gentilibus innotuit haec christianorum fides, ut patet ex Hierocle, eorum acerrimo adversario (qui floruit c. a. 300.), qui inter Christum et Apollonium thyanaeum comparationem instituit, „ut liceat contendere invicem accuratum nostrum solidumque de re quavis judicium et animi in christianis levitatem. Quandoquidem nos quidem tam magna operatum non Deum, sed tamen deorum amicum esse arbitramur. Illi vicissim ob exiguas quasdam praestigias Jesum

Caput III.

De natura humana assumpta.

685. **Thesis XCVIII.** ***Natura, quam Dei Filius assumpsit, non apparens tantum fuit et simulata, sed vera et solida, coalescens ex corpore non aliunde quam de b. Maria V. assumpto et anima eaque rationali. Quare Christus Jesus Filius Dei incarnatus non solum verus Deus, sed verus etiam est homo.***

Demonstratio p. I. Saepissime Ecclesia ea, quae hac enunciamus thesi, modo singillatim, modo omnia simul definivit; plenissime in conc. viennensi, quod in Clementina *de summa Trinit. et cath. fide* profitetur: „Cum s. matre Ecclesia confitemur, Unigenitum Dei Filium in iis omnibus, in quibus Deus Pater exsistit, una cum Patre aeternaliter subsistentem partes nostrae naturae simul unitas, ex quibus in se verus Deus exsistens fieret verus homo, humanum scil. corpus passibile et animam intellectualem seu rationalem ipsum corpus vere, per se et essentialiter informantem assumpsisse in tempore ex virginali thalamo ad unitatem suae hypostasis et personae." Adeo vero evidens est prima hujus thesis pars, quae statuitur contra docetas seu phantasiastas Christo asserentes corpus tantum apparens et simulatum, ut in dubium vocari non possit, quin et universa oeconomia christiana subvertatur, et principia probentur, quibus admissis non modo veritas theologica, sed universim historica et empirica certitudo pariter labefactetur[1]). Quare sufficiet quaedam cum patribus animadvertisse. Sic s. Augustinus *l. 83. qq.* p. 14. belle scribit: „Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus, et si fefellit, veritas non est. Est autem veritas Christus: non igitur fuit phantasma corpus ejus;" et Tertullianus *adv. Marc.* l. 3. c. 8: „Jam nunc cum mendacium deprehenditur caro Christi, sequitur, ut ea omnia, quae per carnem Christi gesta sunt mendacio gesta sint . . . Eversum est igitur totum Dei opus, totum christiani nominis et pondus et fructus; mors Christi negatur, quam tam impresse Apostolus demandat utique veram, summum eam fundamentum constituens Evangelii et salutis nostrae et praedicationis suae. Negata vero morte nec de resurrectione constabit. Proinde Christi resurrectione infirmata etiam nostra subversa est."

686. Ad hanc et seqq. partes illustrandam referri possunt quae patres

---

Deum esse praedicant (apud Eusebium l. *contra Hieroclem* c. 2.).' Ad solvendas difficultates contra Christi divinitatem consule principia statuta n. 510.

[1]) Neque huic assertioni obsunt verba Pauli Rom. 8, 3: *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati:* quibus non detrahitur Christo universim humanae carnis *substantia,* sed quaedam carnis humanae qualitas seu potius *vitium,* infectio scil. per peccatum.

fuse admodum disputant, ut ostendant, *quam conveniens fuerit, ut Dei Filius assumeret naturam humanam.* Eam voluit assumere, **a.** »ut quod victum fuerat, vinceret«, ut ait Damascenus *de fide orth.* l. 3. c. 18. Ut **b.** veluti bonus medicus nobiscum infirmaretur; »nam medicus, inquit Petrus Chrysologus *serm.* 50., qui non fert infirmitatem, curare nescit: et qui cum infirmo non fuerit infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem;« ut redderetur nobis plane familiaris secundum illud Pauli: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos* (1. Cor. 9, 22.). Quam Verbi attemperationem Augustinus saepe extollit atque miratur et praeclare illustrat similitudine scribens tract. 98. *in Joan.* n. 6: »Nam et in ipsis, quae sumimus, alimentis, usque adeo non est lacti contrarius solidus cibus, ut ipse latescat, quo possit esse aptus infantibus, ad quos per matris vel nutricis pervenit carnem: sicut etiam fecit mater ipsa Sapientia, quae cum sit in excelsis angelorum solidus cibus, dignatus est quodammodo lactescere parvulis, cum *Verbum caro factum est et habitavit in nobis* (Joan. 1, 14.).« Et Augustini premens vestigia Bernardus s. 35. *in cant.* n. 3.: »Erat illi (Adamo innocenti) sors et societas cum plebe angelorum et cum omni militia coelestis exercitus. Sed mutavit istam gloriam Dei in similitudinem vituli comedentis foenum. Inde est, quod panis angelorum factus est foenum positum in praesepio, appositum nobis tamquam jumentis. *Verbum quippe caro factum est;* et juxta prophetam, *omnis caro foenum* (Is. 40. 6.).«

687. Sed in primis **c.** voluit Verbum homo fieri, ut exemplo nobis praeiret. »Itaque Filius Dei, inquit ad rem Augustinus *de agone christ.* c. 12., hominem (i. e. singularem humanam naturam) assumpsit, et in illo humana perpessus est. Haec medicina hominum tanta est, quanta non potest cogitari. Nam quae superbia sanari potest, si humilitate Filii Dei non sanatur? Quae avaritia sanari potest, si paupertate Filii Dei non sanatur? Quae iracundia sanari potest, si patientia Filii Dei non sanatur? Quae impietas sanari potest, si caritate Filii Dei non sanatur? Postremo quae timiditas sanari potest, si resurrectione corporis Christi Domini non sanatur? Erigat spem suam genus humanum, et recognoscat naturam suam; videat quantum locum habeat in operibus Dei . . . Quem dignatur imitari vitiosa jactantia, ut ad virtutem percipiendam possit adduci, si erubescit imitari eum, de quo dictum est, antequam nasceretur, quod Filius Altissimi vocabitur (Luc. 1, 32.)? . . . O medicinam omnibus consulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabescentia reficientem, omnia superflua resecantem, omnia necessaria custodientem. omnia perdita reparantem, omnia depravata corrigentem!« Aliis praetermissis **d.** eximiam rationem reddit Lessius, quam ita enunciat[1]): »Fuit iste modus congruentissimus perfectioni

[1]) *De perfectionibus div.* l. 12. c. 4. Hinc intelligitur, quam miro modo per incarnationis mysterium omnia in Deum, universorum finem et apicem, revocentur. Omnia enim vergere debent in hominis utilitatem, homines (saltem regeniti) membrorum instar revocantur ad Christum caput; Christus ipse in gloriam est Patris. Quae praeclarissime expressit Paulus illis verbis: *Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura: omnia enim vestra sunt: vos autem Christi, Christus autem Dei* (1. Cor. 3, 22.).

totius universi . . . quia homine assumpto, totum universum quodammodo assumptum et divinitati connexum est. Nam in homine quodammodo est tota rerum universitas, quatenus in eo sunt omnes rerum gradus. Unde et μικροκόσμος dictus est a philosophis. Itaque omnes rerum gradus in illo assumpti. Tum quia totum universum accepit caput et rectorem sibi congruentem, nempe homogeneum ac ejusdem naturae, sive natura corporea spectetur sive incorporea. Tum quia sic universo additus est supremus gradus communionis divinae. Cum enim antea solum constaret gradu naturae et gratiae, accessit gradus unionis hypostaticae, qui omnium est excellentissimus.«

688. **Demonstratio p. II.** *Carnem* a Verbo assumptam *non fuisse aëream* vel *sideream*, ut Apelles et Valentinus somniabant, manifestum est **1.** ex divinis literis Rom. 1, 3; Gal. 3, 16., ubi Christus dicitur *factus ex semine David*, *semen Abrahae*[1]), *filius hominis, filius David, Abrahae, Mariae* Matth. 1, 1. et 21. ss. etc. Manifestum est **2.** ex appellatione *matris* Mariae passim tributa Luc. 1, 43; Matth. 2, 13., et ex Luc. 1, 35: *Quod nascetur ex te,* unde Athanasius ep. *ad Epictetum* arguit: „Non enim absolute dixit (angelus), quod gignetur *in te,* ne extrinsecus in illam inductum corpus ejus putaretur: sed *ex te* dixit, ut quod vere genitum esset, originem ex illa sumpsisse manifeste crederetur[2])."

---

[1]) Licet autem Christus dicatur et sit *filius Abrahae, semen David* etc., non tamen propterea sequitur, eum eodem modo fuisse secundum carnem in lumbis patrum, quo nos fuimus. Christus fuit in illis *secundum carnem* tantum, quae bona est creatura, non autem *secundum modum propagationis naturalis ex concupiscentiae lege,* quo ibi sunt reliqui omnes homines: neque enim natus est secundum legem naturae, sed virtute Spiritus sancti. Quod subtiliter exponit Anselmus *de conceptu virg. et orig. pecc.* c. 23., ubi inter alia statuit: »De aliis (hominibus) erat in Adam . . . i. e. in ejus potestate, ut de illo essent; de isto (Christo) non erat in illo, ut aliquo modo esset: sicut non erat in limo, unde vir primus factus est, ut de illo esset mirabiliter, neque in viro, ut Eva de illo, quemadmodum facta est, esset. Sed nec in aliquo eorum, in quibus ab Adam usque ad Mariam, erat ut esset; fuit tamen in illis, quia erat in eis, unde ipse assumendus erat, quemadmodum erat in limo, unde primus homo factus est, et in eo unde Eva facta est, non voluntate creaturae aut potestate, sed sola divina virtute; sed iste tanto mirabilius et majori gratia, quanto illi puri homines, hic homo Deus factus est.« Cf. Franzelin thes. 10. Quaeri autem hic posset, quare Christus tam frequenter et consulto se dixerit *filium hominis.* Ita se appellavit humilitatis gratia, ad designandam veritatem carnis seque vere unum esse ex nobis; ad provocandum tanta demissione nostrum amorem atque fiduciam, ad insinuandam se esse humani generis exemplar atque ideam, hominem per excellentiam.

[2]) Neque adversarios juvant verba Pauli 1. Cor. 15, 47: *Primus homo de terra terrenus: secundus homo de coelo coelestis.* Nam et ex antecedentibus et ex consequentibus liquet, sermonem ibi esse non de *origine* et *essentia* visibilis na-

689. Cur autem Dei Filius voluerit humanam naturam ex femina assumere, praeclare explicant patres. Voluit teste Augustino *ep.* 3. de femina nasci, quod partus ex femina efficax sit argumentum, se vere nostram induisse naturam. Aliam rationem suggerit *de agone christ.* c. 22. n. 24: „D. J. Christus, qui venerat ad homines liberandos, in quibus et mares et feminae pertinent ad salutem, nec mares fastidivit, quia marem suscepit, nec feminam, quia de femina natus est. Huc accedit magnum sacramentum, ut quoniam per feminam nobis mors acciderat, vita nobis per feminam nasceretur.“ Praeterea de femina voluit nasci, ut vere esset ex genere nostro atque ita aptissimus mediator, qui sanguinis vinculo conjunctus cum humano genere damnationi obnoxio causam nostram in se susciperet, atque satisfactione oblata nos secundum carnem fratres Patri coelesti, utpote innocentissimus dignissimusque, reconciliaret[1]. Cf. Thomas 3. p. q. 31. a. 4.

690. **Demonstratio p. III.** Contra arianos tenendum est *Verbum assumpsisse corpus anima informatum.* Et sane **1.** in opposita sententia admitti deberet, vel Christum nullos esse expertum dolores, cum corpus inanime doloris sit incapax: vel divinitatem ipsam passioni fuisse obnoxiam, quod utrumque absurdum. **2.** Scriptura vel *diserte* adscribit Christo animam, ut Matth. 26, 38: *Tristis est anima mea usque ad mortem;* 27, 50: *Jesus clamans voce magna emisit spiritum* etc., vel *aequipollenter,* quoties scil. ei tribuit obedientiam, meritum,

---

turae ab Unigenito assumptae, sed de *specie* gloriaque humanitatis *redivivae,* quae proportione respondeat gloriae statuique coelesti, in quo post resurrectionem est Christus et cujus nos quondam, scil. post nostram resurrectionem, participes futuros speramus. Paulo secus textum hunc explicat Thomas l. 7. in *1. Cor. 15, 47:* „Dicit (Ap.) primum hominem *de terra* secundum modum loquendi, quo res de illo esse dicuntur, quod prima pars est in earum fieri; sicut cultellus dicitur de ferro, quia prima pars unde est cultellus, est ferrum, et quia prima pars, unde Adam factus est, terra est, ideo dicitur *de terra.* Secundus homo dicitur *de coelo,* non quod attulerit corpus de coelo, cum de terra assumpserit scil. de corpore b. V., sed quia divinitas, quae naturae humanae unita est, de coelo venit, quae fuit prior, quam corpus Christi;‘ vel quia (secundum alios) conceptus est de Spiritu sancto.

[1]) Gentiles et increduli offenduntur fidei articulo, quo verbum *incarnatum natumque ex Virgine* profitemur. Putant siquidem carnis vilitatem partumque ex muliere quam maxime dedecere Dei majestatem. Quapropter patres nulli non parcunt diligentiae, ut rationibus multiplicique similitudine maculam omnem ab hoc excludant mysterio. Provocant libenter ad solem, cujus radius nulla inquinatur macula, licet per sordes diffundatur. Rufinus *in symb. ap.* n. 12. alia non minus egregia comparatione utitur. „Si quis, inquit, videat parvulum in profundo coeni necari, et ipse, cum sit vir magnus et potens, extremum, ut ita dixerim, ingrediatur coenum, ut parvulum liberet morientem, pollutusne a te accusabitur hic vir, qui paululum calcaverit luti: an ut misericors laudabitur, quod vitam contulerit morituro?‘ Scite vero animadvertit Tertullianus *c. Marc.* l. 3. c. 10: „Si ad certum spectamus, nulla substantia digna est, quam Deus induat. Quodcunque induerit, ipse dignum facit.‘

tristitiam etc., quae evidenter supponunt animam. **3.** Patrum suffragium cf. apud Thomassinum l. 4. c. 8. ss., qui illud in summam colligens l. 3. c. 18. n. 5. advertit: „Deinde non partes tantum naturae physicas, corpus et animam, sed et minutissima quaeque Verbo Deo ss. patres affigere laborarunt: dolorem, metum, lacrimas affectusque omnes, conceptum, natales, cunas, aetates omnes, esuriem, sitim, fatigationem aerumnasque omnes, ut quocunque irrepserat peccatum, insinuaretur et medicina, utque omnia mors tabefecerat, sic omnibus vita inspergeretur.“ Ita ex. gr. scribit Gregorius naz. or. 37. n. 2: „Somnum capit (Filius Dei), ut somnum benedicat; fortasse etiam fatigatur, ut fatigationem sanctificet; fortasse etiam lacrimas fundit, ut lacrimas laudabiles reddat.“

691. **Demonstratio p. IV.** *Animam* autem Christi *non fuisse mentis expertem* contra apollinaristas comprobatur **1.** ex eo quod Christus in s. Scriptura passim vocetur *homo* Joan. 8, 40; *filius hominis* Matth. 8, 20; 12, 32; *alter Adam* 1. Cor. 15, 45. etc. De ratione autem hominis est anima rationalis. Praeclare Augustinus tract. 47. *in Joan.* n. 9: „Videte absurditatem, inquit, et insaniam non ferendam: animam irrationalem eum habuisse voluerunt, rationalem negarunt; dederunt ei animam pecoris, subtraxere hominis.“ Idem **2.** patres unanimes testantur, qui libenter cum Gregorio naz. ep. 101. *ad Cledonium* n. 7. inculcant: „Si quis in hominem mentis expertem sperat, amens est revera, neque dignus, qui totus salvetur. Quod enim assumptum non est, curationis est expers: quod autem unitum est Deo, idipsum salute donatur; si dimidiatus tantummodo Adamus lapsus est, dimidiatum quoque tantummodo sit, quod assumitur et salvum fit. Quod si totus peccarit, toti quoque genito unitus est atque ex toto salutem assequitur.“ Quare **3.** concilium CP. I. a. 381. in *ep. synod.* statuit: „Incarnationis quoque doctrinam incorruptam servamus, neque animae neque mentis expertem vel imperfectam carnis dispensationem suscipientes, sed cognoscimus perfectum omnino Verbum Dei ante secula, perfectum hominem in novissimis diebus pro nostra salute factum esse.“

692. Ex dictis *corollarii* instar sequitur, Christum esse et verum Deum Patri consubstantialem et verum hominem nobis consubstantialem, ut statuit conc. chalcedonense: „Sequentes sanctos patres, unum eundemque confiteri Filium et Dominum nostrum Jesum Christum consonanter omnes docemus, eundemque perfectum in deitate et eundem perfectum in humanitate, Deum vere et hominem vere, eundem ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis eundum secundum humanitatem,

per omnia nobis similem absque peccato; ante secula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis diebus eundem propter nos et propter salutem nostram ex Maria Virgine Dei Genitrice secundum humanitatem."

693. **Scholion.** Filius Dei humanam assumendo naturam, assumpsit quoque *affectus* humanos, imo et *defectus* atque *miserias* naturae humanae. Quod adeo evidens est quoad passibilitatem ex divinis literis, ut si specie tenus iis fuisset obnoxius Christus, merito illa Augustini verba repetere possemus, quibus invicte probat Christum verum habuisse corpus (supra n. 685.; cf. etiam n. 687.). Quod vero Filius Dei *affectus* susceperit humanos, manifestum est vel ex eo, quod hi sponte sua et naturaliter consequantur naturam humanam. Ad rem Ambrosius in *Ps. 61.* n. 5: „Unde valde eos errare res indicat, qui carnem hominis a Christo ajunt esse susceptam, affectum negant, et contra ipsius Domini Jesu venire consilium, *qui hominem ex homine tollunt,* cum homo sine affectu hominis esse non possit."

694. Praeter hanc rationem *necessariam* plurimas *convenientiae* reddunt patres, quarum summa est, suscepisse Dei Filium humanos affectus, tristitiae, angoris etc. **1.** ut se verum testaretur esse hominem; **2.** ad consolationem infirmorum membrorum, ne desperent, quando turbantur etc., cum ipsum suum caput turbatum et ad mortem usque triste videant; **3.** ut discerent, quid ejusmodi in adjunctis ipsis sit agendum; **4.** ut hos affectus suscipiendo sanaret, nobisque vim eos moderandi sanctificandique inspiraret, ut s. Leo passim significat; ita s. 54. al. 52. n. 4: »Quibus verbis *(Tristis est anima mea* etc. Matth. 26, 38.) quandam formidinem profitentibus, nostrae infirmitatis affectus participando curabat, et poenalis experientiae metum subeundo pellebat. In nobis ergo Dominus nostro pavore trepidabat, ut susceptionem nostrae infirmitatis indueret, et nostram inconstantiam suae virtutis soliditate vestiret. Venerat enim in hunc mundum dives atque misericors negotiator e coelis, et commutatione mirabili inierat commercium salutare, nostra accipiens et sua tribuens, pro contumeliis honorem, pro doloribus salutem etc.« Cum tamen affirmamus Dei Filium nostros induisse *affectus,* non propterea statuimus, nullum plane fuisse discrimen inter affectus Christi et affectus nostros: ita enim illos habuit, ut **a.** nunquam in objectum aliquod illicitum, a lege divina dissonum, ferrentur; ut **b.** iidem nunquam rationis dictamen praeverterent atque rationis lumen turbarent, et ut **c.** pro nutu eos compescere, intendere vel minuere potuerit.

695. Quod vero humanae naturae *defectus* atque miserias spectat, advertatur **1.** eos esse duplicis generis: alii enim sunt *universales,* qui consequuntur naturam humanam rubiginis instar, ut mortalitas, passibilitas etc.; alii *particulares,* qui oriuntur ex aliqua causa particulari vel *physica,* ut caecitas a nativitate aliique morbi, vel *morali,* ex hominum peccatis, ut variae infirmitates. Jam vero **2.** humana Christi natura immunis quidem erat, utpote in suo genere perfectissima, a

defectibus particularibus, cujusmodi sunt morbi, membrorum vitia etc., obnoxia tamen erat defectibus communibus; poterat enim mori, varia incommoda pati, fatigari etc., iis exceptis, quae quandam indecentiam prae se ferunt, ut sunt ignorantia, concupiscentia. Ingens **3.** erat discrimen inter modum, quo Christus hisce erat obnoxius, et modum, quo nos illis subjicimur. Illos enim **a.** Dei Filius libere suscepit, nos vero necessario patimur. In nobis **b.** hi defectus consectarium sunt peccati originalis: Christus vero ideo illos admisit, ut remedium fierent contra originis peccatum. Ita nos **c.** iis sumus obnoxii, ut in nos dominentur; Christus vero pro nutu proque lubitu illis dominabatur, eosque vitare, temperare, suspendere etc. poterat. Ita nos **d.** hi defectus invadunt, ut toti patiamur iisque afficiamur: non vero totus Christus iis afficiebatur: attingebant quidem humanam naturam, non vero divinam. Quae si prae oculis habeantur, haud pauca patrum effata explicari poterunt, quae prima specie doctrinae catholicae adversari videntur.

Caput IV.

De unione naturae humanae cum Verbo.

696. Demonstravimus Verbum humanam assumpsisse naturam: quare unio quaedam facta est inter personam Verbi et naturam assumptam. Jam quaeritur, *quaenam sit hujus conjunctionis indoles* atque ratio. Cui quaestioni plene satisfacit conc. chalcedonense statuens (post verba n. 692.): „Unum eundemque Christum Filium Dominum unigenitum (docemus) in duabus naturis *inconfuse* (ἀσυγχύτως), *immutabiliter* (ἀτρέπτως), *indivise* (ἀδιαιρέτως), *inseparabiliter* (ἀχωρίστως) agnoscendum, nusquam sublata naturarum differentia propter unitionem magisque salva proprietate utriusque naturae et in unam personam atque subsistentiam (εἰς ἓν πρόςωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν) concurrente, non in duas personas partitum atque divisum, sed unum et eundem Filium unigenitum Deum Verbum Dominum Jesum Christum." Quibus verbis *triplex* unionis proprietas enunciatur, quod scil. sit *indivisa, inconfusa, inseparabilis.* De qua triplici dote tribus disseremus articulis.

Articulus I.

De unione naturarum in Christo indivisa seu hypostatica.

697. Hoc in articulo disputabimus adversus divisionem inductam a Diodoro tarsensi († c. a. 394.), Theodoro mopsuesteno, Nestorio ep. CP. (a. 428.) et Leporio (fl. a. 418.).

Nestorii, qui inter hos maxime innotuit, errores ita paucis sed dilucide exponit s. Thomas 3. p. q. 2. a. 6: »Alia fuit haeresis Nestorii et Theodori mopsuesteni separantium personas (seu unionem dissolventium hypostaticam); posuerunt enim aliam esse personam Filii Dei et filii hominis, quas sibi dicebant esse invicem unitas: *primo* quidem secundum *inhabitationem*, in quantum scilicet Verbum Dei habitavit in illo homine sicut in templo; *secundo* per *unitatem* affectus, in quantum scil. voluntas illius hominis est semper conformis voluntati Verbi Dei; *tertio* secundum *operationem*, prout scil. dicebant hominem illum esse Verbi Dei instrumentum; *quarto* secundum *dignitatem* honoris, prout omnis honor, qui exhibetur Filio Dei, coexhibetur filio hominis propter conjunctionem ad Filium Dei; *quinto* secundum *aequivocationem* i. e. communicationem nominum, prout scil. dicimus illum hominem esse Deum et Filium Dei.« Admisit proinde Nestorius unionem tantum moralem inter Verbum et naturam humanam assumptam; unde consectarii instar inferebat Mariam non esse θεοτόκον, sed tantum χριστοτόκον, nec vere dici posse Deum esse natum, passum, mortuum. Quam haeresim conc. ephesinum a. 431. pluribus canonibus damnavit, atque iterum synodus V. (a. 553.), cujus can. 4. ita habet: »Si quis dicit, secundum gratiam vel secundum operationem vel secundum dignitatem vel secundum aequalitatem honoris, vel secundum auctoritatem aut relationem aut effectum aut virtutem unitionem Verbi Dei ad hominem factam esse; aut secundum bonam voluntatem, quasi quod placuit Deo Verbo homo, quia bene visum est ei de ipso, sicut Theodorus insaniens dicit: vel secundum solam nominis similitudinem, quam graeci homonymiam vocant, per quam nestoriani Deum Verbum Jesum et Christum vocantes, et hominem separatim Christum et Filium nominantes, et duas personas (δύο πρόσωπα) manifeste dicentes, per solam nominationem et honorem et dignitatem et adorationem et unam personam (ἓν πρόσωπον) et unum Christum confingunt dicere: sed non confitetur, sicut ss. patres docuerunt, unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali et intellectuali secundum compositionem, id est secundum subsistentiam (καθ' ὑπόστασιν), factam, et propterea unam ejus subsistentiam (μίαν τὴν ὑπόστασιν), qui est D. N. J. Christus, unus de s. Trinitate, talis A. S.«

698. **Thesis XCIX.** ***Unus idemque J. Christus Deus est et homo, ita ut non alius sit, qui est Deus Verbum, et alius, qui est homo. Quare nestoriana divisio moralisque naturarum in Christo unio rejici debet.***

Demonstratio. In hac thesi tuemur unionem Verbi cum humana natura *non fuisse tantum moralem* secundum inhabitationem, affectum, operationem, sed omnino *substantialem*, qua unum physice subjectum, unum prodiit individuum. Sane 1. duplicem reperimus veluti seriem veritatum revelatarum: prima revelatur Christus Filius Dei verusque Deus (n. 684. 507.); altera idem probatur etiam verus homo (n. 685.). Atqui non de uno prima veritatum series, de alio altera affirmatur, sed utraque de uno eodemque plane subjecto, de Jesu Nazareno. Ergo Deus verus est simul verus homo J. Christus natus de Maria V., pas-

sus, mortuus etc., et ille homo Jesus est ipse aeternus Dei Filius, verus Deus, seu unus idemque J. Christus homo simul est et Deus.

Ita Paulus Rom. 9, 5. eundem plane, quem exhibet oriundum ex israelitis, quique dicebatur Christus J., affirmat esse Deum super omnia benedictum, scribens: *Quorum patres, et ex quibus est Christus secundum carnem, qui* (hic idem, non alius ab eo distinctus) *est super omnia Deus benedictus in secula, Amen.* Expendantur etiam Is. 9, 6; Bar. 3, 26. s. et Philip. 2, 6. (n. 684.); Matth. 16, 16: *Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi;* Joan. 8, 58: *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum;* 1. Cor. 1, 23. s.; in quibus de uno eodemque subjecto et individuo constanter praedicantur humana et divina. Quare ita licet instituere argumentum: Hypostasis est ultimum subjectum omnis praedicationis. Atqui non de alio subjecto humana, de alio divina praedicantur. Ergo unum est praedicationis subjectum ideoque una hypostasis. Quare unio facta est in unitatem hypostasis seu ea est hypostatica et non tantum moralis. Praeterea J. Christus passim Patri et Spiritui s. connumeratur, ita 1. Cor. 8, 6; 2. Cor. 13, 13: *Gratia D. N. J. Christi et caritas Dei et communicatio s. Spiritus sit cum omnibus vobis* etc.; ita etiam in symbolis et doxologiis. Si autem Christus non esset unus idemque, una eademque cum Filio Patris unigenito et naturali persona, jam non *trinitas,* sed *quaternitas* esset profitenda.

699. Ex symbolis **2.** eadem argumentandi forma probatur dogma catholicum. Diserte enim in illis profitemur eundem plane, qui est Patris Filius, Deus de Deo, genitus non factus, consubstantialis Patri (ut in symb. nicaeno), natum ex Maria V., passum, mortuum, sepultum. Jam vero „si ita hominem, inquit Leporius palinodiam canens *in libello emendationis,* cum Deo natum esse dicamus, ut seorsim quae Dei sunt, soli Deo demus, et seorsim, quae sunt hominis, soli homini reputemus, quartum manifestissime inducimus in Trinitate personam, et de uno Filio Dei non unum, sed facere incipiemus duos Christos, quod a nobis jam Dominus et Deus Christus avertat." Quare synodus ephesina, censens Nestorium symbolo nicaeno *praedamnatum,* decrevit act. 6. „non esse alteram fidem scribendam;" et concilium VI. act. 3: „Sufficiebat quidem ad perfectam orthodoxae fidei cognitionem et confirmationem hoc (nicaenum) pium et orthodoxum symbolum."

700. Accedit **3.** suffragium antiquissimorum patrum, qui nestorianam divisionem praedamnarunt. Nestorius enim ab hisce abhorret propositionibus: Verbum duas subiisse nativitates, Verbum esse ex Maria V. natum, Deum esse passum, mortuum etc., quae certo falsae

sunt in hypothesi unionis tantum moralis.[1]) Atqui hae geminaeque propositiones passim reperiuntur in antiquissimorum patrum scriptis.

Ita scribit Ignatius († a. 107.) *ad Ephesios* n. 18: »*Deus noster* J. Christus *parturiebatur* a Maria;« n. 7: »Unus est medicus et carnalis et spiritalis, factus et non factus, *in carne natus Deus,* in morte vita aeterna, tum ex Maria, tum ex Deo; primum passibilis, dein (scil. post resurrectionem) impassibilis.« Irenaeus († a. 202.) l. 5. c. 17: »Verbum Dei per *divinam* extensionem manuum (in cruce), ut quidam e senioribus dixit, congregavit duos populos ad unum Deum;« c. 2. n. 2: »*Verbum* Dei *sanguine suo* nos redemit, et in eucharistia calicem suum sanguinem, panem suum corpus confirmavit.« Imo l. 3. c. 16. probat ex Evangelio et epistolis Joannis damnari »blasphemas regulas, quae *dividunt* Dominum, quantum ex ipsis attinet, ex altera et altera substantia (i. e. hypostasi) dicentes eum factum.« Clemens romanus († c. a. 100.) ep. 1. *ad Corinthios* n. 2: »*Passiones Dei* erant ante oculos vestros;« Tertullianus (fl. c. a. 200.) *de carne Christi* c. 5: »Nonne vere *crucifixus* est *Deus?* nonne vere mortuus est, ut vere crucifixus est?« et *c. Praxeam* c. 27: »Videmus *duplicem* statum, non confusum sed conjunctum *in una persona* Deum et hominem.« Huc referri possunt objectiones judaeorum et gentilium, qui passim christianis exprobrabant, stultum esse atque impium, *Deum natum* credere ex muliere, crucifixum; nec posse Deum immutabilem fieri hominem, nec mori immortalem.

701. **Scholion.** Quasdam formulas, quibus patres unionem Verbi cum humana natura assumpta designant, paucis illustrabimus. Dicunt illam **1.** *physicam, substantialem,* naturalem, essentialem; non ideo tamen, ut **a.** negent eam esse *supernaturalem,* vel **b.** existiment unionem factam esse *immediate* inter naturas[2]): sed **c.** ut excludant conjunctionem *moralem* per affectum, secundum operandi virtutem tantum, qualem admisit Nestorius; et **d.** ut inculcent unionem esse intimam, veram, ex qua unum exsistit subjectum et individuum Christus. »*Substantialem* (οὐσιώδη) esse, inquit s. Damascenus l. 3. *de fide orthod.* c. 3., hanc unionem dicimus i. e. veram et non imaginariam; substantialem, non quod duae naturae unam compositam naturam effecerint, sed quod in unam Filii Dei compositam hypostasim inter se unitae sint. Quinimo substantialem ipsarum differentiam integram et incolumem servari statuimus.« Patres **2.** dicunt naturas in Christo non separari, sed tantum distingui, imo secerni tantum κατὰ θεωρίαν secundum mentis considerationem. Quae loquendi ratio **a.** non favet errori monophysitarum: nam ab illis quoque proponitur, qui huic haeresi gravissimo restiterunt. Sciendum enim est **b.** distinctionem *secundum considerationem* opponi *distinctioni reali,* subinde etiam *divisioni:* quo sensu dicunt, in homine animam a corpore *ratione* seu κατὰ θεωρίαν

---

[1]) Neque enim propter intimam unionem moralem inter virum et uxorem, qua *una* sunt *caro,* licet praedicata viri de uxore, et hujus dotes de illo affirmare.

[2]) Unio enim facta est *immediate* inter *personam* Verbi et *naturam* humanam, ac proinde *mediante personalitate* Verbi cum natura *divina,* ut ait Rusticus diaconus contra acephalos: »Non Deus Verbum per divinam naturam, sed divina natura per Dei Verbi personam unita dicitur carni.«

distingui. Quare **c.** hac formula *negative* excludunt unionem *moralem; positive* affirmant subjecti unitatem; *comparate* unitatem personae in duabus Christi naturis conferunt cum unitate naturae in trinitate personarum. Sicut enim personae divinae, licet realiter ab invicem distinguantur, vinculo ejusdem substantiae ita uniuntur, ut absolute nunquam re ab invicem separari vel dividi possint: ita unitione semel facta, natura humana adhaerescit Verbo adeo, ut ab eo nunquam seorsim exsistat, nunquam dividatur, sed consideratione tantum dividi possit. Cf. *opusc.* IX, 181. ss.

702. Non defuerunt **3.** qui cum Cyrillo alex. ad inculcandam intimam Verbi cum humana natura conjunctionem uterentur formula μία φύσις τοῦ Λόγου σεσαρκωμένη *una natura Dei Verbi incarnata,* quae **a.** nullatenus favet errori monophysitarum, cum et in conciliis et a patribus, qui strenue adversus monophysitas pugnarunt, recepta fuerit. Ipse Cyrillus **b.** cui ea prae ceteris placuit, omnem monophysitici erroris ab eadem removet suspicionem ep. (46.) 2. *ad Successum* scribens: „Si dicentes *unam naturam Verbi* tacuissemus, ac minime adjunxissemus *incarnatam* excluso propemodum dispensationis mysterio, esset fortasse illorum oratio non inepta, dum interrogare se simulant: ubinam est in humanitate perfectio, aut quomodo subsistit substantia nostra? Sed quia et illa in humanitate perfectio et essentiae nostrae declaratio est, dum dicimus *incarnatam,* desinant baculo niti arundineo.“ Hac formula proinde **c.** significatur unitas Christi ontologica: negatur scil. duas esse in ipso naturas subsistentes, Deum et hominem, sensu nestoriano, et docetur naturae jam in Verbo subsistenti subjungi alteram i. e. humanam per modum accessionis et velaminis, adeo ut non sua sit sibi, sed Verbi jam in natura divina subsistentis.

703. Ceteris vero formulis[1]) solemnior est ea **4.** qua unio dicitur facta καθ' ὑπόστασιν, secundum subsistentiam: qua patres non significant, duas in Christo unitas fuisse hypostases, sed vel unionem in Christo non esse *specie* tenus, externam, moralem tantum, sed veram et substantialem[2]); vel ut nunc passim explicatur, unionem fuisse talem, ut non duae essent in Christo personae, sed una tantum, quod natura humana ita accesserit ad Verbi personam, ut hujus fieret pro-

---

[1]) Occurrit apud patres alia quoque formula, praecipue in disputationibus tum contra gentiles, tum contra apollinaristas adhibita, qua dicunt, *Verbum carnem assumpsisse mediante anima.* Ea autem non ita est intelligenda, ac si negetur *immediata* Verbi conjunctio cum tota humana natura, vel affirmetur Verbum seorsim corpus, seorsim assumpsisse animam: utrumque enim foret erroneum; sed ea patres significant, quod s. Thomas 3. p. q. 6. a. 1. ita exprimit: „Secundum ordinem causalitatis ipsa anima est aliqualiter causa carnis uniendae Filio Dei. Non enim esset assumptibilis nisi per ordinem, quem habet ad animam rationalem, secundum quam habet, quod sit caro humana.“

[2]) Pro illa significatione, qua ὑπόστασις praesertim apud Cyrillum alex. opponitur ei, quod est *inane* et *evanidum, phantasma.* Ita ille in *defens. anathemat.* 2. adv. Theodoretum (Mig. 76,402.) unionem καθ' ὑπόστασιν explicat, ut sit unio κατ' ἀλήθειαν, vi cujus unus intelligitur atque est Christus, idem Deus et homo.

pria atque in ea subsisteret. Quam unionem ita describit Epiphanius *haer.* 77. n. 29: „Verbum descendit de coelo, et in se ipso carnem subsistentem fecit ex utero s. Virginis, et integram humanam naturam perfecte in se transplasmavit.“

704. Ut vero hujus unionis ratio accuratius explicetur, quaedam praemittenda sunt de *hypostasis* notione. Tenendum est ergo **1.** *naturam* et *hypostasim* seu personam *aliquo modo* distingui. *Naturae* enim nomine usu tum communi tum theologico intelligitur essentia sive essentialis illa perfectio, qua unumquodque in certa specie et entium ordine constituitur. Subjectum vero, sive is, qui habet naturam et per naturam constitutus esse intelligitur hic unus in certo rerum ordine, dicitur *hypostasis.* Uno verbo dicere possumus, id quod objicitur considerationi, *quid* aliquid sit, esse *naturam,* vel *essentiam;* quod vero objicitur distinctioni, *quis sit,* esse hypostasim[1]). Atqui secundum dogma catholicum tenendum est, duas esse naturas

---

[1]) Quaedam de ipsis nominibus, quibus modo saepius utemur, breviter animadvertemus. *Natura* vel *essentia* dicitur etiam *quidditas* vel *substantia,* quamvis olim penes patres non satis fixa fuerit vocis *substantiae* significatio: aliis enim idem erat ac natura seu essentia, aliis idem quod modo hypostasis, ideoque non verebantur in Deo *tres* admittere *substantias;* qua tamen significatione non amplius adhibetur. *Hypostasis* autem solet non solum *substantia* dici, sed etiam *subsistentia, suppositum, persona* (si de rationali hypostasi est sermo). *Subsistentia* a verbo *subsistere* derivatur, quod significat vel **1.** *esse ens verum,* reale, solidum, in oppositione ad fictum, apparens et intentionale; vel **2.** *exsistere*, vel **3.** *esse substantiam* in oppositione ad accidens, vel **4.** esse substantiam *primam, totam per se et seorsim exsistentem,* quae est maxime propria significatio tam verbi *subsistere* quam substantivi *subsistentiae:* praesertim quod tres praecedentes notiones in eam confluant in eaque simul reperiantur. Atque hac acceptione *concreta* a ss. patribus et scholasticis usurpatur. Recentiores scholae theologi hoc nomen etiam significatione *abstracta* adhibent, ut designetur ille *subsistendi modus,* quo aliqua substantia singularis est tota per se et seorsim exsistens, seu hypostasis. *Suppositum* ex etymologia nominis idem est ac *sub alio positum.* Potest autem aliquid sub alio poni vel *ontologice* vel *logice.* Ontologice aut ut *materia* formae, aut ut *subjectum* accidenti inhaerenti. Logice pariter duobus modis, aut ut *inferius* superiori quoad praedicationem, aut ut *concretum* abstracto. Utrumque autem perfectissime convenit hypostasi, quae ita est sub aliis posita et ontologice et logice, ut nihil aliud ipsi supponatur, nec sicut inferius superiori, nec sicut concretum abstracto, nec ut subjectum accidenti, quaeque consistit per se, neque ulli alteri inest, neque de ullo praedicatur. A theologis scholae hypostasis etiam dicitur *res naturae* et *hoc aliquid.* Quod attinet nomina *graeca,* sciendum est, licet philosophi gentiles distinxerint inter οὐσίαν πρώτην et δευτέραν, nomine οὐσίας communiter intelligebant substantiam primam i. e. *singularem:* et cum menti revelationis lumine non illustratae nulla occurreret substantia singularis in sua natura perfecta, quae non esset *tota in se* i. e. hypostasis, idcirco nomen οὐσίας etiam pro *hypostasi* usurpabant, qua significatione οὐσίας nomen etiam penes veteres scriptores christianos occurrit, adeo ut non deessent, qui tres οὐσίας in Deo admitterent. Cf. s. Hieronymi ep. 15. *ad Damasum* (*opusc.* XI, 30.). Verum haec οὐσίας cum hypostasi confusio paucorum fuit, et mox penitus cessavit. Communi

in Christo, sed unam tantum personam, et in ss. Trinitate tres esse personas, unam vero naturam: quae sibi constare nequeunt, si persona et natura nec *re* nec *ratione* distinguuntur. Hinc videmus plures ex haeresibus contra Trinitatis et Incarnationis mysteria ex neglectu distinctionis personam inter et naturam originem traxisse.

705. Tenendum est 2. hypostasim esse *substantiam singularem* et *individuam, integram* et *perfectam* seu *substantiam primam*, cujus nomine ea significatur substantia, quae ita est per se[1]) sive in se, ut nullo modo sit in alio sive alterius (sicut pars vel aliquid commune pluribus). Quam hypostasis notionem patres suo confirmant suffragio. Explicantes enim illius rationem semper exigunt, ut sit substantia exsistens ἀνὰ μέρος separatim, ἰδίᾳ καὶ ἰδικῶς proprie per se et seorsim exsistens; ut sit ἰδιοσύστατος privatim et per se exsistens; ἰδιοπεριόριστος proprio termino circumscripta, ἰδιοϋπόστατος propria subsistentia fruens. »Nomen hypostasis, inquit J. Damascenus *dialect.* c. 42., duplicem habet significationem. Interdum enim simplicem exsistentiam significat, quo sensu inter substantiam et hypostasim nihil interest, unde nonnulli ss. patrum naturas hypostases appellarunt; interdum eam, quae *per se* est et *seorsim subsistit*[2]), exsistentiam... Unde Domini caro, cum per se et seorsim sumpta ne minimo temporis puncto substiterit, proprie non est hypostasis, sed ἐνυπόστατον quoddam.« Et s.

---

consuetudine receptum est, ut a notione οὐσίας removeretur adsignificatio illa *incommunicabilitatis*, quam philosophia admittebat, adeo ut Theodoretus in dial., quem inscripsit Ἄτρεπτος, Eranisti interroganti »sitne aliqua differentia οὐσίαν inter et ὑπόστασιν,« orthodoxum ita respondentem inducat: »Secundum exterorum quidem sapientiam nulla est . . . at *secundum patrum doctrinam* sicut differunt commune et proprium, vel genus et species ac individuum, ita differunt οὐσία et ὑπόστασις.« Quocirca οὐσίας nomine a labente sec. IV. communi consensu id significari solebat, quod modo nomine substantiae seu *essentiae* designamus. Quod attinet vocem ὑπόστασις vix est, qui ante Basilium eam accuratius ab οὐσία distinxerit, ita ut non defuerint patres, qui in Deo *unam*, in Christo *duas* profiterentur hypostases. Basilio autem adnitente post concilium nicaenum pressior illa hypostasis acceptio, qua significat substantiam singularem, perfectam, totam et in se subsistentem, facta est vulgaris et modo una obtinet ac proinde *ecclesiastica* dici debet.

[1]) Advertatur ens *per se* opponi enti *in alio*. Aliquid autem triplici modo ens *in alio* dicitur: 1. ens in alio ut *in subjecto* (accidens); 2. ens in alio ut *de subjecto* (universale); 3. ens in alio ut *in toto*. Jam vero hypostasis triplicem hanc *perseitatem* exigit.

[2]) *Subsistere* significat aliquid ita exsistere in se, ut nec communicetur pluribus in se totis, nec uniatur alteri per modum partis. Quare hypostasin subsistere in tali natura, significat hypostasin esse in se talis naturae seu habere talem naturam. Naturam subsistere in alio significat, eam non esse in se hypostasin, seu non esse suam sibi, non seorsim ac *per se* (cf. praeced. annot.) exsistere, sed esse alterius. Idem significatur, si quando dicitur hypostasis Verbi sustentare naturam humanam. Quatenus natura humana Christi non est hypostasis, dicitur ἀνυπόστατος; quatenus vero facta est natura hypostaseos naturae superioris, dicitur ἐνυπόστατος. Ex quibus sequitur, in conceptu hypostasis intrinsecus includi conceptum essentiae et substantiae, non tamen viceversa.

Thomas 3. p. q. 16. a. 12.: »Christus secundum quod homo non est persona, quia humana natura non est per se seorsim subsistens a divina natura, quod requirit ratio personae[1])«.

706. *Nullum* 3. videtur esse *discrimen reale*[2]) *inter hypostasin et naturam,* sed *rationis* tantum, si scil. nomine naturae intelligatur substantia singularis et in ratione naturae integra et eadem comparetur secum ipsa, quatenus hypostasis est connaturaliter exsistens. Sane substantia singularis et integra est hypostasis eo solo, quod est *tota in se.* Atqui tota in se est *per se ipsam,* non per aliquam additam realitatem, seu totalitas non est aliquis modus realis distinctus ab ipsa natura, quae dicitur tota; sicut nec multitudo est modus aliquis realis distinctus a multis hominibus, et quaternitas a quatuor unitatibus simul junctis. Distinguitur tamen ratione *cum fundamento in re.* Alius enim est conceptus naturae qua *naturae,* et alius quatenus consideratur praecise ut *tota,* ut seorsim exsistens. Quam sententiam praeclare expressit Theodorus Abucara *opusc. 28.* scribens:

---

[1]) Thomae doctrinam claritatis gratia ad quaedam principia revocabimus. Frequenter **1.** quaerit s. doctor, cur natura a Verbo assumpta non sit hypostasis; cujus rei hanc assignat causam adaequatam: »quia assumitur a principaliori scil. a Verbo Dei (opusc. 3. *contra graecos* c. 6.).« **2.** Non defectu cujusdam entitatis seu realitatis vel modi nescio cujus realis et substantialis ab ipsa natura distincti fit, ut natura humana non sit hypostasis seu natura, sed sola assumptione. »Naturae assumptae non deest propria personalitas *propter defectum alicujus,* quod ad perfectionem humanae naturae pertinet, sed propter additionem alicujus, quod est supra humanam naturam, quod est unio ad divinam personam.« Cf. n. 705. Quapropter **3.** consentanea sibi constantique ratione docet, humanam Christi naturam sola separatione, quin quidquam aliud accedat, futuram esse personam. »Separatio dat, inquit s. doctor in 3. dist. 5. q. 3. a. 3. ad 3., utrique partium totalitatem. Unde supposito quod hominem (Christus) deponeret, subsisteret homo ille *per se* in natura rationali et *ex hoc ipso* acciperet rationem personae.« Et q. 1. a. 3. ad 3.: »Si essent naturae cum suis proprietatibus seorsum positae, utrimque esset *totalitas,* quam requirit ratio personae; non est autem nisi una totalitas, quando conjunguntur, et ideo est (in Christo) una persona.« Denique **4.** disertis verbis docet, sicut praeter animam et corpus ac utriusque unionem nihil positivi requiritur, ut *eo ipso* compositum sit homo, ita natura Christi humana si deponeretur a Verbo eo ipso futuram esse personam. Ita in 3. dist. 6. q. 1. a. 2. ad 5.: »Hoc quod facit conjunctum ex anima et corpore esse hominem, non est praeter animam et corpus et unionem aliquid positive, sed *ex hoc ipso,* quod ipsum compositum ex anima et corpore non adjungitur alteri subsistenti in natura composita, sequitur, quod conjunctum sit homo (persona). Unde si Filius humanam naturam, quam assumpsit, deponeret, ex hoc ipso esset homo illud conjunctum ex duabus substantiis.«

[2]) Discrimen reale admittunt plures scholae theologi, secundum quos hypostasis et subsistentia est *modus realis* a natura singulari a parte rei diversus, naturae exsistentiam consequens, utramque afficiens et formaliter terminans, reddensque naturam alteri incommunicabilem. Quem modum appellant *naturae terminum* et complementum, *formam hypostaticam, modum suppositalitatis,* perseitatis vel exsistendi per se.

»Aliudne est substantia, aliud hypostasis? Orthodoxus: Aliud et aliud, non tamquam res alia et alia, sed quod aliud significet hypostasis et aliud substantia. Sicut granum tritici dicitur et est tum semen tum fructus, non tamquam res alia et alia, sed aliud significat semen et aliud fructus.«

707. Verissimum est 4., quod advertit Boëthius *de duabus naturis* c. 2: »Nullus lapidis, aut arboris, aut equi dicit esse personam; at hominis dicimus esse personam, dicimus angeli, dicimus Dei etc.«: personae nimirum nomen designat nobilissimam hypostasin, scil. rationalem. Vidimus enim propriam formalemque hypostasis rationem consistere in modo essendi *in se, per se* atque *sibi.* Eo igitur perfectiori altiorique gradu aliquid est hypostasis, quo perfectius est in se, per se et sibi. Atqui τὸ esse in se, per se et sibi longe altiori ratione competit hypostasi rationali, quam irrationali. Merito ergo proprio distinguitur nomine. Sane **a.** hypostasis rationalis *realiter* et *intentionaliter* est in se et sua sibi, cum semetipsam intelligendo possideat atque amando se fruatur; ipsa sola **b.** se libere ad agendum determinare potest atque *domina* est suorum actuum; ipsa **c.** rationem *finis* habet prae creaturis irrationalibus, ac proinde longe magis est sua sibi, quam creaturae irrationales, quae tantum habent rationem *medii* et totae cedunt in bonum et commodum alterius; denique **d.** sola hypostasis rationalis est subjectum juris, sui juris, in qua juris proprietate maxime cernitur vis nomenque personae.

708. **Corollarium I.** Boëthius definit personam, ut sit *naturae rationalis individua substantia,* quae definitio communi suffragio recepta fuit ab universa schola. Cum hac definitione cohaeret personae notio, quam expolivimus, dummodo appositum *individua* significet, quod est *unum in se* et *distinctum ab omnibus aliis,* ita ut non sit dividuum i. e. communicatum sive ut *universale,* sive ut *pars,* sive *ad modum partis,* sive ut realiter *commune* per identitatem cum pluribus: quo sensu substantia individua est substantia singularis, integra, tota in se et sibi ac proinde *substantia prima* sive hypostasis.

709. **Corollarium II.** Ex dictis pariter liquet, errare Güntherum ejusque asseclas, secundum quos personalitas continetur *conscientia sui* ac proinde persona est *substantia sui conscia.* Sed ea definitio censeri debet theologice et philosophice falsa, ex qua sponte sua sequuntur haereses gravissimae. Atqui ex hac personae definitione sequitur in Deo *unam esse personam,* nam sicut una est natura, ita unum est intelligere ac proinde una natura sui conscia; sequitur in Christo *duas esse personas,* cum duplex in eo sit natura sui conscia, a qua illatione theologi illi non prorsus abhorrent; docent siquidem duas in Christo admittendas esse personas ad unam personalitatem relatione revocatas, ne secus personalitas humani spiritus personalitati Verbi praepostere litetur! Quae nova unionis hypostaticae explicatio non solum inaudita est, sed prorsus abhorrens a majorum doctrina, ut patet ex dictis et clarius adhuc patebit ex dicendis. Quare Pius IX. literis ad *card. de Geissel* 15. Jun. 1857. datis de Güntheri operibus scribit: »Noscimus in iis libris non pauca legi, quae a catholica fide sinceraque explicatione de unitate divinae substantiae in tribus distinctis sempiternisque personis non minimum aberrant. In compertis pariter habemus, neque meliora, neque accuratiora esse, quae traduntur de sacramento Verbi

incarnati, deque *unitate divinae Verbi personae* in duabus naturis divina et humana.« Et re vera omnes conciliorum definitiones adversus nestorianam divisionem etiam contra hanc doctrinam valent, ut e. g. definitio conc. toletani XI. a. 675: »Perfectus Deus, perfectus et homo in unitate personae unius est Christus. Nec tamen quia duas diximus in Filio esse naturas, duas causabimus in eo esse personas, ne Trinitati, quod absit, accedere videatur quaternitas. Deus enim Verbum non accepit personam hominis, sed naturam, et in aeternam personam divinitatis temporalem accepit substantiam carnis.«

170. **Thesis C.** ***Ad unionem hypostaticam Verbi cum natura humana illustrandam statuimus: 1. Verbum naturae humanae uniri atque illabi, et quidem 2. ita, ut natura humana seorsim*** ἰδίᾳ καὶ ἰδικῶς ***non exsistat, nec sua sibi sit, sed Verbi; ideoque 3. humanam naturam propria excidisse personalitate, non quidem 4. propter alicujus perfectionis modique realis defectum, sed ob infinitam perfectionem, quae illi supra naturam accessit.***

Demonstratio p. I. Jam demonstravimus Verbum assumpsisse naturam humanam; non tamen quomodocunque Verbum eam assumpsit, sed intrinsecus ei illapsum est, atque illapsu suo eam pervasit ac penitissime penetravit, quem illapsum περιχώρησιν appellare solent patres.

Patrum nomine audiatur **1.** Damascenus *de fide orth.* l. 3. c. 7: »Sciendum est, quod etiamsi dicamus naturas Domini se mutuo permeare, περιχώρησις facta est a divina natura; nam omnia pertransit quemadmodum vult, et permeat omnia, per ipsam autem nihil; et ipsa quidem proprias dotes carni impertit, cum ipsa manet impassibilis et immunis ab affectionibus carnis. Nam si sol multiplicis virtutis suae nos participes reddit, nostrorum tamen manet expers, quanto magis solis factor et dominus!« Quem **2.** naturae divinae in humanam illapsum praeclarissimis similitudinibus illustrant, ut ferri igniti, carbonis candentis, lilii odore suavissimo imbuti, lanae purpureo colore tinctae etc. Ita Cyrillus in praef. l. 2. *adv. Nestorium:* »Dicitur, inquit, carboni persimilis propterea, quod ex duabus ac dissimilibus rebus intelligitur, sed ita secundum veritatem convenientibus, ut in unitatem propemodum conjungantur. Ignis enim ubi lignum penetrarit, illud in suam ipsius claritatem ac vires transfert, eo tamen servato, quod erat.« Eundem **3.** probant ex effectibus. Sicut enim ferrum per ignis illapsum hujus proprietatum redditur particeps, ita Christi humanitas per illapsum divinitatis consors fit divinarum dotum. Ad rem Cyrillus in dial. *quod unus est Christus* (Migne 75, 1359.): »Neque enim alia ratione caro vivifica effici potest, quam secundum propriam suam naturam corrumpi atque interire necesse erat, nisi propria facta esset Verbi omnia vivificantis. Hoc enim pacto operata est et praestitit, quae ipsi Verbo sunt propria, vivificanti ipsius virtuti conversata. Et quidem mirum non est. Nam si verum est, quod ignis circa materiam aliquam versans, eam, quae alioquin ex sua natura calida non est, calidam efficit (immittit enim ei abunde facultatis, qua praeditus est, efficaciam), quo pacto non potius immittit Deus Verbum propriae carni vivificantem suam virtutem atque operationem, cum illam sibi unitam et propriam citra confusionem aut mutationem et quo ipse novit modo declaravit?«

711. **Demonstratio p. II.** Naturam Verbi ita illabi naturae humanae, ut ea seorsim non exsistat, nec sua sibi sit, sed tota reddatur Verbi propria, adeo luculenter tradunt patres, ut Thomassinus eorum effata ad triginta potuerit revocare classes *de incarn.* l. 3. c. 8. ss. Ex quibus pauca delibemus. **1.** Ad nullam unitionis speciem frequentius provocant patres, ut conjunctionem Verbi cum natura assumpta quadamtenus illustrent, quam ad unionem, qua anima suum sibi facit corpus sibique prorsus vindicat. Ita ex. gr. Cyrillus l. 1. *contra Nestorium* c. 1: „Carnem factum esse illud ex Deo Patre Verbum docet Scriptura divinitus inspirata h. e. inconfuse secundum hypostasin unitum esse carni: neque enim alienum ab ipso erat corpus ipsi unitum et factum ex muliere, sed sicut unicuique nostrum proprium est suum corpus, hoc eodem modo etiam Unigeniti corpus proprium illi erat et non alterius." Huc pertinet **2.** comparatio, qua naturam assumptam conferunt vesti, velamento, indumento. „Dominus noster, inquit Athanasius or. 2. *c. arianos* n. 7., in principio quidem erat Verbum... quando autem voluit Pater, ut pretium pro omnibus redimendis solveretur et gratia in omnes conferretur, tunc Verbum, ut Aaron vestem talarem, ita carnem e terra assumpsit." Quocirca **3.** patres graviter invehuntur in Nestorium, quod talem probaverit unionem, ex qua consequens sit, humanam naturam ἰδίᾳ καὶ ἰδικῶς exsistere et non fieri propriam Verbi.

„Alia res est divinitas, inquit Cyrillus alex. l. 3. c. 6. *contra Nestorium,* alia nostrae similis humanitas, quod ad rationem attinet, quae naturis inest: congressu autem secundum veram unionem unus est Christus ex utrisque, ut saepe diximus; hypostasibus vero, ut tu ais, divisis in duo ac privatim et seorsim (ἀνὰ μέρος τε καὶ ἰδικῶς) exsistere intellectis, quomodo congressus in *unam personam* fiet, nisi unum alterius esse quodammodo proprium dicatur, ut nimirum animae proprium intelligatur ejus corpus? . . . In Emmanuele, quia deitas aliud ab humanitate, nisi dixerimus proprium factum fuisse corpus ipsius Verbi per veram unionem, quomodo una absolvetur ex utroque persona, cum alterutra substantia propriam utrique ferat, utpote seorsim posita atque sejuncta (τὸ ἀμφοῖν ἑκατέρας ἡμῖν ὑποστάσεως φερούσης ἴδιον ὡς ἀνὰ μέρος κειμένης)?" Huc **4.** referri omnia ea debent, quibus patres affirmant (n. 700.), Deum esse natum, passum, mortuum etc. Haec enim praesupponunt ejusmodi unionem, vi cujus Verbum ita sibi vindicaverit propriamque fecerit humanam naturam, ut quidquid hujus proprium est, proprium sit ipsius Verbi, seu ut natura humana non fuerit sua sibi, sed fuerit Verbi propria, et Verbum ipsius hypostasis, in qua subsisteret. Unde Cyrillus Nestorio neganti dici posse Deum natum, reponit (l. 1. adv. illum c. 1.): „Si proprium corpus ejus intelligitur, quomodo non prorsus proprii corporis nativitatem sibi tamquam suam vindicabit et asseret?" Quare conc. ephesinum can. 11. statuit: „Si quis non confitetur, carnem Domini vivificatricem esse et propriam ipsius Verbi

Dei Patris, sed velut alterius praeter ipsum, conjuncti eidem per dignitatem aut quasi divinam habentis habitationem, ac non potius vivificatricem esse, quia facta est propria Verbi cuncta vivificare valentis, A. S.«

712. **Demonstratio p. III.** *Humanam naturam* propter hanc ipsam unionem *non esse personam* fluit per modum corollarii ex hypostasis notione. Quod etiam ex doctrina patrum docet Theodorus Abucara *opusc.* 29., ubi hanc proponit difficultatem: „Christus naturam nostram habuit cum proprietatibus. Natura autem cum proprietatibus nonne hypostasis est?" Ad quam ita respondet: „Non satis est ad hypostasis constitutionem, naturam compositam esse cum proprietatibus, sed oportet concurrere ad hoc et *non esse partem.* Quia igitur pars Christi est assumptum corpus animatum, ideo non est hypostasis, sed hypostaticum[1])."

713. **Demonstratio p. IV.** Haec pars pariter est corollarium praecedentium. Sane **1.** hypostasis ratio ex dictis continetur ea substantiae perfectione et *totalitate,* vi cujus ἰδίᾳ καὶ ἰδικῶς seorsim ac sibi exsistit. Atqui ut aliqua substantia a sua totalitate ac veluti autonomia et consequenter ab hypostasis gradu excidat, non requiritur, ut decedat aliqua realitas, sed sufficit, ut accedat ad aliquod totum perfectius, huic adhaerescat, quod factum esse in Christo demonstravimus. Quod confirmatur **2.** patrum suffragio, qui nunquam realitatis alicujus mentionem faciunt, ex cujus defectu natura humana in Christo non sit persona; constanter vero eam reddunt rationem, quare natura humana, licet integra, non sit persona, quod fuerit assumpta et propria facta Verbi[2]).

---

[1]) Cf. s. Thomas supra annot. ad n. 705., qui id passim inculcat. Ita 1. p. q. 29. a. 1. ad 2.: »Humana natura in Christo non est persona, quia est assumpta a digniori.« Et 3. p. q. 4. a. 2. ad 3.: »Si humana natura non esset assumpta a divina persona, natura humana propriam personalitatem haberet, et pro tanto dicitur persona consumpsisse personam, licet improprie, quia persona divina sua unione impedivit, ne humana natura propriam personalitatem haberet.« Ita et Bonaventura in 3. dist. 5. a. 2. q. 2.: »Ad illud, quod opponitur, quod anima rationalis conjuncta vel unita carni facit personam, dicendum, quod verum est, quando anima et caro non conjunguntur digniori . . . Non autem sic est in proposito, quia anima et caro fuerunt sibi invicem unita in ipso Verbo: nec in aliquo instanti fuit anima illa, quin esset unita Verbo . . . et ideo non constituebant personam, sed solum naturam.«

[2]) Concedimus quidem patres affirmare, Verbum assumpsisse *naturam,* non *personam* humanam, sed inde non sequitur *reale* esse discrimen inter naturam et personam. Persona enim est natura singularis et integra quae seorsim exsistit, per se et sua sibi est. Atqui humana Christi natura, licet singularis et integra, nunquam sua sibi fuit, per se et seorsim exstitit (a. 3.). Ergo Verbum licet assumpserit naturam, non assumpsit personam humanam.

Articulus II.

De unione naturarum inconfusa.

714. **Thesis CI.** ***Duae sunt in Christo naturae integrae, distinctae, inconfusae et impermixtae.***

Demonstratio. Thesis statuitur contra *monophysitas,* qui auctore Eutyche archimandrita monasterii cujusdam constantinopolitani, medio sec. V. docebant, *unam* esse in Christo *naturam* post unionem (unde eorum nomen): dissentiebant tamen circa *modum,* quo duae naturae in unam coaluerint. Alii enim contendebant factum id esse per *commixtionem,* alii per alterius *consumptionem* et in alteram mutationem, alii per duarum naturarum in tertiam *conversionem,* alii per *compositionem.* Dissentiebant etiam circa *tempus,* quo haec contigerit naturae unitas; nam secundum aliquos ea jam facta est in *conceptione,* aliis ea videbatur contigisse *resurrectionis* tempore, vel post Christi in coelos *ascensionem* ac plenam glorificationem. Doctrinam catholicam clare enunciavit conc. chalcedonense (supra n. 696.), et luculentissime exposuit Leo M. in celebri *ad Flavianum ep. (opusc.* XXV, 165. ss.).

715. Vix demonstratione indiget haec assertio post omnia ea, quae hucusque demonstravimus. Sane **1.** ostendimus, unum eundemque J. Christum verum esse Deum verumque hominem. Atqui nemo verus est Deus, nisi veram integramque habeat naturam divinam: nemo verus perfectusque est homo, nisi integram perfectamque habeat naturam humanam. Ergo unus idemque J. Christus divinam simul atque humanam possidet naturam. Et revera nullum fere est Scripturae effatum, in quo sermo instituitur de Christo Jesu, quin duplicis quoque ejusdem naturae mentio fiat. Praeterea **2.** patres passim ita cum Joan. Damasceno *de duabus volunt.* n. 8. disputant: „Si natura ex diversis naturis composita est, neutri earum consubstantialis est. Nam unaquaeque suam tantum habet definitionem, composita vero aliam definitionem habet compositam. Impossibile autem est ea, quae diversa sunt et diversam definitionem capiunt, ejusdem esse substantiae. Igitur si Christi una est natura, quomodo consubstantialis erit Patri et Matri? Ille enim Deus est, haec homo. Dei autem et hominis non una est natura.“ Vel ita **3.** licet argumentari: Verbum factum est caro seu homo. Atqui non est factum caro per mutationem, quod adversatur immutabilitati naturae divinae; ergo per assumptionem naturae humanae. Ergo praeter naturam divinam immutabilem habuit aliam naturam i. e. humanam, qua constitueretur homo. Neque dicatur ipsa assumptione hanc fuisse mutatam; si enim fuisset mutata in aliam, non potuisset Verbum per eam esse homo, atque praeterea incarnatio scopum suum non attigisset fuissetque supervacanea.

716. **Scholion.** Paradigmate *unionis animae* et *corporis* libenter frequenterque utuntur patres ad illustrandam unionem Verbi cum humana natura assumpta. Verum eo utuntur seu potius abutuntur ad suos confirmandos errores etiam ariani, apollinaristae, nestoriani, güntheriani, in primis vero monophysitae, cum ex anima et corpore, licet diversae sint substantiae, una prodeat natura. Porro haec sunt potiora comparationis capita, quae patres proponere solent: Sicut **1.** unio animae cum corpore non est *moralis* tantum et per affectum, sed *substantialis* et ontologica, ita et unio Verbi cum humana natura. Quare **2.** sicut hac unione corpus proprium redditur animae, ita Verbi propria facta est per unionem hypostaticam natura humana. Cf. n. 710. s. Plerumque vero **3.** hac similitudine illustrare conantur mysterium illud, quo Christus, licet sit Deus homo, unum tamen est subjectum, una persona, unus. Ita symbolum *athanasianum:* „Qui (Christus) licet Deus sit et homo, non duo tamen sed unus est Christus . . . Unus omnino non confusione substantiae, sed unitate personae. Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.“ Quibus **4.** innuitur similitudo. Quemadmodum enim in homine substantiae licet substantialiter unitae non confunduntur, ita in Christo divina natura, quamquam ab humana non divisa, est tamen manetque ab illa sine confusione distincta. Denique **5.** aliis omissis, ex unione animae cum corpore suadere nititur Augustinus *incarnationis possibilitatem.* „Quaerere quidam solent, inquit *serm.* 371. al. 52. de div., quomodo misceri potuit homo et Deus. Quaerunt rationem hujus mysterii, quod semel factum est, cum ipsi nequaquam possint rationem reddere ejus, quod fit semper, i. e. quomodo anima miscetur corpori, ut homo fiat. Ergo sicut res corporea incorporeaque conjungitur, ut homo efficiatur, ita homo conjunctus est Deo et factus est Christus.“

717. Sed majores nostri non praetermittunt *dissimilitudinis* quoque capita recensere. Sane **1.** anima et corpus ad mutuam unionem *natura* ordinatur, quod in Verbo relate ad carnem locum non habet; ideoque **2.** anima et corpus se mutuo excipiunt tamquam verissimae *partes* unius compositae naturae; a dignitate vero Verbi penitus abhorret ratio partis. Ad haec **3.** Christus tam Deus est, quam homo aut etiam Deus-homo. Homo vero neque est neque dicitur aut anima rationalis aut corpus. Ad rem Bernardus *de consid.* l. 5. c. 9: „Tantam denique, inquit, tamque expressam unionis vim in se praefert ea persona, in qua Deus et homo unus est Christus, ut si duo illa de se invicem praedices, non erraveris, Deum videlicet hominem et hominem Deum vere catholiceque pronuncians. Non autem similiter vel carnem de anima vel animam de carne nisi absurdissime praedicas, etsi similiter anima et caro unus sit homo.“ „Potuit **4.**, inquit Facundus l. 1. *pro def. trium capit.* c. 6., hominis anima in unam naturam cum sua carne componi. De Christi vero divinitate inconvertibiliter simplici non sine blasphemia dicitur, quod in unam naturam cum suscepta humanitate componi potuerit.“ Praeterea **5.** „anima nullatenus foris a corpore suo habet operationis principium. Deus autem Verbum et in humanitate exsistens, in coelo et ubique consuetas operationes implevit, licet quasdam et inaestimabiles per corpus;“ ita Rusticus in *disp. c. acephalos,* qui **6.** et hanc dissimilitudinem ib. urget: „Rursus anima compatitur corpori, Deus autem Verbum nequaquam.“

718. **Thesis CII.** ***Cum duabus in Christo distinctis impermixtisque naturis juncta est tum duplex operandi vis, tum duplex operatio.***

Demonstratio. Quamquam monotheletae sec. VII. auctoribus Sergio ep. CP., Pyrrho et Paulo ejus successoribus, Theodoro ep. pharanitano, Cyro alex. etc. universim fatebantur duas in Christo naturas distinctas et inconfusas, atque adeo chalcedonensi subscribebant definitioni, negabant tamen in Christo duplicem fuisse operandi facultatem duplicemque operationem. Verum Ecclesia catholica in conc. oecumenico VI. (a. 680.) declarat: „Duas naturales voluntates in eo (J. Christo) duas et naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum ss. patrum doctrinam adaeque praedicamus."

Probatur autem **1.** hoc dogma e divinis literis, in quibus saepe mentio fit operationum Christi, quas divinitas operata dici nequit, ut esurire, sitire, crescere, cibo, potu, quiete et somno refici, tristari etc. Ergo cum praeter divinam operationem, de qua cum monotheletis non est controversia, aliam habuerit Christus, *duplex* agnosci debet pro numero scil. naturarum operatio visque operandi. Nominatim vero **2.** aliam praeter divinam in eo esse agnoscendam *voluntatem*, docent Scripturae, Luc. 22, 42: *Pater, si vis, transfer calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat;* Matth. 26, 39; Joan. 5, 30; 6, 38; quibus in locis voluntatem suam distinguit a voluntate paterna, quae alioquin ipsi sicut natura divina erat communis. Ergo praeter voluntatem divinam habuit aliam ab hac distinctam i. e. humanam. Huc spectant deinde omnia illa testimonia, in quibus Christi commendatur *obedientia* Philip. 2, 8; Rom. 5, 15; Hebr. 10, 7. etc.: obedientia enim essentialiter supponit *duplicem* voluntatem, voluntatem scil. praecipientis Dei, quae Christo utpote Deo communis erat cum Patre, et voluntatem, quae huic voluntati se subjicit: quae alia esse non potuit quam humana.

719. Quam veritatem **3.** patres cum J. Damasceno *de fid. orthod.* l. 3. c. 15. ita probant: „Cum duae in Christo naturae sint, duas quoque in eo actiones dicere necesse est. Quorum enim natura diversa est, horum quoque dispar est actio, et contra quorum natura est eadem, horum et actio est eadem; quorum autem actio una est, horum etiam substantia una est secundum divinorum interpretes patres." Quare patres in conc. oecumenico VI. in sermone prosphonetico ad imperatorem act. 18: „Perfectum igitur in divinitate, inquiunt, et eundem in humanitate perfectum secundum antiquas patrum traditiones et divinam Chalcedone sancitam formulam praedicamus: atque uti naturas duas accepimus, ita et duas naturales voluntates et duas naturales ipsius operationes agnoscimus. Quippe neutram in Christo naturam in ejus incarnatione voluntatis expertem aut operationis

audebimus asserere, ne earum proprietates perimentes, naturas una perimamus.« Vel cum Agathone (Hard. 3, 1104.) ita adversarios impugnant: »Si una est (operatio), dicant, si temporalis an aeterna dicenda est; divina an humana . . . eadem quoque, quae et Patris est, an altera praeterquam Patris. Si igitur una est eademque, una et divinitatis et humanitatis Christi communis est, quod absurdum est dici. Ergo dum Filius Dei quidem, qui Deus et homo est, humana est operatus in terris, pariter et Pater cum eo naturaliter operatus est, quia quae Pater facit, haec et Filius facit similiter (Joan. 5, 19.). Sin autem, quod veritas continet, dum humana quaedam operatus est Christus, ad solum ejus Filii personam redigitur, quae non est eadem, quae et Patris: secundum aliud profecto et aliud operatus est Christus etc.«

720. **Scholion.** Secernatur **1.** *triplex* operationum Christi genus, „siquidem, ut docet Maximus M. Dionysii Areop. ep. 4. commentans, ut Deus tantum operabatur, quando absens centurionis filium sanabat (operatio θεοπρεπής); ut homo tantum, etsi Deus erat, quando comedebat et tristabatur (operatio ἀνθρωποπρεπής); mixtim autem operabatur miracula, coecis oculos illinendo restituens, haemorrhoissae fluxum solo tactu sistens:" quae operationes per excellentiam dicuntur θεανδρικαί deiviriles. Ejusmodi **2.** operationes mixtae manifesto duplici constabant actione: „nam exspuere, inquit Theorianus in dial. *adversus armenos* respiciens miraculum Christi Joan. 9, 6., lutumque de sputo conficere coecique pupillas inungere, hominis omnino actio est, quippe divinitatem exspuere non dicimus, si non insani sumus: at lutum illud in oculum et lucem convertere, id vero divinitati omnino attribuemus." „Erit autem **3.**, pergit ille, tota res perspicua de gladii quoque candentis exemplo. Nam is pariter et secat et urit, estque dubio procul ustio non ferri, sed ignis, sectio vero non ignis, sed ferri: et diversarum naturarum actiones sunt ustio et sectio, sed propter unionem non ignis tantum esse dicimus hanc ustionem, sed etiam ferri." Verum **4.** et operationes mere humanae et operationes simpliciter divinae possunt dici *theandricae* non solum ratione personae operantis, quae est θεάνθρωπος, sed ea ratione etiam, quam exponit Damascenus *de fide orthod.* l. 3. c. 19: „Agit utraque natura in Christo cum alterius communione; communicat igitur divina natura carni operanti, tum quia divinae voluntatis nutu permittit, ut patiatur et operetur, quae sibi propria sunt: tum quia operationem carnis omnino efficit salutarem, id quod non humanae, sed divinae potius actionis est . . . Communicat autem operanti Deitati Verbi et dispensanti et gubernanti universa (natura humana) intelligens et cognoscens et dispensans non ut nuda hominis mens, sed ut Deo secundum hypostasin unita et Dei mens constituta." Quare **5.** merito conc. lateranense secr. 5. can. 15. decernit: „Si quis secundum scelerosos hae-

reticos Dei virilem operationem, quod graeci dicunt θεανδρικήν, unam operationem insipienter suscipit, non autem duplicem esse confitetur secundum ss. patres h. e. divinam et humanam, aut ipsam θεανδρικήν, quae posita est, novam vocabuli dictionem unius esse designativam, sed non utriusque mirificae et gloriosae unitionis demonstrativam, condemnatus sit."

721. **Corollarium I.** Licet duplex sit operatio Christi, unus tamen est operans ob unitatem personae (actiones enim tribuuntur suppositis), quae est Deus homo, qui ut Deus divina operatur, et humana ut homo. Sicut homo nunc ratiocinatur, qua rationalis est, nunc cursitat, qua corporeus est: et quidem philosophatur cum corpore, non per corpus, et cursitat cum ratione, non per rationem. Unde patet etiam, quo sensu actiones sint *naturarum*, quo sensu vero *suppositorum:* suppositi sunt, ut *principii, quod* illas elicit, naturae ut *principii, quo* eliciuntur.

722. **Corollarium II.** Cum humana voluntas essentialiter sit libera, libertas vero sit perfectio humanae naturae, consequitur, humanam Christi naturam fuisse libertate praeditam. Fatemur tamen gravibus difficultatibus hanc assertionem esse obnoxiam. Non quidem propterea, quod Christus fuerit impeccabilis, vel potiretur jam visione beatifica, cum angeli sint liberi, etsi fruantur impeccantiae praerogativa et visione beatifica. Difficultas oritur hinc quidem ex admissa impeccantia Christi ejusque libertate, inde vero ex obedientia meritoria in obeunda morte ab aeterno ad reparationem humani generis a Patre praedefinita, quae ita in forma proponi potest: Christus in obeunda morte vel fuit liber vel non fuit liber. Si non fuit liber, mors ejus non fuit meritoria et ita corruunt praecipua theoremata de redemptione per Christum; si vero fuit liber, potuisset ergo etiam non mori, consequenter transgredi praeceptum paternum, quo mors ei erat praecepta, ideoque peccare, quod pugnat cum ejus impeccabilitate. Ergo vel neganda Christi libertas vel impeccabilitas. Theologi in hac difficultate solvenda in diversas partes abeunt. Sunt, qui putent, mortem Christo praeceptam fuisse, sed potuisse Christum petere dispensationem. Cum ergo hanc non petierit, non obstante praecepto libere mortuus est. Sunt, qui cum Ysambert in III. q. 18. disp. 2. a. 6. statuant, praeceptam quidem fuisse Christo mortem in *genere,* at non in *specie* et individuo secundum omnia motiva et adjuncta interna et externa temporis, loci, modi etc., ideoque praeceptum illud non impedivisse, quod mors, prout hic et nunc a Christo acceptabatur, esset libera et meritoria; sicut et martyrum mors est libera et meritoria, etsi natura ipsa moriendi necessitati sint obnoxii. Alii *admodum probabiliter* contendunt, Patris mandatum *antecedenter* ad liberam Christi electionem non fuisse strictum praeceptum, sed tantum Patris bene-

placitum, ita ut Patri alter quoque redemptionis modus fuisset gratus, si Christus illum elegisset; *consequenter* vero ad liberam Christi electionem voluntatem Patris conditionatam transiisse in absolutam, ratum habendo modum a Christo libere electum.

723. **Corollarium III.** Cum Verbum humanam naturam assumpserit in unitatem personae, ac proinde Christus in duabus naturis inconfusis secundum conc. chalcedonense exsistat, *compositus* dici, idemque de persona Christi affirmari poterit. Ab hac tamen compositione **1.** omnis imperfectio creaturarum propria est excludenda; adverti deinde **2.** debet, personam Christi duplici modo spectari posse, *formaliter* et *materialiter:* formaliter est simplex, est enim ipsa hypostasis Verbi; materialiter est composita; nam subsistit in duabus naturis, quarum divina est essentialis, altera praeter essentiam, quae puncti instar ad lineam, vel accidentis instar ad substantiam accedit absque ulla substantiae vel personae divinae immutatione.

Articulus III.

De unione naturarum inseparabili.

724. **Thesis CIII.** ***Verbum assumpsit inseparabiliter naturam humanam ab ipso hujus exsistentiae exordio.***

Demonstratio p. I. Thesis est *de fide. Unionem autem Verbi cum humana natura factam esse in ipso ejus conceptionis exordio* **1.** diserte inculcant patres adversus Paulum samosatenum, Leporium, Nestorium etc., eorumque doctrinae summa est: **a.** non ante exstitisse humanam naturam, quam substiterit in persona Verbi; **b.** illius exsistentiam simultaneam esse unitioni cum Verbo; **c.** Verbum assumpsisse non personam, sed naturam humanam. Ita s. Leo M. ep. 35. c. 3. statuit: „Natura nostra non sic assumpta est, ut prius creata assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur."

Praeclare doctrinam catholicam exponit Vincentius lirin. *commonit.* c. 15: „Haec igitur in Christo personae unitas nequaquam post Virginis partum, sed in ipso Virginis utero compacta et perfecta est. Vehementer enim praecavere debemus, ut Christum non modo unum, sed etiam *semper* unum confiteamur: quia intoleranda blasphemia est, ut etiamsi nunc eum unum esse concedas, aliquando tamen non unum, sed duos fuisse contendas, unum scil. post tempus baptismatis, duos vero sub tempore nativitatis. Quod immensum sacrilegium non aliter profecto vitare poterimus, nisi unitum hominem Deo sed unitate personae non ab ascensu vel resurrectione vel baptismo, sed jam in matre, jam in utero, jam denique in ipsa virginali conceptione fateamur." Et aliis praetermissis Joannes Damascenus *de fide orthod.* l. 3. c. 2: „Neque Verbum carni in propria persona jam seorsim exstanti unitum est, sed in s. Virginis utero nulla circumscriptione in sua ipse persona immorans ex castis ipsius perpetuae Virginis sanguinibus carnem anima rationali et intelligente praeditam substare fecit, humanae conspersionis primitias assumens, Verbum ipsum carni factum hypo-

stasis. Quamobrem simul atque caro exstitit, simul quoque Dei Verbi exstitit caro, simul caro animata rationis particeps et intelligentiae.“

Quantum satis est, probatur **2.** hoc dogma ex Gal. 4, 4; Rom. 1, 2. 3., ubi *ipse Dei Filius* dicitur *factus ex semine David; ex muliere:* haec enim de Filio Dei nonnisi ratione naturae humanae hypostatice assumptae praedicari possunt; ex Luc. 1, 35. col. 43., ubi b. Maria V. *mox* a conceptione dicitur ab Elisabeth ex inspiratione s. Spiritus *Mater Domini mei*; proinde infans, quem mox ante conceperat, jam erat *Dominus* i. e. Deus incarnatus. Facta ergo jam erat unio hypostatica, in ipsa conceptione.

725. **Demonstratio p. II.** *Verbum inseparabiliter* assumpsisse *naturam humanam*, praeter conc. chalcedonense (n. 696.) docet conc. toletanum XI. a. 675. hisce verbis: „In quo Dei Filio duas credimus esse naturas, unam divinitatis, alteram humanitatis, quas ita in se una Christi persona univit, ut nec divinitas ab humanitate, nec humanitas a divinitate possit aliquando sejungi.“ Dubium tantum suboriri posset *de tempore passionis* propter verba Christi in cruce dicentis: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me* (Matth. 27, 46.)? et de tempore *mortis,* cum anima a corpore fuit separata; et revera non defuerunt haeretici, qui ejusmodi divisionem commenti sunt. Verum tempore passionis dissolutam fuisse unionem hypostaticam **1.** ex illis verbis non probatur, cum apte intelligi possint *de protectionis divinae subtractione.* Ad rem Hugo Victorinus *de sacramentis* p. 1. c. 10. scribit: „Dereliquit (Deus Christum), quia auxilium non contulit: sed non dereliquit, quia praesentiam non abstulit; subtraxit protectionem, sed non separavit unionem. Separavit se foris, ut ad defensionem contra inimicos non adesset, sed non separavit se intus, ut illi ad unionem personae deesset. Sic ergo dereliquit, ut non adjuvaret, sed non dereliquit, ut recederet.“ Neque **2.** ex Christi morte probatur, factam esse separationem inter Verbum et naturam humanam. Nam mors non consistit in separatione humanitatis a divinitate, sed in separatione animae a corpore, quae locum habere potest manente vinculo, quo tum anima tum corpus Verbo agglutinantur. Probatur **3.** nullam factam esse separationem auctoritate patrum, qui id diserte et aequivalenter docent. Ita Leo M. serm. 17. *de pass.*: „In tantam unitatem Dei et hominis natura convenit, ut nec supplicio potuerit dirimi, nec morte disjungi.“ Probatur **4.** ex articulo symboli de passione et morte Filii Dei. „Neque enim, scribit Capreolus ep. 2. *ad Vitum et Constantium* n. 4., vel in passione defuit illi homini Deus, alioquin non est Dominus gloriae crucifixus.“ Merito proinde aethiopes versus finem suae liturgiae (Mig. 138, 926.) profitentur:

„Credo, credo, credo, quod divinitas non sit separata ab humanitate ne hora quidem, neque per ictum oculi."

726. **Scholion.** *Verbum nunquam relicturum esse naturam humanam,* ex eadem definitione chalcedonensi et toletana consequitur, quocirca Ecclesia hunc errorem damnavit in seleucianis, in Photino, Marcello ancyrano etc. Refellitur autem Hebr. 7, 24. s.; 13, 8: *J. Christus heri et hodie, ipse et in secula;* Ps. 109, 4: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech;* et Rom. 6, 9., aliisque testimoniis, quibus Christus *aeternus* et ejus regnum *aeternum* et fine carens exhibetur Luc. 1, 33; Dan. 7, 24. etc. Atqui Christus proprie est synthesis ex Verbo et carne; regnum ejus est Ecclesia non solum militans, sed in primis triumphans, quae est ejus corpus mysticum, cujus ipse est caput. Ergo in aeternum manebit haec synthesis et unio. Adeo autem evidens visum est hoc dogma patribus, ut illud tamquam certum ubique supponant, neque ullum penes ipsos dubitationis compareat vestigium.

Caput V.

De praerogativis humanae naturae assumptae aliisque consectariis, quae unionem consequuntur hypostaticam.

727. **Thesis CIV.** ***Christus Jesus, etiam ut hic homo est, credi debet Filius Dei naturalis.***

Declaratio. Propositio: Christus, quatenus *homo est,* Filius Dei est naturalis, accipi potest sensu vel *specificativo* vel *reduplicativo*[1]); in *priori* ea est *vera, falsa* in *posteriori.* Vera scil. est, si designatur haec hypostasis, hic habens naturam humanam, a qua dicebatur verissime homo, ille distinctus ab aliis hominibus, quem apostoli videbant, alloquebantur, qui natus est ex Maria V., ut subjectum, cui convenit praedicatum *Filius Dei naturalis.* Falsa vero est haec propositio, si natura humana designatur ut *ratio, secundum* et *propter* quam praedicatum *Filius Dei naturalis* illi conveniat subjecto. Minus aequivoca est propositio: Christus, *ut hic homo,* est Filius Dei naturalis: ipsum enim pronomen demonstrativum designat personam subsistentem in humana natura. Statuitur autem thesis adversus *adoptianismi* haeresim, quae surculus est erroris nestoriani. Illius auctores fuere sec. VIII. labente Felix episcopus urgellitanus et Elipandus archiepiscopus toletanus, qui pro numero naturarum in Christo totidem Dei filios distinguebant contendentes, Christum secundum naturam divinam Filium esse naturalem, *adoptivum* vero secundum naturam *humanam.* Verum hunc errorem praedamnavit jam Damasus in ep. *ad Paulinum* antioch. scribens: „Anathematizamus eos, qui duos esse filios affirmant, unum ante

---

[1]) Sensus *specificativus* designat subjectum, prout ab aliis distinguitur: *reduplicativus* illud sistit seu designat sub illa tantum forma, quam nomen enunciat, seu *restringit,* circumscribit considerationem, ut subjectum consideretur tantum *sub ea formalitate,* sub eo respectu, quem significat nomen. Ille resolvitur, ut in nostro maneamus argumento, ita: Christus, *qui* est homo, est Filius Dei naturalis; sensus *reduplicativus* vero ita: Christus J. *secundum humanam naturam* est Filius Dei naturalis.

secula et alium post assumptionem carnis ex Maria;« data dein opera damnavit concilium francofordiense, cujus definitio approbata fuit a romano pontifice universaque Ecclesia.

728. **Demonstratio.** Hoc dogma probatur **1.** omnibus iis, quibus contra Nestorium demonstratur *unitas personae* in Christo. Ostendimus enim unum eundemque J. Christum simul esse verum Deum a Patre genitum verumque hominem ex Virgine natum. Ergo is, qui est Jesus Christus, qui est filius hominis et homo, idem est filius Dei naturalis. Et revera **2.** vel Pater nullum habet filium naturalem, vel is est homo Christus Jesus: nam fere omnia testimonia, (thes. LXXII.), quibus ostendimus Patrem habere Filium naturalem, agunt de Jesu Christo homine. Ergo si ne is quidem Filius Dei naturalis est, nullus erit unigenitus Dei Filius. Hinc Christus, licet familiarissime cum hominibus versaretur, nunquam se hominibus jungens dixit Patrem *nostrum,* sed sedulo se ab iisdem secernit dicens: *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum* Joan. 20, 17. Praeterea **3.** Verbum incarnatione mansit, quod erat, factum est, quod non erat; erat autem Filius Dei naturalis, non erat Filius hominis et homo. Ergo ille ipse, qui filius hominis, qui homo est, est Filius Dei naturalis.

729. **Scholion I.** Ratio, quare Christus, ut hic homo est, Filius Dei naturalis credi debet, est *unio hypostatica,* quam ita theologi illustrant: Pater generatione eundem Filium, quem ab aeterno genuit in *sola forma Dei,* in tempore gignit carni se *hypostatice* communicantem: quare terminus divinae generationis ante incarnationem est Filius in sola forma Dei: in tempore idem forma hominis, a qua dominatur homo, indutus. »Ex quo enim, ita Leontius contra monophysitas, natura assumpta ad Filium naturalem attracta est, innexa quoque est naturalis filiationis dignitati, quare simul honorata glorificatur simulque adoratur.« Eo ipso scil. quod natura humana assumpta fuit in unitatem personae, atque ideo personae Verbi veluti inserta, consors redditur divinae filietatis, qua persona Verbi constituitur ac distinguitur: quare eadem relatione originis refertur ad Deum Patrem Verbum cum natura humana sibi unita, qua constituitur homo Christus Jesus, qua ad eundem Patrem refertur Verbum nondum incarnatum.

730. **Scholion II.** Qui Christi divinitatem negant, *triplicem* excogitarunt causam, propter quam ipse singulari ratione appelletur Dei Filius scil. **1.** propter *coelestem* ejus *originem* de Spiritu s. secundum illa Luc. 1, 25: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei;* **2.** ob ejus *munus* et missionem plane singularem juxta illa Joan. 10, 36: *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum;* **3.** propter admirabilem a mortuis *resurrectionem,* qua etiam Paulus Act. 13, 33. adimpleta fuisse dicit verba Ps. 2, 7: *Filius meus es tu, ego hodie genui te,* de qua difficultate cf. n. 499. *Alterum* textum, licet faciat difficultatem exegeticam, non ita esse interpretandum,

ut negetur sive divinitas sive filiatio naturalis Christi, clare probant tam antecedentia quam consequentia. Cf. n. 528. Quod *priorem* attinet locum, advertimus, mirabilem Christi conceptum ex Virgine non esse causam et *rationem,* cur Christus sit dicaturque Dei Filius, sed esse divinae filiationis *consectarium* et collatis V. T. vaticiniis ejusdem filiationis divinae *argumentum* et manifestationem.

731. **Scholion III.** Quaeritur **1.** utrum Christus dici possit *creatus?* Ex patribus alii hunc loquendi modum reprobant, alii vero permittunt. Si consideratur secundum *naturam,* cum humana natura sit creata, secundum hanc dici poterit *creatus.* Si vero consideratur secundum *subsistentiam,* dici nequit creatus; secundum hanc enim est persona et quidem divina. Praeterea si voce *creationis* significatur actio, qua aliquid non quidem simpliciter esse, sed *secundum aliquid* esse incipit, poterit Christus dici *factus, creatus* etc.; nam Christus qua talis non erat ante incarnationem. Quibus positis patres facile ad harmoniam revocantur.

732. Quaeritur **2.** utrum Christus dici possit *servus?* Non desunt patres, qui Christum nolint appellare *servum;* alii praeeuntibus *Scripturis* ab hac appellatione non abhorrent; qui tamen facile ad harmoniam revocantur. Potest enim **a.** vox *servi* accipi sensu *stricto* et proprio, quatenus scilicet servus opponitur *filio,* sive adoptivo, sive naturali et hoc sensu Christus *non est servus.* Quandoque vero **b.** sensu latiori et minus proprio eum designat, qui alterius voluntati obsequitur et obedit, quamvis ipsius filius esse possit; hoc sensu Christus dici potest *servus Dei Patris;* qua appellatione **c.** non excluditur ratio filii naturalis, nec significatur inferioritas personae, includitur tamen inferioritas naturae humanae, secundum quam solam potest Filius Dei exhibere obedientiam. Verum **d.** juxta loquendi rationem N. T., in quo Christus nunquam dicitur servus, hujusmodi locutio sine explicatione non est frequentanda.

733. Quaeritur **3.** *utrum Christus dici possit praedestinatus?* de qua quaestione adverte: **a.** *Praedestinatio* generatim est aeterna praeordinatio in mente divina operis supernaturalis: unde praedestinatum dici potest *objectum* ipsum seu opus supernaturale in complexu, vel potest dici praedestinatum *aliquid alicui,* vel praedestinatus *aliquis ad aliquid.* Porro **b.** praedestinatio et exsecutio in tempore sibi respondent. Propterea quidquid in mysterio incarnationis factum est in tempore, id est etiam praedestinatum ab aeterno. Quare **c.** sicut dici potest: Christus *factus* est in tempore, ita dici potest: *praedestinatus est* ab aeterno, scilicet praedestinatum est ipsum *opus* incarnationis; humanae Christi naturae praedestinata est ipsa gratia unionis; et humana natura est praedestinata ad unionem cum Verbo: in qua praedestinatione includitur praedestinatio ad omnes gratiae et gloriae thesauros, qui unione supposita huic homini sunt connaturales et consequentia quadam debiti. Quod si quaeritur **d.** quomodo dici possit Christus praedestinatus esse Filius Dei, seu ad hoc, ut sit Filius Dei Rom. 1, 3; respondendum est, hanc propositionem ita debere intelligi: praedestinatum est, ut Filius Dei sit homo et homo sit Filius Dei. Nam praedestinatum est illud, quod factum est in tempore. Atqui in tempore non homo Jesus praeexsistens factus est Filius Dei, sed factnm est, ut Filius Dei sit homo Jesus et hic homo sit Filius Dei. Hoc ergo, non illud praedestinatum est.

e. Denique licet persona divina non sit subjectum praedestinationis, tamen, ut docet Thomas lect. 3. in *ep. ad Rom.* 1., »praedestinatio potest attribui personae Christi, secundum quod subsistit in humana natura, licet non attribuatur ei, secundum quod subsistit in divina.«

734. **Thesis CV.** ***Christus non solum fuit sanctus immunitate a quavis peccati umbra, sed positive etiam ipsa sanctitate substantiali Verbi, praeter quam in ipso agnosci debet plenitudo gratiae, de qua omnes nos accepimus.***

Demonstratio p. I. *Christum* Sanctum sanctorum *immunem fuisse a quovis peccato actuali* diserte testantur Scripturae Is. 53, 9; 2. Cor. 5, 21; 1. Petr. 2, 22: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus;* 1. Joan. 3, 5. Quam ob rem Christus confidenter adversarios suos provocare potuit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Joan. 8, 46. et 14, 30. testatur: *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. Talis enim decebat,* inquit Paulus Hebr. 7, 26., *ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior coelis factus.*

735. *Christum fuisse immunem etiam a peccato originali,* patet tum ex doctrina Pauli Rom. 8, 3. docentis, Filium missum fuisse *in similitudinem carnis peccati,* sed (coll. Hebr. 4, 15.) *absque peccato;* tum ex eo, quod esset *agnus Dei* tollens *peccatum mundi* Joan. 1, 29; tum ex ejus conceptione de Spiritu s. Luc. 1, 35. Et sane si nostra *regeneratio* de Spiritu s. et aqua, quae illius est tantum adumbratio, omnis peccati est impatiens et quodcunque adsit delet, quanto magis Christi nativitas omnem exclusit peccato aditum? Hinc statuit conc. ephesinum can. 10: „Qui dicit, quod (Christus) pro se obtulisset semetipsum oblationem et non potius pro nobis solis (non enim eguit oblatione, *qui peccatum prorsus nescivit*), A. S.“

736. *Caruit quoque Christus concupiscentia,* quod probatur **1.** ex defectu causae, scil. peccati originalis, a quo penitus fuit immunis. Hoc adeo evidens visum est **2.** universae antiquitati, ut Augustinus *c. Julianum* l. 5. c. 15. n. 52. affirmet: „Quisquis carnem Christi ita comparat carni nascentium hominum ceterorum, ut asserat utramque esse puritatis aequalis, *detestandus haereticus* invenitur.“ Quare conc. oecumenicum V. can. 12. statuit: „Si quis defendit Theodorum impiissimum mopsuestenum, qui dixit, alium esse Deum Verbum et alium Christum, et passionibus animae et concupiscentiis carnis molestatum, et a malis molestatum et a malis paulatim separantem se, et ita ex promotione operum melioratum, et ex vitae conversatione incontaminatum constitutum esse etc., anathema sit.“

737. Praeterea tenendum est, *naturam humanam* Christi *impec-*

cabilitatis praerogativa fuisse donatam, quod recentiori aetate schola güntheriana in dubium vocat. Sed patres saepe inculcant, nonnisi eum potuisse redimere genus humanum, delere peccata, morbos sanare, qui ipse in servitutem incidere, peccatum committere non posset, quique esset supra omnem vim morbi. Hujus impeccabilitatis *duplex* saltem est radix, scil. *visio beatifica,* qua donata erat jam a conceptione anima Christi, et praecipue *unio hypostatica* atque perichoresis, ut passim docent patres. Et sane cum actiones imputentur suppositis, si Christus peccasset, ipsum Dei Filium peccasse dicendum esset, quod cum infinita ejus sanctitate conciliari nequit; quare humana Christi natura peccato est plane inaccessa.

738. **Demonstratio p. II.** Hucusque recensuimus elementa *negativa* sanctitatis Christi: jam ad *positiva* accedamus. In primis tuentur theologi unanimes, *Christum fuisse sanctum sanctitate substantiali.* Quod ita cum Antoine theolog. tract. *de incarnatione* c. 6. a. 2. §. 1. probamus: „Humanitas Christi sanctificatur per Verbum formaliter, seu tamquam per formam, aut quasi formam sanctificantem ei substantialiter unitam. Ergo sanctificatur sanctitate substantiali per Verbum: nam Verbum est sanctitas substantialis, cum sit esse divinum substantiale. Probo antecedens: Illud humanitatem sanctificat formaliter, quod reddit illam participem esse divini, Deo gratam et dignam supernaturali amicitia Dei, excludit ab ea omne peccatum, tum actuale, tum habituale, et dat ei jus ad beatitudinem aeternam: nam haec omnia sunt effectus formales sanctitatis. Atqui Verbum haec omnia humanitati suae praestat propter unionem hypostaticam. Nam Verbum seipsum formaliter communicat etiam physice humanitati suae hoc ipso, quod ei personaliter unitur: et humanitas propter Verbum sibi communicatum physice et specialissimo modo gratissima Deo, dignissima supernaturali amicitia Dei, habet jus infrustrabile ad beatitudinem aeternam, fit non solum immunis a peccato, sed etiam impeccabilis. Ergo humanitas Christi sanctificatur formaliter per Verbum ratione unionis hypostaticae."

739. Praeterea in Christo *admittendam esse gratiam sanctificantem* accidentalem, creatam, dona s. Spiritus, virtutes infusas, verbo plenitudinem gratiarum, communis est theologorum doctrina, quae sponte sua per modum corollarii sequitur ex intima naturae humanae cum Verbo omnis gratiae fonte conjunctione. Deinde si Christus est *caput* nostrum, ex quo in nos sua membra omnis virtus et vita supernaturalis redundat; si est *vitis,* quae justis velut palmitibus virtutem ferendi fructus manentes in vitam aeternam subministrat, fons esse debet inexhaustus omnis gratiae.

740. De *intellectus* humani in Christo praerogativis statuimus **1.** *animam Christi donatam fuisse visione beatifica ab ipso suae exsistentiae exordio,* quod etiam tuentur unanimes scholae theologi. Quocirca opinionem contrariam, quam recentiori aetate schola güntheriana amplexa est, passim *temerariam* pronunciant. Et sane si Christi dignitas exigit, ut fuerit gratia consummatissimus, gratia ultra omnem profectum repletus, fruebatur visione beatifica, quae est secundum theologos gratiae consummatio. Ad haec humana natura vi unionis hypostaticae, qua nulla sublimior concipi potest, in unitatem personae fuit assumpta; qui ergo concipi potest, eam minori, quae est per visionem beatificam, fuisse privatam, fuisse peregrinam et exsulem a Deo? peregrini enim sunt a Domino, teste Paulo 2. Cor. 5, 6. ss., qui per speciem illum non contemplantur.

741. Haud levis tamen difficultas petitur ex Christi *passione,* praesertim ex summa ejus animi *tristitia* et *desolatione* Matth. 26, 38. et 27, 48., quae vix conciliari possunt cum visione beatifica. Verum in his conciliandis non major est difficultas, quam generatim in explicanda *unione hypostatica.* Si enim potuit divina natura ita uniri humanae, quin propterea gloria redundaret in corpus; potuit etiam esse in anima Christi gaudium beatificum, quin propterea redundaret in vires inferiores ita, ut has omnes absorberet: ac proinde divina saltem dispensatione fieri potuit, ut locus relinqueretur tristitiae, eoque magis quod haec circa aliud prorsus versaretur objectum, quam visio beatifica.

742. Praeter visionem beatificam 2. *amplissima rerum aliarum scientia Christum hominem* ab ipsa conceptione *divinitus fuisse praeditum*[1]), quae propterea *infusa* dici solet, manifestum videtur, siquidem in ipso omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei absconditi erant (Coloss. 2, 3.); super ipsum requievit teste Isaia 11, 2. Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et scientiae, quem ei non ad mensuram dedit Deus (Joan. 3, 34.); ipse constitutus fuit magister supremus noster (Matth. 23, 10.), rex, judex et caput nostrum.

Potest **3.** Christo adscribi etiam scientia *acquisita,* cujus nomine intelligitur scientia, quae comparatur exercitio naturalium facultatum, et cujus usus dependens est a phantasmatibus, qua proinde cognoscimus omnia secun-

---

[1]) De exceptione agnoëtarum, qui Christo adscribebant ignorantiam propter ejusdem verba Marc. 13, 32., cf. supra n. 511. Ad testimonia patrum quae objici possent (cf. Petavium l. 11. c. 1.), advertatur, patres quamdiu adversus arianos solliciti solum erant de vindicanda Christi *divinitate,* satis aliquando habuisse respondere, hunc locum non de divina, sed de *humana* Christi natura esse intelligendum, quin accuratius inquirerent, qualis esset haec ignorantia, quae illi adscribitur; verum in controversia alia, ubi data opera loquuntur de Christo homine, nominatim adversus Theodorum mopsuestenum, Nestorium et agnoëtas, damnant quamvis ignorantiae suspicionem etiam secundum naturam *assumptam.*

dum modum naturae nostrae. Nam Christus habuit humanam naturam, naturales facultates, connaturales operationes; nisi ergo illas plane inertes fuisse asserere velimus, quod vel monotheletismum vel docetismum saperet, illarum exercitio eam quoque acquisivit cognitionem, quae ejusmodi operationibus est connaturalis. Cum vero haec, ut diximus, ab usu et exercitio facultatum pendeat, processu temporis crevisse merito dici potest, quare verba Luc. 2, 52: *Et Jesus proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum et homines*, non solum de successiva scientiae manifestatione et de profectu secundum effectus, sed etiam de vero profectu scientiae acquisitae intelligi possunt. Crevit scil. non cognitionis *objectum*, sed plura ex iis, quae jam noverat scientia *infusa*, *novo* modo per scientiam *acquisitam* et propriam experientiam incipiebat gradatim cognoscere.

743. **Thesis CVI.** ***Christus Deus homo unica eaque latreutica adoratione colendus est, proinde hujus objectum materiale est totus Christus, ejus vero humanitas, quatenus hypostatice Verbo unitur, objectum est partiale, quod adoratur quidem in se, non tamen propter se, siquidem motivum adorationis formale est divinitas Verbi.***

Declaratio. Nomine objecti *materialis* adorationis intelligitur objectum, ad quod adoratio et cultus dirigitur; *formalis* vero nomine excellentia illa, quae est propria ratio, seu motivum adorationis et cultus. Haec vero ratio formalis cum objecto materiali conjuncta esse potest vel **a.** per *identitatem* ut in Deo; vel **b.** per *informationem* seu per modum formae, ut in creatis spiritibus, qui coluntur propter inhaerentem ipsis sanctitatem; vel **c.** objectum, quod est terminus adorationis, potest esse aliquid substantialiter unitum tamquam pars vel per modum partis alteri, propter se et ratione suae formalis excellentiae colendo; qua in hypothesi illud substantialiter unitum est objectum *directum* quidem, sed *partiale*, et objectum *in se*, non *propter se* illius cultus, qui ad totum unum substantiale dirigitur. Sic dum colimus hominem propter sapientiam, una eademque veneratio dirigitur ad *totum* hominem, ideoque tamquam ad partem etiam *ad corpus*, licet ratio formalis venerationis *immediate* afficiat animam, et ad corpus eatenus tantum pertineat, quatenus est elementum substantiale hominis colendi propter sapientiam.

744. Quibus praemissis dicimus I. *Christum hominem adorandum esse adoratione latreutica*, adoratione uni Deo exhibenda. „Si quis, inquit Cyrillus alex. *anathematismo* 8., audet dicere assumptum hominem coadorandum Deo Verbo et conglorificandum et nuncupandum Deum tamquam alterum cum altero (nam syllaba σύν superadjecta haec cogit intelligi), ac non potius una supplicatione veneratur Emmanuelem unamque ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum factum est caro, A. S.;“ et conc. nicaenum II. act. 5: „Cum Christus adoratur, non separatur humanitas a divinitate, sed utraque ut unum adoratur.“ Ratio autem est evidens, quia profecto Verbum adorandum est, quacunque forma, quocunque habitu se adorandum exhibet: sicut rex colendus est, quocunque habitu sit indutus. Atqui Verbum carnem indutum atque in forma humana se nobis exhibet;

ergo Verbum carofactum, Verbum homo eadem ratione est adorandus, qua colendum erat antequam indueret carnem. Quapropter sancte statutum est Joan. 5, 23., *ut omnes honorificent Filium* (sane incarnatum, de quo ibi est sermo), *sicut honorificant Patrem*: et Pater, *cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, praecipit ut adorent eum omnes angeli* Hebr. 1, 6., utique ea adoratione, de qua sermo est Ps. 96, 7., unde haec verba apostolus allegat, scil. uni Deo debita; et magi ex Oriente procidentes adoraverunt Jesum Matth. 2, 11. et Joannes in Apoc. 5, 8. ss. vidit ab angelis omnique alia creatura adorationem exhibitam Agno.

745. Ex quibus sponte sua consequitur II. objectum *totale* adorationis Christo exhibendae esse non solum Verbum, sed *Verbum caro factum,* proindeque *humanam* naturam esse objectum *partiale* adorationis. Ratio vero est, quia si persona honoratur, tota honoratur; Christi vero persona complectitur utramque naturam; ergo adorari nequit, quin adoretur etiam ejus humanitas, seu quin adoratio partialiter terminetur in ejus humanitatem. Belle proinde scribit Damascenus *de fide orthod.* l. 3. c. 8: „Timeo prunam tangere propter ignem ligno unitum; adoro Christi naturas ambas propter unitam carni Deitatem."

746. *Motivum formale* III. *adorationis* Christi exhibendae esse *divinitatem,* proindeque humanam *naturam* esse quidem adorandam *in se,* non tamen *propter se,* patet jam ex dictis; confirmatur praeterea definitione contra Paulum samosatenum conc. nicaeno olim adscripta (p. 4. conc. ephes.), quae ita habet: „Totus quippe est Deus etiam cum corpore, non secundum corpus; totus adorandus etiam cum corpore sed non propter corpus." Quare Athanasius apollinaristas excipientes Christi carnem adoratione esse indignam, ita redarguit: „O stulti, cur non illud cogitatis, corpus Domini etiamsi creatum minime creaturae propriam adorationem requirere, quippe quod increati Verbi factum est corpus? nam cujus est corpus, huic adhibetur adoratio."

747. **Corollarium.** Quare *legitimus* censeri debet *cultus ss. cordis Jesu,* de quo haec tantum advertimus: **1.** Objectum cultus, qui Verbo incarnato exhibetur, totus est Christus; ideoque objectum partiale est ejus humanitas atque etiam corpus, et quia corpus pluribus constat membris, singula corporis membra objectum sunt *partiale.* **2.** Ratio autem formalis, quare etiam in haec dirigatur talis tantusque cultus, est *divinitas Verbi,* cujus sunt *propria* vi unionis hypostaticae[1]). Ratio vero **3.** quare fideles

[1]) Quocirca damnata fuit prop. 68. synodi pistoriensis: „Item in eo, quod cultores cordis Jesu hoc etiam nomine (synodus) arguit, quod non adver-

colendo Christum cultum suum *speciatim* dirigant in ejus *ss. cor* potius quam in aliud sanctissimi ejusdem corporis membrum v. gr. oculos, aures etc., *haud est arbitraria*, sed admodum rationi consentanea: est enim cor *symbolum naturale*[1]) infiniti amoris Christi, ipsum *sponte sua* quasi verbum reale in memoriam revocat, et oculis mentis contemplandas sistit omnes illas sanctissimas affectiones, quae reddunt Christum adeo amabilem atque omnis sanctitatis exemplar; quare fieri nequit, ut quis attentionem in cor dirigat, quin in memoriam revocetur omnis ille amor divinus ac proin noster accendatur amor; quin recordemur tot beneficiorum, quae inde profluxerunt, atque ita excitetur gratitudo; quin menti repraesentetur omnis Christi sanctitas et ad imitationem provocemur. Quis autem indigne ferat, si quis miser speciali affectu illam deosculetur *manum*, quae eum eripuit a morte, eleemosynam pinguem largita est, liberationis sententiam firmavit?

Divinae autem providentiae nutu factum est **4.** ut cultus ss. cordis Jesu speciali modo per Ecclesiam diffunderetur. Sicut enim impietas haereticorum negantium realem Christi in Eucharistiae praesentiam occasio exstitit, ut reflouresceret et multiplici modo se proderet pietas et gratitudo fidelium erga hoc tam insigne divinae bonitatis pignus: ita cum janseniani suis erroribus impeterent Christi praesertim *bonitatem* et *amorem*, et cum jam instet tempus, quo refrigescat caritas multorum: nil opportunius hoc cultu, quo infinitam Christi prosequimur caritatem, et quidem, quia homines sumus sensibilibus immersi iisque assueti, sub *visibili forma cordis*, ut hac via plana nobisque accommoda ignem divini amoris in nostris accendamus cordibus. Quod si **5.** ex fructibus dignoscere licet arborem, fructus plane laetissimi, quos haec devotio in dies ubique locorum in fidelium animis licet quondam omnibus vitiis deditis profert, splendidissimum argumentum sunt, hunc cultum esse *secundum cor Jesu*, Deo gratissimum, Spiritus sancti inspirationi et ductui, quo Dei regitur Ecclesia, adscribendum.

748. Ultimo loco aliqua dicenda sunt *de idiomatum communicatione*, quae in eo consistit, ut idiomata i. e. proprietates, propria *Dei Verbi* affirmare liceat de Christo *homine, et* quae propria sunt Christi *hominis*, praedicare *de Deo Verbo:* unde oritur illa admirabilis prae-

---

tant, sanctissimam carnem Christi aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione aut praecisione a divinitate adorari non posse cultu latriae, quasi fideles cor Jesu adorarent *cum separatione* vel *praecisione a divinitate*, dum illud adorant ut est cor Jesu, *cor* nempe *personae Verbi*, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exsangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulcro: captiosa, in fideles cordis Christi cultores injuriosa.‹

[1]) Cum dicimus cor Jesu, quod colimus, *symbolum* esse divini amoris, non propterea dicimus, objectum immediatum vel unicum hujus cultus esse *cor symbolicum:* nam objectum *immediatum, directum, proximum,* in quod hic cultus tendit, est ss. cor Jesu *carneum, naturale, proprium,* quod propter *multiplicem* nexum cum infinita Christi caritate et tota sanctissima ejus vita interna utramque nobis in memoriam revocat, ob oculos sistit et sensibiliter repraesentat ideoque rationem induit *symboli* amoris Christi etc.

dicatorum *commutatio* et *permixtio,* vi cujus dicimus Deum Verbum esse passum, Vitam esse mortuam, Christum hominem esse Deum, filium Mariae fuisse, antequam Abraham fieret etc. Porro ratio hujus permutationis nominum praecipua est *unio hypostatica* seu unitas hypostaseos: quae ratio ut rite intelligatur, haec prae oculis habeantur principia: **1.** Hypostasis seu persona est *subjectum* praedicationis, de quo scil. omnia affirmari possunt, quae ei conveniunt atque propria sunt. Jam vero **2.** persona Christi est composita, seu Christus habet duas naturas, divinam atque propterea omnia, quae hanc consequuntur, et humanam cum omnibus hujus proprietatibus. Quare **3.** de persona Christi merito praedicantur *humana* et *divina.* Porro **4.** persona Christi a natura *divina,* quam possidet, velut *a forma* denominari potest *Deus,* et ab *humana* natura dici poterit *homo,* cum omnis habens naturam humanam sit homo. Ergo **5.** de eodem subjecto, quod, quia generatione accepit naturam divinam a Patre, dici potest Deus Verbum, praedicari possunt non solum divina sed et *humana:* et de eodem, quod, quia assumpsit hypostatice naturam humanam, ab eadem verissime denominatur homo, possunt praedicari non tantum humana, verum etiam *divina*[1]).

749. Haec tamen proprietatum permutatio non est *exlex* et arbitraria. Qua de causa theologi plures proponunt *regulas* in ea sedulo servandas, quarum potiores breviter indicabimus. **1.** Propter *unitatem hypostasis* in *duplici* natura de hypostasi nomine *Dei* vel *hominis* significata praedicari debent idiomata tum humana tum divina in concreto enunciata, ex. gr. Deus est homo, est natus; hic homo est Deus, aeternus etc. Ratio est, quia nomina concreta tum in subjecto tum in praedicato supponunt pro *hypostasi,* sed in subjecto secundum unam, in praedicato secundum alteram naturam: hypostasis autem est eadem. Ergo potest et debet enunciari ejus identitas spectatae secundum unam et secundum alteram naturam. Nihil enim aliud est dicere: Deus mortuus est, quam dicere: Is, qui est Deus secundum unam naturam, est is ipse, qui est mortuus secundum alteram[2]).

---

[1]) Possumus proinde verissime dicere non solum: Deus Verbum est omnipotens, sed etiam sanguine suo nos redemit, pependit in cruce etc.: et non solum Christus homo natus est ex Maria Virgine, sed etiam est Deus super omnia benedictus in secula, omnipotens, creator; hac enim in propositione nomine *hominis* non designamus naturam humanam, sed *suppositum* subsistens in humana natura, a qua tamquam *a forma* denominari potest *homo,* quod licet habeat naturam humanam, certissime est Deus, omnipotens, creator. Sensus igitur hujus propositionis non est: humana natura est Deus, omnipotens etc., neque hic: Christus secundum humanam naturam est Deus etc.; sed non alius quam hic: iste, qui habet naturam humanam ac proinde homo dicitur, est omnipotens, Deus etc. non secundum *humanam* naturam, sed secundum *divinam* naturam, quam praeter humanam possidet.

[2]) Quare formula illa: *Unus de Trinitate crucifixus est,* sanum potest habere

Quia 2. inter hypostasin Verbi et naturam assumptam non est identitas, ideo de hypostasi Filii non possunt in recto praedicari humana *abstracte* sumpta; haec enim supponunt *pro natura:* proinde dici nequit Verbum est humanitas. 3. Propter *diversitatem naturarum* in Christo unius proprietates de altera affirmari nequeunt, ideoque dicere non licet: divinitas est mortalis, humanitas est immensa, et quia 4. divina abstracta non supponunt pro persona, sed pro natura, praedicata humana de illis enunciari nequeunt, ut omnipotentia est mortua. Quod si quidam ita liberius locuti sunt, resolvi ea locutio ita debet: Is, qui est omnipotens seu ipsa omnipotentia, scil. Filius, mortuus est. Quamvis 5. quae Christo conveniunt secundum unam naturam, possint de eo *simpliciter affirmari,* non tamen *simpliciter* de eo *negari* possunt, quae ei secundum unam tantum naturam non conveniunt, quia negatio removet praedicatum a *toto* subjecto.

Caput VI.

Mariologia.

750. **Thesis CVII.** ***B. V. Maria credi dicique debet Dei Genitrix.***

Declaratio. »Quidquid est in b. Maria laude et praedicatione dignum, advertit scite Petavius *de incarn.* l. 14. c. 8. n. 2., quodcunque gratiae ac gloriae inest decus et ornamentum, totum id illa maternitati suae refert acceptum. Ab hac enim ceu fonte et origine cuncta fluxerunt, quae in ea mirifica et stupenda congessit divina largitas, quae nusquam alias se copiosius atque uberius effudit.« Merito proinde ab hac praerogativa, reliquarum matrice, contemplanda auspicabimur: eoque magis, quod tantum sit hujus dogmatis, quo b. Virginem θεοτόκον profitemur, momentum, ut vere affirmari possit, ita fuisse sec. V. a tempore Nestorii τῆς θεοτόκου professionem orthodoxae fidei tesseram, quemadmodum sec. IV. contra arianos τοῦ ὁμοουσίου confessio. »Merito et vere, inquit Damascenus *de fid. orthod.* l. 3. c. 12., s. Mariam θεοτόκον appellamus. Hoc enim nomen totum incarnationis mysterium adstruit. Nam si Dei mater est, quae genuit, profecto *Deus* est, qui ex ipsa genitus est: profecto etiam *homo.* Nam qui fieri potuisset, ut Deus, qui ante secula exstabat, ex muliere nasceretur, nisi homo factus esset? Qui enim filius est hominis, homo etiam ipse sit necessum est. Quod si ille ipse, qui ex muliere natus est, Deus est, *unus* procul dubio atque idem est, qui ex Deo Patre genitus est, quod ad divinam et initii expertem substantiam attinet, quique extremis temporibus ea substantia, quae initium habuit temporique subjecta est, hoc est humana, ex Virgine natus est. Hoc vero unam D. N. Jesu personam duasque naturas et duas generationes significat.« Statuitur autem thesis in primis contra Nestorium, qui concessit quidem, Mariam esse χριστοτόκον, sed nullatenus esse θεοτόκον: quod si aurium christianarum offensionem timens, hanc appellationem permittere videtur, illius sensum plane pervertit.

---

sensum. Si vero illam Hormisdas noluit approbare, id non factum est, quod eam *falsam* censuerit: sed quod necesse non sit, *novas* semper, quamvis veras, cudere loquendi formulas; vel quod eorum, qui illius approbationem instantius, quam par esset, urgebant, fides et intentio fuerit suspecta.

Tenendum autem est, Mariam esse vere Dei Matrem, imo Dei Genitricem, idque non sensu *diviso*, quasi eum genuerit, qui *postea* factus sit Deus, sed omnino in sensu *composito*, quatenus terminus generationis erat persona *divina* carne utique induta. Definitum autem fuit hoc dogma in conc. oecumenico III. can. 1: „Si quis non confitetur, Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea *Dei genitricem* s. Virginem: peperit enim secundum carnem factum Dei Verbum . . . A. S.“

751. **Demonstratio.** **1.** Maria est Mater et genitrix J. Christi, ut evidens est ex divinis literis. Atqui J. Christus verus est Deus (th. LXXIII.) et quidem *a conceptionis exordio* (thes. CIII.). Ergo Maria est genitrix Dei. **2.** Sacramentum incarnationis in eo est situm, ut Deus Verbum in plenitudine temporum novam subierit generationem, qua fieret homo Rom. 1, 3; Gal. 4, 4. Atqui hanc subiit ex Maria Virgine. Ergo Maria genuit Deum, utique secundum naturam, quam ex ea assumpsit. Ad rem Facundus hermian. l. 4. *pro defens. trium capit.* c. 4: „Si Deus vere est homo, nec aliunde vere homo nisi nascendo ex Virgine, cur non dicatur: Deus vere natus est ex Virgine? et si Deus *proprie* factus est homo, nec aliunde *proprie* factus est homo, nisi nascendo de Virgine, cur non dicatur etiam *proprie* natus ex Virgine?“ **3.** Unus idemque est Filius Patris genitus e Patre secundum divinitatem et Filius hominis genitus ex Maria secundum humanitatem. Neque enim *duos* filios agnoscit Ecclesia catholica. Cf. thes. CIV. Atqui Filius Patris est Deus; ergo Deus est Filius Mariae.

752. Accedit **4.** traditionis suffragium. Nam b. V. Mariam Dei Genitricem *diserte* vel *aequivalenter* creditam fuisse jam diu ante Nestorium, patet ex Cyrillo in dial. *quod unus sit Christus:* „Contempta *traditione* eorum, qui orbem terrarum sacra mysteria docuere, imo potius universa sacra Scriptura valere jussa rebusque nobis pro libidine sua introductis sacram Virginem Deiparam esse negat (Nestorius): sed eam potius Christum sive hominem peperisse affirmat;“ ex Joanne antioch., teste non suspecto, ep. 1. *ad Nestorium* n. 4.: „Hoc nomen (*Dei Genitrix*) nemo doctorum ecclesiasticorum repudiavit. Nam et plures eo usi sunt, iique celebres et qui usi non sunt, utentes non reprehenderunt.“ Ex Theodoreto *de haeresib.* l. 4. c. 12: „*Antiquissimos* orthodoxae fidei praecones *secundum apostolicam traditionem* docuisse, Matrem Domini dicendam credendamque esse *Dei Genitricem,* clarum est.“ Patet denique vel ex ipso Juliano apostata, qui apud Cyrillum alex. (l. 8. p. 262.) christianos arguens: „Atqui vos, inquit, Mariam non cessatis vocare θεοτόκον.“

753. Ut vero difficultates solvantur, haec prae oculis habeantur: **1.** ut Maria possit dici Dei Genitrix, necesse non est, ut ipsam genuerit *divinam*

naturam, sed **2.** sufficit, ut genuerit naturam humanam *hypostatice* Verbo unitam; quemadmodum **3.** quaecunque mater merito dicitur hominis genitrix, quamvis *animam* non gignat, sed corpus tantum, quod substantialiter animae unitur. Qua similitudine Cyrillus passim dogma catholicum illustrat (cf. n. 580.). **4.** Ratio vero est, quod nomen filii, quamvis supponat naturae communicationem, non sit nomen naturae, sed *personae,* quae in Christo fuit *divina.* Quare **5.** merito dicitur B. Virgo genuisse Deum i. e. personam Verbi, non quidem secundum divinam naturam, sed secundum humanam: et hinc licet sit *Dei* Genitrix, *prior* dici potest suo Filio, quod de ratione est matris, sed utique secundum *eam naturam,* secundum quam is est Filius et ex ipsa genitus, *non simpliciter.*

754. Libet autem patribus praeeuntibus tantae matris illustrare dignitatem. Eo ipso **1.** quod Maria suppeditaverit Dei Filio humanam naturam, *affinitatem* naturalemque cum *Dei Filio* cognationem contraxit, in qua mirabilis ac plane singularis relatio includitur matris Christi *ad Deum Patrem* generantem eundem Filium secundum naturam divinam et *ad Spiritum sanctum,* cujus ipse Filius Virginis secundum divinitatem est principium et secundum humanitatem fructus quidam specialis. Ratione suae *maternitatis* **2.** exhibetur Maria ut *pons* et annulus, quo divina et humana, coelum et terra, Deus et creatura junguntur, *thalamus,* in quo desponsantur, *scala,* qua Deus ad nos descendit, unionis naturarum officina, salutaris commercii nundinae, secundi Adami paradisus[1]). Ratione hujus dignitatis **3.** ipsa *maternitatis quoque habitum*[2]) induit erga omnia membra omnesque fratres Christi, praestantiorique ratione mater est viventium, quam Eva (Gen. 3, 20.). Mirum proinde **4.** videri non debet, si sanctis omnibus praefertur a patribus. Et sane »Dominus tecum, inquit Sophronius *de annunc.* n. 21., et quisnam tecum contendere ausit? Deus ex te, ecquis e vestigio tibi non cedat, et non magis tibi primatum praecellentiamque gaudens tribuat?« Propter tantam dignitatem **5.** iidem patres ubique illam

---

[1]) Cf. pulcherrimam s. Procli *orationem I. opusc.* t. XII., in qua n. 1. ait: »Maria, inquam, ancilla et mater, virgo ac coelum, Dei ad homines unicus pons, horrendum incarnationis textorium jugum, in quo ineffabili quadam ratione unionis illius tunica confecta est: cujus quidem textor exstitit Spiritus sanctus; nectrix, virtus obumbrans ex alto; lana, antiquum Adami vellus; trama, impolluta caro ex virgine; textorius radius, immensa gestantis gratia; artifex tandem, Verbum per auditum illabens.« Cf. aliorum effata *opusc.* XII, 33. an.

[2]) Cf. Epiphanius *haer.* 78. n. 18. *Quintuplici* autem titulo *mater nostra* salutatur Maria: **1.** titulo *cognationis* cum Christo: dignatus enim est Dei Filius secundum *naturam* frater noster fieri, et secundum *gratiam* nos adoptare *in Dei filios* ac proinde in suos *fratres;* **2.** titulo *cooperationis* ad nostram reparationem, qua facti sumus *filii Dei.* Ipsa enim fuit *janua salutis,* sicut Eva *janua mortis;* **3.** titulo, quem assignat s. Thomas 3. p. q. 30. a. 1., secundum quem Maria *loco totius humanae naturae* assensum dedit in illud spirituale matrimonium, quod vi incarnationis Dei Filius iniit cum humana natura: ideoque generis redemptio quadamtenus pendebat a Virginis consensu; **4.** titulo *amoris* et *sollicitudinis* de nostra salute: qui sufficit, ut quis dici possit *pater* noster *spiritualis;* denique **5.** titulo *hereditatis,* cum in persona Joannis Christus in cruce moriens, nos in filios ipsi assignaverit Joan. 19, 26.

in Scripturis vident praefiguratam. Huc **6.** referri possunt, quae scriptores magno consensu tradunt de *mira Dei circa b. Virginem providentia* et cura, unde a s. Bernardo dicitur[1]) »a seculo electa, ab Altissimo praecognita et sibi praeparata, ab angelis servata, a patribus praesignata, a prophetis promissa.« Quare mirum esse non debet, quod tantae dignitati in universa Ecclesia respondeat specialis quoque cultus, qui sua universalitate, perennitate, varietate, splendore, intensione quadamtenus saltem adumbret sublimissimam Dei Matris excellentiam.

755. *Tantae* divinitus concessae *dignitati proportione respondisse gratiae plenitudinem* **1.** per se manifestum videtur. Ad rem Basilius seleuciensis or. 39. *in s. Deiparae annunciationem:* »Quis non miretur, quantopere superemineat (Maria), quotquot honoramus sanctos? Nam si Deus servis tantum impertitus est gratiae, qualem matri virtutem inesse cogitabimus? An non multo majorem, quam ei subjectis? *Cuivis id notum est.* Si Petrus beatus appellatus est clavesque regni coelorum concreditas habuit, cur non prae omnibus una beata praedicetur, cui datum est eum eniti, quem ille ore confessus est? Si Paulus *vas electionis* cognominatus est, quod augustum Christi nomen extulerit illudque ubique terrarum evulgaverit, quale vas erit *Dei mater?*« Quod etiam **2.** non una ratione probat s. Thomas. Illud siquidem infert 3. p. q. 27. a. 4. ex principio indubio, Deum »illos, quos ad aliquid eligit, ita praeparare et disponere, ut ad id, ad quod

---

[1]) Hom. 2. *super Missus est* n. 4. Quod si quaeritur, quare de Mariae dignitate *Evangelia* tam *parce* loquantur, advertimus **1.** inter *matrem* et *Filium* quandam vigere *analogiam:* sicut enim se exinanivit Filius servi formam accipiens humilitatisque via conscendit summam gloriam, ita et Maria exinanitionis viam debuit incedere. Id **2.** exigebat *oeconomia salutis,* ut scil. prius omnium attentio et admiratio figeretur in Christum Deum incarnatum: cujus gloria promulgata et stabilita, sponte sua Mariae quoque gloria latius diffundebatur. Ceterum **3.** negamus, ss. literas *parcas* esse in laudibus Virginis. Magnificentius enim ea nequit extolli, quam si dicatur *Mater Jesu,* si exhibeatur *Mater Dei:* haec *verba pauca* quidem sunt, sed *sensu* plenissima, grani sinapis instar, quod specie est minimum, sed *virtute* maximum. Quod fassus est ipse Lutherus, qui in *comment. ad divae V. Mariae canticum* (op. omnium t. 9. p. 85. Wittembergae 1554.) scribit: „Qua re (quod mater Dei facta est) tam praeclara et ingentia bona ei data sunt, ut superent captum cujuscunque; hinc enim omnis honos ac beatitudo provenit, ut in universo genere humano unica sit persona superior cunctis, cui nemo sit par, quod cum coelesti Patre Filium tantum habeat communem . . . Ergo propterea unico verbo totus ejus honos concluditur, si *Parentis Dei* insignietur nomenclatura, quandoquidem nemo majora vel de illa praedicare vel illi nunciare possit, etiamsi tot linguas habeat, quot flores terra herbulasque, coelum stellas ac mare sustinet arenas." Ad quaestionem, utrum praeferenda sit filiatio adoptiva maternitati Dei (quod videntur patres nonnulli affirmare), respondet Suarez disp. 1. s. 2. n. 6.: »*Primo,* si *praecise* conferantur, ita ut una ab alia omnino separetur, praeferendam esse dignitatem filii adoptivi . . . *Secundo* vero addi potest, dignitatem matris *moraliter* consideratam, et prout includit omnia, quae quodammodo *ex natura rei* et secundum *ordinem divinae sapientiae* illi debentur, altiorem esse dignitate filii adoptivi.« Qua duplici propositione testimonia majorum ad speciem inter se pugnantia ad harmoniam revocantur.

eliguntur, inveniantur idonei;« ulterius deinde ita confirmat a. 5: »Quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii . . . . Christus autem est principium gratiae, secundum divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter . . . b. autem virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam. Et ideo prae ceteris majorem debuit a Christo gratiae plenitudinem accipere.« Hanc gratiae plenitudinem in Christi matre **3.** *honor* exigebat *Patris,* cujus *filia* Maria κατ' ἐξοχήν salutatur; exigebat *Filii honor,* secundum illud Jacobi sarugensis, cognomento *doctoris* (sec. VI.), Batnarum in Mesopotamia episcopi, principium s. 1. de s. V. Dei Genitrice: »Si qua macula aut defectus animae ejus inesset, aliam utique sibi matrem quaesivisset, quae omnis labis expers foret.« Exigit *honor Spiritus s.,* cujus singularis et electa sponsa praedicatur sanctissima virgo.

756. Et revera **4.** ab angelo salutatur: *Ave, gratia plena,* Luc. 1, 28. Quorum verborum vim secundum patrum commentaria paucis complectitur Pius IX. in bulla *Ineffabilis Deus,* docens: »Hac singulari solemnique salutatione nunquam alias audita ostendi, Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque divini Spiritus charismatibus exornatam, imo eorundem charismatum infinitum prope thesaurum abyssumque inexhaustum, adeo ut nunquam maledicto obnoxia et una cum Filio perpetuae benedictionis particeps ab Elisabeth divino acta Spiritu audire meruerit: *Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui* (Luc. 1, 42.).« Cf. Sophronius et Thomas Aq. in salut. angelicam *opusc.* XXXIV, 260. ss. et 322. ss. Quare **5.** majoribus nostris axiomatis instar erat: »Aliis ad mensuram gratiam dari, hanc autem gratia plenam dici (Bruno astensis com. *in Luc.* §. 3.).« »Ave, gratia plena, inquit Petrus Chrysologus serm. 143., quia singulis gratia se largita est per partes, Mariae vero se tota infudit gratiae plenitudo;« et sic dictus sapiens idiota *in contempl. de V. M.* c. 2: »Quodcunque donum alicui sanctorum unquam datum fuit, tibi non fuit negatum, sed omnium sanctorum privilegia omnia habes in te congesta. Nemo aequalis est tibi, nemo major te nisi Deus.« Merito proinde Pius IX. in bulla cit. affirmat: »Concors eorundem (patrum et scriptorum ecclesiasticorum) est sententia, gloriosissimam Virginem, cui fecit magna qui potens est, ea coelestium omnium donorum vi, ea gratiae plenitudine, eaque innocentia emicuisse, qua veluti ineffabile Dei miraculum, imo omnium miraculorum apex ac digna Dei mater exstiterit et ad Deum ipsum pro ratione creatae naturae quam proxime accedens qua humanis qua angelicis praeconiis celsior evaserit.«

757. **Thesis CVIII.** ***Catholica fide tenendum est, „bb. Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis ab omni originalis culpae labe praeservatam, immunem[1]).“***

Declaratio. Hac in thesi non est quaestio de conceptione *activa,* scil. quatenus est opus parentum, sed de conceptione *passiva,* quae

[1]) Haec sunt verba definitionis dogmatis ex Pii IX. bulla *Ineffabilis Deus.*

continetur *infusione animae.* In hac vero contendimus, animam B. Virginis fuisse praeservatam, quominus contraheret sicut alii homines actu peccatum originale[1]). Proinde non quaerimus, utrum ea fuerit praeservata etiam *a debito* peccatum originale contrahendi, qua de re controversia adhuc viget inter theologos. Distinguitur autem debitum *proximum* et *remotum:* proximum dicunt, quod oritur *ex inclusione in pactum* vel quasi pactum cum Adamo initum; ex eo enim sequitur proxime, quod posita praevaricatione Adami homo quivis inclusus ob pacti ipsius conditionem in primo conceptionis instanti privatus gratia sanctificante exsistat, ideoque contrahat peccatum originale, nisi ipso illo instanti Deus ex misericordia sequelas hujus debiti suspendat, ac gratiam praeter debitum donet. Debitum *remotum* dicunt non oriri ex inclusione in pactum, sed *ex origine ab Adamo* per viam generationis ordinariam: quia homo ita genitus, etsi ex singulari Dei privilegio non sit inclusus in pacto, debuisset tamen de via ordinaria includi, nisi Deus speciali favore cum ipso dispensasset. Communiter docent theologi *Mariam* saltem *obnoxiam fuisse debito remoto:* a debito *proximo* eam plures eximunt cum Vega: alii vero cum Suarez, Bellarmino, Vasquez contendunt, Mariam debito proximo fuisse obnoxiam.

758. **Demonstratio.** Non desunt rationes *congruentiae* pro tanto Virginis privilegio, quae licet ad dogma probandum non sufficiant, illud tamen ostendunt *rationi consentaneum.* Quarum *prima* in definitionis bulla ita proponitur: »Prorsus decebat, ut sicut Unigenitus in coelis Patrem habuit, quem seraphim ter sanctum extollunt, ita matrem haberet in terris, quae nitore sanctitatis nunquam caruerit.« 2. »Si Jeremias, inquit piissimus auctor tr. *de conc. b. M. V.* inter opera Anselmi n. 9., quia in gentibus erat propheta futurus, in vulva est sanctificatus; et Joannes Dominum in spiritu et virtute Eliae praecessurus Spiritu sancto est ex utero matris repletus: quis dicere audeat singulare totius seculi propitiatorium ac Filii Dei omnipotentis dulcissimum reclinatorium mox in suae conceptionis exordio Spiritus s. gratiae illustratione destitutum?« Aliam 3. ita proponit Scotus in 3. l. dist. 3. q. 1. n. 4: »Perfectissimus Mediator habet perfectissimum actum mediandi respectu alicujus personae, pro qua mediat. Sed Christus est perfectissimus mediator. Ergo Christus habuit perfectissimum gradum mediandi respectu alicujus creaturae sive personae, respectu cujus erat mediator. Sed respectu nullius personae habuit excellentiorem gradum, quam respectu Mariae. Igitur etc. Sed hoc non esset, nisi meruisset eam praeservari a peccato originali.«

759. Jam ad *argumenta* veniamus. *Primum* et judicio ipsius Petavii *de Incarn.* l. 14. c. 2. §. 10. s. forte praecipuum petitur *ex*

[1]) Proinde b. Virgo potest et *debet* dici *redempta*, redemptione sane non consequente peccatum et captivitatem, qua nos redimimur: sed redemptione *anticipata*, qua *praeservabatur*, ne peccatum contraheret incideretque in captivitatem.

sensu fidelium, cujus vis, ut rite perspiciatur, sedulo expendantur conspirationis *factum, historia, dotes, fructus* et demum *probandi vis.* Sane **1.** negari nequit, a seculo saltem XII. invaluisse in Ecclesia fidem *explicitam* de *immaculato* Virginis conceptu eamque *gradatim* praevaluisse totamque pervasisse Ecclesiam occidentalem, ut ante dogmaticam definitionem e tot centenis pastoribus vix unus vel alter esset, qui de eo dubitaret. Neque solum ecclesiam *occidentalem* haec fides pervasit, sed etiam *orientalem* tam orthodoxam quam *schismaticam;* imo vel penes haereticos et a christiana fide alienos ejus reperiuntur vestigia[1]). *Crevit* autem **2.** haec persuasio non obstante oppositione doctissimorum theologorum, non obstante auctoritate s. Bernardi et d. Thomae, qui huic sententiae adversari credebantur, et quorum alioquin in universa schola summa erat auctoritas.

Conspirarunt vero **3.** in hanc sententiam non solum rudes, sed *doctissimi* quique imo et integrae *academiae,* quae edito *jurejurando* ad hujus sententiae defensionem se obligarunt; non solum oves, sed et *pastores* et *pastorum principes,* romani pontifices, quorum quam maximi interest, ne quid ad depositum fidei spectans innovetur: qui tamen nullam praetermisere occasionem, ut sententiam de immaculata conceptione foverent, promoverent, tuerentur; conspirarunt *sancti,* imo fere dici potest, eos, quo sanctiores essent, eo impensius huic sententiae favisse. Neque conspirarunt **4.** levitate ducti, sed sedulo *excussis rationum momentis,* in objecto, quod nullo modo amori proprio vel cupiditatibus faveret. Neque **5.** haec conspiratio tacita erat et theoretica, sed *solemnis* et *practica,* prodens se libris scriptis, institutis festis, congregationibus, fusis precibus, *murmure populi fidelis* de sententia opposita. Quinam vero **6.** sunt *fructus* hujus conspirationis? Plane laetissimi, ut patet ex tot congregationibus sub invocatione *immaculatae* Virginis institutis; quae fructuum bonitas arboris bonitatem i. e. cultus pietatem et veritatem hujus sententiae suadet.

---

[1]) *Luculentissimum argumentum* pro consensu sectarum Orientis cum Ecclesia catholica de hac veritate exhibet P. Josephus Besson S. J. superior missionum soc. Jesu in Syria et Perside († 1691.), qui invitatis tribus patriarchis et uno archiepiscopo probavit productis ducentis circiter locis ex orientalium libris liturgicis vetustissimis hanc fuisse constantem sententiam *ecclesiarum omnium et populorum orientalium* circa immunitatem Virginis beatissimae *ab omni originalis peccati labe* atque festum ipsum immaculatae conceptionis;‘ quam declarationem solemniter subscripserunt praesentibus testibus et Francisco Baron, Galliarum consule, tres illi patriarchae et archiepiscopus et quidem non sola nominis appositione, sed hunc in modum: ‚Ego pauper Ignatius Andreas patriarcha antiochenus nationis syrorum confirmo hanc sententiam orthodoxam, quam explanavit P. Josephus e S. J., dominam nostram Virginem purissimam s. Mariam *semper liberam* exstitisse et immunem *a peccato originali,* ut explicuerunt antiqui ss. patres longe plurimi, magistri orientalis Ecclesiae.‘ Simili forma subscripserunt reliqui.

760. Conspirationi autem talibus dotibus praeditae *probandi vis triplex* inest: *philosophica, theologica, analogica. Philosophica* quidem, quia vel secundum sanae philosophiae principia *talis* consensio explicari nequit, nisi ei subesset *veritas; theologica,* quia ejusmodi consensio, si ei subesset error, conciliari non posset cum assistentia s. Spiritus Ecclesiam regentis et in omnem veritatem inducentis et tutantis illam adversus omnes errorum tenebras; *analogica,* sicut enim philosophi merito admittunt *communem naturae sensum,* fundatum in *communi natura rationali,* fontem veri: ita *analogice* admittendus est sensus communis fidelium, communi fide innitens, vi cujus sub illustratione sancti Spiritus et ductu magisterii ecclesiastici fideles veluti quodam instinctu percipiunt consonantiam vel dissonantiam alicujus sententiae a fide communi (n. 128.). Hinc illud aureum s. Paulini nolani consilium *ep.* 23. al. 4. n. 36: „Ut de omnium fidelium ore pendeamus, quia in omnem fidelem Spiritus Dei spirat.“ Cum autem veritas de immaculato Virginis conceptu veritas sit supernaturalis, unice ex *revelatione* cognosci poterit. Quare conspiratio haec cum omnibus suis adjunctis argumentum est, veritatem hanc revera revelationis deposito contineri, alioquin haberetur mirus effectus sine ratione sufficienti eique proportionata.

761. Aliud argumentum petitur *ex traditione.* Sane **1.** tam excelsa est ex patrum sententia *Virginis puritas, sanctitas* et *perfectio,* ut ad illam exprimendam adhibeant **a.** apposita gradu *positivo* et *superlativo,* quae omnem labem et culpam ab ea prorsus removent: vocant eam siquidem *immaculatam, immaculatissimam, per omnia et funditus immaculatam.* Ita Germanus in *Anthologio* die 7. Sept.: „Salutis totius initiatores bb. Joachim et Anna gloriosam, innocentem et immaculatam penitusque illibatam Dei matrem genuerunt, atque hanc suae pietatis retributionem acceperunt.“ Adhibent **b.** praedicata, quae *puritatis culmen* innocentiaeque fastigium designant, opportunisque imaginibus, ut solis, coeli, paradisi etc. illam depingunt. Ita e. gr. Damascenus (fl. sec. VIII.) hom. 2. *in Deip. annunciat.* n. 6: „Salve sis sola Dei Mater, coelestium, terrestrium et infernorum magnificum ac splendidissimum decus; salve sis sola Dei Mater, quae omni radio lucidior es et omni puritate purior . . . omni re nobili nobilior et omnibus divitiis affluente locupletior . . . quae in omnes generationes generationum ab angelis et hominibus una voce cum reverentia magnificaris.“ Praeferunt **c.** illius puritatem sanctitatemque puritati omnium hominum et angelorum omnisque creaturae (*opusc.* XXXIV, 6. et 22.). Ita Germanus CP. or. *in annunciat.* n. 24: „Quae autem purissimam materiam suppeditat, praestantissimum sane muliebris generis

ornamentum, ipsorum quoque coelestium spirituum nitentissimam obscurat puritatem, utpote quae comparatione instituta istam immenso intervallo superat." Docent **d.** illius sanctitatem summam esse *Deique sanctitati proximam.* „Decens enim erat, inquit Anselmus *de conc. virg. et orig. peccato* c. 18., ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum . . . ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius" etc. Atqui cum *tanta puritate* nulla nubecula peccati sive actualis sive originalis, conciliari potest. Ergo censenda est b. Virgo semper immunis a peccato etiam *originali.*

762. Ex patribus deinde speciatim haec notentur: patres disserentes de b. Virgine eam vocant **a.** *Dei palatium,* Dei templum *non manufactum,* proinde praeter et supra naturae conditionem evectum, quae est vis locutionis οὐ χειροποίητον, ut colligitur ex Hebr. 8, 2; 9, 11. 24; Marc. 14, 58; 2. Cor. 5, 1; Eph. 2, 11. Idcirco vero **b.** dicunt illam templum *non manufactum,* quod *divinitus* fuerit hoc templum exstructum, divinitus haec Virgo praeparata. Ita graeci in *menaeis* ad d. 8. Sept.: „Hodie Deus . . . thronum sanctum sibimetipsi super terram *praeparavit:* qui coelos in sapientia stabilivit, animatum coelum in sua erga homines benignitate adornavit." Ideo etiam passim b. Virgini accommodant illa Prov. 9, 1. verba: *Sapientia aedificavit sibi domum,* vel eam conferunt paradiso θεοφυτεύτῳ a Deo plantato. Hujus autem **c.** conditionis, praeparationis jacta esse censent fundamenta *in ipsa* Virginis *conceptione.* Atqui **d.** fieri non potuit, ut illud templum, quod praeter et supra naturam fuit exstructum, cujus architectus fuit singulari ratione ipse Deus, quod Deus sibi ab ipsa ejusdem conceptione elegit, praeparavit in dignum sui habitaculum, vel in ipsis fundamentis esset corruptum, vitiosum Deoque exosum. Hinc **e.** factum est, ut b. Virgo passim vocaretur *nova creatura, Dei germen, opus artis divinae,* immune proinde a vetustate peccati. Concludere igitur licet, **f.** cum patres affirmant, s. Annam filiam genuisse sanctam, immaculatam, eos intelligendos esse non in sensu, quem dicunt, *diviso,* quod scil. Anna genuerit puellam, quae *postmodum* fuerit sanctificata; sed in sensu *composito,* quod genuerit puellam, quae in *ipsa conceptione* fuerit sancta et ab omni peccati labe pura. Ita e. g. graeci in suo *officio* canunt: „Chorus olim propheticus eam praedicavit, quam Anna sterilis et infecunda intemeratam et puram ac Dei filiam concepit; hanc *hodie* ceu *solam ex omni parte immaculatam* omnes nos per eam salutem consecuti cordis exsultatione beatam dicamus[1])."

[1]) Ita etiam Petrus argorum episc. (sec. IX.) *de concept. Deip.* n. 1.: „Hodie primi parentes . . . certiores dum fiunt, modo in agro sterili flagrantissimam illam rosam plantari, quae suo odore, quidquid sub sole est, perfundet ac praevaricationis foetorem abiget, laetitiam gratulationemque ingeminant. Omnes, quotquot sunt creaturae, dum purissimi templi Regis omnium Christi nunc jaci fundamenta cernunt, gratanter tripudiant . . . Nunc arido in utero divinus ille plantatur paradisus, qui nos a priori expulsos mortique damnatos per vivificum germen ex ipso oriturum ad vitam revocabit" etc.

763. Propterea passim a veteribus salutatur „Deipara omni tempore pura,“ ut a coptis in suis *theodoc.* pag. 55; „natura formosa et peccati omnis incapax,“ ut ab Ephraem (fl. sec. IV.) or. *in Deipar.* (t. 3. p. 530.); „omni ex parte simillima originalis venustatis repraesentatio,“ ut ab Andrea cretensi (fl. sec. VII.) orat. *in Deip. dormit.;* „civitas munitissima, *in qua nunquam dominatum est peccatum,*“ ut a syris in prooem. 1. Noct. *in festo nativit.;* „Virgo Christo oppignerata in utero, cum fieret,“ a Petro Chrysologo († c. a. 450.) *serm.* 140. Absolvimus verbis s. Sabae ode 2. *ad Deiparam:* „In te, quae nulli unquam culpae affinis fuisti, spem omnem meam repono: nemo ut tu, Domina, inculpatus est aeque, nec praeter te incontaminatus quisquam, o naevo nulli subjecta[1]).“

764. *Tertium* argumentum deducimus ex Gen. 3, 15: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus,* praesertim si in lumine subsequentis revelationis spectetur. Nomine enim mulieris designatur femina *singularis* (הָאִשָּׁה), quae postmodum ab Isaia 7, 14. sistitur singulariter *virgo* (הָעַלְמָה), mater sane illius seminis, in quo infra Gen. 22, 18. dicuntur benedicendae omnes gentes terrae, quod interprete Paulo Gal. 3, 16. 19. est Christus: proinde b. Virgo

[1]) Praetermittere non possumus testimonia quaedam plane insignia pro veritate dogmatis catholici. Ita legimus in *ep. presbyterorum et diac. Achajae de martyrio s. Andreae ap.* sec. saltem III. (Migne *patrol.* gr. 2, 1226.): ‚Et quoniam de *immaculata* terra factus fuerat homo primus, qui per ligni praevaricationem mundo mortem intulerat: necessarium fuit, ut de *immaculata* (eo sensu, quo dicitur antea terra immaculata i. e. nullo maledicto originali obnoxia) Virgine nasceretur perfectus homo Filius Dei, vitam aeternam quam per Adamum perdiderant homines, repararet, ac per lignum crucis lignum concupiscentiae excluderet.‘ S. Ephraem (*in carmin. nisibenis* ed. Bickell pag. 122.): ‚Tu, Domine, et mater tua, vos *soli* estis *omnino omni ex parte sancti;* in te enim, Domine, nulla est macula, *nec ulla labes in matre tua.*‘ In libro apocrypho, sed antiquissimo sec. IV. de *transitu b. Mariae* (*Journal of sacred literature* 1865. I, 8.): ‚Ipsa benedicta erat etiam sancta et Deo electa inde a tempore, quo in utero matris concepta est.‘ Augustinus in *serm.* 118. (edito ab em. card. Mai in *patrum nova biblioth.* t. 1. p. 1. pag. 248.) de Evang. ubi Dominus de aqua vinum fecit n. 1., postquam humanum genus exhibet quasi conjugio sociatum daemoni, suo in protoparentibus deceptori, ita prosequitur: ‚Dum itaque in unius discubitionis instramento (pro stramento, strato) jactati diabolus et anima lascivirent, invitato Jesu (desunt aliqua in cod. ob vetustatem attrito) dum vina luxuriae defecerunt. Genitrix autem Christi illa, quae facinorosi concubitus pactum exhorruit, quae non solum corpore, verum etiam *mente virgo permansit,* intererat invitata conditione generis, *non participatione criminis;* universitate nascendi, *non societate peccandi,* quae . . . Christo, non quae mundo consentiret immundo.‘

Maria. Jam vero haec mulier singularis cum suo semine secernitur ab ordine ruinae, cujus auctor exstitit daemon per serpentem, eique opponitur, atque Deus exhibetur auctor capitalis inimicitiae, quam ipse positurus sit (*ponam*) inter eam et serpentem ejusque semen benedictum et semen serpentis. Sicut ergo dissidium inter semen, quod est Christus, et daemonis sobolem ne morulam quidem admisit pacis, sed fuit plane *originale,* a prima scil. seminis illius origine: ita quoque inimicitia inter Redemptoris matrem et daemonem *originalis* fuit, quae nullum unquam admisit consortium hujus mulieris cum adversario. Seu aliis verbis, omnia exigunt, ut verba Gen. 3, 15. sensu *plenissimo* adimpleta censeantur in Christo Jesu Redemptore ejusque sanctissima *matre.* Atqui sensus plenus exigit, ut sicut inter Filium Mariae et daemonem nullum exstitit unquam consortium, ita neque inter ejus matrem et daemonem fuerit conjunctio, sed potius *summa* inimicitia. Quare nunquam mulier illa fortis, quae peperit daemonis peremptorem, daemoni fuit obnoxia, nunquam amica, semper inimica, ideoque Deo grata et a quovis peccato immunis.

765. Hoc argumentum alia quoque ratione proponi uberiusque illustrari potest, si haec advertantur: Docent **1.** patres Deum pro admirabili sua sapientia eadem propemodum via reparare voluisse humanum genus, qua lapsum est.

Ita Augustinus serm. 3. *ad catech.* (qui tamen dubius est) n. 4 „Iisdem gradibus, dilectissimi, quibus perierat humana natura, a Domino J. Christo reparata est. Adam superbus, humilis Christus; per feminam mors, per feminam vita; per Evam interitus, per Mariam salus. Illa corrupta secuta est seductorem, haec integra peperit Salvatorem. Illa poculum a serpente propinatum libenter accepit et viro tradidit, ex quo simul mereretur occidi; haec gratia coelesti desuper infusa vitam protulit, per quam caro mortua possit resuscitari.“

Quocirca **2.** Maria in reparationis ordine eum prope locum occupat, quem Eva in ordine lapsus et ruinae.

Praeclare scribit s. Ephraem s. 4. exegetico *in selecta Scr. loca* (opp. syr. lat. t. 2. p. 329.): „Manifestum est Mariam fuisse ejus sideris (Salvatoris) januam, cujus praesentia spes nostra revixit, quando per illam mundum ejusque habitatores revisit lux, quam expulerat Eva omnium origo malorum. Et si mysterium utriusque nosse cupis, cogita corpus geminis praeditum oculis, quorum alter casu occoecatus lumen amisit, mira nitet alter luce, quam rebus omnibus etiam communicat. Mundum jam respicito, duos hic oculos nactus est. Eva fuit oculus sinister, plane coecus, dexter ex adverso nitidissimus Maria. Ut laevo oculo lux occidit, simul universo orbi incubuit nox“ etc.

Sicut igitur 3. teste Paulo Rom. 5, 14. Adam fuit τύπος τοῦ μέλλοντος forma futuri scil. Adami i. e. *Christi*, ita et Eva typus erat

alterius praestantioris Evae i. e. *Mariae;* et sicut **4.** Eva jungitur Adamo causae principi in ordine *lapsus* et mortis: ita ex opposito in ordine *reparationis* sociatur mulier cum semine conterente serpentis caput (Gen. 3, 15.), cum Emmanuele virgo (Is. 7, 17.); mater cum Jesu, qui salvum faciet populum suum (Matth. 1, 21.); mulier cum filio, qui coelitus fuit missus, ut adoptionem filiorum Dei reciperemus (Gal. 4, 4. 5.); mulier sole amicta cum filio, qui recturus est omnes gentes in virga ferrea (Apoc. 12, 1. ss.).

766. Unde **5.** *triplex* oboritur relatio seu respectus b. Virginis: **a.** relatio *oppositionis* ad Evam: quam ob rem Maria et Eva *oppositis* plane praedicatis a patribus describuntur; ideoque dum Eva maledicto subjicitur (Gen. 3, 16.), *benedicta in mulieribus* Maria ab angelo salutatur (Luc. 1, 28.). **b.** Relatio *concausae* (instrumentalis) cum Christo in reparationis opere; unde fit, ut praeclarus idemque multiplex *similitudinis* atque consortii habitus inter Christum hominem et Mariam genitricem exsistat, et ea, quae Christo primario et ex sese competunt, Mariae secundum analogiam et ex filio in matrem redundantiam tribuantur: quae paucis complectitur Anselmus (or. 51.): „O femina mirabiliter singularis et singulariter mirabilis, per quam elementa renovantur, inferna remediantur, daemones conculcantur, homines salvantur, angeli redintegrantur! O femina plena et superplena gratia, de cujus plenitudinis exundantia respersa sic revirescet omnis creatura." Habitus denique **c.** *maternitatis* in ordine salutis respectu totius generis humani redempti. Atqui **6.** triplex hic habitus sat clare ostendit, b. virginem Mariam ab Evae lapsu fuisse immunem et vel ab originibus illius vitae participem, quam peccando amisit Eva, restituit vero Dei Filius caro factus i. e. *Dei Genitricem Mariam sine peccato originali fuisse conceptam propter ejus arctissimam cum Filio conjunctionem.*

767. **Scholion I.** Plura contra hoc dogma excipiuntur. Provocant adversarii **1.** ad universales propositiones, quibus s. Paulus et post Paulum patres affirmant, *omnes in Adamo esse mortuos, peccato Adami infectos, omnes in Adamo peccasse.* Concedimus quidem ab harum propositionum universalitate neminem licere eximere, nisi de ejus exceptione certo constet; sed nobis *certo* constat, b. Virginem utpote Dei matrem intuitu meritorum Christi fuisse exceptam. Constat nobis **a.** infallibili Ecclesiae magisterio, cujus est revelationis instrumenta authentice interpretari. Constat **b.** conjectura saltem quadam, quam innuit pius auctor hom. *de assumpt. b. Mariae V.* c. 4: „Non immerito excipitur (Maria) a quibusdam *generalibus* vera aestimatione, quam tanta servat gratia et attollit dignitatis praerogativa." Et sane quid universalius lege illa, qua conceptione et partu feminarum tolli-

tur virginitas? Atqui ab hac lege *sola excepta est b. Virgo.* Hinc acute auctor cit. suam confirmans conjecturam subjicit: „*Quantum gratia possit, Mariae monstrat integritas.*" Huc spectat aurea illa s. Augustini regula *de nat. et gratia* c. 36: „Excepta itaque s. Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccato agitur, haberi volo quaestionem: inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum." Constat **c.** de hac exceptione patrum testimonio, qui id vel *aequivalenter* vel *diserte* affirmant.

Et *aequivalenter* quidem hoc docent patres, quoties Mariam salutant *solam, semper, totam* immaculatam. Ita Leoni Augusto († 911.) or. *in Deip. dormit.* Maria est »perpetuo lumine collustratum candelabrum;« Andreae cretensi or. 2. *in deip. nativ.* »germen semper viride semperque floridum;« »Te excepta, Domina, legimus in menaeis ecclesiae graecae 9. Sept., nemo est inculpatus.« *Diserte* vero eam excipiunt copti in suis *theodociis* (quorum summa est antiquitas) p. 143. canentes: »Tu ex Adam sine seductione creata es, tu ex Eva effecta homo libera a doloribus partus ac morte;« graeci in *menaeis* d. 4. Maji od. 6.: »Evae quidem auribus perversissimus serpens venenum infudit: tu vero sola ipsum a te repulisti, o Dei mater, quae ejusdem interemptorem genuisti!« »Hodie Adam, inquit Andreas cretensis *or. in deip. nativ.*, ex nobis pro nobis primitias Deo offerens, Mariam primitias facit, et quae ex tota massa non erat inquinata, per ipsam fit panis ad generis reformationem.« Cf. n. 763.

768. Provocant **2.** ad *silentium* vetustorum patrum. Quae tamen exceptio **a.** duplici nititur *falso* supposito, illos scil. tantum audiendos esse patres in rebus fidei, qui seculorum longaevitate incanuerint, et patres vetustiores revera silere; argumento enim praescriptionis contrarium evincitur. Neque enim aliunde **b.** Ecclesia posteriorum seculorum, quae semper fuit novitatis inimica, antiquitatis tenax, fidem suam quam a majoribus praecedentium seculorum accepit. Non tamen **c.** desunt testimonia aequipollentia imo et diserta ex sec. V. et IV., quorum aliqua dedimus.

769. Provocant **3.** ad quaedam patrum effata, quae ipsis videntur diserte adversari dogmati catholico. Plures enim patres **a.** statuunt, solum Christum fuisse omnis expertem peccati, atque idcirco, quod ipse fuerit *Filius Dei* solusque conceptus sit *de Spiritu s.* Verum hi patres inculcare tantum volunt, Christum non fuisse solum a peccato *praeservatum*, sed peccatum ad eum prorsus *non pertinuisse;* cum non tantum *actu* fuisse immunem, sed et a *quovis debito;* non ex gratia et privilegio, sed *naturaliter* et *jure proprio* vi ipsius conceptionis. Atqui talem a peccato immunitatem Virgini non vindicamus. Alii **b.** ex patribus dicunt, Virginis carnem fuisse *carnem peccati;* sed hac loquendi ratione significare tantum volunt, carnem Virginis derivatam esse *ex peccatoribus;* carni *peccato infectae* fuisse *consubstantialem,* non citra concupiscentiam propagatam. Nonnulli **c.** ex patribus dicunt, Virginem *gratia* fuisse *mundatam,* purgatam etc. Sed adverti debet, esse mundationem, qua quis munditie donatur, ne *sordescat*

et ut a maculis praeservetur. Quare alii, ut clarius idem exprimant, quandoque dicunt, Virginem fuisse *praemundatam, praesanctificatam,* sanctitate scilicet praevertente omnem maculam. Ceterum tam parum obest haec patrum loquendi ratio, ut etiam dicant, b. Virginem tempore annunciationis purgatam fuisse ad digne concipiendum Verbum, quo tamen tempore certe fuit sancta, utpote gratia plena et benedicta inter mulieres ex ipsius angeli testimonio (Luc. 1, 28.).

770. Provocant **4.** ad s. Bernardum, qui ep. 174. immaculatam Virginis conceptionem impugnare videtur. Verum **a.** s. doctor canonicos lugdunenses in ep. cit. redarguit, quod *inconsulta sede apostolica* adoptaverint festivitatem de b. Mariae V. conceptione tunc novam. Quod si **b.** ipsius conceptionis puritatem in dubium vocat, loqui videtur, ut plures theologi censent, de conceptione *activa,* non de *passiva,* proinde haec exceptio non est ad rem. Si vero **c.** de passiva explicetur, concedimus, eum dogmati adversari, sed cum in hac ipsa ep. tanti faciat sedis apostolicae judicium, post hujus definitionem ipse sane ne momento quidem esset ab ea dissensurus.

771. Gravior **5.** est difficultas quoad s. Thomam, de cujus mente *quadruplex* est principalis sententia. *Prima* statuit, d. Thomam immaculato conceptui adversari, quod tuentur plerique (saltem definitione vetustiores) ex ordine s. Dominici et alii, qui propter d. Thomae auctoritatem hanc veritatem tamdiu negarunt. *Secunda* contendit, d. Thomam immaculatam Virginis conceptionem docere: locos vero, in quibus contrariam adstruere videtur sententiam, qui quidem ad quindecim numerantur, corruptos censent. Verum Bernardus Maria de Rubeis in suis *dissertationibus criticis* et *apologeticis* pro operibus s. doctoris omnem corruptionis suspicionem excludere nititur. *Tertia* statuit, d. Thomam sibi non satis in hac quaestione constitisse; cum negari nequeat, d. Thomam aliquoties dogmati favere catholico, aliis vero in locis illi adversari. Ita doctissimus J. B. Malou in op. *de immacul. concept. b. V.* t. II. c. 13. a. 14. *Quarta* sententia quorundam, recentiorum praesertim est, qui censent, d. Thomam vel non adversari doctrinae catholicae, vel saltem id testimoniis objectis *certa* ratione probari non posse, cum ea sufficienter explicentur, si intelligantur non de ipso peccato originali, sed tantum de debito illud contrahendi, quod sane habuit b. Virgo. Ita Spada *in animadversionibus* in opus ill. et RR. D. J. B. Malou, Cornoldi in opusc.: *sententia d. Thomae de immunitate b. Virginis a peccati originalis labe,* Neapoli 1870; Morgott, in opusc. *Mariologie des h. Thomas v. Aquin.*

772. **Scholion II.** Ex iisdem fere traditionis monumentis colligimus **1.** b. Mariam V. *immunem fuisse a quovis peccato actuali,* etiam *veniali,* prout id declaravit conc. tridentinum sess. 6. can. 23: „Si quis hominem semel justificatum dixerit . . . posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de b. Virgine tenet Ecclesia, A. S.“ Quapropter infert Suarez[1], *de fide* certum esse „b. Virginem nunquam amisisse gratiam, quam

[1] Disp. 4. sect. 3. Cf. etiam Vega *theologiae marianae* palaestra 7. cert. 4. n. 775. s.; palaestra 9. cert. 1.; Passaglia *de immac. V. conceptu* n. 1546.

in prima sanctificatione accepit, atque adeo in illa fuisse confirmatam et infallibile donum perseverandi accepisse. Fundamentum sumitur ex consensu et traditione Ecclesiae, quae hoc modo intelligit plenitudinem gratiae Virginis." Colligimus 2. *eam* quoque *fuisse immunem a concupiscentiae fomite,* ut magno consensu scholae theologi docent.

773. **Thesis CIX.** ***Inter praecipua Dei Genitricis monilia refulget ejus perpetua virginitas. Virgo enim concepit et peperit, jugiterque Virgo inviolata permansit.***

Demonstratio p. I. et II. Mariam fuisse virginem *ante* annunciationem diserte testatur Scriptura Lucae 1, 26. s.: *Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, et nomen virginis Maria;* collat. Is. 7, 14: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Eam vero *conceptu partuque* Filii virginitatem non amisisse, colligitur **1.** ex *symbolo* apostolico, ut alias Ecclesiae definitiones omittamus[1]), in quo profitemur Filium Dei conceptum de Spiritu sancto, natum ex Maria *Virgine*: in qua professione appositum *Virginis* Mariae tributum ex omnium sententia non in sensu *diviso,* sed *composito* intelligi debet.

774. Idem 2. jam praedictum est Isaiae 7, 14., (n. 773.) de quo vaticinio haec advertantur: a. illud esse vaticinium *messianum,* ut patet universa traditione christiana usque ad sec. XVIII., a qua ne protestantes quidem dissenserunt; ex authentica interpretatione Matth. 1, 22. s., ubi narrata mirabili Christi conceptione subjicitur: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit et pariet Filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel;* ex collatione cum Lucae 1, 31., nam narratio evangelica de Christi conceptione se habet ad hoc vaticinium, ut accurata adimpletio ad promissionem seu praedictionem; ex praedicatis, quae Filio hujus Virginis tribuuntur; dicitur enim singulari ratione *Emmanuel,* nobiscum Deus, quod cumulatissime in Messia erat complendum; terra Judaeae ipsius exhibetur[2]) *propria* Is. 8, 8; salutatur Is. 9, 6: *Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis, cujus non erit finis* etc.

---

[1]) Cf. conc. lateranensis sub Martino I. a. 649. can. 3: „Si quis secundum ss. patres non confitetur proprie et secundum veritatem Dei genitricem sanctam semperque Virginem immaculatam Mariam, utpote ipsum Deum Verbum specialiter ac veraciter, qui a Deo Patre ante omnia secula natus est, in ultimis seculorum absque semine concepisse ex Spiritu s. et incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili permanente et post partum ejusdem virginitate, condemnatus sit."

[2]) *Et erit extensio alarum ejus, implens latitudinem terrae tuae, o Emmanuel.*

775. **b.** Vox hebraica הָעַלְמָה designat *virginem veram,* ut colligitur α. ex *inductione*: sexies enim adhuc occurrit in V. T., et ubique significat *virginem,* non quidem praecise quatenus est illibata, sed quatenus *innupta;* β. ex versione LXX; γ. ex traditione exegetica, quae hunc locum constanter de *virgine* intellexit. Quapropter cum Symmachus, Aquila et Theodotion interpretes judaizantes vocem hanc verterent voce νεᾶνις *juvencula,* jam Irenaeus l. 3. c. 21. reclamavit. Praedicitur vero **c.** virgo non in sensu *diviso,* sed in sensu *composito,* i. e. incolumi manente virginitate conceptura parituraque Emmanuelem. Ad rem enim advertit jam Origenes l. 1. *adv. Cels.* n. 35. cum plurimis aliis patribus: „Ecquod autem signum est, parere puellam non virginem, et cui magis convenit genuisse Emmanuelem, i. e. nobiscum Deum? num mulieri, quae virum experta est et solito feminarum more conceperit, an mundae adhuc et intactae virgini?" Qua de causa etiam nullius viri in hoc vaticinio fit mentio, sicut et Michaeae 5, 3. Neque aliunde videtur orta, quam ex hoc oraculo, illa synagogae et vel ipsorum gentilium traditio de virgine parturiente redemptorem. Quod vero **d.** praedictum fuit, adimpletum esse diserte docent Lucas et Matthaeus. Ille enim fuse Christi conceptionem adscribit Spiritui s. supervenienti in Mariam et virtuti Altissimi ipsam obumbranti (Luc. 1, 35.); hic vero praeterea data opera excludit Josephi cooperationem Matth. 1, 18. 25.

776. Accedunt **3.** praeclara doctrinae capita, quibus patres et theologi scholae ostendunt, omnino decuisse, ut Filius Dei conciperetur et nasceretur ex matre incolumi manente ejusdem virginitate. Ita statuit s. Leo serm. 22. *in nativ. Domini* 2. n. 2.: »Oportuit enim, ut primam genitricis virginitatem nascentis incorruptio custodiret, et complacitum sibi claustrum pudoris et sanctitatis hospitium divini Spiritus virtus infusa servaret, qui statuerat dejecta erigere, confracta solidare, et superandis carnis illecebris multiplicatam pudicitiae donare virtutem: ut virginitas, quae in aliis non poterat salva esse generando, fieret et in aliis imitabilis renascendo.« Utuntur etiam comparationibus ad illustrandum hoc mysterium. Sicut scil. Pater aeternus citra ullam corruptionem genuit ab aeterno Verbum; sicut mens humana purissime concipit paritque verbum internum; sicut pupilla oculi objecti visibilis absque minima laesione gignit speciem; sicut Christus illaeso sigillo prodiit e sepulcro: ita Verbum illaeso virginitatis sigillo, citra ullam corruptionis vel laesionis maculam, prodiit caro factum ex utero Virginis[1]).

---

[1]) Quod si haud pauci patres *adapertionis vulvae* etc. faciunt mentionem, significare tantum volunt, ut patet ex doctrinae harmonia, *veram* Christi *nativitatem,* qua vere non specie tenus prodiit ex Maria V., et quae concipi nequit citra aliquam adapertionem, non utique materialem per scissionem laesionemque, sed talem, qua Deo nihil est clausum, omnia sunt aperta et pervia, non solum corpora, sed ipsi spiritus. Quod si Lucas 2, 22. scribit: *Postquam impleti sunt*

777. **Demonstratio p. III.** B. Virginem mansisse virginem *post partum,* unanimis est omnium vere christianorum persuasio; ut probat **1.** mirus fervor et studium, quo patres perpetuam Mariae tuentur virginitatem, et indignatio in illos, qui eam negarent vel in dubium vocarent. Huc spectat integer Hieronymi l. *adv. Helvidium.*

Audiatur ex. gr. Epiphanius, qui *haer.* 78. n. 11, suam indignationem ita declarat: »Quis est autem, qui furorem sibi et insaniam asciscens, tantam b. Virgini contumeliam velit imponere et os suum adversus illam attollere, laxare linguam, ad pestiferam illam pronunciandam sententiam labra diducere, pro laudibus ac praeconiis probra contumeliasque comminisci, sacrosanctae insultare Virgini, vas illud denique omni honore dignum nullo honore prorsus afficere?« Et n. 6. alia ratione nostram assertionem confirmat: »Undenam vero haec improbitas emersit? Unde tanta prorupit audacia? Nonne vel ipsum nomen abunde testificatur? Non tibi, homo pervicacissime, istud ipsum persuadet? *Quis ullo tempore unquam exstitit, qui sanctae Mariae nomen appellare auderet, et non rogatus statim Virginis vocabulum adjiceret?* . . . Sancta Maria *Virgo* nuncupatur, nec appellatio ista aliquando commutabitur. Haec enim perpetuo incorrupta permansit. Cur igitur vos natura ipsa non docet? O inauditam insaniam! O praeposteram novitatem!« Et revera Dei Genitrix non posset tam solemniter in symbolis, liturgia aliisque documentis maxime authenticis salutari *virgo, semper virgo, virgo virginum,* si postea cum s. Josepho matrimonium consummasset; haec enim appellatio vel salutatio ironiae vel injuriae cujusdam prae se ferret speciem.

778. Colligitur **2.** Mariae perpetua virginitas ex responso, quod dedit angelo annuncianti ipsi Verbi incarnationem. *Quomodo fiet istud,* dixit Maria ad angelum, *quoniam virum non cognosco?* Sane, nisi proposuisset vel vovisset servare in conjugio virginitatem, mira esset interrogatio proposita angelo promittenti filium, *quomodo fiet istud,* cum matrimonium ineatur ad gignendos filios. Adhuc magis mira esset ratio adjecta, *quoniam virum non cognosco,* si iniisset conjugium cum

---

dies purgationis ejus, et b. Virginem narrat obtulisse Jesum secundum legem: *Quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur* (2, 23.), non sequitur, Mariam purgationi fuisse obnoxiam, vel Christum adaperuisse vulvam: sed tantum Dei Genitricem adamussim adimplesse legem de primogenitis statutam, quia Christus filius ejus primogenitus erat (Matth. 1, 25.). Neque enim propterea primogeniti erant offerendi, quod *adaperirent vulvam,* sed quod essent generationis primitiae, quas sibi Deus reservaverat: cum ergo et Christus esset primogenitus, legem sibi servandam censuit b. Virgo, eoque magis quod primogenitorum oblatio nonnisi umbra esset et typus oblationis, qua Christus se pro nobis obtulit. Ceterum damnata est ab Alexandro VIII. prop. 24. ex 31: »Oblatio in templo, quae fiebat a b. Virgine in die purificationis suae per duos pullos columbarum unum in holocaustum et alterum pro peccatis sufficienter testantur, quod indiguerit purificatione, et quod Filius, qui offerebatur, etiam macula matris maculatus esset secundum verba legis.«

intentione illud consummandi. Quare jam patres ex verbis tam perspicuis colligunt, Mariam vovisse vel saltem proposuisse servare etiam in matrimonio virginitatem. Cf. *opusc.* XII, 130. ss.

Accedunt **3.** graves rationes congruentiae, quas paucis complexus est s. Thomas 3. p. q. 28. a. 3.: »Respondeo dicendum, quod absque omni dubio detestandus est error Helvidii, qui dicere praesumpsit, matrem Christi post partum a Joseph esse carnaliter cognitam et alios filios genuisse. Hoc enim *primo* derogat Christi perfectioni, qui sicut secundum divinam naturam *unigenitus* est Patris, tamquam perfectus per omnia Filius ejus: ita decuit, ut esset *unigenitus* matris tamquam perfectissimum germen ejus. *Secundo* hic error injuriam facit Spiritui s., cujus sacrarium fuit uterus virginalis, in quo carnem Christi formavit; unde non decebat, quod de cetero violaretur per commixtionem virilem (cf. Epiphanius *haer.* 78. n. 8.). *Tertio* derogat dignitati et sanctitati matris Dei, quae ingratissima videretur, si tanto filio contenta non esset: et si virginitatem, quae in ea miraculose conservata fuerat, sponte perdere vellet per carnis concubitum. *Quarto* etiam ipsi Joseph[1]) esset ad maximam praesumptionem imputandum, si eam, quam revelante angelo de Spiritu s. Deum concepisse cognoverat, polluere attentaret. Et simpliciter est asserendum, quod mater Dei sicut virgo concepit et virgo peperit, ita etiam et virgo post partum in sempiternum permansit.«

779. **Scholion.** Contra perpetuam Mariae *post partum* virginitatem plures opponuntur difficultates[2]), ex quibus illam tantum expendemus, quae

---

[1]) De *s. Joseph* cf. Suarez disp. 8., in qua s. 1. ex ordine ad ejus dignitatem illustrandam statuit: **1.** eum vere et proprie fuisse Virginis *sponsum*, »hinc **2.** factum esse, ut *patris* Christi *nomen* et existimationem obtinuerit . . . **3.** igitur hinc fit, b. Joseph non solum patris Christi nomen, sed etiam *rem*, quae huic nomini subest, participasse, quantum excepta carnali generatione ab homine participari potest. Itaque habuit *affectum*, *sollicitudinem* et (ut ita dicam) patris *auctoritatem* . . . **4.** tandem ex praedicta radice ortum est, ut b. Joseph aliquo modo fuerit *caput* et *superior Virginis* et *Christi* ut hominis . . . Ex quibus etiam liquet intelligere, intercessisse inter Mariam et Joseph et inter Jesum et Joseph singulare vinculum *mutui amoris* ac perfectissimae amicitiae, quae intrinsece oriebatur ex dignitate et statu, ad quem hic vir assumptus est; pertinet enim ad virtutem et sanctitatem uxoris, ut virum suum diligat, et omne bonum praesertim animae illi exoptet et procuret. Sed bb. Virgo in omnibus fuit perfectissima; ergo etiam in hoc amore excelluit. Accedit ratio gratitudinis . . . Tandem accedit morum similitudo, frequens ac diuturna familiaritas et cohabitatio . . . Quae rationes eadem fere proportione in Christo Domino procedunt, tantoque fortius, quanto ille perfectius, quam Virgo omnia operabatur.«

[2]) Potiores difficultates jam s. Hieronymus solvit in l. *adversus Helvidium;* solutionum velut synopsim exhibet s. Thomas 3. p. q. 28. a. 3. Nihil sequitur ex Matthaei verbis 1, 18.: *Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto;* et v. 25: *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Totus enim est s. evangelista in eo, ut excludat s. Josephum a conceptione Christi: hinc insistit illis particulis *antequam* et *donec:* quid proinde certo *non factum sit* inculcat:

petitur ex eo, quod Christus *fratres* habuisse legitur. Quae ut solvatur, haec adverte: **1.** Quatuor nominatim dicuntur *fratres* Christi Marci 6, 3., scil. Jacobus, *minor* dictus, ut distingueretur a Jacobo Zebedaei, fratre Joannis evangelistae; Jose (in vulgata Joseph), Judas seu Thaddaeus apostolus et Simon, secundus episcopus hierosolymitanus. **2.** Joan. 19, 25. diserte fit mentio alterius Mariae, sororis matris Christi, cujus vir erat Cleophas, qui a Hegesippo apud Eusebium l. 3. c. 10. *patruus* Christi exhibetur. Quare **3.** Cleophas, cum non potuerit esse frater matris Domini, utpote conjux sororis b. Mariae V., *frater* erat s. Josephi, patris putativi Christi, et ita Christi *patruus.* Ergo **4.** duo fratres, Josephus et Cleophas, duas sorores, Mariam, Matrem Domini et alteram Mariam, duxerunt in matrimonium. **5.** Idem Hegesippus refert, Simonem, secundum Hierosolymorum episcopum, fuisse filium Cleophae; ex Marci 15, 40. vero colligitur, collatis 5, 47. et 16, 1., Jacobum minorem et Jose filios fuisse Mariae conjugis Cleophae. Ergo **6.** Cleophas, qui etiam Alphaeus dicitur, fuit *pater* illorum, qui Marci 6, 3. nominantur *fratres Domini.* Quocirca vera est communis responsio, fratres illos Domini dici *laxiori* quadam significatione fratres. Nihil proinde ex illis inferri potest contra perpetuam Mariae virginitatem.

780. **Thesis CX.** ***B. Maria V. secundum corpus gloriose in coelos assumpta fuit.***

Demonstratio. Licet nonnulli de morte b. Mariae V. dubitaverint, imo eam mortuam esse negaverint: tenendum tamen est, eam obiisse; decuit enim, ut ipsa hac in re Filium suum non praecelleret, sed ei potius esset similis; praesertim cum mors nullam includat imperfectionem, quae Dei Genitricem dedeceret, imo propter Deum suscepta, admodum pretiosa sit in conspectu Domini. Eam vero post mortem gloriose secundum corpus fuisse in coelos assumptam, adeo *certum* esse dicimus, ut *citra temeritatem* negari nequeat. Pro qua assertione hae videntur esse potiores rationes: **1.** *Sensus fidelium,* qui invaluit et praevaluit a sec. saltem VIII., de quo plura ex iis repeti possunt, quae observavimus n. 759. s. de consensu circa immaculatam ejusdem conceptionem. Quae persuasio reperitur etiam apud graecos *schismaticos,* qui in synodo hierosolymitana 1672. adv. calvinistas habita cap. *de cultu SS.* de Dei Genitrice profitentur[1]): „Ipsa est procul dubio Virgo sanctissima, quae magnum in terra signum cum

---

quid vero post Christi conceptum et nativitatem factum sit, utpote non spectans ad ejus scopum, praetermittit. *Primogenitus* autem penes judaeos omnis is filius dicebatur, *ante quem* nullus alius sit natus, sive alii post ipsum sint nati, sive ipse fuerit unigenitus. Quare ex ea appellatione inferri nequit, Mariam habuisse alios filios.

[1]) Synodus episc. *armenorum* a. 1342. declarat: „Sciendum est, quod ecclesia armenorum credit et tenet, quod s. Dei Genitrix virtute Christi assumpta fuit in coelum *cum corpore.*"

exstiterit, eo quod Deum in carne genuit et post partum integerrime virgo permansit, recte etiam signum esse dicitur in coelo, eo quod ipsa cum corpore assumpta est in coelum. Et quamvis conclusum in sepulcro fuerit immaculatum corporis ejus tabernaculum, in coelum tamen, uti Christus fuerat assumptus, tertio et ipsa die in coelum migravit."

781. **2.** Festum *assumptionis* in Ecclesia celebratur universa, ejusque initia seculum VI. praecedunt. Ecclesiam vero celebrare non solam assumptionem secundum *animam*, sed etiam secundum *corpus*, colligitur ex ipsa liturgia, ex homiliis veterum hac die habitis, ut Ildephonsi toletani († 667.), Andreae cretensis, Damasceni etc. missae orationibus et ex ipso nomine *assumptionis*, quo festum designatur: nullius enim sancti in coelum *assumptionem* universa Ecclesia celebrat, licet credat eorum animas jam in coelestem gloriam esse assumptas. Assumptionis ergo nomine non intelligit receptionem solius animae b. Virginis in coelum, sed ejusdem secundum animam et *corpus*, in beatitudinem coelestem ingressum. Accedit **3.** auctoritas veterum, e quibus Gregorius turonensis († 595.) *de miraculis* c. 4. scribit: „Dominus susceptum Virginis corpus sacratissimum in paradisum deferri jussit, ubi nunc resumpta anima cum electis ejus exsultans aeternitatis bonis nullo occasuris fine perfruitur." Quod **4.** adeo communi consensu theologi docent, ut Suarez disp. 21. s. 2. statuat: „Summae temeritatis reus crederetur, qui tam piam religiosamque sententiam hodie impugnaret."

782. Nec desunt **5.** rationes congruentiae. Sicut enim **a.** Christus pro suo in matrem amore et honore incorrupta ejus virginitate voluit nasci, ita vix credibile est, voluisse eum corpus illud, e quo humanam assumpsit naturam, quodque propterea fuit salutis initium, corruptioni tradere. Praeclare quoque **b.** disserunt quamplurimi patres conc. vaticani in postulato, quo perardenter exoptant, ut haec veritas ad majorem Dei Filii atque Deiparae gloriam solemniter a conc. vaticano declararetur et definiretur: „Cum juxta apostolicam doctrinam, Rom. 5.—8., 1. Cor. 15.—24., 26, 54, 57, Heb. 2.—14, 15, aliisque locis traditam, triplici victoria de peccato, et de peccati fructibus, concupiscentia et morte, veluti ex partibus integrantibus constituatur ille triumphus, quem de satana, antiquo serpente, Christus retulit; cumque Gen. 3, 15. Deipara exhibeatur singulariter associata Filio suo in hoc triumpho; accedente unanimi ss. Patrum suffragio, non dubitamus, quin in praefato oraculo eadem beata Virgo triplici illa victoria praesignificetur illustris; adeoque non secus ac de peccato per immaculatam conceptionem, et de concupiscentia per virginalem maternitatem, sic etiam de inimica morte singularem triumphum relatura, per acceleratam ad similitudinem Filii sui resurrectionem, ibidem praenunciata fuerit."

783. **Thesis CXI.** ***B. Virgo haud immerito ab universa antiquitate mediatrix salutatur; et quamvis ejus mediatio mediationem san-***

ctorum longe praecellat, nulla tamen propterea injuria redundat in unum mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum.

Demonstratio p. I. Principii instar statuimus, **1.** *multum contulisse b. Virginem ad incarnationis mysterium;* suppeditavit enim Verbo carnem, qua indutum homo inter nos conversatus est. Quod alia quoque ratione illustrari potest. Ut incarnationis finis plenissime obtineretur necesse fuit, ut **a.** Filius Dei non solum esset, sed etiam *crederetur* filius hominis; ut **b.** spe atque fiducia repleti homines lapsi ad illum accederent; ut **c.** victima condigna oblata placaretur Pater coelestis offensus; ut **d.** plena de humani generis hoste victoria referretur. Atqui ad has quatuor conditiones suo modo cooperata est b. Virgo Maria. Ejus enim **a.** maternitas praecipuum est argumentum veritatis carnis assumptae: nam Maria *Mater* demonstratio est Christi *hominis;* Maria *Virgo* Christi *Dei;* Maria *Mater simul* et *Virgo* Christi *Dei hominis.* Ipsa **b.** promovet *fiduciam* nostram in Redemptorem, apud quem etiam pro nobis gratiam invenit Luc. 1, 30. Ipsa **c.** carnem et sanguinem, quae in pretium offerret, contulit Redemptori, ipsumque primum sanctissimis suis manibus Patri coelisti obtulit Luc. 2, 22. ss. Hinc **d.** sponte sua consequitur, eam etiam contulisse ad plenam de humani generis hoste victoriam: quod confirmant veteres, sive cum illam Evae tamquam ruinae reparatricem opponunt (n. 765.), sive cum illam exhibent tamquam quae serpentis caput contriverit, sive cum illam cernunt praefiguratam in omnibus feminis V. T. gloriosis, quae ad populi israelitici liberationem e periculo et captivitate quam plurimum contulerunt.

784. Contulit quoque **2.** *Dei Genitrix plurimum ad hominum salutem,* quod sequitur **a.** per modum corollarii ex dictis. Cooperatur **b.** lucidissimo suo *exemplo,* unde b. Virgo post Christum exhibetur a patribus tamquam exemplar, lux et via nostra. Quod si generatim speculum justitiae est omnibus hominibus, speciatim divinitus est destinata, ut exemplar sit *feminei* sexus; quo enim profundius per peccatum est lapsus hic sexus, adeo ut tristissima esset ejus conditio apud gentes omnes usque ad Christum et adhuc sit apud gentes infideles; quo majus alioquin ejus momentum in familia et societate humana; quo majoris periculi et damni propter hominis corruptionem, si pudore non regatur: eo magis decuit divinam sapientiam, providentiam et bonitatem, ut sexui femineo accommodatum proponeret exemplar. Tale autem datum est in beatissima Deipara, quae *virgo, mater, conjux* et *vidua* omnibus forma est virtutis. Quam autem efficax fuerit quovis seculo Mariae exemplum, testatur luculenter Ecclesiae historia. Quot enim ipsa suo exemplo induxit seu potius traxit ad cavenda im-

puritatis peccata, servandam castitatem virginitatemque vovendam, atque propterea ad angelicam profitendam vitam? Cooperatur **c.** Dei genitrix humano generi ad salutem etiam auxilio, quod potentissima sua intercessione nobis impetrat. Quam intercessionis efficaciam Ecclesia universa et fideles singuli tot ad eam fusis precibus testantur. Neque arbitraria est haec fidelium fiducia, si enim Deus Filium suum nobis dedit salutis auctorem per Mariam, etiam alia salutis beneficia per ipsam dispensare dignabitur; neque momento caret, quod in prima Joannis Baptistae sanctificatione[1]) ipsa adfuerit Luc. 1, 41., primumque miraculum ejus intercessione Christus patraverit Joan. 2, 3.

785. Merito proinde **3.** *b. V. Maria a majoribus nostris* et diserte et aequivalenter *mediatrix salutatur*. Salutatur enim et ab armenis in hymno *in nativit.* Christi: „Maledicti solutio et peccati expiatrix Virgo sancta! Per te solutum est condemnationis signaculum, et per te erecta est prima mater, quae peccando cecidit;" a syris praeeunte Jacobo sarugensi ad 1. noct. Sabbati: „Benedicta tu inter mulieres, per quam maledictum terrae exstirpatum est et sententia

---

1) Juverit hoc factum altius considerare, cum tot concurrant in eo adjuncta, quae *summam Mariae* manifestant *dignitatem*. Consideretur enim **1.** *analogia* Mariam inter et Christum. Sicut enim Dei Filius sola dilectione inductus venit non ministrari, sed ministrare: ita Maria caritate impulsa ad ministrandum sanctae Elisabeth accurrit. Sicut Dei Filius *exinanivit se* factus obediens, propter quod et *Deus exaltavit illum* Phil. 2, 7. ss.: ita Deus respexit humilitatem ancillae suae: et ecce ex hoc beatam eam dicunt omnes generationes. Consideretur **2.** quam *salutaris* fuerit Mariae praesentia. Interventu Evae periit Adamus privatusque est Spiritus sancti inhabitatione: *interventu Mariae* sanctificatur Joannes, repletur Elisabeth Spiritu s. Consideretur **3.** Elisabeth *Spiritu s. repletam* glorificare Mariam, ut angelus ad eam missus Luc. 1, 28; ut Simeon, qui Spiritu s. actus venit in templum Luc. 2, 27: quo significatur, *Spiritui s. placere laudes Dei Genitricis*, ipsique esse adscribendas. Unde explicatur, quare viri pii, *quo magis replentur Spiritu s., eo magis sint effusi in laudes tantae Matris.* Et quantum Elisabeth Spiritu s. repleta extollit Mariam? Se coram ea humiliat, sicut postea Joannes ejus filius veniente ad eum Christo Jesu Matth. 3, 14; eam salutat *Matrem Domini* sui i. e. Dei; eodemque praedicato extollit, quo ejus Filium: *Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui.* Exempta proinde est Maria a maledicto Evae, et consors benedictionis originalis Filii sui. Si s. Elisabeth adeo honorat Mariam *humilem,* licebit nobis eam honorare jam tantopere *exaltatam.* Consideretur **4.** eximium Virginis canticum, in quo **a.** tam illustrem enunciat *prophetiam*, quae splendidissime et plenissime fuit completa: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes;* **b.** docet mensuram suarum praerogativarum esse potentiam Dei: *Fecit mihi magna, qui potens est;* **c.** promulgat legem quandam fundamentalem oeconomiae supernaturalis, quam etiam enunciat gentium apostolus 1. Cor. 1, 20. ss.: *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles* Luc. 1, 52.

damnationis accepit solutionem;" a graecis in *Menaeis* ad 4. Febr. et saepissime: „Salve verus virginitatis thesaurus, revocatio progenitricis et solutio maledicti, quo fuit progenitor maledictus;" a latinis cum Petro Chrysologo *serm.* 140: „Pavet coelum, tremunt angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit, et una puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, ut pacem terris, coelis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum coelestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium pro ipsa domus exigat pensione, pro ipsius uteri mercede conquirat." Et sane ut quis vere sit et dicatur mediator, sufficit et requiritur, si nos inter et Deum medius sic interveniat, ut sua nos ope ad Deum provehat et Deum nobis conciliet, quod abunde b. Virginem praestitisse et adhuc praestare vidimus.

786. **Demonstratio p. II.** *B. V. Mariae mediationem excellere* quorumcunque sanctorum mediationem, patet. Etenim praestantia mediationis proportione respondet tum sanctitati tum gradui familiaritatis cum Deo. Atqui Deipara omnium linguis praedicatur summa post Deum, superexaltata super choros omnes angelorum etc. Ergo eximio privoque modo erit mediatrix. Praecellit scilicet ipsius mediatio mediationem aliorum sanctorum *universalitate, efficacia* et *titulo.*

787. **Demonstratio p. III.** *Dei Genitricis mediatio non obscurat Christum mediatorem,* sicut nec causae secundae virtuti causae principis, domini patrisque terreni Patris coelestis majestati quidquam derogant. Neque enim est mediatrix *ejusdem* cum Christo *ordinis,* sed gradu altero et participatione. *Multiplex* siquidem est discrimen inter Christi et Mariae mediationem. Christus enim **a.** mediatione sua obtinuit salutis possibilitatem, et hinc ad salutem consequendam omnium auxiliorum gratiae inexhaustam copiam; ideoque **b.** mediator est *primarius,* ante quem nullus alius; **c.** *necessarius,* sine quo nulla salus; **d.** *universalis,* seu mediator generis, quo vel ipsa ejus mater indiguit; **e.** *sufficiens,* cujus mediatio alterius mediatione non innititur, sed **f.** ex sese est *infinitae* virtutis. Maria vero mediatrix est altero tantum gradu, supposita jam Christi mediatione, a qua etiam omnem suam vim mutuatur et cui innititur; nisi enim Christus et ipsi gratiarum plenitudinem promeruisset, nullius ponderis esset ipsius penes Deum intercessio; nec Deiparae intercessio absolute necessaria est, quamvis summae utilitatis, ut salutis possibilitas nobis a Christo sua mediatione obtenta securius faciliusque transeat in actum.

PARS II.

De Christo Salvatore.

788. Considerato Verbo incarnato *in se,* reliquum est, ut illud consideremus secundum *suas* ad universum *genus humanum relationes,* quae determinantur ex fine, propter quem Filius Dei de coelis descendit humanamque induit naturam. Atqui finis incarnationis *re* quidem

unus est, salus scilicet nostra, *virtute* tamen est *multiplex;* commode autem revocatur ad *triplicem,* ad *reconciliationem, doctrinam, adjutorium:* cui triplici fini respondet *triplex* munus, ipso nomine Christi adsignificatum: ipse enim solus, ut loquitur Eusebius H. E. l. 1. c. 4., est universorum *pontifex* ac solus *rex* omnis creaturae solusque prophetarum Patris *archipropheta.* Quare haec pars apte dividitur in *tria* capita, scilicet de *sacerdotio* Christi, de ejus *magisterio* atque *regia potestate.* Cum vero si qua est controversia sive difficultas, ea tota circa Christi *sacerdotium* versetur, reliqua enim munera nihil continent, quod specialem exigat theologicam disputationem, iis omissis tantum *de Christo sacerdote* ejusque functionibus sacerdotalibus harumque uberrimus fructibus disseremus.

789. Praemittenda tamen aliqua sunt de notione *mediatoris,* quo nomine saepe salutatur. Nomine *mediatoris* universim intelligitur medius inter duos pluresve sejunctos ad eos aliquo modo conjungendos et conciliandos, quibuscum propterea aliquid habeat commune eisque conjunctus sit oportet. Haec conjunctio cum utrisque constituit mediatorem seu medium in ordine *ontologico,* et simul constituit aptitudinem seu *actum primum* aut saltem necessariam conditionem ad ipsum munus conciliationis, in quo munere consistit ea, quam dicimus mediationem *moralem.* Jam vero in ordine ontologico potest mediator Deum inter et hominem junctus esse vel *gratia* vel identitate *naturae,* quo posteriori in casu mediator est et dicitur *naturalis.* Jesum Christum autem, qui per excellentiam dicitur *mediator Dei et hominum* 1. Timoth. 2, 5., mediatorem esse *moralem* patet, omnes enim partes moralis mediatoris explevit, ut nos Patri reconciliaret, quod etiam ex infra dicendis patebit. Eum autem etiam esse mediatorem *naturalem,* omnia demonstrant, quibus ostendimus, Christum simul esse *Deum* et *hominem.*

790. Mediatoris autem munere functus est Christus, maxime quatenus erat *sacerdos.* Eum vero *esse sacerdotem* data opera Paulus in epist. ad Hebraeos a c. 5. ad 10. usque docet, eumque saepe vocat sacerdotem magnum, sacerdotem in aeternum secundum ordinem Melchisedech etc. Verum non qualiscunque fuit sacerdos, sed sacerdos tum comparative tum absolute *praestantissimus.* Quam sacerdotii Christi praesertim prae aaronico praestantiam probat Apostolus **1.** ex *juramento,* quo Christus sacerdos constitutus fuit Hebr. 7, 20. ss.: *Et quantum est non sine jurejurando (alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt: hic autem cum jurejurando per eum, qui dixit ad illum* [Ps. 109, 4.]: *Juravit Dominus, et non poenitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum), in tantum melioris testamenti sponsor factus est*

Jesus; **2.** ex *dignitate hostiae* ibid. 9, 12: *Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta* etc.; 10, 5. ss.; **3.** ex *unitate sacrificii,* quo semel oblato multorum peccata exhausit aeterna redemptione inventa 10, 1. ss.; 9, 28; **4.** ex hujus sacrificii *effectu,* quod inquinatos non sanctificat ad emundationem carnis tantum, sed semel oblatum consummavit in aeternum sanctificatos 9, 13. ss.; 10, 4. ss. Ad haec **5.** Christus est, ut ait Paulus 7, 26., *pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior coelis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.* **6.** Fuit praeterea non merus homo infirmitatem habens, cujusmodi erant sacerdotes levitici Hebr. 7, 28: sed is, cui Pater dixit (5, 5.): *Filius meus es tu, ego hodie genui te: talis enim decebat, ut nobis esset pontifex excelsior coelis factus* 7, 26. s. Denique **7.** *hic* (Christus), teste Paulo 7, 24., *eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium.*

791. **Thesis CXII.** ***Christus potissimum sacerdotii munus tum explevit, cum semetipsum in ara crucis hostiam immaculatam Deo obtulit.***

Demonstratio. Potissimum sacerdotii munus est *sacrificii oblatio,* quod colligitur ex connexione sacrificii et sacerdotii, quod deficit, ubi nulla sunt sacrificia, et ibi semper reperitur, ubi viget sacrificiorum oblatio. Quapropter Paulus Hebr. 5, 1. generatim pronunciat: *Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Si ergo Christus verus fuit sacerdos, dubitari nequit, Christum praecipuum hoc sacerdotale munus explesse. Porro hoc *sacrificium fuisse ejus mortem in cruce,* contra socinianos his probatur argumentis: **1.** negari nequit, sacrificia cruenta V. T. rationem habuisse *typi* relate ad mortem Christi cruentam: *umbram enim habet lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum,* uti docet Paulus Hebr. 5, 1. etc. Cf. Joan. 1, 29; 19, 36; 1. Cor. 5, 7; quod saepissime etiam inculcant patres. Ita Augustinus *de civit. Dei* l. 10. c. 20: „Cujus veri sacrificia (in cruce oblati) multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum, cum ob hoc unum per multa figuraretur, tamquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur." Cum ergo illa praecise sub ratione formali sacrificiorum typi fuerint mortis Christi cruentae in cruce, huic qua antitypo ratio sacrificii praestantissimi insit necesse est.

792. **2.** In divinis literis mors Christi iis describitur verbis, quibus sacrificia V. T. designantur et describuntur. Verum ergo censeri

debet sacrificium. Cf. Is. 53, 6. ss.; Eph. 5, 2; 1. Cor. 5, 21; Joan. 2, 3; Rom. 3, 25; Joan. 1, 29; Apoc. 5, 6; 1. Petr. 1, 19; Matth. 20, 28., quibus in locis dicitur *agnus immolatus*, cujus sanguine *redempti* sumus et *expiati*; dicitur *immolatus, oblatus, sacrificatus*; dicitur *oblatio* et *hostia, propitiatio* i. e. sacrificium expiationis; dicitur *peccatum* i. e. *victima pro peccato*; Christi vita exhibetur data *in pretium pro hominibus*, ejus sanguis dicitur *effusus in remissionem peccatorum*. Accedit doctrina Pauli in ep. ad Hebr., qui passim comparationem instituit inter sacrificia maxime solemnia V. T. cum morte Christi, atque ostendit, quantum haec quoad vim sanctificandi illa excelluerit, ac proinde quanta sit Christi sacerdotii praestantia prae sacerdotio levitico: cf. 9, 11. ss.; 13, 11., adhibetque eadem verba sacrificialia de morte Christi, quibus sacrificia V. T. describit 7, 26; 10, 8. ss.

793. Idem **3.** evincitur ex diligentiori consideratione hinc quidem *sacrificii*, inde vero *mortis Christi*. Sane sacrificium est actus externi cultus, expressio scil. et visibilis protestatio illius sensus interioris, quo agnoscimus supremam Dei majestatem ac dominium in vitam et mortem, absolutam omnium a Deo dependentiam nostrumque reatum. Hic autem sensus **a.** natura duce, cujus ductum vel ipse Deus approbavit, exprimitur quam aptissime destructione, immolatione alicujus rei ad hominem pertinentis, praesertim eorum, quae ad vitam humanam fovendam et nutriendam pertinent, maxime animalium. Cui immolationi **b.** inest vis substitutionis symbolicae, scil. qui sacrificium offerunt, pro se reis substituunt victimam, in qua velut exprimant, quid se propter peccata meruisse sciunt et fatentur. Haec symbolica substitutio clare elucet in sacrificiis V. Testamenti[1]), in quibus ii, qui sacrificium offerre volebant, manum imponebant victimae, quo ritu transferebant velut in eam sua peccata, propter quae culpae poenaeque rei erant, ut immolatione victimae sibi substitutae liberarentur a culpa et poena. Haec substitutio symbolica **c.** typus erat propheticus alterius realis substitutionis, qua Dei Filius factus homo seipsum pro genere humano lapso substituit, ut quod vetera illa sacrificia ostendebant necessarium et portendebant futurum, satisfactionem, inquam, pro peccatis, ipse se ipsum offerendo in sacrificium adimpleret. Quae substitutio *idea* est *fundamentalis* mysterii redemptionis, Scripturis

---

[1]) Cf. Gen. 22, 13., ubi narratur substitutio *arietis pro Isaac*, quem Deus prius jusserat sibi offerri. *Vidit* (Abraham) *post tergum arietem . . . quem assumens obtulit pro filio*; Exodi 29, 10; Lev. 1, 4; 8, 2; 4, 4; 17, 11.: *Anima carnis in sanguine est: et ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, et sanguis pro animae piaculo sit.* Maxime vero hoc elucet e ritu, qui servabatur in sacrificio offerendo in solemni festo expiationis. Lev. 16.

diserte significata. Dicitur enim de eo, positas esse in ipso iniquitates omnium nostrum Isai. 53, 6; 1. Petr. 2, 24; ipsum factum esse maledictum Galat. 3, 13; peccatum pro nobis 2. Cor. 5, 19; in carne ejus divinam justitiam condemnasse peccatum Rom. 8, 3; eum factum esse pro nobis pretium solutionis et redemptionis etc. Quare **d.** cum haec omnia facta sint in ara crucis, liquet illam mortem fuisse omnium maximum, solemnissimum, unicum Deo dignum sacrificium[1]), quo uno propitiatus Deus, quo humanum genus emundatum fuit.

794. **Scholion.** Actio *sacrifica,* qua victima offertur, et quae ad hanc se habet ut *forma* ad *materiam,* non potest esse alterius nisi ipsius *sacerdotis* sacrificantis. Ea autem non est posita in materiali destructione et occisione, ut patet vel ex sacrificiis V. T. Quare corruit illorum exceptio, qui putant propterea mortem in cruce non esse sacrificium, quod alioquin milites Christum crucifigentes dicendi essent sacerdotes, quod est absurdum. Proinde actio sacerdotalis in sacrificio crucis erat ipsa Christi sacerdotis oblatio sui ipsius, non solum intentione interna et invisibili, sed tali, quae prodiret in actum externum et se manifestaret in ipsa cruciatuum et mortis voluntaria admissione ac directione ad se ipsum Patri offerendum, atque in ipsa voluntaria spiritus emissione, quae licet naturaliter consequeretur cruciatus illatos, erat tamen in potestate Christi sacerdotis se offerentis secundum illa Joan. 10, 18: *Nemo tollit eam* (animam) *a me, sed ego ponam eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam.* Quod si quaeritur, quare martyrium non habeat rationem sacrificii, respondendum est, quia martyres nec ut victimae, nec ut sacerdotes ad se ipsos offerendos a Deo sunt instituti. Quae institutio et deputatio, in cultu saltem juris *positivi* seu divinitus instituto, ad legitimum sacrificium offerendum necessaria est.

795. **Thesis CXIII.** ***Christus pro nobis divinae justitiae satisfecit.***

Declaratio. Nonnulla de *satisfactionis* notione praemittenda sunt: **1.** Satisfactio *active* accepta compensatio est honoris laesi sive illatae in-

---

[1]) Consideremus hujus sacrificii *latitudinem,* qua *universum* complectitur in victima i. e. natura humana (n. 588.) et *universo* profuit mundo: ejus *longitudinem,* cum jam adumbratum fuerit in *Abelis oblatione*, qua de causa Christus *agnus occisus ab origine mundi* dicitur Apoc. 13, 8., et idem commemorandum sit usque *ad seculi consummationem;* ejus *altitudinem*, sua enim virtute penetravit *coelos* eosque nobis iterum aperuit; *profunditatem* effectuum, nam animae maculas radicitus delet et vel ex infernis animas justorum ibi degentium eripuit: aut etiam *ratione ss. Cordis* in quo radicatur. Huic enim *cordi* adscribi debet **a.** tantum pietatis *consilium,* quo nos dilexit usque *in finem* non solum *suae vitae,* sed etiam usque ad *supremam caritatis mensuram:* nam *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* Joan. 15, 13. Ex illo corde **b.** tamquam e fonte manavit sanguis ille pretiosus pro mundi vita; **c.** ex amore illius cordis speciale derivatur pretium hujus sacrificii, quia cum tanto oblatum est amore, ut hic plus contulerit ad mortem quam carnifices: nisi enim ille permisisset, nihil hi potuissent. Quare Christus Joan. 14, 31. ait: *Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem . . . surgite, eamus hinc.* Quocirca sacrificium crucis verum est *holocaustum,* cujus ignis erat intensissimus ss. Cordis amor.

juriae; *objective* intellecta est ipsum opus et obsequium, quo quis compensat injuriam vel a se vel ab alio alteri illatam. **2.** *Meritum* est opere comparata dignitas ad remunerationem. **3.** *Valor* est dignitas moralis ac proportio operis et obsequii cum injuria illata in satisfactione pro culpa; cum poena sustinenda a reo in satisfactione pro poena; cum praemio in merito. Valor operis *infinitus* non est aliquid physice infinitum, sed moraliter h. e. dignitas et proportio ejus in ordine justitiae ad compensationem injuriarum et ad retributionem praemiorum est tanta, ut debitam pro quavis gravitate et pro quovis numero injuriarum compensationem et quaevis praemia ordinis finiti semper excedat. **4.** Satisfactionis valor (idem dicatur de merito) pendet primario e *satisfacientis dignitate,* secundario ex operis praestantia, et in actu *primo* independens est ab acceptatione ex parte ejus, cui exhibetur, nec oritur, nec augetur ex acceptatione, sed huic supponitur. Formaliter autem et in actu *secundo* actio est satisfactoria vel meritoria *dependenter* ab acceptatione, praesertim si agitur de satisfactione *vicaria,* quae scil. vice alterius exhibetur pro honore laeso. Qua acceptatione supposita **5.** satisfactio erit vel *inaequalis* seu congrua, vel *aequalis* seu condigna, vel *superabundans,* prout operis valor omnibus expensis vel non adaequat, vel aequat, vel excedit injuriae gravitatem. Cum ergo contendimus, Christum pro nobis satisfecisse, affirmamus, eum causam nostram in se suscepisse eaque vice nostra praestitisse, quibus injuriam a nobis Deo illatam compensaret; atque adeo Deum placaret, ut nobis reconciliatus jam paratus sit offensam remittere veniamque concedere. Verum Christus non tantum pro debito nostro *satisfecit,* sed insuper uberrimas nobis *promeruit* gratias. Thesis est *de fide,* et statuitur in primis contra socinianos, secundum quos Christus non est mortuus ad nostra expianda peccata, sed ut sanguine confirmaret doctrinam suam, excitaret spem resurrectionis, attraheret ad sui amorem daretque nobis fortitudinis exemplum.

796. **Demonstratio.** Probatur Christi *satisfactio vicaria* **1.** *sacrificii* notione data n. 793; eo ipso enim, quod mors Christi fuerit *sacrificium* et quidem *pro peccatis nostris,* cujus fructus esset expiatio nostra, liquet illud fuisse *satisfactorium.* **2.** Christus singulari ratione dicitur *Redemptor* noster, qui non aurum vel argentum, sed *pretiosum sanguinem suum pretii instar Patri coelesti obtulit,* quo reconciliaretur nobis, imo animam suam, seipsum in pretium ἀντίλυτρον dedit 1. Petr. 1, 18. s.; 1. Tim. 2, 6; Matth. 20, 28; Marc. 10, 45; Tit. 2, 14. Atqui pretii exhibitio, cujus fructus sit debiti relaxatio et reconciliatio, est vera satisfactio. Luculenter vero **3.** haec veritas traditur Is. c. 53., quod *messianum* esse colligimus ex unanimi nominis christiani ad sec. XVIII. usque consensu, ex confessione vel ipsorum judaeorum, et ex disertis testimoniis s. Scripturae Luc. 22, 37; Marc. 15, 28; Act. 8, 33. ss.; Matth. 8, 17; 1. Petri 2, 21. ss. Jam vero in hoc c. exhibetur Messias **a.** gravissimos sustinens dolores, despectus, novissimus virorum, vir dolorum et sciens infirmitatem; quorum dolorum **b.** causa non sunt propria ejus peccata; neque enim fecit malum, neque dolus

inventus est in ore ejus v. 9; sed **c.** confossus et contritus dicitur ab iniquitatibus nostris v. 5., quas Dominus omnes in eo posuit v. 6. Ipse vero **d.** voluntarie omnes hos dolores in se suscepit ut nobis mederetur pacemque obtineret v. 5. 6. seque sacrificium propitiationis pro nobis obtulit v. 10., cujus oblationis fructus **e.** dicitur multorum justificatio; in se enim suscipiens peccata nostra, justitiam nobis impertiit. Atqui nil luculentius afferri potest pro *vicaria* Christi *satisfactione,* qua loco nostro satisfecit iramque placavit divinam.

797. Imo *satisfactio Christi* fuit non solum sufficiens et condigna, sed *superabundans,* ut liquet vel ex pretii magnitudine: *empti enim estis pretio magno* 1. Cor. 6, 20. Unde docet Clemens VI. (*ap. Raynald.* ad a. 1349. n. 11.): »Non corruptibilibus auro et argento, sed sui ipsius agni incontaminati et immaculati pretioso sanguine nos redemit, quem in ara crucis innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse.«

798. Reconciliationem cum Patre, remissionem peccatorum poenarumque nec non gratias, quibus consequi possimus vitam aeternam, fructus esse laetissimos hujus sacrificii, diserte Scripturae testantur[1]). Colligitur deinde ex ipso incarnationis fine: venit enim Christus qua alter Adamus, sed priori longe praestantior, quaerere quod perierat Matth. 18, 11; reparare ruinam per Adamum illatam Rom. 5, 15. ss.; ut nos exsules revocaret ad patriam coelestem. „Factus est, ut toties inculcant patres cum Augustino, *de civit. Dei* l. 21. c. 15., unicus natura Dei Filius propter nos misericordia filius hominis, ut nos natura filii hominis filii Dei per illius gratiam fieremus;“ ideoque dedit nobis potestatem filios Dei fieri Joan. 1, 12. Atqui haec obtineri nequeunt, quin prius remittantur peccata, quin relaxetur poena aeterna, quin gratiis iterum irrigemur, quibus donatus erat Adamus; nisi media suppeditentur ad hunc proportionata finem. Unde efficax plane est

[1]) Joan. 3, 16: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam;* 1. Joan. 2, 2: *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi;* Rom. 3, 24: *Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quae est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae propter remissionem praecedentium delictorum;* Rom. 5, 9: *Christus pro nobis mortuus est. Multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum;* Gal. 4, 4. s.: *Misit Deus Filium suum . . . ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum acciperemus* etc.; Coloss. 1, 14: *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum;* Hebr. 5, 8. s.: *Filius Dei didicit ex iis, quae passus est, obedientiam: et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae* etc.

Pauli illatio: *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit* (Rom. 8, 32.)? Ergo cum Christus suam expleverit missionem praecipue sacrificio crucis[1]), hoc etiam omnia illa nobis promeruit.

799. **Scholion I.** Ad solvendas difficultates contra Christi satisfactionem haec animadvertantur: **1.** Quamvis injustum sit, innocentem qua *talem* affici poena, injustum tamen non est, *innocentem loco alterius poenas pati,* pro quo sponte sua se vadem exhibet, consentiente et acceptante ejusmodi satisfactionem ipso legislatore offenso. Saepe enim videmus innocentes pro reis se affligere, humiliare, deprecari, ut hac ratione placeant offensum eumque reconcilient offensori: maxima vero est *innocentiae* satisfaciendi vis. Jam vero Christus sponte se vadem obtulit pro humano genere Patri coelesti, qui hanc acceptavit oblationem. Duplex **2.** in *peccatis* secerni debet ratio, intestina *inordinatio* et *debitum* respectu legis *punientis* seu poenae reatus. Porro licet prior per *alium* nequeat suppleri nisi *mediate,* impetratione scil. gratiae pro peccatore, ut salutarem poenitentiam agat: debitum tamen per alium solvi *potest*, si accesserit legislatoris acceptatio. Jam vero debitum condignae satisfactionis solvit pro nobis Christus, qui simul peccatoribus gratiam impetravit, ut sicut oportet dolere et veniam petere possint.

800. Ideo autem **3.** quod Christus pro nobis satisfecit, neque sequitur **a.** nos ad nullam amplius teneri sive satisfactionem sive poenitentiam: neque sequitur **b.** homines tunc fore eximendos ab omnibus miseriis, quae consecutae sunt peccatum originale: neque sequitur **c.** justificationem nostram ea in hypothesi non amplius fore gratuitam contra disertam Pauli doctrinam Rom. 3, 24; Eph. 2, 8. ss. etc. Sufficit interim advertisse: **a.** Christum quidem pro nobis satisfecisse, sed ita, ut voluerit satisfactionem suam nobis prodesse ad consequendam salutem *sub variis conditionibus* a nobis adimplendis, cujusmodi sunt fides, poenitentia, usus sacramentorum, opera etiam satisfactoria etc., quibus non adimpletis, nec salus obtinetur. **b.** Christum satisfaciendo et merendo voluisse quidem restituere ordinem *supernaturalem*, non vero *praeternaturalem*, e quo Adamo peccante excidimus et ad quem spectat *immunitas a concupiscentia, miseriis* hujus vitae etc. **c.** Justificationem nostram dici posse et *gratuitam* et *de-*

---

[1]) Quaeritur *quare*, cum singula Christi opera fuerint infiniti valoris et meriti, *redemptio nostra specialiter adscribatur passioni et morti Christi Domini.* Ad hanc q. respondet Suarez disp. 4. s. 4. *de incarn.* n. 44: „Ratio est primo, quia illud (opus patiendi etc.) fuit praecipuum opus redemptionis nostrae et maxime accommodatum ad satisfaciendum pro nobis. Secundo, quia in illo fuit consummata nostra redemptio: ex divina enim ordinatione omnia merita Christi erant veluti in fieri, et non expiabantur per singula lapsus et reatus humanae naturae: neque acquirebatur illi perfectum et absolutum jus ad gloriam, donec per passionem consummarentur . . . Hoc enim ita factum est, non quia singula opera per se non sufficerent, sed quia ita ordinatum fuit a Deo: **1.** ad ostensionem caritatis suae; **2.** ut cognosceretur melius, quanta sit peccati gravitas; **3.** ut gratia et remissio peccati majori in pretio ab hominibus haberetur; **4.** propter exemplum.‟

bitam: debita est Christo, gratuita autem est respectu hominum, qui nil boni fecerunt vel facere potuerunt, quo talem tantumque promererent redemptorem.

801. Gravior **4.** est difficultas, quod scil. Christus *sibimetipsi* satisfecerit, cum satisfaciendum fuerit Deo, et ipse sit Deus; satisfactio vero omnino *ad alterum* referatur. Fatemur quidem **a.** non rite solvi difficultatem si dicatur, satisfactionem exhibitam fuisse *soli Patri,* proinde Christum non sibi ipsi satisfecisse. Nam licet satisfactio ratione termini, cui eadem exhibetur, *approprietur* Patri, communis tamen est *toti* Trinitati. Melior **b.** est responsio, quam ita enunciat Billuart *de incarn.* diss. 19. a. 7: „Licet in Christo sit *unum* tantum suppositum secundum *rem* et *formaliter,* gerit tamen vices *duplicis* suppositi ideoque *virtualiter* est *multiplex:* cum enim possit subsistere in pluribus naturis, potest etiam praestare, quae facerent plura supposita: et quia quod est virtualiter multiplex, tantam habet virtutem, quantam haberet, si foret formaliter multiplex. Ideo sicut si foret formaliter multiplex suppositum in Christo, unum divinum, alterum humanum, facile conciperemus, quod suppositum humanum rigorose satisfaceret ex hac parte supposito divino: ita ex hoc, quod sit virtualiter multiplex, concipimus, quod Verbum ut subsistens in humana natura sibi ipsi rigorose satisfecerit, ut subsistenti in divina natura, serveturque conditio requisita, esse scil. ad alterum" etc. Quod **c.** theologi illustrare solent exemplo illius, qui simul est et creditor et tutor pupilli. Hic enim potest tamquam creditor a pupillo exigere solutionem et tamquam tutor pupilli nomine solutionem sibi ipsi praestare. Jam vero humanum genus erat hic pupillus, qui satisfacere nequibat: quocirca datus est ei tutor et advocatus Christus, qui ex bonis humanae naturae satisfecit Patri, sibi et Spiritui sancto[1]).

---

[1]) Quaerunt theologi, *utrum Christi satisfactio fuerit condigna secundum rigorem justitiae.* Solent scil. theologi distinguere inter satisfactionem *simpliciter* condignam et satisfactionem condignam *secundum justitiae rigorem.* In hac omnes conditiones ad strictam justitiam requisitae servantur; in illa semper aliqua intercedit liberalitas vel ratione praemii vel ratione operis praestandi. Qui negant Christum satisfecisse *secundum justitiae rigorem,* advertunt, ad ejusmodi satisfactionem requiri **1.** ut fiat ex bonis *propriis;* **2.** ex bonis *nondum* alio titulo *debitis.* Atqui, subsumunt, quidquid Christus homo habuit, donum fuit Dei; quidquid praestitit, Deo erat jam debitum titulo saltem gratitudinis. Verum ad *primum* responderi potest, licet ad rigorem justitiae requiratur, ut virtus merendi atque satisfaciendi non sit gratia facta personae satisfacienti ab eo ipso, cui satisfactio debetur: persona tamen satisfaciens et merens scil. Christus persona est divina, cujus sunt natura humana et proprii actus meritorii, in quos e dignitate Verbi praecipuus satisfaciendi valor redundavit. Verbo autem per unionem cum humana natura, per quam satisfacere et mereri potuit, nulla facta est gratia; si qua facta est gratia, ea tota est illius naturae singularis exaltatae, per quam Verbum satisfecit, et humani generis, pro quo satisfecit. Ad *alterum* adverti debet **a.** opera Christi utpote valoris infiniti sufficere ad solvendum multiplex debitum. Et quamvis **b.** ad hoc, ut essent satisfactoria in actu secundo, requireretur acceptatio Patris, haec tamen non imminuit justitiae rigorem; sicut in quavis emptione acceptatio pretii non imminuit rigorem justitiae propriae ejus-

802. **Scholion II.** Quaeritur I. *secundum quam naturam Christus fuerit mediator et sacerdos.* Resp. **a.** omnes mediationis functiones ipsaeque adeo sacerdotales uni Christo seu Verbo incarnato esse tribuendas, actiones enim sunt suppositorum, seu tribuuntur suppositis; eaedem tamen **b.** spectatae *efficienter* seu secundum principium, *quo* illas Christus est operatus, adscribi non possunt nisi Christo, quatenus homo est seu *secundum naturam humanam*; earum tamen pretium **c.** repetendum est ex natura divina: propter hanc enim persona Verbi, cui imputantur, infinitae est majestatis adeoque ejus actiones infiniti valoris. Quare tam illi errant, qui contendunt, Verbum secundum naturam *divinam* esse sacerdotem, ac proinde jam ante incarnationem sacerdotis obiisse munus, quam ii, secundum quos Christus mediator est secundum humanam *tantum* naturam. Simili ratione disserendum est de *victima*. *Qui* enim oblatus est in sacrificio, est hic homo J. Christus adeoque divina persona sub formali ratione, quatenus homo est: non autem natura *dumtaxat humana* fuit oblata.

803. **Thesis CXIV.** ***Christus pro omnibus hominibus mortuus est.***

Demonstratio. Haec propositio sententiam enunciat *piam* et *communem* theologorum; sed quatenus significat *Christum non tantum mortuum esse pro praedestinatis*, dogma complectitur catholicum (cf. n. 475.). Probatur autem ex divinis literis, quae docent, Christum mortuum esse **a.** *pro toto mundo* Joan. 1, 29; 3, 16; 1. Joan. 2, 2: *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*; **b.** pro *omnibus* hominibus 1. Tim. 2, 6. (cf. n. 476.); **c.** pro omnibus iis, quorum assumpsit naturam Hebr. 2, 9. ss., ubi v. 14. legimus: *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum: et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti;* **d.** pro omnibus, adversus quos chirographum damnationis erat Coloss. 2, 14: *Delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci;* **e.** pro omnibus, qui peccato mortui sunt: *Si enim*, inquit Paulus 2. Cor. 5, 14., *unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt:* ne iis quidem **f.** exceptis, qui pereunt 2. Petr. 2, 1; 1. Cor. 8, 11; Rom. 14, 15. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Verbo, tam late patet redemptio, quam ruina per Adamum, *venit enim Filius hominis salvare, quod perierat* Matth. 18, 11. Idem patres saepe admo-

---

modi contractus: neque enim acceptatio aliquid confert ad sufficientiam vel valorem satisfactionis. Ceterum **c.** si vel ad ipsam compensationem oblatam, vel ad personam satisfacientem, vel ad ipsum Deum, cui satisfactio fuit exhibita, respiciamus, probabilis non videtur opinio, satisfactionem talem potuisse non acceptari.

dum diserteque testantur, quare doctrinam catholicam sincere exprimit conc. carisiacum (a. 849.) can. 4: „Christus Jesus D. N. sicut nullus homo est, fuit vel erit, cujus natura in illo assumpta non fuerit: ita nullus est, fuit vel erit homo, pro quo passus non fuerit, licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur."

804. Hujus autem mortis fructus *immediatus* non est *singulorum salus,* ut patet ex facto: sed est possibilitas consequendae salutis, quam Adami peccato amisimus (cf. n. 477.). Ut vero haec salutis possibilitas reducatur ad actum, seu ut actu nobis prosit Christi passio ita, ut salutem revera consequamur, adimplendae sunt certae conditiones, quod belle ita significat Prosper in *resp. ad obj. 1. Vincentii:* »Poculum immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra et virtute divina, habet quidem in se, ut omnibus prosit; sed si non bibitur, non medetur.«

805. Quare maxime notanda est illa distinctio voluntatis divinae in *antecedentem* et *consequentem* (cf. n. 470.). Vult scil. Christus, quantum est ex se, serio et sincere voluntate *antecedenti* omnibus suam prodesse passionem: et revera omnibus prodest, quatenus omnes iterum destinati sunt ad finem supernaturalem, omnibus iterum obtinuit possibilitatem consequendae salutis, qua antea propter Adami peccatum caruerant, omnibus promeruit salutis media proxime vel remote sufficientia[1]). Quia vero actualem omnium salutem serio quidem et sincere vult, sed tamen *sub conditione* per homines gratia sua adjutos adimplenda, hinc *consequenter ad praevisionem cooperationis hominum,* eorum tantum vult salutem, quos praeviderit conditiones omnes adimpleturos. Ex quibus liquet, quo sensu Christus dici possit mortuus pro *omnibus,* et quo sensu pro *multis:* intelligitur quoque distinctio theologorum de morte Christi pro omnibus quantum ad *sufficientiam* pretii seria intentione oblati, et pro electis quantum *ad efficaciam.*

806. **Corollarium.** Meritum redemptionis ita consummatum, satisfactio pro culpa ita est completa sacrificio crucis, ut nullum sit hominis peccatum, pro quo non fuerit praestita, cujusque remissio in actu primo et ex parte Dei non sit parata: illius enim intuitu Deus dicit per os Jeremiae 31, 34. col. Hebr. 10, 17: *Et peccatorum et iniquitatum eorum jam non recordabor amplius.* Unde nulla alia datur oblatio pro peccatis, quo *meritum* remissionis comparetur, licet esse possit oblatio, qua illud meritum singulis *applicetur.* Thesaurus ergo ille infinitus meritorum crucis nec minui potest, nec amplius alio sacrificio augetur. Quaecunque vero gratia inde a lapsu primi hominis

---

[1]) Quod eos attinet, qui *ante* Christi adventum mortui et damnati sunt, dici vere potest, etiam pro illis Christum esse mortuum, quatenus et illis Deus intuitu passionis et mortis Christi futurae auxilia gratiae, quibus salvari potuissent, dederit. Eo vero sensu dici nequit, Christum pro illis suam obtulisse mortem, quod cognita jam eorum damnatione serio cogitaverit de applicando ipsis passionis suae fructu.

collata unquam fuit vel conferetur, quaecunque fuit vel est mediorum sanctificantium generatim dignitas et virtus ad salutem, id totum est ex merito consummato in cruce, ejusque ad singulos applicatio ab origine ad consummationem usque seculi decurrens.

807. Alterum sacerdotis munus est *interpellatio;* verum non omnis interpellatio est sacerdotalis, sed illa tantum, quae sacrificio innititur et qua sacerdos sacrificii virtutem satisfactoriam et meritoriam Deo exhibet. Haec enim est quaedam ipsius oblati sacrificii continuatio. Jam vero Christum in coelis perpetuo et interpellare pro nobis et interpellationem ejus esse ipsius sacrificii semel oblati repraesentationem coram Deo, docent nos s. Scripturae Hebr. 9, 11. ss. coll. 7, 22. ss., ubi dicitur *semper vivens ad interpellandum pro nobis;* 1. Joan. 2, 1: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, J. Christum justum;* Rom. 8, 34; Apoc. 5, 6., ubi vidit Joannes in coelo *Agnum stantem tamquam occisum.* Est etiam haec Christi repraesentatio coram Patre ut victimae quondam in cruce oblatae una ex causis, propter quas secundum patres voluerit vulnerum insignia etiam in corpore glorificato retinere. »Vulnera suscepta, inquit Ambrosius l. 10. *in Luc.* n. 170., pro nobis coelo inferre maluit, abolere noluit, ut Deo Patri nostrae pretia libertatis ostenderet.«

808. Absolvemus disputationem de Christo Redemptore subjectis nonnullis quaestionibus. Quaeritur I. *quo sensu Christus dicatur sacerdos in aeternum.* Dicitur **1.** sacerdos in aeternum ratione *personae* et *dignitatis.* Nam per ipsam incarnationem unctus est in sacerdotem, ac semper vivit semperque manet; nulli in sacerdotio successit, nullum habet in eo successorem, neque unquam ejus sacerdotium transferetur; hinc Paulus Hebr. 7, 24. scribit: *Hic autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium.* Est sacerdos **2.** in aeternum ratione *effectus,* nam *factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae* Hebr. 5, 9; **3.** ratione *functionis;* nam *eo quod sempiternum habet sacerdotium, salvare in perpetuum potest* et revera salvat per sacrificii a se oblati applicationem *accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis* Hebr. 7, 25. Dicitur **4.** sacerdos in aeternum ratione *sacrificii,* quod jugiter usque ad consummationem seculi per vicarios sacerdotes in Ecclesia militante offert.

809. Quaeritur II. *quo sensu Christus dicatur sacerdos secundum ordinem Melchisedech.* Dicitur ita, quia est sacerdos ad *normam,* similitudinem Melchisedech, qui erat typus Christi sacerdotis, assimilatus Filio Dei Hebr. 7, 4. Quod si quaeritur, in quo sita sit haec similitudo, respondemus, ipsum Paulum plura innuere similitudinis capita Hebr. 7, 1. ss., quae fusius explicant patres. Erat scil. Melchisedech Christi typus **1.** ratione *nominis,* sed hoc discrimine, ut quod Melchisedech *dicebatur,* Christus plenissimo sensu *esset,* rex scil. justitiae et pacis; **2.** secundum *repraesentationem;* in Scriptura enim Melchisedech inducitur sine patre, sine genealogia: non quasi his caruerit, sed quia haec omissa sunt a Moyse non sine destinato certoque s. Spiritus consilio mysterii causa, illorum enim silentio exprimitur et adumbratur, quantum fieri potest, aeternitas personae Christi atque singularitas sacerdotii, in quo non habet successores. **3.** Secundum *praestan-*

tiam, nam Melchisedech praecelluit Abrahamum, patrem credentium, quatenus decimas ab eo accepit eique benedixit: ita in Christo et per Christum judaei, imo gentes omnes benedicuntur; quacum similitudine alia sponte sua cohaeret, *universalitatis* scil. similitudo quatenus Melchisedech non solum judaeis, sed et gentibus profuerit. Quibus **4.** addunt patres magno consensu similitudinem ratione *ipsius sacrificii* oblati panis et vini, cujus quidem Paulus non meminit, cum non faceret ad scopum, qui erat ostendere, Christum esse sacerdotem *longe excellentiorem* sacerdotibus omnibus aaronicis.

810. Quaeritur III. *qua ratione reparatio per Christum excedat Adami ruinam* secundum Pauli doctrinam Rom. 5, 15. ss. Excedit **1.** quatenus Adamus nos *uno* tantum infecit peccato: Christus vero non solum ab hoc, sed etiam a peccatis liberavit personalibus; **2.** ratione *donorum,* quatenus Christus longe majorem gratiae et charismatum abundantiam nobis donavit, quam per Adamum amisimus. Prae oculis habeantur tantum sacramenta eucharistiae, ordinis, confirmationis. Quod **3.** extensionem attinet cf. supra annot. ad n. 628.

811. Quaeritur IV. *utrum Christus aliquid meruerit angelis.* Nonnulli cum Suarez disp. 42. affirmant, Christum gratiam et sanctitatem meruisse angelis: »communis tamen sententia, inquit de Lugo, negat, meruisse Christum angelis nisi aliquas illustrationes et alia dona accidentalia, gaudium item de reparatione suarum sedium per redemptionem hominum (Luc. 15, 7.) et his similia. Hanc docent communiter fere omnes theologi, quos refert et sequitur Vasquez disp. 49.« Quod etiam docet s. Thomas in 3. dist. 13. q. 2. a. 2. sol. 1.: eadem videtur doctrina s. Augustini *Enchir.* n. 61. s. Licet autem Christus dicatur etiam angelorum caput, non propterea sequitur eum *eodem modo* esse angelorum quo hominum caput: cum non sit constitutus illorum caput ad eos redimendos: *nusquam enim angelos apprehendit* (ἐπιλαμβάνεται, velut fugientes manu injecta apprehendit, redemit), *sed semen Abrahae apprehendit;* in praemium vero suae exinanitionis super choros omnium angelorum exaltatus est Eph. 1, 21. Quocirca non negamus ex Christo capite in angelos aliqua gratiae et gloriae (accidentalis) dona redundasse.

Tractatus VIII.

De Gratia Christi.

812. Natura quaevis praestitutum sibi finem habet: verum natura irrationalis necessario in ipsum fertur atque dirigitur, natura vero rationalis seu homo (adultus) propriis actibus et meritis eum consequi debet, nam, „qui creavit te sine te, non justificavit te sine te," inquit ad rem Augustinus *serm. 196.* n. 13. Porro *duplex* distingui potest rationalis naturae finis: *naturalis* alter, respondens viribus exigentiaeque naturae; alter *supernaturalis,* vires naturae omnemque ejus exigentiam excedens, ad quem sola indebita Dei bonitate elevari destinarique potuit. Revera complacuit Deo, hominem a se creatum ad finem statumque supernaturalem elevare (thes. LXXXIX.), a quo tamen miserando casu excidit n. 624. ss. Verum unigenitus Dei Filius misericordia motus boni instar samaritani n. 673. misertus est lapsi generis humani, lapsumque erexit atque possibilitate donavit iterum consequendae salutis, quae finaliter consistit in visione intuitiva ipsius Dei. Cum autem talis finis atque beatitudo plane sit supernaturalis, ut data opera ostendemus tract. ultimo, homo ex se est impar illum consequendi. Quare sicut quaevis natura ab ipsa sua conditione instructa est facultatibus et viribus, quae pares sint ad consequendum finem naturalem: ita, cum Deus decreverit naturam rationalem destinare in finem ejus exigentiam viresque excedentem, necesse fuit, ut naturae hujus insufficientiam suppleret subministratis auxiliis actualibus et habitualibus, quibus ea instructa par redderetur ad tantum consequendum finem. Haec vero subsidia generatim *gratiae* nomine designari possunt, eaque constituunt praesentis disputationis argumentum, quod tamen mox accuratius definiemus.

813. Gratiae *praestantiam* collige ex hisce momentis: **1.** gratia est fructus sanguinis Christi: tanto autem pretio quanta respondebit merces? Gratiae **2.** est, naturam rationalem perficere, supra se elevare atque consortem reddere naturae divinae (2. Petr. 1, 4., col. n. 603. ss.). Ratione

gratiae **3.** homo ea praeditus dicitur *nova creatura*[1]) 2. Cor. 5, 17; Gal. 6, 15; Eph. 2, 10; ex morte ad novam revocatus *vitam;* novo auctus *intellectu, venit* namque *Dei Filius,* teste Joanne 1. ep. 5, 20., *et dedit nobis sensum* διάνοιαν, *ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio ejus:* quare qui eo destituuntur, dicuntur a Paulo 1. Cor. 2, 14. *animales,* qui vero eo fruuntur *spirituales.* Gratia novam inserit *voluntatem* novumque *cor* Ez. 11, 19; 36, 26., tantasque subministrat *vires,* ut imbecillibus prius atque infirmis cum Paulo jam dicere liceat: *Omnia possum in eo, qui me confortat* Philip. 4, 13; ac proinde sicut Deus inspirando homini de limo terrae formato spiraculum vitae, eum fecit *in animam viventem:* ita inspiratione gratiae hominem animalem refingit redditque *spiritualem.* Imo **4.** conferunt patres gratiae animam invadentis et pervadentis operationem cum virtute Altissimi b. Virgini, ut Christum conciperet Salvatorem, obumbrantis. Gratia **5.** *semen* est *gloriae;* gloria gratia est consummata: hinc cum tantus sit fructus, quantae virtutis atque pretii erit radix et semen i. e. gratia?

814. Nominis *gratiae* multiplex est acceptio. Potiores paucis ita complectitur s. Thomas 1. 2. q. 110. a. 1: „Respondeo dicendum, quod secundum communem modum loquendi *tripliciter* gratia accipi consuevit. Uno modo pro dilectione alicujus, sicut consuevimus dicere, quod iste miles habet gratiam regis i. e. rex habet eum gratum. Secundo sumitur pro aliquo dono gratis dato, sicut consuevimus dicere: hanc gratiam facio tibi. Tertio modo sumitur pro recompensatione

---

[1]) Gratiae opificium in homine praesertim peccatore haud immerito confertur cum *opificio sex dierum* Gen. 1. descripto. Sicut enim initio terra erat inanis et vacua, in statu chaotico 1, 2; ita tristissima est hominis conditio ante gratiam et absque gratia Rom. 1, 22. ss.; 1. Cor. 6, 10. ss. Verum sicut Spiritus Dei non deseruit indigestam illam molem Gen. 1, 2., sed fovit atque fecunditate donavit: ita neque Spiritus Dei deseruit genus humanum, ut mira per Christum inducta humani generis mutatio comprobat (thes. XII.). Sicut Deus primum dixit: *Fiat lux, et facta est lux* Gen. 1, 3.: ita prima gratiae operatio est *illustratio. Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiae claritatis Dei in facie Christi Jesu* 2. Cor. 4, 6. Lucem subsecutum est *firmamentum* Gen. 1, 6; ita peccatores gratia fidei illustrati *eriguntur in spem* (conc. trid. sess. 6. cap. 6.). Sicut *tertia* die terra cohibuit maris undas atque virescere coepit: ita gratia agente cupiditatum franguntur impetus; *nam qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* Gal. 5, 24: jamque incipit peccator poenitens virescere atque florescere bonis operibus virtutumque exercitio. Sicut *quarta* die luminaria constituta sunt, quae praeessent diei noctique: ita praevalente gratia secundum fidei lumen universa disponitur hominis vita, *justus enim ex fide vivit* Rom. 1, 17. Sicut *quinta sextaque* die universa terra animata veluti fuit omnis generis animantibus, piscibus, quadrupedibus, volatilibus: ita vita gratiae omnia justificati opera bona vivificat, meritoria reddit vitae aeternae, ipsumque ita animat, ut idoneus reddatur, qui alios Christo lucretur atque gignat. Sicut denique *ultimum* Dei opus fuit homo, qui esset ad ipsius imaginem et similitudinem: ita gratia hanc restaurat imaginem peccatis foedatam atque ad perfectam adducit similitudinem.

beneficii gratis dati, secundum quod dicimur agere gratias beneficiorum: quorum trium secundum dependet ex primo. Ex amore enim, quo aliquis habet alium gratum, procedit, quod aliquid ei gratis impendat. Ex secundo autem procedit tertium: quia ex beneficiis gratis exhibitis gratiarum actio consurgit.“ In praesenti tractatu *gratiae* nomen *secunda* praesertim accipitur significatione, atque generatim significat *donum gratis collatum*: quare duplex vel triplex ad illam concurrit elementum: *materiale*, aliquod bonum seu beneficium; *formale*, gratuitas qua confertur; cujus proinde *fons* et *radix* dantis est benevolentia. Quae notio colligitur **a.** ex ipsa vocis etymo, ut passim inculcat Augustinus. „Ipsum quippe gratiae nomen, ita ille, et ejus nominis intellectus aufertur, si non *gratis* datur, sed eam, qui *dignus* est, accipit;“ **b.** ex verbis Pauli Rom. 4, 4: *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum:* ergo gratia excludit rationem debiti; Rom. 11, 6: *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia;* **c.** ex universa cum pelagianis controversia, qui propterea censebantur *inimici gratiae,* quod affirmarent, gratiam *secundum merita* dari.

815. Gratiae notionem excipit *multiplex* ejusdem *partitio:* **1.** in gratiam *increatam* et *creatam,* prout donum collatum est vel increatum vel creatum: sunt enim et dona increata, quae divinitus nobis conceduntur; ita unigenitus Dei Filius, quem Pater diligens mundum nobis dedit Joan. 3, 16; ita Spiritus sanctus, qui datus est nobis Rom. 5, 5; ita ipse ille amor divinus, quo Deus nos prosequitur quique fons est inexhaustus tot gratiarum.

816. Gratia *creata* distinguitur **2.** in *naturalem* et *supernaturalem,* de qua distinctione sit thesis:

Thesis CXV. ***Usu loquendi biblico et ecclesiastico ea solum dona gratia solent vocari, quae naturae rationali gratis superaddita ad vitam aeternam consequendam conducunt.***

Demonstratio. Bona *naturalia* dici quidem possunt *gratia* ex definitione supra n. 814. declarata. Sunt enim et illa vera bona, et gratis et ex benevolentia collata. Usu tamen loquendi biblico et ecclesiastico gratiae nomine designari non bona naturalia, sed *bona naturae superaddita,* quae ad vitam conducunt aeternam, patet **1.** ex disputatione sec. V. cum pelagianis, qui ultro concedebant, bona naturalia esse gratiam, et tamen habiti sunt *gratiae inimici,* ut qui eam negarent. Nomine ergo gratiae, cujus necessitas ad salutem ex praescripto doctrinae catholicae erat profitenda, non intelligebantur bona naturalia, sed bona naturae superaddita. Hinc episcopi quinque *ep. 28. ad Innocentium I.* n. 7. exigunt: „Eam confiteatur (Pelagius) apertissime gratiam, quam doctrina christiana apertissime demonstrat et praedicat esse propriam christianorum, quae non est natura, sed qua salvatur

natura." Sane **2.** patres et Scripturae de ea jugiter loquuntur gratia, quam per Christum accipimus, quae est fructus et merces sanguinis ipsius, qua justificamur, salvamur etc. Atqui per Christum non recipimus dona naturalia, sed dona naturae superaddita per Adamum amissa, quibus disponimur ad vitam aeternam. „Hanc apostolica doctrina gratiam, inquiunt quinque illi episcopi l. c. n. 8., isto nomine appellat, qua salvamur et justificamur ex fide Christi . . . Illam vero gratiam, qua creati sumus homines, etiamsi ita appellandam non immerito intelligimus, mirum est tamen, si ita appellatam in ullis legitimis, propheticis, evangelicis apostolicisque literis legimus."

817. Adeo **3.** vulgata erat haec gratiae notio, ut cum Pelagius gratiae profiteretur necessitatem, hujus vero nomine fraudulenter intelligeret bona naturalia, episcopi concilii diospolitani ne suspicati quidem sint fraudem, eumque pronunciarint catholicum. »His enim auditis verbis (hominem adjuvari Dei gratia), inquiunt iidem episcopi l. c. n. 2., catholici antistites nullam aliam Dei gratiam intelligere potuerunt, nisi quam in libris Dei legere et populis Dei praedicare consueverunt: eam utique, de qua dicit Apostolus: *Non irritam facio gratiam Dei; nam si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est* (Gal. 2, 21.): sine dubio gratiam, qua justificamur ab iniquitate, et qua salvamur ab infirmitate, non qua creati sumus cum propria voluntate. Nam si intellexissent illi episcopi eam illum dicere gratiam, quam etiam cum impiis habemus, cum quibus homines sumus; negare vero eam, qua christiani et filii Dei sumus: quis eum patienter catholicorum sacerdotum non dicimus audiret, sed ante oculos suos ferret?«

818. Deinde **4.** Scripturae et patres vel aequivalenter vel diserte *gratiam* opponunt *naturae:* dicunt enim, hominem, quod *natura* non est vel non potest, *gratia* esse vel posse; naturam gratia juvari, sanari, salvari etc. Supponunt ergo gratiam, de qua loquuntur, ambitu donorum naturalium non contineri, sed *extra, praeter* et *supra* naturam esse. Ita Augustinus *ep.* 217. al. 107. n. 11: „Hoc (ut credant homines) opus est gratiae, non naturae. Opus est, inquam, gratiae, quam nobis attulit secundus Adam, non naturae, quam totam perdidit in seipso primus Adam." Denique **5.** rationem congruam hujus loquendi usus reddit Suarez proleg. 3. *de gratia* c. 2. n. 4.: „Gratia propriissime sumpta supponit personam vel naturam, cui fit: et ideo prima hominis creatio secundum Scripturae phrasim non dicitur proprie gratia, quia nihil supponit, sed primum esse confert. Proprietates autem resultantes ex natura et subsidia, quae ex vi ipsius naturae illi debentur, gratiae etiam in rigore non sunt, ut notavit Thomas 1. 2. q. 111. a. 1. ad 2." Quare gratiae nomine designantur bona naturae jam in se constitutae superaddita.

819. Distinguitur **3.** gratia *supernaturalis* in gratiam *Dei* et gratiam

Christi pro discrimine status *originalis* et *lapsi:* quae enim in illo collata fuit, dicitur *gratia Dei;* quae modo confertur ratione causae meritoriae, vocatur *gratia Christi.* Praeter alia discrimina, sed accidentalia tantum, hoc praecipuum est, quod gratia Dei collata fuerit, ut elevaret hominem ad ordinem supernaturalem: gratia vero Christi simul sit *medicinalis* et *elevans*[1]). Distinguitur **4.** gratia in *internam* et *externam,* prouti beneficia, quae hominem ad consecutionem salutis juvant, interna sunt et animae intrinsecus inhaerentia, ut illustrationes salutares, habitus fidei, gratia sanctificans: vel externa, extra hominem posita, ut praedicatio Evangelii, exemplum Christi[2]). Gratia **5.** ratione *finis* distinguitur in gratiam *gratum facientem* et gratiam *gratis datam.* Illa confertur immediate ad *propriam* sanctificationem et utilitatem: haec vero immediate ad salutem et utilitatem *aliorum.* Illa consistit in donis gratiae, quae vel formaliter i. e. sua inhaesione, vel efficienter seu dispositive subjectum Deo faciunt gratum: haec vero consistit in charismatibus, quorum plura recenset s. Paulus 1. Cor. 12, 7. ss.

820. Ipsa autem gratia *gratum faciens* alia est **6.** *habitualis* seu permanenter animae inhaerens eamque refingens, ad ordinem supernaturalem elevans ac Deo gratam reddens: alia *actualis*[3]) et transiens, ut piae mentis illustrationes. Quae distinctio tanti est momenti, ut inde pendeat praecipua tractatus divisio. Agemus scil. in **1.** tract. p. de gratia *actuali*: in **2.** de gratia *habituali:* utrique subjiciemus appendicis veluti loco p. **3.** *de merito.*

PARS I.

De gratia actuali.

821. Gratia *actualis* saepe nomine magis communi a theologis appellari solet *auxilium, adjutorium Dei,* a. s. Thoma *motio divina,*

---

[1]) Alii theologi gratiam, quae incipit a vocatione ad fidem, appellant *gratiam Christi,* aut gratiam *Salvatoris:* eam vero, quae hanc praecedit atque datur infidelibus negativis, *gratiam Dei.*

[2]) Ad gratiam externam revocari debet singularis *Dei protectio,* qua nos a peccatis praeservat, secundum illa Augustini verba *serm.* 99. n. 6.: „Regebam te mihi, servabam te mihi; ut adulterium non committeres, suasor defuit: ut suasor deesset, ego feci; locus et tempus defuit: ut haec deessent, ego feci. Agnosce ergo gratiam, cui et debes, et quod non admisisti. Mihi debet iste, quod factum est et dimissum est: mihi debes et tu, quod non fecisti. Nullum est enim peccatum, quod facit homo, quod non possit facere et alter homo, si desit rector, a quo factus est homo.“

[3]) Quamvis gratia *actualis* sub genere gratiae *gratum facientis* contineatur, usu tamen loquendi obtinuit, ut hujus nomine designetur praesertim gratia *habitualis,* nominatim illa gratia habitualis, quae immediate et formaliter gratos nos Deo reddit scil. gratia *sanctificans:* imo haec, praesertim apud veteres, per excellentiam simpliciter dici solet *gratia,* quia, ut videbimus, inter omnes gratias solis atque metae instar eminet, ad quam reliquae omnes destinantur gratiae, ad

atque ita a Perrone describitur: „Illud internum auxilium, quod Deus per Christi merita homini lapso largitur, tum ut ejus infirmitati consulat atque ita ipse valeat mala declinare ac bona praestare, tum ut eum erigat ad statum supernaturalem atque idoneum faciat ad actus supernaturales eliciendos, ut justificationem possit adipisci in eaque jam consecuta perseverare, donec perveniat ad vitam aeternam.“ Omnia vero, quae ad gratiam *actualem* spectant, ad *tria* revocabimus capita, in quorum *primo* inquiremus in ejus naturam variasque species: in *altero* in ejus proprietates, et in *tertio* in habitum, qui intercedit gratiam actualem inter et liberum arbitrium, ad quod juvandum conceditur.

Caput I.

De gratiae actualis natura variisque partitionibus.

822. Gratiam actualem distingui ab habituali patet: illa enim est transiens atque consistit in actibus, haec est permanens consistens in habitibus; illa necessaria est ad omnes actus salutares, non vero haec; illa ad hanc disponit, aspirat, et, nisi ei resistatur, eam inducit, atque infusam consequitur. Neque confundenda est gratia actualis cum *concursu divino,* qui ad omnem causarum secundarum operationem est necessarius. Concursus enim supposita creatione est debitus, non vero gratia. Ille necessarius est vel ad opera mala, non vero gratia: imo etsi gratia adsit, concursus insuper ad actus salutares requiritur; concursus praebetur creaturis irrationalibus, rationalibus tantum gratia. Gratia praevenit voluntates novasque suppeditat vires: concursus vires novas non suggerit, sed causae secundae vires supponit tantumque requiritur, ut eae in actum secundum transire possint.

823. De ratione gratiae actualis generatim sunt *illustrationes* intellectus voluntatisque *inspirationes,* ut colligitur ex ejusdem descriptionibus, quae saepe in divinis literis, patrum operibus, Ecclesiae definitionibus et precibus occurrunt, quarum plurimae in hoc ipso tractatu recurrent. Suaderi dein potest duplici ratione ex gratiae actualis scopo derivata. Gratia enim actualis confertur, ut vitam supernaturalem agere possimus: haec autem continetur actibus intellectus et voluntatis. Juvanda ergo est utraque facultas: sed intellectus utpote lumen juvatur lumine, voluntas robore. Ergo gratia actualis continetur *illustratione* atque *inspiratione,* qua excitetur et roboretur voluntas. Ad haec gratia actualis confertur quoque ad sananda vulnera peccato originali inflicta. Praecipuum autem vulnus est concupiscentia, qua

---

eam scil. inducendam, conservandam, augendam; ac proinde sicut radii solem orientem praecedunt, ortum comitantur atque subsequuntur, ita gratiae actuales habitualem praecedunt, comitantur subsequuntur.

vel ipsa ratio obnubilatur et decipitur, ne judicet secundum pretium rerum objectivum; qua immutatur voluntatis gustus et palatum, ut placeat malum, desipiat bonum, ut sequatur passionis impetum. Gratiae ergo operatio dirigi debet et in intellectum, ut hunc illuminet, dissipet tenebras, corrigat judicia erronea, dirigat electionem; dirigi debet et in voluntatem, ut hujus immutet gustum, quo sapiat virtus, desipiat vitium, ut eam corroboret adversus concupiscentiae rebellionem. Quare revera gratia actualis consistet piis illustrationibus intellectus voluntatisque inspirationibus.

824. *Duplex* secerni debet mentis *illustratio,* altera, quae vi legis psychologicae sponte sua oritur in mente ex propositione veritatis, quae proinde in se est *naturalis;* altera vero est ex immediato Dei influxu in intellectum, quo altiori instruitur lumine atque idoneus evadit, ut supernaturali modo, quae ad salutem spectant apprehendat. Illa dici potest *objectiva,* haec *subjectiva.* Jam vero ad gratiam actualem non objectiva, sed *subjectiva* illustratio spectat. Pariter triplex distingui debet *inspiratio voluntatis:* alia, quae sponte sua oritur vi legis psychologicae ex illustratione *naturali;* alia, quae vi ejusdem legis oritur ex illustratione *supernaturali,* cujus mentionem fecimus. Tertia a Deo *immediate* et *subjective* in voluntate excitatur praesente illustratione immediata et supernaturali. Jam vero ejusmodi inspiratio cum illustratione immediata spectat ad gratiam actualem.

825. Gratia actualis dividitur **1.** in *operantem* et *cooperantem.* Illius nomine ea intelligitur gratia, quae operatur *in nobis sine nobis,* i. e. nobis nondum libere cooperantibus, illuminando, movendo, alliciendo etc. *Cooperans* vero dicitur, cum ei consentimus et ea adjuti bonum operamur. Dividitur **2.** in *excitantem* et *adjuvantem.* Illa est interior illustratio, inspiratio, qua homo a somno peccati et torpore excitatur; haec vero gratia, qua voluntas juvatur in exsequendo illo opere, ad quod excitatur. Dividitur **3.** in *praevenientem* seu *vocantem, comitantem* et *subsequentem.* Ad pleniorem harum partitionum intelligentiam adverte **1.** unam eandemque gratiam dici excitantem, praevenientem etc., et unam eandemque adjuvantem cooperantem; promiscue enim haec nomina a patribus adhibentur; quae tamen **2.** non sunt tautologica, unam enim eandemque gratiam exprimunt secundum diversas ad creaturam relationes. Dicitur enim v. gr. *excitans,* quatenus consideratur homo in statu mortis spiritualis vel torporis. Dicitur *vocans,* quatenus homo est devius a via recta; *praeveniens,* quatenus homo ex se est plane impotens ad opera salutis, nisi gratia eum praeveniat novisque instruat viribus. Dicitur *operans,* ut ei vindicetur causalitatis principatus. Teneri deinde **3.** debet, gratiam nominibus primo loco recensitis *re* non differre a gratia, quae nominibus altero loco recensitis exprimitur, cum a patribus eadem gratia, quae prius describitur vocans, praeveniens, exhibeatur deinde adjuvans, cooperans etc., si scil. accesserit voluntatis cooperatio.

826. Distinguitur **4.** gratia actualis in *medicinalem* et *elevantem* pro duplici illius munere, quo vel *sanat* vulnera peccato originali inflicta, ignorantiam et concupiscentiam, vel *elevat* facultates animae ad eliciendos actus supernaturales. Quod discrimen ut accurate perspiciatur, haec advertantur: **1.** unam eandemque gratiam utrum obire posse munus. **2.** Certum esse in praesenti rerum ordine eandem gratiam, si non semper, saepe saltem esse *medicinalem* simul et *elevantem,* qua proprietate gratia praesentis ordinis distinguitur a gratia tum protoparentibus ante lapsum, tum angelis collata, quae non fuit medicinalis, sed *elevans tantum.* **3.** Certum quoque est, gratiam esse posse medicinalem, quin sit elevans. Differunt proinde **4.** gratia elevans et medicinalis **a.** ratione *termini:* terminus gratiae elevantis sunt actus *salutares, supernaturales;* gratiae medicinalis terminus esse possunt actus etiam *ethice tantum boni;* **b.** ratione *necessitatis:* illa enim in hypothesi elevationis ad finem supernaturalem est *absolute* necessaria, haec in hypothesi vigentis concupiscentiae *moraliter* tantum, ideoque non semper est necessaria; **c.** ratione *effectus:* illius est auferre impotentiam physicam, hujus minuere difficultatem, impotentiam moralem; **d.** ratione *ordinis:* illa tantum datur in ordine supernaturali: haec esse potest et esset in ordine, qui supernaturali est inferior, neque enim supponit ordinem supernaturalem; **e.** ratione *substantiae:* illa est enim in se supernaturalis, haec esse potest ordinis naturalis, licet gratis a Deo conferatur. *Ultima* partitio omnium celeberrima ea est, qua gratia distinguitur in *efficacem* et *sufficientem.* Illius nomine ea intelligitur, quae *effectum sortitur* suum; *sufficiens* vero illa dicitur, quae licet quantum est ex se sufficiat, ex defectu tamen cooperationis effectu caret.

Caput II.

De gratiae actualis proprietatibus.

827. *Tres* praecipue recenseri solent gratiae actualis proprietates, ejus scilicet *necessitas, gratuitas* et *universalitas;* quare in *tres* articulos hoc caput dividemus.

Articulus I.

De gratiae actualis necessitate.

828. De gratiae actualis necessitate disputantes contra duplicis generis hostes nobis erit agendum, quorum alii per *defectum,* alii per *excessum* peccant.

§. 1. Gratiae actualis necessitas contra eos, qui liberi arbitrii vires nimis extollunt, asserta.

829. Duplex actuum genus distingui debet *pro duplici fine,* ad quem Deus hominem destinare potuit, et pro duplici statu et ordine, in quo homo considerari potest, *naturali* scilicet, vel *supernaturali.* Illi actus, qui homini conveniunt in ordine *naturali,* quibus ipse satisfacit legi naturali, et tendit in finem naturalem, dicuntur actus

ethice boni. Illi vero actus, qui conveniunt homini in ordine *supernaturali,* quatenus destinatus est ad finem naturam excedentem, quibus satisfacit legi hujus ordinis, et quibus velut totidem gressibus in finem tendit supernaturalem, quo continetur ejus salus, dicuntur *theologice boni, salutares,* vel, ut patres loquuntur, actus *ut oportet,* ut expedit, qui ad veram pietatem et justitiam pertinent, simpliciter boni etc. Duplex autem distinguitur *salus* hominis: *prima,* quae obtinetur in *justificatione,* et *secunda,* quae consummatur in *gloria.* Quare duplex quoque distingui potest genus actuum salutarium, quorum priores dicuntur *simpliciter salutares,* quibus scil. peccatores disponuntur ad primam salutem i. e. ad justificationem; posteriores simpliciter *meritorii,* quibus scil. justi seu justificationis gratiam adepti merent vitam aeternam. Jam vero duplex institui potest quaestio: utrum gratia necessaria sit ad actus *salutares;* deinde utrum etiam necessaria sit ad actus *ethice bonos.* A priori incipiamus.

A. De necessitate gratiae ad actus salutares.

830. **Thesis CXVI.** ***Gratia ad omnes actus salutares necessaria est.***

Demonstratio. Thesis haec *dogma* complectitur *fundamentale* religionis christianae, quod pluribus in conciliis constitutum fuit, nominatim in carthaginensi a. 418; arausicano II. et tridentino sess. 6. can. 2: „Si quis dixerit ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere ac vitam aeternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed aegre tamen et difficulter possit, A. S.;" can. 3: „Si quis dixerit sine praeveniente Spiritus s. inspiratione atque adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut poenitere posse, sicut oportet… A. S." Statuitur autem contra pelagianos[1]), socinianos remonstrantes, rationalistas.

831. Demonstrationi dogmatis catholici *lemmatis* instar praemittimus, merito nos posse supponere, quoties in literis divinis opera quaedam commendantur, vel de illis instituuntur fideles, sermonem

[1]) Horum errores circa *gratiam,* quorum auctores fuerunt Pelagius ejusque discipulus Coelestius (c. a. 411.) ad haec revocari possunt capita: **1.** nomine gratiae intellexerunt bona *naturalia,* vel gratiam *externam* doctrinae, boni exempli, praedicationis. Utrum tandem argumentis catholicorum pressi admiserint aliquam gratiam *vere internam,* est valde controversum. **2.** Gratiae naturae superadditae *necessitatem* absolutam plane negarunt, sicut **3.** et ejus *gratuitatem.* Errarunt praeterea circa statum (n. 599.) lapsumque protoparentum negantes peccatum originale (n. 626.).

esse de operibus *salutaribus.* Neque enim Scriptura sacra alium in finem nobis est data, quam ut nos de salute deque via ad salutem instruat. Jam vero Scriptura *multipliciter* docet gratiam ad ejusmodi opera esse necessariam. Docet **1.** *negando* nos aliquid posse absque gratia Joan. 15, 1. ss., ubi inter alia ita Christus loquitur: Joan. 15, 4: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis . . . Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.* Jam vero hoc in loco sermo est de *gratia:* nam sermo est de eo influxu, quem exserit Christus in palmites, quatenus est *vitis,* quatenus est Verbum *caro factum.* Verbum autem caro factum non continetur inter ordinem *naturalem,* sed essentialiter est fundamentum et radix ordinis *supernaturalis.* Ergo sermo non est de influxu naturali seu de *concursu,* sed de influxu supernaturali seu *de gratia.* Sermo est de operibus *salutaribus,* ut patet tum ex lemmate praemisso, tum ex eo, quod de iis fructibus sit sermo, quos agricola coelestis et Christus vitis exspectat, desiderat, intendit, et quibus probamur palmites genuini tantae vitis. Sermo est de operibus salutaribus *omnibus.* Licet enim immediate agatur de operibus *justorum,* mediate tamen, argumento scilicet *a fortiori,* colligi potest, quod si justi indigent gratia ad opera salutaria, a fortiori ea indigebunt peccatores. Deinde ratio, quam Christus reddit, ita est *universalis,* ut se extendat ad peccatorum quoque opera.

Quae illatio duplici ratione confirmatur. Nam in divinis literis homines in ordine salutis exhibentur *mortui* Ephes. 2, 1; *coeci* 5, 8; *animales* seu incapaces percipiendi ea, quae sunt Dei 1. Cor. 2, 14. Confirmatur deinde authentica interpretatione et traditione exegetica patrum seculi V. et VI.

832. Quod **2.** Scriptura negando docet, *affirmando* quoque inculcat, cum generatim salutem nostram gratiae adscribit exclusis operibus naturalibus: ad Tit. 3, 5. s.; 2. ad Timoth. 1, 9; Rom. 3, 20. s.; Ephes. 2, 1. ss., ubi v. 8. ss. legimus: *Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est. Non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu* (causa meritoria et exemplari) *in* (ἐπί significat intentionem, scopum, ad quem) *operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Quot incisa, tot argumenta ad probandum, in ordine salutis naturae vires non sufficere, sed *primas* partes Deo per gratiam nos recreanti esse dandas. **3.** Scriptura *singillatim* opera salutaria gratiae adscribit, ut salutares *cogitationes* 2. Cor. 3, 5: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est;* 1. Cor. 2, 14: *Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus*

Dei. Stultitia enim est illi, et non potest intelligere: quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem judicat omnia; Salvatoris *invocationem* 1. Cor. 12, 2: *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto;* veram *fidem* Philip. 1, 29: *Vobis donatum est pro Christo non solum, ut in eum credatis, sed etiam, ut pro illo patiamini;* Eph. 2, 8. ss.; *orationem* Rom. 8, 26; *caritatem* Rom. 5, 5. etc.

833. Necessarium **4.** non erit dogma hoc ex patrum *traditione* comprobare. „Quis enim unquam, inquit Vincentius lirin. *commonit.* c. 24., ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi praesumpsit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per actus singulos adjuvandum necessariam Dei gratiam non putaret?" Confirmatur 5. ratione theologica s. Thomae 1. 2. q. 109. a. 5: „Actus perducentes ad finem oportet esse fini proportionatos; nullus autem actus excedit proportionem activi principii, et ideo videmus in rebus naturalibus, quod nulla res potest perficere effectum per suam operationem, qui excedat virtutem activam . . . Vita autem aeterna est finis excedens proportionem naturae humanae, et ideo homo per sua naturalia non potest producere opera meritoria proportionata vitae aeternae, sed ad hoc requiritur altior virtus, quae est virtus gratiae."

834. **Corollarium.** Cum etiam *initium fidei* sit actus *salutaris,* ad illud quoque requiretur gratia, quod tenendum est contra semipelagianos, qui distinguentes inter opera salutaria et prima semina salutis seu initium fidei, ad illa exigebant gratiam, hoc tribuebant viribus naturae; quos damnavit conc. arausicanum II. a. 529. can. 5: »Si quis sicut augmentum, ita etiam *initium fidei* ipsumque credulitatis affectum . . . non per gratiae donum, i. e. per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius approbatur.« Quae illatio confirmatur verbis Pauli Rom. 11, 35: *Quis enim prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia,* quibus Deo sicut in ordine naturali, ita et in supernaturali *prima* tribuuntur *initia.* Hinc quaerit idem apostolus: *Quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis* (1. Cor. 4, 7.)? »Quo praecipuo testimonio, inquit Augustinus *de praedest. SS.* c. 3. n. 7., etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis.« Accedunt conciliorum et patrum effata plane universalia, quibus gratiae necessitatem ad prima salutis semina, ad primam fidei conceptionem et auroram extendunt. Ita statuit auctor *de vocat. omnium gentium* l. 1. c. 23: Hominis bonum meritum ab initio fidei usque ad

[1]) Cf. hac de quaestione *epist.* praeclarissima conc. carthaginensis et milevitani, et quinque episcoporum ad Innocentium I. cum hujus *responsis;* necnon ep. Coelestini 21. *ad episc. Galliae* in *opusc.* t. XVIII. et auctor. *de vocat. omnium gent.* praesertim l. 1. c .23. s. *opusc.* t. III.

perseverantiam donum atque opus esse divinum;« ita Prosper *in respons. ad cap. 8. Gallorum:* »Cum ducentis quatuordecim sacerdotibus[1]), quorum constitutionem contra inimicos gratiae Dei totus mundus amplexus est, veraci professione, quemadmodum ipsorum habet sermo dicamus, gratia Dei per Jesum Christum D. N. non solum ad cognoscendam, verum etiam ad faciendam justitiam nos per actus singulos adjuvari, ita ut sine illa nihil verae sanctaeque pietatis (habere), cogitare, dicere, agere valeamus.«

835. **Thesis CXVII.** ***Gratia ad omnes actus salutares necessaria est supernaturalis, interna et actualis.***

Demonstratio p. I. Nomine *gratiae,* quam ad actus salutares necessariam ostendimus, esse intelligendam gratiam *supernaturalem,* probant omnia, quae adduximus thesi CXV. Confirmatur deinde per modum *corollarii* ex hucusque demonstratis. Nam secundum doctrinam catholicam natura plane est impotens vel ad minimum actum salutarem. Censebantur ergo actus salutares plane supra naturam ejusque vires positi, ideoque gratiae auxilium ut naturam supra se elevans, proinde supernaturale (n. 833.). Et revera illud auxilium exhibetur ut influxus Christi vitis in suos palmites. Atqui Christus vitis non spectat ad ordinem naturae, non est elementum ordinis naturalis, sed eminenter causa supernaturalis; ergo et ejus influxus ad opera salutaria seu gratia.

836. **Demonstratio p. II.** Non sufficere ad actum salutarem gratiam *externam,* sed requiri *internam* (n. 824.), patres strenue propugnarunt adversus pelagianos. Probatur **1.** ex divinis literis[2]), ex quibus habemus: **a.** revelationem aliquam divinam esse distinctam a propositione doctrinae externa omnibus communi; **b.** hanc adscribi Patri, ac proinde distingui a revelatione et institutione externa ipsius Christi; **c.** eam exhiberi adeo necessariam, ut ex ejus defectu credere non possimus. Ergo gratia actualis

---

[1]) In conc. carthaginensi a. 418. Cf. totum Augustini *de praedest. SS.* librum et Prosperum *contra Collatorem* (*opusc.* XXXVI), Coelestinum in *auctoritatibus sedis apost. episc. de gratia Dei* (*opusc.* XVIII, 268.), et conc. arausicanum II., quod can. 25. respiciens facta, ad quae semipelagiani pro suo provocabant errore, declarat: »Manifestissime credendum est, quod et illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit (Luc. 23, 43.), et Cornelii centurionis, ad quem angelus Domini missus est (Act. 10, 2. s.), et Zachaei, qui ipsum Dominum suscipere meruit (Luc. 19, 3. ss.), illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinae largitatis donum.«

[2]) Joan. 6, 44. ss.: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: et ego resuscitabo eum in novissimo die. Est scriptum in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me;* 2. Cor. 3, 5.: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed nostra sufficientia ex Deo est;* Matth. 11, 25: *Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis;* Act. 16, 14.: *Quaedam mulier nomine Lydia, purpuraria . . . colens Deum audivit* (verba Pauli): *cujus Dominus aperuit cor intendere his, quae dicebantur a Paulo.*

necessaria ad fidem non continetur objectiva illustratione, sed subjectiva immediate a patre luminum profecta. Probatur **2.** ex concilii arausicani II. can. 7: »Si quis per naturae vigorem . . . evangelicae praedicationi consentire posse confirmat, absque *illuminatione* et inspiratione Spiritus s., qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati, haeretico fallitur spiritu.« Licet ergo gratia externa adsit, ea non sufficit absque interna. Probatur **3.** ex patribus[1]), qui hoc inculcant occasione praesertim verborum Pauli 1. Cor. 3, 7: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus.* Ita Augustinus *de civ. Dei* l. 15. c. 6: »Spiritus s. operatur intrinsecus, ut aliquid valeat medicina, quae adhibetur extrinsecus. Alioquin etiamsi Deus ipse utens creatura sibi subdita in aliqua specie humana sensus alloquatur humanos, sive istos corporis, sive illos, quos istis simillimos habemus in somnis, nec interiore gratia mentem regat atque agat, nihil homini prodest praedicationis veritas[2]).«

---

[1]) Patrum doctrinam pulcherrime complexus est Thomas a Kempis *de imit. Christi* l. 3. c. 2. n. 2: »Possunt quidem (homines) verba sonare, sed spiritum non conferunt: pulcherrime dicunt, sed te tacente cor non accendunt: literas tradunt, sed tu sensum aperis; mysteria proferunt, sed tu reseras intellectum signatorum; mandata edicunt, sed tu juvas ad perficiendum; viam ostendunt, sed tu confortas ad ambulandum. Illi foris tantum agunt, sed tu corde instruis et illuminas; illi exterius rigant, sed tu fecunditatem donas; illi clamant verbis, sed tu auditui intelligentiam tribuis.« Hinc sequitur *corollarium practicum* magni momenti. Explicatur nimirum ex hac veritate factum illud, quod saepe oratores sacri celeberrimi plausum quidem referant ex suis concionibus, sed fructus perparum; cum contra viri potius rudes et illiterati, sed *sancti*, ex concione admodum simplici fructum consequantur uberrimum multorumque scil. infidelium vel peccatorum conversionem. Impetrant siquidem meritis vitae sanctae necnon fusis precibus lacrimisque a Deo copiosam auditoribus suis gratiam *internam*, quae aptam efficacemque reddit ad salutem concionis gratiam *externam*. Unde patet quanti momenti sit in ministerio apostolico mortificationis orationisque studium.

[2]) In praesenti rerum ordine, qui est ordo *reparationis* et *supernaturalis*, lege *divina* si non semper, saltem persaepe, propositioni objecti externi, quod naturaliter aptum est excitare cogitationem motionemque voluntatis ethice honestam, adnexa est ejusmodi gratia interna intellectus et voluntatis, ut cogitatio motioque excitanda sit *supernaturalis*. »Cum igitur verbum Dei, scribit ad rem auctor *de vocat. omnium gent.* l. 1. c. 8. n. 14., per ministerium praedicantium auribus carnis infertur, miscetur operatio potentiae divinae cum sono vocis humanae; et qui incitavit evangelizantis officium, audientis quoque firmavit affectum. Dulcescit animae cibus verbi, veteres tenebrae nova luce pelluntur et obtutus interior caligine antiqui erroris exuitur; transit animus de voluntate in voluntatem, et si illa, quae pellitur, aliqua cunctatione remoratur, ea tamen, quae gignitur, electiora quaeque sibi vindicat« etc. Hoc modo omnia cooperantur in salutem (Rom. 8, 28.), hoc modo vel universitas rerum in odorem cedit vitae, ut loquitur idem auctor l. 2. c. 4; et »semper misericordia Domini plena est terra, et unicuique fidelium ad colendum Deum ipsa rerum natura doctrina est,« teste Leone M. serm. 6. *in Quadrag.* c. 1; hoc modo Deus secundum Augustinum *in Ps. 102.* »vocat *undique* ad correctionem, vocat *undique* ad poenitentiam; vocat *beneficiis creaturae*« etc. Quare vere dici potest, humanum genus vivere *in atmo-*

In eundem sensum scribit s. Thomas lect. 6. *in Joan.* 14: »Ille vos docebit omnia, quia quaecunque homo doceat extra, nisi Spiritus s. interius det intelligentiam, frustra laborat; quia nisi Spiritus cordi adsit audientis, otiosus erit sermo doctoris, *inspiratio omnipotentis dat intelligentiam* (Job 32, 8.), et in tantum, quod etiam ipse Filius organo humanitatis loquens non valet, nisi ipsemet operetur interius per Spiritum s.« Probatur **4.** ex analogia fidei. Actus enim salutares supernaturales esse debent: atqui supernaturales non sunt, nisi facultates eleventur et viribus supernaturalibus augeantur; requiritur ergo immediatus Dei influxus in intellectum nostrum[1]).

837. **Demonstratio p. III.** Gratiam, de qua agimus, esse gratiam *actualem,* quae complectatur *illustrationem* mentis et voluntatis *inspirationem* et quidem *internam immediatam,* ostendunt omnia, quae adduximus n. praec. Specialis vero quaestio est inter theologos de *justis,* utrum et illi, cum jam habeant gratiam *habitualem,* indigeant insuper *actuali;* sententia *affirmans* est praeferenda. Sane **1.** pleraque testimonia, quibus probatur necessitas ad *omnes* actus salutares, agunt de gratia *actuali.* Cf. Joan. 15, 5; Philip. 2, 13. Atqui actus etiam justorum sunt *salutares.* Ergo et ipsi indigent gratia actuali. Cui sententiae **2.** favent plura conciliorum decreta ut tridentini sess. 6. cap. 16; arausicani II. can. 25., in quo statuitur: „Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati Christo *auxiliante et cooperante,* quae ad salutem pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere:" quibus verbis clare designatur *gratia justificationis;* praeter quam exigitur ad bene operandum alia gratia, gratia *auxilians* et *cooperans,* quae praedicata gratiam aliquam *actualem* sat clare significant. Hinc Ecclesia omnes, etiam justos, docet orare: „Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni et adjuvando prosequere, ut cuncta

---

sphaera gratiae, gratia undique esse circumdatum. Cf. patrum effata *opusc.* III, 100. ss. annot. et Ripalda disp. 20. *de ente supernat.*

[1]) Ex eadem ratione liquet, gratiam internam necessariam ad actum salutarem non constitui sola illustratione immediata, sed complecti quoque immediatam inspirationem voluntatis. Quod probatur etiam ex antiquitatis monumentis, in quibus gratia inspirationis necessaria diserte distinguitur a gratia illuminationis, et ex aequo adscribitur Spiritui sancto. Ita in conc. arausicani II. can. 7. supra citato. Ita Augustinus *de pecc. meritis et remiss.* l. 2. c. 19: ›Intelligemus, si possumus, Dominum Deum bonum ideo sanctis suis alicujus operis justi non dare vel certam scientiam vel victricem delectationem, ut cognoscant non a se ipsis, sed ab illo sibi esse *lucem,* qua illuminantur tenebrae eorum, et *suavitatem,* qua det fructum terra eorum.‹ Deinde patres passim gratiam iis nominibus designant, quae immediate ad voluntatem referuntur. Vocant enim illam *suavitatem, delectationem, dilectionem, bonam voluntatem,* etc. Quare inspiratio voluntatis non tam *fructus* gratiae internae esse videtur, quam potius illius *elementum praecipuum* et eam *formaliter* constituens.

nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur.“ Quibus manifesto gratia describitur actualis.

Probatur 3. ex eo doctrinae capite patrum, vel Adamo et angelis gratiam actualem fuisse necessariam. Hinc generatim docet Augustinus *de natura et grat.* cap. 26: „Sicut oculus plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere, sic et homo etiam perfectissime justificatus, nisi aeterna luce justitiae divinitus *adjuvetur,* recte non potest vivere.“ Supponunt ergo etiam justos praeter gratiam *habitualem* actuali quoque indigere. Suadetur denique 4. ratione theologica, quam ita Ripalda disp. 106. sect. 3. proponit: „Omnis actus salutaris, etiam elicitus influxu habituum supernaturalium, supponit per se cogitationem et affectionem supernaturalem circa objectum, in quod afficitur[1]). At cogitatio et affectio supernaturalis praeveniens necessario actum salutarem est gratia auxilians actualis. Ergo omnis actus salutaris, etiam elicitus influxu habituum supernaturalium, supponit per se gratiam auxiliantem actualem.“

838. **Scholion.** Quaeritur *qualis* sit haec gratiae necessitas: utrum scil. ea sit absoluta ob physicam naturae humanae impotentiam ad actus salutis, vel tantum moralis ob difficultatem consequendae salutis. Qua de re tenendum est, gratiam necessariam esse, non solum necessitate morali, sed et *absoluta, physica,* cujus necessitatis fons sit non *sola concupiscentia,* sed *impotentia physica* humanae naturae ad actus salutares; proinde eam necessariam esse necessitate *antecedenti* Adami lapsum, non necessitate, quae primum *consecuta* sit protoparentis lapsum. Quae doctrina omnino catholica probatur 1. per modum *corollarii.* Nam sine eo, quod est moraliter tantum necessarium, potest aliquid hinc inde fieri; atqui absque gratia *nihil* prorsus fieri potest, ergo non est tantum moraliter necessaria. Accedunt 2. Ecclesiae sanctiones patrumque effata, quibus rejiciunt sententiam pelagianorum, gratiam esse necessariam tantum, ut facilius agere possimus. Ita conc. carthaginense a. 418. can. 5: „Quicunque dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum arbitrium jubemur, *facilius* possimus implere per gratiam, tamquam, etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus sine illa implere divina mandata, anathema sit;“ et s. Augustinus adversus pelagianos l. 2. *operis imperf.* c. 198: „Christe, responde, vince atque convince, clama: *Sine me nihil potestis facere* (Joan. 15, 5.); ut taceant, qui clamant: Etsi difficilius, tamen possumus et sine te facere; aut si tacere non possunt, seipsos in latebras aliquas ducant, ut alios non seducant.“

839. Praeterea 3. doctrina est patrum, vel ipsis angelis et protoparentibus necessariam fuisse gratiam ad opera salutaria, qui profecto immunes erant a concupiscentia. Quam 4. gratiae necessitatem absolutam, physicam *ex rerum natura* obortam similitudinibus etiam illustrant patres. Docent

---

[1]) Omnis enim actus deliberatus praesupponit actus indeliberatos. Neque dicatur hos elici ope habituum occasione objecti alicujus propositi. Nam justus praeditus est facultatibus naturalibus et gratiae habitibus; quocirca operari potest vel solis viribus naturae (ut cum peccat), vel viribus naturae auctis habitibus; hinc indiget aliqua determinatione, qua potius salutariter quam mere naturaliter agat.

enim ita gratiam esse necessariam ad salutariter agendum, sicut lux necessaria est ad videndum, pluvia frugibus terrae, sicut alae requiruntur ad volandum. »Quemadmodum avis, ita Macarius senior *hom.* 32., si unicam habuerit alam, ea sola volare nequit: sic quoque humana natura, si nuda quod ad se maneat et non recipiat commixtionem et communionem coelestis naturae, nihil laude dignum efficit.« Irenaeus l. 5, c. 10: »Quemadmodum oleaster, si non percipiat insertionem, perseverat inutilis suo Domino per suam silvestrem qualitatem, et quasi infructuosum lignum exciditur et in ignem mittitur (cf. Joan. 15, 6.): sic et homo non assumens per fidem Spiritus insertionem perseverat hoc esse, quod erat ante, caro et sanguis regnum Dei non possidens.« Denique **5.** ratio theologica ex actus supernaturalitate petita (n. 833.) idem evincit[1]).

840. Absoluta quaestione *generali* de gratiae necessitate ad actus salutares, sequitur jam duplex quaestio *specialis.*

Thesis CXVIII. ***Justus in accepta justitia perseverare nequit sine speciali Dei auxilio.***

Declaratio. Thesis est de *fide,* ut patet ex conc. tridentini sess. 6. can. 22: »Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justificatione perseverare posse, vel cum eo non posse, A. S.« Ea autem statuitur adversus semipelagianos, secundum quos sicut homo incipere potest viribus naturae salutis negotium, ita salute per gratiam adepta potest pariter viribus naturae in gratia perseverare. Ut vero thesis rite intelligatur, haec animadvertantur: **1.** duplicem distingui perseverantiam: *activam* et *passivam.* Illius nomine intelligitur series actuum, vi quorum justus resistens omnibus tentationibus, et satisfaciens omnibus praeceptis acceptam justificationis gratiam conservat augetque. Haec vero continetur morte in statu gratiae. Utriusque conjunctio constituit perseverantiam *completam* seu *finalem,* magnum *perseverantiae donum.* **2.** In thesi non loquimur de perseverantia *passiva*[2]), quae certe est beneficium Dei insigne, quod tamen

[1]) Quod si subinde patres, praesertim Augustinus, Adami *naturae* adscribunt virtutem bene i. e. salutariter operandi, vel loquuntur de *naturali* possibilitate (potentia) ad actus salutares, advertatur, eos Adami naturam vel operandi potentiam considerare *historice,* cum omnibus illis praerogativis, quibus aucta prodiit e manibus Dei: proinde cum *omni gratiae apparatu,* qua ab origine fuit instructa ad salutariter operandum. Loquuntur ergo de possibilitate *originali,* quam naturalem vocant secundum sensum hujus vocis ethymologicum (cf. n. 602.). Concedimus etiam, s. Augustinum gratiae necessitatem saepe ex infirmitate nostra ad bonum per *concupiscentiam* inducta probare: sed non propterea, quod aliam hujus necessitatis causam, scil. impotentiam naturae physicam lapsui antecedentem, ignoraverit. Hanc enim ipse docet, quoties asserit vel *angelis* et protoparentibus gratiam fuisse necessariam; quoties inculcat gratiam non dari ad *facilius* operandum; quoties urget nos sine gratia *nil* plane posse.

[2]) Ad rem Augustinus *de dono perseverantiae* c. 17: »Videte jam a veritate quam sit alienum, negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitae, cum vitae huic, quando voluerit, ipse det finem; quem si det ante imminentem lapsum, facit hominem perseverare usque in finem.« Ita etiam non negamus *specialem* Dei *protectionem,* qua justos a tentationibus, periculis, sedu-

quilibet justorum potest impetrare: sed **3.** de perseverantia *activa*, non quidem per breve, sed per *longius* temporis spatium. Nomine vero **4.** auxilii *specialis* non est intelligendum auxilium *extraordinarium* distinctum a gratia *actuali*, quae *nulli* justorum deest, sed auxilium *distinctum* a gratia *habituali*. Divinivit proinde concilium, gratiam habitualem ad perseverandum non sufficere.

841. **Demonstratio.** Probatur haec veritas **1.** quod ad perseverandum necessarium sit servare omnia praecepta supernaturalia, vincere omnes tentationes. Atqui ostendimus vel justos indigere gratia actuali ad actus salutares, ad quos etiam pertinet observatio legum supernaturalium. Infra autem ostendemus, nos vincere non posse absque auxilio gratiae omnes tentationes. Indigent ergo justi speciali Dei auxilio ad perseverandum. Quapropter 2. saepe monemur in divinis literis Deum orare pro obtinendo ejusmodi auxilio[1]), et Ecclesia passim illud implorat in suis ad Deum orationibus. „Adjutorium Dei, docet conc. arausicanum II. can. 10., etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare;“ quae exhortatio ostendit, nos ad perseverandum nobis non sufficere, sed indigere Dei adjutorio. Idem **3.** docent patres et concilia, secundum quos vel angeli et protoparentes indigebant gratia ad perseverandum. Ita conc. arausicanum II. can. 19: „Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam creatore suo non adjuvante servaret. Unde cum sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit: quomodo sine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit?“ Deinde **4.** si de nullo in ordine salutis gloriari nobis licet, quasi illud non acceperimus (1. Cor. 4, 7.); quanto minus licebit nobis de perseverantia gloriari, quae certe magnum est bonum. Quare concludimus verbis Coelestini ep. 21. *ad Galliarum ep.* c. 6: „Neminem etiam baptismatis gratia renovatum idoneum esse ad superandas diaboli insidias et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per *quotidianum* adjutorium Dei *perseverantiam bonae conversationis* acceperit.“

842. **Thesis CXIX.** ***Pariter nequit justus absque speciali privilegio in tota vita sua peccata omnia venialia vitare.***

Declaratio. Statuitur thesis contra pelagianos, qui eo temeritatis pervenerunt, ut contenderent, posse hominem absque gratia omnia peccata

---

ctione, peccati occasionibus *praeservat*, a qua ipsa perseverantia activa *plurimum* pendet, beneficium esse saepe *plane singulare* non omnibus justis *commune*. Hanc justi petere, impetrare, suppliciter emereri nitantur.

[1]) Matth. 26, 41: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.* Et Ecclesia fer. 3. post dominicam passionis orat Deum, ut „det nobis perseverantem in sua voluntate famulatum.“ Augustinus *de dono persev.* n. 3. ss. (*opusc.* XXXVI.) ostendit, tota fere oratione dominica nos *perseverantiae gratiam* petere.

venialia vitare, imo consequi perfectam *imperturbabilitatem.* Ea est *de fide,* ut patet ex conc. tridentini sess. 6. can. 23: »Si quis hominem semel justificatum dixerit . . . posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de b. Maria V. tenet Ecclesia, A. S.« Loquimur autem **1.** de justis[1]) *praesentis* status, non de justis in statu naturae integrae; **2.** de vita *non brevi,* sed plus minusve *diuturna.* Non loquimur **3.** de *singulis* peccatis venialibus, sed *de tota* eorundem *serie.* Nomine vero **4.** peccatorum *venialium* non intelligimus tantum ea, quae plena deliberatione committuntur, verum etiam omnes defectus et imperfectiones ex humana fragilitate ortas; ad quae omnia vitanda **5.** requiritur speciale Dei *privilegium,* non sufficiunt gratiae, quae ordinarie justis concedi solent. Impotentia vero **6.** non est *physica,* sed moralis: orta non ex defectu virium physicarum, sed ex summa difficultate, quam nunquam homines de facto superabunt, adeo ut haec impotentia moralis aequivaleat (quoad effectum) impotentiae physicae.

843. **Demonstratio.** Ad probationem hujus thesis sufficit provocare ad conc. milevitani II. et carthaginensis plenarii (a. 418.) canones, in quibus plura Scripturae proponuntur effata atque a perversa pelagianorum interpretatione vindicantur. Can. 6: „Item placuit, quod ait s. Joannes apostolus (1. ep. 1, 8.): *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est:* quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat propter *humilitatem* nos oportere dici, nos non habere peccatum, non quia veritas est, anathema sit. Sequitur enim apostolus et adjungit: *Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est et justus, qui remittat nobis peccata, et mundet nos ab omni iniquitate.* Ubi satis apparet, hoc non tantum *humiliter,* sed etiam *veraciter* dici. Poterat enim apostolus dicere, si dixerimus, quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, et *humilitas* in nobis non est. Sed cum ait, nos ipsos decipimus, et *veritas* in nobis non est: satis ostendit, eum qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum. Can. 7: Item placuit, ut quicunque dixerit, in oratione dominica ideo dicere sanctos: *Dimitte nobis debita nostra,* ut non pro seipsis hoc dicant, quia non est eis jam necessaria ista petitio, sed pro *aliis,* qui sunt in suo populo peccatores, et ideo non dicere unumquemque sanctorum: Dimitte *mihi* debita mea, sed dimitte *nobis* debita nostra, ut hoc pro aliis potius, quam pro se justus petere intelligatur, anathema sit. Sanctus enim

[1]) Quid tenendum est de peccatoribus quoad peccatorum vitationem, si ne justi quidem omnia peccata venialia absque privilegio vitare possunt? Respondet s. Thomas 1. 2. q. 109. a. 9. „Antequam hominis ratio, in qua est peccatum mortale, reparetur per gratiam justificantem, potest *singula* peccata mortalia vitare, et secundum *aliquod* tempus, quia non est necesse, quod continuo peccet in actu. Sed quod *diu* maneat absque peccato mortali, esse non potest.“

et justus erat apostolus Jacobus, cum dicebat: *In multis enim offendimus omnes* (3, 2.). Nam quare additum est *omnes,* nisi ut ista sententia conveniret et Psalmo (142, 2.), ubi legitur: *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Et in oratione sapientissimi Salomonis: *Non est homo, qui non peccet* (Eccles. 7, 21.). Et in libro Job: *In manu omnis hominis signat, ut sciat omnis homo infirmitatem suam* (37, 7.). Unde etiam Daniel sanctus et justus, cum in oratione pluraliter diceret, *peccavimus, iniquitatem fecimus,* et cetera, quae ibi (9, 5.) veraciter et humiliter confitetur, ne putaretur, quemadmodum quidam sentiunt, haec non de suis, sed de populi sui potius dixisse peccatis, postea dixit: *Cum orarem et confiterer peccata mea et peccata populi mei Domino Deo nostro,* noluit dicere peccata *nostra,* sed *populi sui* dixit, et *sua,* quia futuros istos, qui tam male intelligunt, tamquam propheta praevidit."

844. Patres, Augustinus praesertim, integris operibus hunc pelagianorum refellunt errorem. Sed jam patres anteriores hanc praesumptionem praedamnarunt, ut Cyprianus, qui citatis Prov. 20, 9: *Quis potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum a peccato,* et 1. Joan. 1, 8., ita in l. *de opere et eleemosynis* n. 3. disserit: „Si autem nemo esse sine peccato potest, et quisquis inculpatum se esse dixerit, aut superbus aut stultus est: quam necessaria, quam benigna est divina clementia, quae cum sciat non deesse sanatis quaedam postmodum vulnera, dedit curandis sanandisque vulneribus remedia salutaria." Accedit experientia. Quis enim attenta hominis frigilitate sibi persuadebit, se per longum tempus absque ullo vel minimo defectu vivere posse[1]?

B. De necessitate alicujus divini adjutorii ad actus ethice bonos.

845. **Thesis CXX.** ***Ad observationem totius legis naturalis ethice bonam victoriamque gravium tentationum ethice honestam indiget homo lapsus Dei adjutorio.***

Declaratio. Loquimur **1.** in thesi non de observatione legis naturalis et tentationum victoria *salutari,* ad quam necessaria est gratia super-

[1]) Ad difficultates, quae thesi opponi possent, solvendas advertatur **1.** probabiliorem sensum 1. Joan. 3, 9: *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen illius in eo manet, et non potest peccare,* esse justum *reduplicative* spectatum, *quatenus est renatus ex Deo* et gratia sanctificante praeditus, non posse peccare; neque enim gratia ad peccatum concurrit, sed ab eo potius deterret, adeo, ut cum eo consistere simul non possit: si vero justus peccat, peccat quatenus *natus est ex Adamo,* concupiscentiae obnoxius, nondum perfecte renovatus et regenitus. **2.** Ex eo, quod justi *singula* vitare possint peccata venialia, non sequi, quod possint *omnia:* quo plura enim successive sunt vitanda, eo major fit difficultas singula vitandi, donec ea reddatur moraliter insuperabilis, ut exemplis ostendi potest. Neque **3.** *duram* hanc doctrinam esse censendam, cum quidquid

naturalis: sed tantum de observatione et victoria *ethice honesta*. Non agimus 2. de observatione *unius alteriusve* praecepti, vel victoria unius alteriusve tentationis, sed de observatione *totius* legis deque victoria *omnium* tentationum. Necessitas vero 3. alicujus auxilii non oritur ex impotentia *physica* naturae lapsae, sed tantum ex *difficultate* propter *concupiscentiam*. Cum dicimus 4. hominem indigere auxilio, non affirmamus, illud *per se* supernaturale esse debere. Ad opus enim *ethice* bonum sufficit per se auxilium Dei ordinis *naturalis*. In praesenti tamen elevationis ordine illud si non semper, plerumque saltem est supernaturale, ut observatio legis naturalis et tentationum victoria *salutaris* esse possit. Quod denique 5. thesis *certitudinem* attinet, assentimus Suarez scribenti l. 1. c. 26. n. 12: „Mihi videtur non esse simpliciter de fide, quia non invenio expressam et specificam Ecclesiae definitionem hujus dogmatis sub his terminis propositi . . . Ideoque satis est dicere doctrinam hanc esse *conclusionem theologicam* adeo certam, ut contraria non solum jam temeraria sit, sed etiam *errori proxima*.“

846. **Demonstratio**. Probatur **1.** ex Rom. 7., in quo Paulus docet[1]) **a.** summam hominis esse infirmitatem ad bonum, qua late patet. **b.** Hanc autem infirmitatem non tam repetit ex *supernaturalitate* actus, quam ex *concupiscentiae* repugnantia. Docet **c.** sine Dei gratia peccati captivitatem fore inevitabilem, saltem moraliter loquendo. Cum ergo ex parte concupiscentiae *eadem* sit difficultas ad actum bonum, sive is sit *ethice bonus*, sive *salutaris*, *eadem* quoque erit propter concupiscentiam *necessitas* alicujus auxilii divini ad actum ethice bonum. Huc deinde **2.** pertinent repetita Augustini effata, qui ita l. *de perfectione justitiae* absolvit: „Sed plane quisquis negat, nos orare debere, ne intremus in tentationem (negat autem hoc qui contendit, ad non peccandum gratiae Dei adjutorium non esse homini necessarium, sed sola lege accepta humanam sufficere voluntatem), ab auribus omnium removendum et ore omnium anathemandum esse non dubito.“ Ceterum **3.** sufficit ad propriam experientiam, sive experientiam tot seculorum provocare. Si enim inter christianos rari sunt, qui totam legem naturalem servant omnesque vincant tentationes, licet tot gratiae prae-

---

damni ex hac fragilitate in nos redundet, abunde compensetur bonis, ad quae hujus fragilitatis conscientia et memoria inducit: et Deus tot suppeditet media, quibus illico peccatorum quotidianorum remissionem consequi possunt. Terguntur enim, ut belle ait Augustinus *serm. 181.* c. 6., vel orationis penicillo.

[1]) Rom. 7, 18. ss.: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago . . . Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per J. Christum D. N.* De quo testimonio cf. RR. D. Wieser, *Pauli Ap. doctrina de justificatione* §. 13. n. 1. ss. Huc merito referri possunt et illa Pauli effata, legem esse *literam occidentem, operari iram,* mortem, peccatum Rom. 7, 7. ss.; 4, 15. etc.

sidiis juventur, quid foret, si omnibus hisce praesidiis homines destituerentur? Neque difficultas haec oritur ex actus *supernaturalitate,* sed ex *concupiscentiae repugnantia,* quae *aequalis* est in observatione legis tam ethice bona quam in salutari.

§. 2. Refelluntur gratiae necessitatem exaggerantes.

847. Nimis absurdus est eorum error, qui ad omne opus bonum exigunt ipsam gratiam sanctificantem, unde inferunt omnia peccatorum opera esse peccata. Quam haeresim Ecclesia saepe damnavit, ut in conc. tridentino sess. 6. can. 7: „Si quis dixerit, opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto gravius eum peccare, A. S." Et sane si requireretur ad omne opus bonum gratia sanctificans, frustra hortaretur Deus peccatores ad fidem, poenitentiam, eleemosynam etc. pro consequenda gratia justificationis.

848. **Scholion.** Multa sunt, quae opponunt adversarii, in primis Quesnellus, pro quorum solutione haec animadvertantur: **1.** Peccator considerari potest *formaliter,* reduplicative, in quantum est peccator, et *materialiter,* secundum omnia ea, quae habet, inter quae non tantum bona naturae, sed etiam bona aliqua gratiae esse possunt. Si consideratur *formaliter,* verum est, omnia, quae agit *qua peccator,* esse peccata, non vero secundum alteram considerationem. Qua distinctione posita, facile solvitur argumentum, quod toties inculcant ex Matth. 7, 18: *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Ceterum illud retorqueri potest; nam Christus etiam dixit, bonam arborem non posse facere fructum malum; et tamen justus, qui est arbor bona, peccare potest. Distingui **2.** debet inter dominium *habituale* et *actuale* sive caritatis, sive cupiditatis et peccati; inter esse peccatorem *habitu,* et esse peccatorem *actu.* Ex eo enim, quod quis *habitu* est peccator, non sequitur eum *actu* semper peccare; sicut ex eo, quod quis habitu est justus, non sequitur eum semper juste agere et eum nunquam ne leviter quidem peccare. Qua animadversione solvitur difficultas ex Matth. 6, 24: *Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit et alterum diliget: aut unum sustinebit et alterum contemnet.* Haec quidem vera sunt de servitute *habituali* et *totali,* quae tamen non impedit, quominus, qui est *habitu* servus unius, *actu* alteri obsequium exhibeat: ut cum justus venialiter peccat, et peccator servat Dei praeceptum. Quare inscite opponuntur illa Augustini verba ex *Enchiridii* n. 117: „Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei caritas." Vera haec sunt de regno *habituali,* non vero de actuali in *omni* scil. actu.

849. Adverti **3.** debet, phrasim *sine caritate* accipi posse *negative* et *contrarie.* Si accipitur *negative,* negatur tantum influxus actualis caritatis: qui defectus non impedit, quominus bonus sit actus, si ex alio motivo honesto eliciatur. Si vero accipitur *contrarie,* significatur influxus motivi caritati plane oppositi. Quo sensu certissimum est, quidquid *sine* caritate, i. e. *contra* caritatem fiat, male fieri; atque ita hanc locutionem apud

Augustinum explicare licet. Sedulo **5.** distingui varii *bonitatis* gradus actus humani. Is enim esse potest **a.** ethice bonus; **b.** supernaturaliter bonus; **c.** meritorius de condigno vitae aeternae. Quare contra logicam peccant, qui ex eo, quod patres dicunt, sine caritate nihil boni fieri, statim inferunt, quidquid sine caritate fit, esse peccatum. Patres enim nomine actus boni fere semper intelligunt actus de condigno meritorios, vel generatim salutares.

850. **Thesis CXXI.** ***Neque fides necessaria est ad opus ethice bonum, proinde non omnia opera infidelium sunt ex sese peccata.***

Demonstratio. Thesis statuitur contra Lutherum, Calvinum, Bajum, cujus prop. 25. est: „Omnia infidelium opera peccata sunt, et philosophorum virtutes vitia;“ contra Jansenium; contra prop. 8. ab Alexandro VIII. damnatam: „Necesse est infidelem in omni opere peccare;“ contra Quesnellum etc. Loquimur autem **1.** de *fide proprie dicta,* supernaturali. Praescindimus modo **2.** a quaestione, utrum saltem aliqua gratia necessaria sit ad opera ethice bona; nomine **3.** *peccati* intelligimus peccatum *formale,* proprie dictum, quod operanti imputetur. Denique **4.** non loquimur *de facto,* utrum infideles de facto semper peccent, sed *de jure,* utrum opus eo ipso quod non sit ex fide, propter solum fidei defectum sit peccatum. Thesis autem non est de fide, ad *doctrinam* tamen spectat *catholicam.*

851. Probatur **1.** ex divinis literis Matth. 5, 46: *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt? et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne et ethnici hoc faciunt?* Rom. 1, 20. reprehendit Paulus gentiles, *qui cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt.* Supponit ergo id eos potuisse. Rom. 2, 14: *Cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex.* Provocant nonnulli theologi ad Exodi 1, 15. ss., ubi de obstetricibus (aegyptiacis) dicitur: *Timuerunt autem obstetrices Deum, et non fecerunt juxta praeceptum regis Aegypti, sed conservabant mares . . . Bene ergo fecit Deus obstetricibus . . . et quia timuerunt obstetrices Deum, aedificavit eis domos;* Ezech. 29, 17. ss., ubi Deus inter alia dicit: *Dedi ei* (Nabuchodonosor) *terram Aegypti, pro eo quod laboraverit mihi,* in obsidenda scil. et expugnanda urbe Tyri. Qua occasione advertit Hieronymus: „Ex eo quod Nabuchodonosor accepit mercedem boni operis, intelligimus etiam ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei judicio praeteriri.“

852. Probatur 2. thesis ex patribus, e quibus Augustinus *de spirit. et litera* c. 28. n. 48. hoc verissimum principium enunciat: „Sicut non impediunt a vita aeterna justum quaedam venialia, sine quibus haec vita non ducitur; sic ad salutem aeternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.“ Quod principium tradit etiam s. Hieronymus

in *ep. ad Titum* 1, 12. ss.; qui insuper in *ep. ad Galat.* c. 1. scribit: „Natura omnibus inest Dei notitia, nec quisquam sine Christo nascitur, et non habet semina in se sapientiae et justitiae reliquarumque virtutum; unde *multi absque fide* et Evangelio Christi vel sapienter faciant aliqua, vel sancte, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant." Probatur **3.** ratione. Qui secundum conscientiae dictamen, dummodo non sit culpabiliter erroneum, agit, non peccat. Atqui etiam infideles secundum conscientiae dictamen agere possunt, alioquin nec peccarent; neque eorum conscientiae dictamen semper est culpabiliter erroneum. Ergo non omnium infidelium opera necessario sunt peccata. Ceterum **4.** absurda est opposita opinio; secundum eam enim infidelis moneri non posset de orando Deo, facienda eleemosyna, inquirenda veritate, si haec eo ipso, quod sit infidelis, forent peccata.

853. **Scholion.** Opponitur **1.** Rom. 14, 23: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Ad quod respondemus: Paulum nomine *fidei* hic intelligere non tam fidem theoreticam, quam *practicam,* quae se *dictamine conscientiae* prodit. Jam vero certum est, quidquid fit *contra* persuasionem practicam conscientiae, peccatum esse. Nec dissimile **2.** est responsum ad Tit. 1, 15: *Omnia munda mundis, inquinatis autem et infidelibus nihil est mundum.* Nam **a.** si haec urgentur, facile retorqueri possunt; sequeretur enim, justos peccare non posse. Non loquitur **b.** Paulus de infidelibus generatim, sed de quadam specie, seu melius de infirmis in fide et judaizantibus, qui certos cibos reputabant immundos, quasi lex mosaica adhuc obligaret. Jam vero his propter suum errorem et superstitionem omnia reddebantur immunda. Quod **3.** Hebr. 11, 6. attinet, *sine fide impossibile est placere Deo,* distingui debet inter *personam* et ejus *opus.* Displicere enim potest persona propter habituale peccatum et infidelitatem, et tamen placere opus. Deinde fieri potest, ut aliquod opus non placeat Deo in ordine ad salutem, quin tamen exinde sequatur, illud etiam alio in ordine, ethico scilicet, esse malum.

854. Gravior est difficultas quae ex pluribus testimoniis s. Augustini, praesertim ex libri 4. c. 3. contra Julianum petitur, ubi s. doctor oppositam sententiam data opera tueri videtur; quem deinde plures ex ipsius discipulis sequuntur. Verum horum patrum testimonia triplici sensu, incolumi doctrina catholica, explicari possunt. Vel enim **1.** nomen *peccati* laxiori accipiunt significatione, qua significat etiam peccatum *materiale.* Omnis enim actio dissona a norma obligante, quae vel cujus ignoratur obligatio, peccatum est materiale. Atqui sine fide opera licet ethice bona deficiunt a supernaturali norma fide comprehensa, qua praesens regitur ordo et secundum quam opera dirigi debent in finem supernaturalem. Ergo opera omnia infidelium dici poterunt peccata, sed *materialia* propter solum fidei defectum. Concedere possumus **2.** opera infidelium esse peccata *formalia,* non quidem *de jure,* sed *de facto,* non *semper,* sed *plerumque,* quod vitio aliquo, vanae praesertim gloriae, sint infecta. Hinc s. doctor *de spiritu et lit.* c. 27., postquam concessit quaedam esse gentilium facta, „quae secun-

dum justitiae regulam non solum *vituperare non possumus*, verum etiam *merito recteque laudamus*,« subjicit: »Quamquam si discutiantur, quo fine fiant, *vix* inveniantur, quae justitiae debitam laudem defensionemque mereantur.« Ita et Chrysostomus hom. 28. al. 27. *in Joan.*, cum dixisset: »Quod gentes bene vivant, nondum mihi constat,« idque quibusdam displicuisset, reponit: »Verum ne cuipiam contentiosi videamur, concedamus, apud gentiles esse, qui recte vivant, neque hoc orationi nostrae adversatur. Sermo enim erat de eo, quod *ut plurimum*, non de eo, quod *raro* contingit.« Ad haec **3.** concedere possumus, opera infidelium et quidem *omnia* esse peccata *formalia*, si propositio intelligatur in sensu *reduplicativo* et *formali*; certum enim est, illa opera, quae infidelis qua talis, ex spiritu infidelitatis facit, esse vitiosa et culpa infecta. Sed infidelis non semper et necessario ex infidelitatis vitio agit; potest enim etiam agere, quatenus homo est, secundum rationem, quae peccato non est penitus extincta.

855. **Thesis CXXII.** ***Potest homo lapsus etiam sine gratiae adjutorio opus aliquod ethice bonum perficere.***

Demonstratio. Statuitur thesis contra lutheranos, calvinianos, Bajum, cujus damnatae sunt prop. 27: »Liberum arbitrium sine adjutorio Dei nonnisi ad peccandum valet;« 28. 30. 65; contra Quesnellum, cujus damnatae sunt prop. 38, 39.: »Voluntas, quam gratia non praevenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris, nisi ad se praecipitandum, virium, nisi ad se vulnerandum; est capax omnis mali: est incapax ad omne bonum;« 40. Assertio vero non est *de fide*, spectat tamen ad *catholicam doctrinam*. Non autem agimus *de facto*, sed *de jure*: utrum scilicet homo tantum virium post lapsum habeat, ut possit opera aliqua ethice bona peragere.

856. Probatur **1.** In statu naturae purae posset homo plura opera ethice bona absque speciali Dei auxilio peragere. Atqui natura humana per peccatum Adami non fuit penitus corrupta, imo excepto peccato originali non differt a natura pura, nisi ut homo spoliatus a nudo (n. 643.). Ergo si natura lapsa non differt a natura pura, vel saltem non multum, poterit aliqua opera ethice bona et ipsa peragere. Quare 2. merito animadvertit Bellarminus lib. 5. *de grat. et lib. arb.* c. 9: „Si potest homo suis viribus operari malum, sed arduum et naturae contrarium, cur non poterit operari bonum facile congruumque naturae? si potest e. gr. suis viribus sine auxilio gratiae projicere omnia bona sua in mare, vel ipse se occidere, a quo natura abhorret, cur non poterit paucos nummos largiri indigenti, vel hominem a praecipitio revocare ex misericordia, ad quam prope ipsa natura compellit? Et si potest interroganti falsum de industria respondere, cur non poterit respondere verum, si nihil inde lucretur aut perdat?“ Hinc conc. coloniense a. 1860. part. I. c. 17. statuit: „Potest homo lapsus etiam solius naturae viribus quaedam opera moraliter bona, seu honesta facere.“

857. **Scholion.** Objiciunt **1.** adversarii Joan. 8, 34: *Respondit eis Jesus: Amen dico vobis: quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati... Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis.* Quibus licet peccator dicatur *servus peccati,* exinde tamen non sequitur, eum *quovis* in actu peccare: sicut ex eo, quod justus sit servus justitiae Rom. 6, 18., non sequitur, eum non posse peccare. *Servus* autem dicitur *peccati,* quod **a.** se liberare non possit viribus propriis a peccati macula; quod **b.** excidat e statu adoptionis et obnoxius reddatur daemoni; quod **c.** peccando incidat in statum damnationis, quem per se evadere non possit; quod **d.** eo facilius concupiscentiae tentationi succumbat et in quandam peccandi necessitatem incidat, quo saepius peccat; quia quamdiu in hoc statu manet, peccata omnia mortalia vitare non poterit. Objiciunt **2.** can. 22. conc. arausicani II.: „Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum. Si quid autem homo habet veritatis aut justitiae, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo etc.“ Responderi potest **a.** haec esse verissima, cum etiam opera ethice bona plus minus Deo adscribi debeant, solum *peccatum* sit exclusive nostrum; vel **b.** patres contra pelagianos disserentes duplex tantum actuum genus prae oculis habere: eos scilicet, qui vel ad salutem conducunt vel ab ea avertunt, omissa interim consideratione actuum *ethice bonorum,* qui de facto forte admodum rari, cum versemur in ordine supernaturali, et utpote praeter viam relate ad finem supernaturalem velut indifferentes sunt. Qua partitione supposita nihil verius hoc canone. Legimus **3.** subinde apud Augustinum[1]) propositiones, quae vix differre videntur a prop. 27. (n. 855.). Ad quas respondemus **a.** eas esse accipiendas eo sensu, ut non tam jus, quam potius *factum,* non quidem universalitate absoluta, sed *morali* enuncient; vel **b.** verba *sine gratia* accipi posse sensu non tantum negante, sed etiam *contrario,* ut significetur voluntas, quae gratiam negligit spernitque: prae oculis enim habebat pelagianos arroganter gratiae auxilium parvipendentes; vel **c.** iis denegari voluntati absque gratia virtutem *non peccandi* i. e. vim cavendi *omne* peccatum: exinde vero non sequitur, voluntatem absque gratia nunquam posse vel unum vitare peccatum[2]).

---

[1]) Ex. gr. *ep.* 168. al. 106. n. 47: „Sine qua (gratia) nos dicimus, ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere: *de spiritu et lit.* c. 3. n. 5: „Nam neque liberum arbitrium quidquid, nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via;“ *ep.* 157. n. 5: „Valet liberum arbitrium ad opera bona, si divinitus adjuvetur: desertum vero divino adjutorio qualibet scientia legis polleat, nullo modo habebit justitiae soliditatem, sed inflationem impiae superbiae et exitiosum tumorem.“

[2]) Quod si Augustinus subinde *peccandi necessitatem* admittere videtur, loquitur vel **1.** non de necessitate *proprie dicta,* sed de necessitate *morali* et infallibilitatis; vel **2.** de necessitate quadam indeterminata et vaga, quae non aufert libertatem cavendi *singula* peccata; vel **3.** *peccati* nomen accipit sensu laxiori, adeo ut competat etiam motibus *indeliberatis* concupiscentiae, qui utpote dissoni a lege mentis seu justitiae perfectae, quandam peccati materialis rationem prae se ferunt. Ceterum in explicandis ejusmodi s. doctoris effatis repetere licet verba, quibus in simili difficultate utitur s. Bonaventura *brevil.* p. 3. §. 5: „Hoc credendum est sensisse Augustinum, licet verba ipsius exterius propter detestationem erroris pelagianorum aliud sentire videantur. Ut eos redu-

Articulus II.

De gratuitate gratiae.

858. **Thesis CXXIII.** ***Altera gratiae proprietas est ejusdem gratuitas: neque enim ullis rependitur meritis sive condignis sive congruis naturae viribus partis, neque fructus est impetrationis, neque terminus dispositionis positivae a sola natura profectae.***

Declaratio. 1. Meritum generatim definiri potest opus, cui praemium, merces, compensatio debetur. Duo autem requiruntur ad meriti rationem: *proportio* operis et *debitum* retributionis ortum vel ex contractu, vel ex promissione etc. Si primum adest, habetur meritum in actu *primo:* si alterum etiam, habetur meritum in actu *secundo.* Quod si **2.** operis valor juridice aestimatus proportione respondeat praemio, meritum dicitur *condignum; congruum,* si ea desit et benevolentia sit supplenda. Quare cum meritum congruum deficiat a perfecta meriti ratione, *analogice* tantum est meritum. Ab utroque merito **3.** differt *impetratio,* licet saepe conjuncta sit cum ratione meriti congrui; unde plures theologi impetrationem a merito congruo non distinguunt. Potest autem ea describi: vis moralis oborta ex demissa confessione propriae indigentiae, necnon ex professione pietatis, misericordiae et divitiarum illius, quem rogamus, movens ad beneficia conferenda. Differt quoque **4.** a merito *dispositio.* Illud enim refertur ad alium, aspirat ad praemium, prodesse potest et alteri, et, si est condignum, ad praemium *jus* tribuit: quae de dispositione dici nequeunt. Dispositio distinguitur in *negativam,* qua removentur obices formae susceptionem impedientes; et in *positivam,* quae definiri potest: realis habitudo subjecti, qua subjectum per se indifferens ita constituitur plus minus proxime idoneum ad formam suscipiendam, ut haec sit ipsius naturale vel connaturale complementum.

859. *Gratuitas* **5.** non opponitur *necessitati hypostaticae,* neque *cuilibet debito,* ut si hoc oritur ex promissione gratiose facta; neque cuilibet debito *ex merito* profecto, sive alterius, qui pro altero meret, sive proprio, si hoc ex alia gratia oritur. Licet enim tunc gratia *immediate* debita sit, *mediate* tamen et in radice gratuita est. Adversatur proinde gratiae gratuitas merito *proprie dicto* ex viribus *naturae* profecto. Thesis autem **6.** quatenus *generatim*[1]) affirmat gratiae gratuitatem, est de fide. Pelagius

---

ceret ad medium, abundantius declinavit ad extremum *plus dicens* et *minus volens intelligi.*"

[1]) Dicimus thesim esse *de fide,* quatenus *generatim* affirmat gratiae gratuitatem. Hinc certo pugnat gratiae gratuitas cum merito *condigno* operum *naturalium;* sed non adeo pugnare videtur cum *dispositione* vel *impetratione naturali;* hinc censet Ripalda disp. 19. sect. 3., in alio providentiae ordine esse possibile, ut precibus *naturalibus* gratiae impetrentur dona. Quare secernantur quaestiones duae: altera *historica,* utrum in *praesenti* rerum ordine precibus naturalibus impetrare possimus gratiam ad salutem necessariam. Jam vero contra semipelagianos definitum est, adeo esse modo gratiam gratuitam et salutis radicem, ut id fieri nequeat. Altera *logica;* utrum id sit de gratiae essentia in *omni* ordine; hoc vero definitum non videtur.

enim compulsus est in synodo diospolitana confiteri, »gratiam Dei non dari secundum merita nostra;« eademque veritas passim inculcata fuit a romanis pontificibus et conciliis adversus pelagianos et semipelagianos, praesertim in concilio arausicano II., cujus can. 18. sancit: »Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quae non debetur, praecedit, ut fiant.« Quoad primam partem assertio nostra est contra pelagianos; altera et tertia pars est contra semipelagianos; quarta contra quosdam theologos scholae.

860. **Demonstratio p. I.** Gratuitatem gratiae conciliari non posse cum meritis *naturae de condigno,* probatur **1.** ex solemni damnatione pelagianorum. „Manifestum est, inquit Augustinus *ep. ad Vital.* 217. n. 25., ex illis duodecim sententiis, quas ad catholicam fidem pertinere negare non sineris (quas ib. recensuerat), non solum omnibus, verum etiam singulis id confici, ut confiteamur, gratia Dei praeveniri voluntates et per hanc eas potius praeparari, quam propter earum meritum dari." Probatur **2.** ex th. CXVI., in qua demonstravimus, hominem absque gratia nihil posse, quod ad salutem conducat; multum autem posset, si viribus naturae gratiam condigne mereret. **3.** Secundum patres ita gratia praevenit voluntatem, ut ante eam *nulla* sint bona opera et cum ea incipiant *omnia* merita. Atqui neutrum verum esset, si viribus naturae gratiam condigne merere possemus. Ita Coelestinus epist. 21. *ad episcopos Galliae* n. 14: „Non dubitemus ab ipsius gratia *omnia* hominis merita praeveniri, per quem fit, ut aliquid boni et velle incipiamus et facere." Merito autem **4.** provocant patres ad Rom. 11, 6: *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia non est gratia;* et 4, 4: *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Ex quibus patet, de ratione gratiae esse, ut sit *indebita* operibus ex ea non profectis, seu eam praecedentibus, proinde operibus naturae, ac proinde ut non sit *merces.* Si vero eam naturaliter condigne mereremus, esset ea debita et merces. Denique **5.** inter merita et praemium debet esse quaedam proportio et connexio. Atqui inter merita *naturalia* et bonum *supernaturale,* cujusmodi est gratia, quae est etiam pretium sanguinis Christi, nulla est proportio et connexio. Quare pulchre auctor *de voc. om. gent.* l. 1. c. 17: „Vilesceret, inquit, redemptio sanguinis Christi, nec misericordiae Dei humanorum operum praerogativa succumberet, si justificatio, quae fit per gratiam, meritis praecedentibus deberetur, ut non munus largientis, sed merces esset operantis."

861. **Demonstratio p. II. et seqq.** Argumentum *secundum* et *tertium,* quibus praecedentem demonstravimus partem, probant quoque, nos viribus naturae ne *de congruo* quidem gratiam merere posse. „Nam, ut inquit Augustinus *de pecc. orig.* c. 23., non erit Dei

gratia ullo modo gratia, nisi gratuita fuerit *omni* modo." Gratiam vero excludere *impetrationem naturalem* statuit concilium arausicanum II. can. 3: „Si quis per invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut ipse invocetur a nobis, contradicit Isaiae prophetae (65, 1.), vel Apostolo idem dicenti (Rom. 10, 20.): *Inventus sum a non quaerentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant;*" et 6: „Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quaerentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus vel haec omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem et inspirationem s. Spiritus in nobis fieri confitetur, et aut humilitati aut obedientiae humanae subjungit gratiae adjutorium, nec ut obedientes et humiles simus ipsius gratiae donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti: *Quid habes quod non accepisti* (1. Cor. 4, 7.)? et: *Gratia Dei sum id quod sum* (1. Cor. 15, 10.)." Deinde si homo impetrare posset oratione naturali gratiam, jam ipse in ordine salutis praeveniret gratiam. Atqui constans est doctrina patrum, nos in ordine salutis gratia praeveniri. Licet autem homo aliquo modo possit *negative* se ad gratiam disponere, removendo obstacula, i. e. cavendo aliqua saltem peccata, non potest tamen viribus naturae *positive* se ad illam disponere. Nam **1.** omnis dispositio positiva quandam habet proportionem et connexionem cum forma, ad quam disponit. Nulla vero est proportio et connexio inter actus mere naturales et gratiam supernaturalem. Ad haec **2.** patribus solemne est inculcare, naturae ante gratiam nihil inesse, quod muneribus compensetur, sed plurimum quod puniatur; et Scripturae conferunt statum animae humanae ante gratiam cum statu mortis, tenebrarum etc.

862. **Scholion.** Quod attinet axioma scholae: *Facienti quod est in se Deus non denegat gratiam,* advertatur **1.** illud praeformatum reperiri jam apud patres et *aequivalenter* et fere *diserte.* Aequivalenter quoties docent, Deum nulli prorsus deesse, qui sibi non sit inimicus. Fere diserte illud proponit Isidorus pelusiota l. 5. *epist.* 459: »Qui virtuti dat operam, aequum est, eum divinam opem invocare. At qui nullam operam dat, etsi eam imploret, propitium numen non habet. Qui enim omnia, quae in se sita sunt, adimplet, Deus ipsi benigne annuit.« Hujus vero **2.** axiomatis *multiplex* omnino est apud theologos explicatio. Praeferenda videtur illa, secundum quam axioma intelligitur de faciente quod est in se *viribus, quas habet:* et quia cuilibet in praesenti ordine praesto est gratia, de faciente quod est in se *viribus gratiae.* Proinde **3.** hoc axiomate nonnisi formula *generali* exprimitur, quod Matth. 7, 7. ita enunciatur: *Petite et accipietis; quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis;* vel Zach. 1, 3: *Convertimini ad me et ego convertar ad vos* etc.

863. **Corollarium.** Cum ergo gratia gratis conferatur, nec ulli creaturae sit debita, liquet, Deum esse omnino in gratiarum distributione *liberrimum*, proinde absque ulla injustitia vel acceptionis personarum vitio posse illam inaequali ratione pro suo beneplacito distribuere, alios vel ab utero matris gratiae ubertate et benedictionibus dulcedinis praeveniens, alios nonnisi gratiae guttis irrorans. In hoc Dei dominio extollendo totus praeeunte Paulo, praesertim Rom. 9. est s. Augustinus in suis adversus gratiae inimicos operibus.

Articulus III.

De gratiae distributione.

864. Unum ex praecipuis totius tractatus mysteriis aggredimur, quod *gratiae distributione* continetur. Si enim quaeritur, quare Deus adeo parce suas distribuerit gratias ante Christi adventum, et quare etiam nunc adeo parce distribuat illam tot gentibus adhuc in tenebris et in umbra mortis sedentibus; quare unum sic vocet, ut veniat, non vero alterum, cum tamen possit; quare e duobus eorundem scelerum reis unius misereatur, alterum in sua relinquat induratione etc.: responsum aliud dare non possumus quam illud Pauli Rom. 11, 33: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus.* Quid tamen *de gratiarum distributione* statui possit, ordine progredientes et certa a minus certis secernentes distinctis thesibus exponemus.

865. **Thesis CXXIV.** ***Justis omnibus, praesertim vero volentibus et conantibus, urgente praecepto datur a Deo gratia vere ac relative, proxime vel remote sufficiens ad servanda omnia praecepta.***

Demonstratio. Thesis est *de fide,* ut patet ex prop. 1. Jansenii: „Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et conantibus secundum praesentes, quas habent vires sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant,“ quae declarata est temeraria, impia, blasphema, anathemate damnanda, *haeretica.* Contendimus autem, justis omnibus dari gratiam *vere,* non nomine tenus sufficientem; *relative,* i. e. spectatis omnibus adjunctis; *proxime,* i. e. immediate absque alia sufficientem, vel saltem *remote,* i. e. talem, a cujus bono usu collatio gratiae proxime sufficientis pendeat. Gratia remote sufficiens solet dici gratia *orationis,* quia ea adjuti saltem orare possumus et orando impetrare gratiam uberiorem; proxime vero sufficiens dicitur gratia *operationis.*

866. Probatur **1.** verbis concilii arausicani II. can. 25: „Hoc etiam secundum catholicam fidem credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem animae pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.“ **2.** Ex verbis concilii tridentini sess. 6. cap. 11:

„Nemo (debet) temeraria illa et a patribus anathemate prohibita voce uti, Dei praecepta homini justificato ad observandum esse impossibilia: nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis." Quocirca can. 18. statuit: „Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam justificato et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, A. S." Probatur **3.** ex illo principio, quod idem concilium cap. 11. patribus praeeuntibus[1]) ita proponit: „Deus gratia sua semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur."

867. Probatur **4.** ex divinis literis, sive cum **a.** docent, Deum *omnes* justos diligere dilectione fecunda gratiae, *non quia praedestinati,* vel quatenus praedestinati sunt, sed *quia* et quatenus *justi sunt.* Prov. 8, 17: *Ego diligentes me diligo;* Rom. 5, 8—10: *Commendat autem caritatem suam Deus in nobis; quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* Ad haec justi sunt *membra corporis Christi.* Atqui secundum Paulum Eph. 5, 23. ss. *nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut Christus Ecclesiam.* Sive cum **b.** justos *omnes* certos reddunt, Deum quantum est ex se, omnibus dare vitam aeternam. Joan. 6, 40: *Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die;* v. 52; 3, 16. etc. Sive cum **c.** inculcant, Deum nunquam deserere justos, neque permittere, ut tententur supra id, quod possint. Eccli. 2, 12. s.: *Quis enim permansit in mandatis ejus et derelictus est? . . . Protector est omnibus exquirentibus se in veritate*; et aliis omissis 1. Cor. 10, 13: *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione proventum.* Quare cum Prospero concludimus *resp. ad c. 13. gall.:* „Qui dicit, quod quibusdam vocatis et pie justeque viventibus obedientia subtrahatur, ut obedire desistant, male opinantur de Dei bonitate atque justitia[2])."

---

[1]) Cf. Augustinus *enarr. in Ps.* 39. n. 27: „Te jam justum ex fide viventem negliget, deseret, dimittet? Imo vero et hic necessaria subministrat et noxia resecat . . . Dominus curam habet tui, securus esto! Ille portat, qui te fecit: ab artificis tui manu noli cadere: si cecideris a manu artificis, frangeris. Ut autem permaneas in manu artificis, bona voluntas facit . . . Nusquam tibi deest: tu illi noli deesse: tu tibi noli deesse."

[2]) Quod attinet *peccatores fideles* pariter certum est, Deum *omnibus* dare gra-

868. **Thesis CXXV.** ***Omnibus hominibus adultis, etiam infidelibus, datur gratia proxime vel remote ad salutem sufficiens.***

Demonstratio. Thesis statuitur contra calvinianos et jansenianos eaque est inter theologos *certa,* cui favet Ecclesia, cum Alexander VIII. damnaverit prop. (5.): „Pagani, judaei, haeretici aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficienti." Ea autem **1.** consectarium est doctrinae, qua tenemus, ordinem reparationis tam late patere, quam late patet ordo ruinae; nam quod cecidit in Adamo primo, erectum fuit in secundo. Atqui ordo reparatus supponit exigitque gratiam, quae illum penetret totum ac pervadat; cuilibet proinde, qui ad illum pertinet, gratia praesto erit. Est **2.** consectarium th. LXIX. de voluntate Dei salutifera universali, ex qua infert Thomas *lect. 3. in Hebr. 12.:* „Deus vult omnes homines salvos fieri, *et ideo gratia nulli deest,* sed omnibus, quantum in se est, se communicat." Ea consequitur **3.** ex theoremate certissimo, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse (cf. th. CXIV.). Omnes ergo quantum est ex se Patri reconciliavit, omnibusque gratiam promeruit, ut omnes hujus reconciliationis fructibus possint potiri.

869. Praeterea **4.** Deus impossibilia non praecipit: quae doctrina solemnis est in universa Ecclesia. Hinc Pius VI. damnavit prop. 19. synodi pistoriensis, „qua parte generaliter innuit hominem praevaricatorem evasisse per inobservantiam legis, quam impotens esset observare: quasi impossibile aliquid potuerit imperare, qui justus est, aut damnaturus sit hominem pro eo, quod non potuit vitare, qui pius est," ut *falsam, scandalosam, impiam, in Bajo damnatam.* Imo adeo evidens est hoc axioma, ut Augustinus scribat *de duabus animabus c. 11:* „Neminem vituperatione suppliciove dignum, qui id velit, quod justitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest. Nonne ista cantant et in montibus pastores, et in theatris poetae, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in locis sacris, et in orbe terrarum genus humanum?" Atqui omnes omnino homines *tenentur* quaedam servare praecepta, quae absque gratia adimpleri nequeunt, uti sunt praecepta de procuranda salute aeterna, de diligendo Deo *ut oportet*, de agenda poenitentia, quae ad remissionem peccatorum obtinendam disponat. „Homo ergo, merito

---

tiam proxime vel remote sufficientem ad salutem. Hoc probant omnia thesis seq. argumenta et clare docetur in conc. lateranensis cap. *Firmiter:* „Si post susceptionem baptismi quispiam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper poenitentiam reparari;" ideoque etiam pro omnibus instituit sacramentum poenitentiae. Cf. conc. tridentini sess. 6. cap. 14. et sess. 14. cap. 1.

cum Augustino *de gr. et lib. arb. n. 9.* concludere possumus, gratia juvatur, ne sine causa voluntati ejus jubeatur." Accedit **5.** celebre axioma: *Facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam;* ex quo, quomodocumque explicetur, sequitur, omnibus gratiam praesto esse: *quilibet* enim facere potest quod est *in se.* Quare Thomas *de verit. q. 14. a. 11. ad 1.* statuit: „Si aliquis nutritus in silvis vel inter bruta animalia ductum rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium."

870. Accedit **6.** conciliorum et patrum suffragium. Ita e. gr. concilium senonense a. 1528. can. 15. docet: »Neque tamen tanta gratiae necessitas libero praejudicat arbitrio, cum illa semper in promptu sit, et neque momentum quidem praetereat, in quo Deus non stet ad ostium et pulset, cui si quis aperuerit januam, intrabit ad illum et coenabit cum illo.« Et Orosius, Augustini discipulus, in *Apolog. de lib. arbitr.* § 19: »Mea semper haec est fidelis atque indubitata sententia, Deum adjutorium suum non solum in corpore suo, quod est Ecclesia, cui specialia ob credentium fidem gratiae suae dona largitur, verum etiam universis in hoc mundo gentibus propter longanimem sui aeternamque clementiam subministrare, non ut tu (Pelagium alloquitur) cum discipulo tuo Coelestio . . . in solo naturali bono et in libero arbitrio generaliter universis unam gratiam contributam, sed speciatim quotidie per tempora, per dies, per momenta, per ἄτομα et cunctis et singulis ministrare.« Denique **7.** fluit haec veritas ex illo doctrinae capite, quod patres saepe inculcant, homines non ideo perire, quia ipsis desit gratia, sed quod ipsi desint gratiae[1]).

871. **Scholion I.** Argumenta allata fere omnia probant, ne excoecatis quidem et induratis denegari gratiam. *Excoecatio* consistit non solum in hebetudine mentis percipiendi ea, quae ad salutem spectant, sed etiam in positiva judicii perversione orta ex voluntaria repulsa gratiae illustrantis et veritatis manifestae (Is. 5, 26.). *Obduratio* vero opponitur gratiae *inspirationis* et pertinet ad *cor;* estque hujus durities orta ex pertinacia voluntatis peccato firmiter inhaerentis, gratiae emollienti resistentis. Utramque plenius et per causas ita describere possumus: **1.** illius scil. causa velut

---

[1]) Quibus adde **1.** quae de angelis diximus *singulis* hominibus in custodiam deputatis n. 657; **2.** illud doctrinae caput, quo singuli homines exhibentur medii veluti inter Deum invitantem et daemonem seducentem. Ita Augustinus *in Ps.* 91. n. 3: ›Si satanas loqueretur et taceret Deus, haberes unde te excusares; modo aures tuae positae sunt inter monentem Deum (utique voce salutari) et suggerentem serpentem. Quare huc flectuntur, hinc avertuntur? Non cessat satanas suadere malum, sed *nec Deus cessat admonere bonum;* satanas non cogit invitum: in tua potestate est consentire aut non consentire.‹ **3.** Prae oculis habeatur aurea Augustini doctrina l. 2. *de serm. Domini in monte* c. 9, n. 32: ›Nullam esse animam quamvis perversam, quae tamen ullo modo ratiocinari potest, in cujus conscientia non loquatur Deus,‹ voce profecto salutari. Cf. *opusc.* III, 100. annot.

ultima et suprema est Deus, non quidem directe, positive, efficienter, sed permissive, negative, occasionaliter[1]) et illam ordinans ad sapientissimum finem; **2.** causa *moralis* inducens, non tamen necessitatem inferens, est daemon; **3.** causa proxima et vere *efficiens* est perversa hominis libertas; **4.** causa *formalis* coecitas mentis et positiva judicii perversio obstinatioque in malo; **5.** causa *meritoria* crimina hominis praecedentia; tandem **6.** causa *finalis* est manifestatio divinae justitiae, secundum ea, quae docet Paulus Rom. 9, 22. s.

872. **Scholion II.** Ad solvendas exceptiones adversus gratiae universalitatem, praesertim ex Augustino, haec animadvertantur: **1.** Distingui debet inter gratiam *actualem* et *habitualem*. Ex eo autem, quod haec non omnibus detur, non sequitur, neque actualem dari. Illius enim collatio ab hujus bono pendet usu. Distingui debet **2.** inter gratiam *operis,* gratiam *adultam,* et gratiam *orationis, initialem.* Jam vero Augustinus nomine *gratiae, adjutorii* illam, non hanc *saepissime* intelligit[2]); proinde ex eo, quod hinc inde dicat, gratiam quibusdam deesse, non licet *statim* inferre, *omnem* illis deesse gratiam. Distingui **3.** debet inter *dare* gratiam et *habere* vel *accipere* gratiam. »Accipere quippe, inquit Augustinus *de spir. et lit.* n. 60., et habere anima non potest haec dona, de quibus hoc audit *(quid habes quod non accepisti* 1. Cor. 4, 7.), nisi consentiendo; ac per hoc quid habeat et quid accipiat, Dei est. *Accipere* autem et *habere* utique *accipientis* et *habentis* est[3]).« Quare ex eo, quod non omnes acci-

---

[1]) Quomodo Deus sit causa occasionalis indurationis, ita explicat Hieronymus epist. 120. *ad Hedibiam* quaest. 10: »Si patientia Dei induravit Pharaonem et multo tempore poenas distulit Israelis, ut justius condemnaret, quos tanto tempore sustinuerat: non Dei accusanda est patientia et infinita clementia, sed eorum duritia, qui bonitate Dei in perniciem suam abusi sunt. Alioquin unus est solis calor et secundum essentias subjacentes alia solvit alia constringit, alia liquefacit, alia indurat: liquatur enim cera et induratur lutum, et tamen caloris non est diversa natura. Sic et bonitas et clementia vasa irae, quae apta sunt ad interitum, indurat: vasa misericordiae . . . non salvat irrationabiliter et absque judicii veritate, sed causis praecedentibus: quia alii non susceperunt Filium Dei, alii autem recipere sua sponte voluerunt . . . Ex quo ostenditur, non gentes eligi, sed hominum voluntates.«

[2]) Haec animadversio *summi* est *momenti,* facile vero probatur innumeris s. doctoris testimoniis. Ita de *spiritu et lit.* c. 19. n. 34: »Lex data est, ut gratia quaereretur,« scil. major, robustior; alioquin si haec propositio de *prima* intelligeretur gratia, *semipelagiana* omnino esset. *De natura et gratia* c. 15: »Praecepto facere commonemur, quod conantes et nostris viribus non valentes, *adjutorium* divinum precemur.« *De corrept. et grat.* n. 2: »Qui legitime lege utitur, discit in ea malum et bonum, et non confidens in virtute sua confugit ad *gratiam,* qua praestante declinet a malo et faciat bonum.«

[3]) Cf. *serm.* cujus fragmentum exstat t. 5. ed. paris. pag. 1511: »Quidquid nobis jubetur, orandum est, ut impleatur: sed non sic, ut dimittamus nos et quomodo aegri jaceamus supini et dicamus: Pluat Deus escas super facies nostras, ut prorsus nos nihil agere velimus: et cum esca compluta fuerit super os nostrum, dicamus etiam: Deus glutiat de nobis. Aliquid et nos agere debemus, studere

piant vel habeant gratiam, non sequitur, eam ipsis non offerri. Similiter distingui debet inter *non adjuvari* gratia et gratiam *deesse;* nemo enim proprie adjuvatur, nisi ipse cooperetur; si vero non cooperatur, ac proinde non adjuvatur, non sequitur *defuisse* ipsi gratiam. **4.** Cum desertio ex parte Dei in subtractione consistat gratiae, gratia autem multiplex sit gradusque admittat, desertio etiam Dei admittet gradus. *Praecipites* ergo sunt, qui ex eo, quod hinc inde dicatur, Deum aliquos deserere, statim inferunt, eos omni destitui gratia. Verum est **5.** fidem esse *salutis initium,* sed praepostere exinde infertur, ante fidem *nullam* omnino conferri gratiam. Nisi enim gratia fidem praeveniat, actus fidei elici non potest; quocirca damnatae sunt prop. Quesnelli 26: »Nullae dantur gratiae nisi per fidem;« 27: »Fides est prima gratia et fons aliarum.« Fides enim etiam suum habet initium, sua germina, suam conceptionem et auroram, quae prima salutari mentis illustratione, qua Deus ad cor hominis loquitur, continetur. Ideo autem omnis illustratio intellectus ad gratiam *fidei,* sicut omnis inspiratio voluntatis ad *caritatis* gratiam potest revocari, quia omnis illustratio demum tendit ad inducendam, gignendam fovendamque fidem: sicut omnis voluntatis inspiratio ad excitandum caritatis ignem illumque fovendum augendumque aspirat.

873. **Corollarium.** Ex his omnibus liquet, admittendam esse gratiam sufficientem, gratiam scilicet, quae ex intentione operis a Deo confertur, sed ex defectu cooperationis humanae, non vero ex proprio defectu, fructu caret. *Quaelibet* enim gratia, etiam ea, quae caret effectu, efficax est efficacia duplici: *efficacia virtutis* et subjectiva, cum suppeditet vires pares ad salutariter operandum; et *efficacia morali* seu objectiva, qua hominem ad bonum allicit, a malo deterret, licet non semper extorqueat consensum.

Caput III.

De habitu inter auxilium gratiae et liberum arbitrium.

874. *Libertas* **1.** est *generatim* quaedam immunitas ab *imperfectione.* Si vero ea *speciatim* de *voluntate* affirmatur, significat negative immunitatem tam a *coactione,* quam a *necessitate;* hinc positive illam voluntatis praerogativam, vi cujus praeeunte lumine intellectus rationisque consultatione pro lubitu seipsam ad unum ex pluribus determinat, seu vi cujus est *domina suorum actuum.* Sedulo autem **2.** distingui debet inter ipsam *essentiam* libertatis et ejus *sufficientiam,* potestatem, amplitudinem. Essentia libertatis **3.** consistit in *jure* et facultate *seipsum determinandi* et in hac convenit omnis libertas, divina scilicet, angelica et beata, humana, diabolica. »Libertas arbitrii, inquit Bernardus *de grat. et lib. arb.* c. 5. n. 15., cunctis pariter ratione utentibus convenit, non minor quantum in se est in malis, quam in bonis, tam plena in hoc seculo, quam et in futuro.« Duplex vero est **4.** necessitas, *physica et moralis:* ideoque duplex pariter

debemus, conari debemus, et in eo gratias agere, in quo potuerimus: in quo non potuerimus, orare.«

libertas, physica et moralis. Necessitas physica *perimit* libertatem, moralis *circumscribit* libertatem, ejus usum vel abusum impedit, obligando ligat. Porro **5.** libertas *peccandi* censeri nequit *perfectio* voluntatis liberae, imo illius est velut *rubigo.* Quo magis enim quis accedit ad Deum, normam omnis recti, eo magis recedit a peccato, imo et a peccandi possibilitate 1. Joan. 3, 9. Deinde eligendo malum peccamus; electio vero mali est mala, supponit enim judicium intellectus *erroneum* et voluntatis gustum *corruptum.*

875. Praeterea advertatur **1.** libertatem omnium deterrimam et imperfectissimam esse *damnatorum* libertatem, quia ob suam a Deo, fonte omnis boni, aversionem ita confirmati sunt in malo, ut tantum malum eis placeat et tantum inter mala eligere possint. Imperfectam esse **2.** libertatem *hominis* lapsi, qui persaepe difficultatibus a concupiscentia injectis impeditur, a bono honesto avertitur et ad sensibilia legi divinae contraria trahitur. Qua tamen imperfectione non obstante potest homo lapsus eligere non solum inter mala, sed etiam inter bona et mala et inter bona naturae suae congrua (cf. thes. CXXII.). Jam perfectior **3.** libertas est *gratiae,* libertas liberata, libertas justorum: gratia enim illustrationis corriguntur judicia falsa et praejudicia, ut prudens sit deliberatio; gratia inspirationis sanatur palatum voluntatis, ut sana sit electio; ampliatur dominium, augetur ejus sufficientia remotis compedibus concupiscentiae et ignorantiae et subministratione novae virtutis. Ad rem Coelestinus ep. 21. *ad episc. Galliae* c. 6: »Hoc utique auxilio et munere non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum.« Pro insita tamen humanae naturae nondum beatae mutabilitate et reliqua concupiscentiae fragilitate, in eligendo adhuc deficere et malum bono praeferre potest. Felicior **4.** fuit libertas *paradisiaca,* originalis, quae ab omni sive ignorantiae, sive concupiscentiae compede libera, gratia quoque divina aucta bonum eligere et perficere absque ulla concupiscentiae alicujus repugnantia et difficultate potuit. Felicissima **5.** erit libertas *gloriae,* in qua tanta erit visio et ex ea obortus amor summi boni, ut beati nonnisi bonum velle possint et peccare nequeant. Denique **6.** perfectissima est libertas *divina,* ut per se liquet.

876. Ex quibus omnibus patet, liberum arbitrium, licet secundum suum elementum *formale,* quatenus est eligendi facultas, sit *inamissibile,* secundum suum elementum *materiale,* scil. secundum amplitudinem dominii sufficientiaeque virtutem *augeri* et *imminui,* intendi, perfici et *secundum quid* etiam *amitti* posse.

877. Quibus praestitutis ad *habitum* gratiam inter et liberum arbitrium illustrandum accedamus. De quo haec statui possunt principia:

I. *Gratiae est praevenire voluntatem et praeveniendo eam sanare et praeparare ad edenda opera salutaria.* Quod colligitur ex controversia catholicorum cum pelagianis, nominatim vero cum semipelagianis, contra quos strenue propugnatum fuit, indignum esse in ordine salutis secundas tantum partes Deo, primas vero tribuere voluntati, cum ante gratiam homini nihil insit boni in ordine ad salutem, om-

nisque boni et meriti radix sit gratia. Quare jam Augustinus l. 4. *contra duas epist. pel.* l. 4. c. 6. n. 13: „Verumtamen in omnibus, inquit, quae quisque agit secundum Deum, misericordia ejus praevenit eum (Ps. 58, 11.). Quod isti nolunt, quia non esse catholici, sed pelagiani volunt;" et conc. arausicanum II. can. 14: „Nullus miser de quacunque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia praevenitur, sicut dicit Psalmista: *Cito anticipet nos misericordia tua, Domine* (78, 8.); et illud: *Deus, misericordia ejus praeveniet me* (58, 11.)."

878. Praeveniendo autem gratiam *sanare* et *praeparare* voluntatem ad edendos actus salutares, colligitur ex *gratiae scopo.* Duplici enim ex capite indiget homo gratiae auxilio: tum quia *physice* est impotens ad actus eliciendos supernaturales; tum quia propter concupiscentiae morbum ad malum admodum est propensus, adeo ut omne opus bonum, etiam tantum ordinis naturalis, ei reddatur difficile; ut ergo sit par et expeditus ad actus salutares, et illa impotentia *physica* et haec impotentia *moralis* seu infirmitas est *auferenda* et *sananda:* quod praestat gratia praeveniens.

879. II. *Sanat et praeparat gratia voluntatem indeliberatis mentis illustrationibus voluntatisque inspirationibus atque subministratione virtutis.* Quod colligitur ex gratiae nos praeparantis descriptionibus, quae passim in conciliis et patrum operibus leguntur. Ita Augustinus l. 1. *ad Simplicianum* q. 2. n. 2: „Nullo modo ista (eleemosynas, orationes, etc.) operaretur (Cornelius Act. 10, 2.), nisi ante credidisset; nullo modo autem credidisset, nisi vel secretis per visa mentis aut spiritus, vel manifestis per sensus corporis admonitionibus vocaretur." Et iterum n. 21: „Quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est aliqua rerum testificatione tangatur? Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem? quis autem animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat? aut quis habet in potestate, ut vel occurrat, quod eum delectare possit, vel delectet, cum occurrit? Cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc et praebetur gratia Dei, non nutu nostro et industria aut operum meritis comparatur: quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii, ut sint opera caritate ferventia, ille tribuit, ille largitur."

Et sane ad salutariter eligendum et agendum necesse est, ut mentis tenebrae dissipentur, tot erronea judicia corrigantur de objectorum bonitate vel malitia illorum speciei fallaci innixa; ut pellantur nebulae a concupiscentia excitatae ad impediendum rectum rationis judicium; necesse est, ut corrigatur corruptum voluntatis palatum, cui sapiunt fallacia hujus mundi bona, imo et vitia, desipiunt vera et

aeterna bona, virtutes atque praecepta divina. Hoc vero efficitur immissis illustrationibus inspirationibusque supernis, quas Deus in nobis sine nobis operatur[1]), quaeque viam sternunt ad actum deliberatum, qui plurimum a praevia mentis voluntatisque dispositione pendet.

880. Gratiam *subministrare virtutem*, docent tum Scripturae, ut cum Christus affirmat Joan. 15, 5., nos sine ipso, sine suo influxu nil posse in ordine salutis[2]); tum patres quoties inculcant, nos absque gratia nil plane posse, gratia nos in omnibus juvari; sive cum passim gratiam dicunt virtutem seu virium subministrationem, ut possimus bonum peragere.

Ita Augustinus s. 42. *de verbis Is.* c. 3: »Quomodo gratia te a te liberat? dimittendo peccata, donando merita, *dando tibi vires* ad pugnandum adversus concupiscentias tuas, *inspirando virtutem*, dando coelestem delectationem, qua omnis delectatio superatur.« Augustino consentit Fulgentius *de fide ad Petrum* c. 32. scribens: »Firmissime tene . . . divinis mandatis obedire neminem posse, nisi quem Deus gratia sua praevenerit, ut quod audit corpore, corde etiam percipiat, et accepta divinitus bona voluntate atque *virtute* mandata Dei facere et velit et possit.« Ad rem quoque Bernardus *de gratia et lib. arbitrio* c. 1: »Non est ejusdem facilitatis scire, quid faciendum sit, et facere; quoniam et diversa sunt, coeco ducatum ac fesso praebere vehiculum. Non quicunque ostendit viam, praebet etiam viaticum itineranti. Aliud illi exhibet, qui facit, ne deviet; et aliud qui praestat, ne deficiat in via. Ita nec quivis doctor statim et dator erit boni, quodcunque docuerit. Porro duo mihi sunt necessaria, doceri ac *juvari*.« Idem docet schola. Ita Thomas, qui et hujus asserti reddit

---

[1]) Praeclare hanc gratiae operationem describit Prosper *contra Collatorem* c. 7: »Quis perspicere aut enarrare possit, inquit ipse occasione Joan. 6, 44., per quos affectus visitatio Dei animum ducat humanum, ut quae fugiebat sequatur, quae oderat diligat, quae fastidiebat esuriat: ac subito commutatione mirabili quae clausa ei fuerant, fiant aperta, quae onerosa, sint levia, quae amara, sint dulcia, quae obscura, sint lucida? Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult (1. Cor. 12, 11.)« Neque minus praeclare Fulgentius *de incarn. et gr.* seu ep. 17. n. 41: »Qua gratia humanum non aufertur sed sanatur, non adimitur sed corrigitur, non removetur sed illuminatur, non evacuatur sed adjuvatur atque servatur arbitrium, ut . . . in quo coecus fuit homo, in eo accipiat lumen.« Cf. supra n. 875. verba Coelestini. Quibus egregie gratiae influxus in liberum arbitrium declaratur: qui etiam similitudine aliqua (utique inadaequata) illustrari potest. Sicut qui noctu lucernam accendit, ut quis discernere possit prudenterque eligere inter lapides pretiosos atque alios, qui nullius sunt pretii, hujus libertatem non adimit, non impedit, sed potius juvat; neque medicus sanans aegroti palatum, cui ex morbi vitio cibi sani desipiebant: ita nec gratia intellectum illustrans et voluntatem corrigens, hominis interimit libertatem, sed potius perficit.

[2]) Concilium trid. sess. 6. cap. 16: »Ille ipse Christus Jesus tamquam caput in membra et tamquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter *virtutem influit*, quae virtus eorum opera semper antecedit, comitatur et subsequitur.

rationem. „Nihil enim, inquit, l. 3. *c. gentes* c. 53. n. 4., potest ad altiorem operationem elevari, nisi per hoc, quod ejus virtus fortificetur.« Cf. supra n. 833.

881. III. *Porro hae vires, quas gratia suppeditat, nostrae fiunt et inter vires voluntatis proprias sunt recensendae.* Quocirca Augustinus passim eas vocat *nostras*, vires voluntatis nostrae. Ita *de civit. Dei* l. 16. c. 32. referens, quomodo Deus Abrahamum probaverit (Gen. 22.), scribit: „Plerumque aliter animus humanus sibi ipsi innotescere non potest, nisi *vires suas* sibi non verbo, sed experimento, tentatione quodammodo interrogante respondeat. Ubi si *Dei munus* agnoverit, tunc solidatur firmitate gratiae.“ *Epist.* 186. al. 106. n. 5: „Bonum igitur est homini, ut cum *totis viribus liberi arbitrii* sui dicat: *Fortitudinem meam ad te custodiam* (Ps. 58, 10.).“ Illas confert Richardus a. s. Victore *de statu interioris hominis* c. 16. cum militibus, qui ad imperatoris sunt nutum.

882. IV. *Quare gratia voluntatem praevenit et praeveniendo praeparat non solum objective et moraliter, sed et subjective et physice*[1]). Quibus continetur discrimen inter gratiam *catholicorum* et gratiam *pelagianorum,* qui, si aliquam admittebant gratiam, eam tantum concedebant, quae *extrinsecus* vocaret, invitaret, alliceret, suaderet, objective scil. et moraliter, qua ratione etiam homo hominem juvare, docere etc. potest: abhorrebant vero ab ea gratia, quae intrinsecus mentem voluntatemque afficeret, refingeret, elevaret ad altiorem operandi statum, quae subjective et physice praepararet voluntatem.

883. V. *Voluntatis autem praedicto modo praeparatae est, gratiae praevenienti consentire eaque uti, adeo ut actus salutares deliberati nec soli gratiae, nec soli vicissim libero arbitrio adscribi possint, sed proficiscantur ab una causa adaequata, quae est voluntas viribus aucta gratiae.* Singula hujus propositionis membra paucis illustrabimus. *Voluntatis praedicto modo praeparatae esse, gratiae consentire eique cooperari,* docet concilium tridentinum sess. 6. cap. 5. statuens, homines „per ejus (Dei) excitantem et adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem eidem gratiae libere assentiendo et cooperando disponi: ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem neque homo ipse nihil omnino agat

[1]) Quare si nomine *praemotionis physicae* nihil aliud intelligitur, quam haec praeparatio voluntatis, quae non solum morali et objectivo, sed et *subjectivo* et *physico* influxu continetur, illam non solum non rejicimus, sed ultro admittimus. Si vero ad eam requiritur etiam *praedeterminatio physica* ab intrinseco efficax, qua posita infallibiliter *vi praemotionis* actus sequatur, eam admittere non possumus propter rationes infra afferendas.

inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit.“ Quod confirmant omnes exhortationes, quibus Deus peccatores jugiter per Scripturam et Ecclesiam hortatur, *ne in vacuum Dei gratiam recipiant* 2. Cor. 6, 1., sed strenue eidem cooperentur.

Ad rem inculcat s. Augustinus *de pecc. meritis et remiss.* l. 2. c. 5: „Nec ideo solis de hac re (de acquirenda justitia) votis agendum est, ut non subinferatur adnitendo etiam nostrae efficacia voluntatis. *Adjutor* enim noster Deus dicitur, nec *adjuvari* potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur. Quia non sicut in lapidibus insensatis aut sicut in eis, in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis.“ Ita vero scribit Hieronymus *in ep. ad Galatas,* 5, 8.: „Aliud Dei opus est, aliud hominum: Dei opus est vocare, hominum vel credere vel non ... Sive ergo in bonam sive in malam partem, nec Deus nec diabolus in causa est, quia persuasio nostra non est ex eo, qui vocavit nos, sed ex nobis, qui vel consentimus, vel non consentimus vocanti.“

884. *Voluntatis sic praeventae et praeparatae est gratia uti;* quod sponte sua consequitur ex iis, quae demonstravimus n. 881. Si enim gratiae est, voluntati conferre novas vires, quae ipsius redduntur *propriae:* profecto poterit iis uti, sicut utitur viribus ab ipsa natura insertis. Hunc enim in finem voluntati conferuntur ejusmodi vires, ut, suppleta ejus naturali insufficientia, subministratione novae virtutis ipsa voluntas *possit,* quae ante non valuit, praestare. Quare doctor seraphicus: „Sicut voluntas, inquit, movet seipsam ad opera naturalia, sic adjuta per gratiam movet se ipsam ad opera meritoria.“

885. *Actus salutares et gratiae et libero arbitrio esse tribuendos* (quod est *tertium* nostrae assertionis membrum), adeo clare tradunt ss. literae, ut plane superfluum sit data opera id confirmare. Non posse autem hos actus alterutri *exclusive* et *seorsim* adscribi, manifestum est per se. Quotiescunque enim ad aliquem effectum producendum duo principia concurrunt et necessario requiruntur, neutri seorsim et exclusive tribuere illum licet. Atqui ad actum salutarem et gratia requiritur et voluntas gratia praeventa huic eidem cooperans gratiae; ergo nec gratiae seorsim, nec soli voluntati licet vindicare actus salutares. Quod egregie nos docet s. Paulus 1. Cor. 15, 10: *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

Horum verborum occasione scribit Gregorius M. Moral. l. 16. c. 25: „Quia divina nos bonitas, ut innocentes faciat, praevenit, Paulus ait: *Gratia autem Dei sum id, quod sum.* Et quia eandem gratiam nostrum liberum arbitrium sequitur, adjungit: *Et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi.* Qui dum se de se nihil esse conspi-

ceret, ait: *Non autem ego.* Et tamen quia se esse aliquid cum gratia invenit, adjunxit, *sed gratia Dei mecum.* Non enim diceret *mecum,* si cum praeveniente gratia subsequens liberum arbitrium non haberet. Ut ergo se sine gratia nihil esse ostenderet, ait: *Non ego.* Ut vero se cum gratia operatum esse per liberum arbitrium demonstraret, adjunxit: *Sed gratia Dei* mecum[1]).«

886. Idem evincit accurata analysis actus salutaris, cujus characteres essentiales sunt, ut sit *vitalis,* alioquin non esset noster; ut sit *liber,* secus meritorius non foret et hinc nec laude dignus; ut sit *supernaturalis,* quo conducere possit ad salutem. Atqui supernaturalis non foret, si voluntas sibi relicta ipsum eliceret; liber non esset, si causa adaequata foret gratia secluso voluntatis consensu. Ergo actus salutaris nec gratiae seorsim, nec seorsim libero arbitrio est adscribendus. Unde sequitur, *illum adscribi debere gratiae et libero arbitrio, quatenus unam adaequatam constituunt causam,* voluntati scil. gratia praeventae, praeparatae, auctae. Quocirca Augustinus disserens de bono pudicitiae *c. Julianum* l. 5. c. 16. n. 65. ait, hoc esse discrimen catholicos inter et pelagianos: „Vos ipsius animi viribus hoc tribuitis, ego *adjutae per Dei gratiam voluntati.*" Ad quid enim Deus gratiam

---

[1]) Prae ceteris accurate hanc doctrinam tradunt s. Anselmus et s. Bernardus, quorum ille *de concordia gratiae et liberi arbitrii* ita disputat c. 5. al. 15: »Si bene considerentur quae dicta sunt, aperte cognoscitur, quia cum aliquid dicit s. Scriptura pro gratia, non amovet omnino liberum arbitrium: neque cum loquitur pro libero arbitrio, excludit gratiam: quasi sola gratia aut liberum arbitrium solum sufficiat ad salvandum hominem . . . Ita quippe intelligenda sunt dicta divina, ut hoc excepto, quod dixi de infantibus, nec sola gratia nec solum liberum arbitrium salutem hominis operetur. Quippe cum dicit Dominus: *Sine me nihil potestis facere* (Joan. 15, 5.), non ait: Nihil valet vobis vestrum liberum arbitrium, sed nihil potest (*al.* prodest) sine mea gratia. Et cum legitur: *Neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (Rom. 9, 16.), non negatur in volente et currente aliquid prodesse liberum arbitrium, sed significatur, non esse imputandum libero arbitrio, quod vult et quod currit, sed gratiae . . . Sicut ergo quamvis naturalis usus non procreet prolem sine patre nec nisi per matrem, non tamen removet ullus intellectus aut patrem aut matrem a generatione prolis: ita gratia et liberum arbitrium non discordant, sed conveniunt ad justificandum et salvandum hominem.« Bernardus vero *de grat. et lib. arbitrio* c. 14. n. 47. scribit: »Ipsa (gratia) liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum; sanat, cum immutat affectum; roborat, ut perducat ad actum; servat, ne sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, ut tantum illud in primo praeveniat, in ceteris comitetur; ad hoc utique praeveniens, ut jam sibi deinceps cooperetur. Ita tamen quod a sola gratia coeptum est, pariter ab utroque perficitur, ut mixtim, non singillatim; simul, non vicissim, per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt. Totum quippe hoc et totum illa; sed ut totum in illo, sic totum ex illa.«

nobis concedit, nisi ad sublevandam roborandamque hominis impotentiam et insufficientiam ad actus salutares? Nonne potest homo post adeptam gratiam cum Paulo dicere: *Omnia possum in eo, qui me confortat* (Philip. 4, 13.)? Ergo homo seu voluntas gratia aucta et roborata causa est adaequata actus salutaris.

887. **Thesis CXXVI.** ***Voluntas autem non ita gratiae praevenienti consentit, ut non possit etiam dissentire; proinde sub gratiae influxu manet libera, neque ad unum determinatur.***

Demonstratio. Secundum lutheranos, calvinianos et jansenianos gratia necessitatem infert voluntati, ideoque cum homo gratiae resistere non possit, non solum infallibiliter, sed et irresistibiliter ac necessario bonum operatur. Contra quos statuimus thesim, qua enunciamus dogma fidei, ut colligitur ex conc. tridentino sess. VI. cap. 5. (n. 883.) et can. 4: »Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet, neque posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere mereque passive se habere, A. S.« Quocirca damnata fuit ut *haeretica* prop. 3. Jansenii: »Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur.«

888. Probatur autem dogma catholicum **1.** ex divinis literis; nam Eccli. 31, 8. ss. laudatur[1]) dives *sub gratia constitutus,* qui cum potuisset transgredi, non est transgressus; cum potuisset facere mala, non fecit. Qui vero ita describitur et propterea laudatur, non est *ad unum* determinatus, sed in sua *potestate* habet agere *quod vult,* proinde est *liber.* Ad haec **2.** gratia ad unum determinans excludit *electionem, defectum cooperationis,* nullum relinquit locum *exhortationi.* Atqui in divinis literis hominibus gratia praeventis facultas adscribitur *eligendi:* Eccli. 15, 16. ss.: *Si volueris mandata servare, conservabunt te . . . Apposuit tibi aquam et ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit ei, dabitur illi;* Deut. 30, 19: *Testes invoco hodie coelum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas et semen tuum, et diligas Dominum Deum tuum* etc.; monentur homines, ut gratiae strenue *cooperentur:* Philip.

[1]) *Beatus dives, qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo et perfectus est, erit illi gloria aeterna: qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino et eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum.* Revera autem sermonem esse de eo, qui *sub gratia* est *constitutus,* patet fere ex singulis incisis, cum homo gratia destitutus neque *beatus* praedicari, neque *sine macula* esse, neque eleemosynas *salutares* facere, neque legem *integram* servare possit.

2, 12: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini;* 2. Petr. 1, 10: *Fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis;* siquidem ex defectu cooperationis fieri possit, ut gratia maneat vacua, 2. Cor. 6, 1: *Adjuvantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Ergo gratia ad unum non determinat, neque libertatem perimit.

889. Probatur **3.** ex controversia cum pelagianis; neque enim **a.** controversia cum his erat de *libero arbitrio*, sed de hujus *sufficientia* in ordine salutis, utrum scilicet ex se, an ex gratia sufficiens sit ad opera salutaria; hinc **b.** ut calumniam Augustinus rejicit pelagianorum exceptionem, catholicos *negare* liberum arbitrium. Nomine vero **c.** *liberi* arbitrii omnes intelligebant facultatem immunem a necessitate suique juris, neque enim ulla de hac ejus dote erat controversia. Ita e. g. Augustinus *de nuptiis et concup.* l. 2. n. 8: „Liberum in hominibus esse arbitrium, inquit, . . . *utrique* dicimus. Non hinc estis coelestiani et pelagiani. Liberum autem esse quemquam ad agendum bonum *sine adjutorio Dei* . . . hoc vos dicitis, hinc estis *coelestiani* et *pelagiani.*" Supponebant ergo catholici gratiam optime consistere cum libero arbitrio illudque non perimere.

890. Ex revelationis doctrina **4.** est manifestum, gratiam virtutem suam non *adversus* liberum arbitrium exserere, illud opprimendo et evertendo, sed *pro* libero arbitrio ipsum juvando, firmando, perficiendo. Cf. n. 879. annot. Atqui secundum Thomam 1. p. q. 83. a. 3., „proprium liberi arbitrii est electio: ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimur, quod possumus unum recipere alio recusato, quod est eligere." Ergo et voluntas sub influxu gratiae retinet eligendi facultatem. „Neque enim, inquit ad rem Augustinus *ep.* 157. c. 2., voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia juvatur: sed ideo juvatur, quia non tollitur." Praeterea **5.** gratiae est refingere, reformare, restaurare liberum arbitrium peccato originis infirmatum et inclinatum. Atqui profecto Adamus sub influxu gratiae ad unum non fuit determinatus. Non enim gratia necessitatem infert, sed potius compedes removet, obstacula tollit, libertatem liberat secundum verba Christi Joan. 8, 26. Nae, ille ne *tenuissimam* quidem gratiae ideam habet, qui eam fingit necessitantem.

891. Nominatim vero contra Jansenium urgeri potest can. 4. sess. 6. conc. tridentini (supra n. 887.), cujus vim frustra evadere conatur inepto plane commentario, definiri nimirum illo canone, hominem dissentire posse *si velit:* non tamen *posse* hominem sub gratia constitutum *velle dissentire.* Nam **1.** haec sophistica exceptio adversatur usui loquendi; **2.** inutilem reddit canonem: neque enim Lutherus et Calvinus negarunt cooperationem necessitate extortam, sed *liberam* a nutu voluntatis pendentem. Est **3.** inepta, quia tunc liceret pariter dicere, *Deum posse peccare, si velit,*

atque ideo esse *liberum ad peccandum:* quae loquendi ratio omnino abhorret ab auribus christianis. Quare **4.** in cap. 5. (n. 883.) parallelo, omittuntur verba *si velit.* Ergo *absolute* verum est, hominem sub gratia constitutum *posse* dissentire, quod secundum Jansenii explicationem falsum est. Ergo secundum conc. tridentinum gratia necessitatem non infert.

892. **Thesis CXXVII.** ***Nexus inter gratiam boni operis liberamque eorum, qui bene operantur, voluntatem, non est ex sese infallibilis, sed ejusmodi, qui cum de facto adsit, abesse quoque potuerit.***

Declaratio. Jam alia controversia oritur longe subtilior, quae incolumi manente dogmate catholico aliter atque aliter a theologis catholicis dissolvitur, utrum scil. voluntas gratia praeventa et ad actum salutarem praeparata, ita ad agendum moveatur, applicetur, inducatur, ut ex interna gratiae virtute opus bonum infallibiliter sequatur, fierique nequeat, ut manente eadem gratia et ad bonum impulsu, illud non sequatur; an potius contingere possit, ut cum eadem plane gratia unus bene operetur, alter vero opus omittat: adeo ut nexus inter gratiam boni operis et ipsum opus non sit *ex se* infallibilis, non pendeat *ex ipsa interna gratiae virtute,* sed a consensu liberae voluntatis. Gratiam *ex sese* esse *efficacem* affirmant innumeri gravissimique theologi, sed etiam quam plurimi theologi primi subsellii negant.

893. Qui vero gratiam *ex se efficacem* tuentur, pro varietate systematis, cui inhaerent, aliter atque aliter hanc efficaciam explicant. Thomistarum sententia ad haec revocari potest principia: **1.** Deus est omnium prima causa, primus omnium motor, ad quem omnes revocantur motus, ideoque omnes etiam volitiones actionesque humanae. Neque solum idcirco **2.** quod creatura rationalis ab ipso habet *potentiam* volendi agendique, sed ipsum quoque actum. Sicut enim instrumento ad agendum praeter *aptitudinem* necessaria est *applicatio;* ita voluntati non sufficit τὸ *posse* (quod ad actum supernaturalem confertur a gratia *sufficienti),* sed ea ad opus *applicari* a Deo debet. Haec vero **3.** *applicatio* dicitur *praemotio physica,* quae est actio divina, per quam potentia rebus creatis naturaliter vel supernaturaliter indita modo naturae agentis consentaneo ad opus applicatur. Qua **4.** posita *certo* et *infallibiliter* vi ipsius sequitur actus, sed *absque ulla libertatis laesione* in natura rationali; Deus enim **5.** praemovendo et praedeterminando causas secundas illis se accommodat pro earum indole et natura, adeo ut necessariae necessario, *liberae libere* agant. Consensus tamen liber *semper* est *effectus efficaciae* gratiae *et nunquam hujus causa.*

894. Secundum augustinianos gratiae efficacia in praesenti rerum ordine consistit in *delectatione relative victrice* seu in caritate, quae sua graduum intensione superat contrariam cupiditatis delectationem. Hi distinguuntur a thomistis, cum admittant praemotionem *moralem* tantum; a jansenianis vero, quod negent hanc delectationem inferre *necessitatem,* licet ea posita actus *certo* et *infallibiliter* sequatur. Alia systemata ad alterutrum ex his plus minusve accedunt. Ita Thomassinus, quod augustinianenses *uni* adscribunt gratiae, auxiliorum tribuit *cumulo,* quibus Deus gradatim hominis expugnat voluntatem. Alii cum Alph. Moyne, Ysambert, Tournely, s. Alphonso etc., ut facilius omnes expediant difficultates atque dissidia de gratiae efficacia componant, *duplicem* admit-

tunt gratiam, aliam *ex voluntatis consensu,* aliam *ex sese* atque intrinsecus efficacem; illam potissimum dari censent ad opera *faciliora,* praesertim *ad orationem:* qua si homo bene utitur, impetrabit gratiam *ex sese* efficacem ad opera difficiliora, ad perfectam hominis conversionem.

895. Verum praeferenda[1]) nobis videtur sententia, quae statuit, gratiam *ex sese non esse ita efficacem,* ut ea posita infallibiliter (praecisione facta a divina praescientia), insuperabiliter sequatur actus salutaris; cum hic manente *eadem plane gratia* deesse quoque possit, propter cooperationis defectum: proinde gratiam denominari efficacem *ex consensu,* qui manente eadem gratia abesse etiam potuisset. Quam sententiam nobis probant omnia fere ea, quibus thesim praec. probavimus. Praeterea legimus **1.** Matth. 11, 20: *Tunc coepit exprobrare civitatibus, in quibus factae sunt plurimae virtutes ejus, quia non egissent poenitentiam: Vae tibi Corozaim, vae tibi Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent.* Quibus testatur Christus, *illam eandem plane gratiam,* quae in incolis Tyri et Sidonis fuisset *efficax,* fuisse *inefficacem* in Bethsaidae incolis. Quam primum vero supponitur Christum non loqui de *eadem plane gratia,* vel tyrios habituros fuisse praemotionem physicam, vel delectationem victricem, qua carebant, ut eventus ostendit, incolae Bethsaidae, Christi reprehensio non fuisset *aequa.* Nexus ergo inter gratiam et bonum opus non est *ex se* infallibilis, individuus. 2. Cor. 6, 1. hortatur Paulus corinthios, *ne in vacuum gratiam Dei recipiant:* quae exhortatio supponit fieri posse, ut *eadem* gratia sit vel *vacua* vel *frugifera,* et hoc discrimen *a nobis*

---

[1]) Candide fateor, quod sentio: discrimen inter eos, qui tuentur gratiam *ex se* efficacem, et eos, qui hanc gratiae efficaciam negant, esse *theoreticum* tantum, non practicum, ac saepe consistere tantum *in verbis.* Omnes enim, qui *catholice* docere, sentire et loqui velint, concedunt, gratiam *non perimere liberum arbitrium* ideoque hominem sub gratia manere liberum; eum *gratiae posse resistere,* ipsius esse gratiae cooperari; imo omnes in suis ad populum concionibus, in libris asceticis, in praxi, etiamsi acerrime propugnent in libris *dogmaticis* praemotionem *physicam,* loquuntur *secundum sententiam Molinae et Lessii,* scil. *nostrum esse gratia uti, a nobis pendere post gratiam profectum in virtute, Deum exspectare nostros conatus,* nobis satagendum esse, ut per bona opera certam faciamus nostram electionem, nos a *gloria* nobis proposita socordia nostra *posse excidere:* quae quidem propositiones in *theoria* per inscitiam vel cordis angustias a nonnullis *semipelagianae* censentur, sed rite intellectae *plane catholicae* sunt, cum in omnium versentur ore et in praxi quotidie inculcentur. *Magnum veritatis argumentum! Praeferendum* omnino videtur systema, quocum concordat *praxis,* modus loquendi quotidianus et unice aptus ad excitandos homines ad omne virtutis studium, illi theoriae, a qua plus minus *dissentit praxis* modusque practicus instituendi populum christianum.

pendere. Ergo ratio nexus cum bono opere non est quaerenda in *ipsa gratia,* sed *in cooperatione* et *voluntate nostra.* Gratia ergo non est *ex sese* efficax.

896. Docent **2.** Scripturae et patres, Deum voluntates gratia praeventas *exspectare,* ut fructus edant salutis, quae loquendi ratio manifesto ostendit, nexum inter gratiam et bona opera non esse infallibilem, individuum, sed talem, qui pendeat a voluntatis cooperatione. Cf. Isai. 5, 1. ss., ubi inter alia Deus haec ad populum Israel dicit: *Quid est, quod debui ultra facere vineae meae et non feci ei? an quod exspectavi, ut faceret uvas et fecit labruscas?* Prov. 1, 24. s.; Apoc. 3, 20: *Ecce sto ad ostium et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et coenabo cum illo et ipse mecum*; Matth. 23, 37: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti.* Ita et Augustinus in Ps. 144. n. 11: „Vocat te tunc, exhortatur te nunc, *exspectat,* donec resipiscas, et tu tardas?"

897. Docent **3.** Scripturae et patres, hominem sub influxu gratiae ita esse *dominum suorum actuum*, ut in ipsius potestate sit agere vel non agere (n. 888.). Atqui si gratia boni operis *praedeterminat* voluntatem, ita ut posita hac praemotione, vi ipsius infallibiliter et *insuperabiliter* sequatur bonus actus, non videtur amplius in *expedita* hominis potestate esse *pro lubitu* agere vel non agere, *pro nutu* se ipsum determinare: neque voluntas a principio superiori et a se independenti ita praemota ad actum bonum, ut hic vi praemotionis indeclinabiliter sequatur, videtur pro nutu se ipsam determinare, quod tamen de essentia est libertatis. „Dominium enim, inquit Thomas l. 1. *contra gentes* c. 68., quod habet voluntas supra suos actus, per quod est in ejus potestate velle vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum." Ita et Augustinus *de gestis cum Felice manich.* l. 2. c. 4: „Habet unusquisque in voluntate aut eligere quae bona sunt, et esse arbor bona, aut eligere, quae mala sunt, et esse arbor mala." Et *in Ps.* 76. serm. 1. n. 2: „Non erat in potestate tua, ut non nascereris ex Adam; est in potestate tua, ut credas in Christum."

898. **Scholion I.** Maxime provocant **1.** patroni gratiae *ex se* efficacis ad haec vel similia testimonia: Ez. 11, 19. s.: *Et dabo eis cor unum* (vel 36, 26: *novum), et spiritum novum tribuam in visceribus eorum* (ib. *ponam in medio vestri), et auferam cor lapideum de carne eorum et dabo eis cor carneum, ut in praeceptis meis ambulent et judicia mea custodiant faciantque ea:* vel ut habetur 36, 27: *Et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis et judicia mea custodiatis et operemini.* Phil. 2, 13: *Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate* etc.

Verum interrogemus[1]) Augustinum, cui maxime fidunt alterius sententiae patroni, quomodo Deus *operetur in nobis velle et perficere, faciat ut faciamus.* Respondet **a.** hoc Deum operari gratia sua nos praeveniendo, *alliciendo, invitando, movendo*[2]) etc. Et revera causae morali, etiam homini motivis gravibus allicienti, inducenti, moventi alterum hujus opera adscribi possunt, etiamsi motiva et rationes, quibus utitur, *ex sese* et infallibiliter non sint efficaces. Ita de homine consulente, mandante, impellente ad homicidium dici potest, eum effecisse ut alter homicidium patraret. Ita Demosthenes omnia egit, ut athenienses bellum adversus Philippum macedonum regem gererent. Eoque magis dici potest Deus operari in nobis ipsum velle, quod non solum objective moveat, ut homo quilibet, sed ipsa prima voluntatis initia inserat et in nobis operetur, scil. actus *indeliberatos* amoris, desiderii, qui actum deliberatum praevertunt eique viam sternunt. *Facit Deus* **b.** *ut faciamus, conferendo vires,* subministrando virtutem[3]). Qua subministratione virtutis perficitur prior modus, ideoque ingens exsistit discrimen inter Deum et hominem, qui suadendo, alliciendo etc. facit, ut alius aliquid faciat. *Facit* praeterea **c.** *Deus, ut faciamus, adjuvando nos.* Et haec explicatio passim apud Augustinum reperitur[4]). Ex quibus liquet, Deum non dare tantum τὸ posse, sed et ipsum agere.

---

[1]) Advertatur verba prophetae dici *de omnibus*, qui ad novum spectant testamentum; verba vero Apostoli scribi ad *omnes fideles*, non ad *praedestinatos* tantum: et tamen *non omnes* fideles observant praecepta Domini, in iis ambulant, bonum volunt et perficiunt. Ergo *evidenter* significatur tantum, haec Deum operari gratia sua, *quantum est ex se;* nullo modo evincunt, gratiam ex *sese* esse efficacem, alioquin in *omnibus* fidelibus hunc haberet effectum.

[2]) Ita *de spiritu et lit.* c. 34. n. 60: „*Visorum suasionibus,* inquit, *agit Deus, ut velimus et ut credamus* sive extrinsecus per evangelicas exhortationes . . . sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem; sed *consentire vel dissentire propriae voluntatis est.* His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat (neque enim credere potest quodlibet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio, cui credat): profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus praevenit nos; consentire autem vocationi Dei vel ab ea dissentire, ut dixi, propriae voluntatis est.‟

[3]) „Et ipsa bona opera nostra, inquit Augustinus *de Genesi c. Manich.* l. 1. c. 22., illi tribuenda sunt, qui vocat, qui ut velimus invitat et vires implendi ea, quae imperat, subministrat.‟ „Certum est, inquit iterum *de grat. et lib. arb.* n. 32., nos facere, ut faciamus: sed *ille facit, ut faciamus praebendo vires efficacissimas voluntati,* qui dixit: *Faciam, ut in justificationibus ambuletis* etc.‟ Neque cum s. Doctor loquitur de viribus *efficacissimis,* cogitandum est de gratia *ex se* efficaci *efficacia operis,* sed de gratia efficaci *efficacia virtutis.*

[4]) Ita enim scribit *de gratia Christi* c. 25: „Velle et operari operatur in nobis (Deus), non quia nos non volumus, aut nos non agimus, sed quia sine ipsius adjutorio nec volumus boni aliquid, nec agimus.‟ Denique *de gratia et lib. arb.* c. 15. n. 31: „Quare jubet: *facite vobis cor novum* (Ez. 18, 31.), si ipse daturus est? Quare dat, si homo facturus est, nisi quia dat quod jubet, *cum adjuvat,* ut faciat, cui jubet?‟ Imo secundum Augustinum, ut Deus dici possit *operari in cordibus nostris,* sufficit, si quaedam extrinsecus permittit vel facit, quae hominibus jam malis occasionem praebent ad graviores lapsus; tantum ab-

899. Provocant **2.** ad Joan. 6, 44., ubi legimus: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Sed **a.** haec intelligi debent de eo tractu, qui congruit creaturae *rationali,* cui congruit tractus non necessitans, sed talis qui relinquat *plenum* proprii actus *dominium,* qui proinde continetur suasione, illecebris etc. Quod suadetur **b.** verbis Christi, qui explicans, *quo pacto* Pater *trahat,* subjicit: *et erunt omnes docibiles Dei* διδακτοὶ Θεοῦ, a Deo edocti; *omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me. Docendo* ergo, suadendo, illuminando trahit Pater; doctrina autem et suasione voluntas ad credendum non necessitatur, et ad discendum requiritur discipuli libera cooperatio[1]). Nec alia ratione **c.** haec verba explicant patres, quorum interpretationes diligenter collegit Ripalda *de ente supernat.* disp. 104. sect. 5. Licet vero **d.** huic tractui resisti possit (docet enim conc. senonense decr. 15: »Nec tale esse hujusmodi Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit«): negari tamen nequit, verbum *trahere* admodum esse aptum, ut significetur tum gratia, quae praevenit voluntatem, tum gratiae efficacia ac virtus, quae quandoque vel momento peccatores etiam obstinatos convertit.

900. Verum est **3.**, salutem nostram *non esse volentis et currentis,* sed *miserentis Dei* (Rom. 9, 16.): non tamen ita, ut excludatur libera hominis cooperatio, ut patet ex dictis. Hisce scil. verbis duplex praesertim gratiae inculcatur proprietas: summa ejus *necessitas* et omnimoda *gratuitas.* Gratiae est enim praevenire hominis voluntatem: non hominis est incipere in ordine salutis. Quod praeclara similitudine illustrat Anselmus *de concord. grat. et lib. arbitr.* c. 5: »Cum ait, *neque volentis, neque currentis est,* subaudiendum est, *quod vult et currit:* velut cum aliquis nudo, cui nihil debet, et qui nullum a se potest indumentum habere, dat vestem: non tunc, quamvis ipse habeat potestatem utendi vel non utendi veste accepta, si ea utitur, imputandum est induto, quia indutus est, sed danti vestem. Quapropter ita dici potest: non est induti, quod est indutus, sed miserentis i. e. vestem dantis.«

901. Nihil verius **4.** *omnia nostra opera bona Deo esse adscribenda,* ejus esse dona: facit enim, ut faciamus; imo *totum* in ordine salutis *Deo esse tribuendum.* Propterea tamen gratia nec necessitatem infert, nec ab intrinseco efficax censeri debet. Nam ut opus aliquod alteri possit adscribi, sufficit si illius sit auctor consilio, auxilio, subministratione mediorum etc.; quanto ergo magis in ordine salutis Deo adscribi debent opera nostra bona, sine quo nihil incipere, nisi gratia ejus praeveniat et praeparet voluntates nostras, nihil perficere possumus, nisi ejus gratia nos adjuvet, ut explicavimus n. 877. ss. et 898., non tamen exclusa libera cooperatione nostra. »Totum ex Deo, inquit Augustinus *serm.* 169. n. 13: non tamen quasi dormientes, non quasi, ut non conemur, non quasi ut non velimus; sine

---

est, ut ejusmodi formulae secundum ipsum necessario designent gratiam *ex sese* efficacem. Cf. *de gratia et lib. arb.* c. 20. et 24.

[1]) Augustinus tract. 4. *in 1. ep. Joan.* n. 1: »Cum multi audiant, non omnibus persuadetur quod dicitur, sed illis solis, quibus intus Deus loquitur. Illis autem intus loquitur, *qui ei locum praebent;* illi autem Deo locum praebent, qui diabolo locum non praebent.« Cf. *Prosper c. Collat.* c. 7. *opusc.* XXXVI.

voluntate tua non erit in te justitia Dei . . . esse potest justitia Dei sine voluntate tua, sed in te esse non potest praeter voluntatem tuam.«

902. Excipiunt **5.** Si gratia *ex sese* non esset efficax, *hominis esset seipsum ab aliis discernere.* At teste Paulo 1. Cor. 4, 7. Dei est discernere[1]), quod et Augustinus passim inculcat. Ergo gratia ex se efficax admittenda est. Verum **a.** distingui debet *duplex* discretio, *formalis* et *efficiens;* ideoque etiam duplex discretionis *principium.* Principium discretionis *formale* sua *inhaesione* discernit unum ab alio, ut doctrina inhaerens formaliter discernit doctum ab indocto. Principium discretionis *efficiens* sua *operatione* unum ab alio discernit, ut qui alium divitiis donat, eum a paupere discernit. Jam vero **b.** principium discretionis *formale* in ordine *salutis* sunt *dona gratiae habitualia; efficiens* autem non est solus Deus per gratiam, nec solum liberum arbitrium, ut patet ex dictis, sed *Deus per gratiam* causa est *princeps:* causa subjugis est voluntas *humana* gratiae cooperans. Quare **c.** gratia supposita voluntati humanae discretio adscribi potest, sicut ei adscribi possunt bona opera, quibus homo bene utens gratia se ut oportet disponit et ad justificationis gratiam pervenit, atque in bono perseverans certam facit suam electionem 2. Petr. 1, 10. et idcirco ab impiis discernitur. Unde ipse Augustinus *serm.* 234. n. 3: »Discernebamus nos, inquit, a paganis credendo Christum resurrexisse. Si aliquid possumus, a daemonibus nos discernamus.« Imo etiam in divinis literis discretio adscribitur hominibus. Cf. 1. Esdr. 6, 21; Isai. 52, 11; 2. Tim. 2, 21. Quod si **d.** urgetur: id, quod discernit, nequit esse commune. Atqui gratia discernit inter bene et male operantes; nequit ergo ea esse communis etc. Distinguimus *majorem:* Quod discernit *formaliter,* conc.; *efficienter,* subd.: si spectetur, quatenus *praeveniens* et *adjuvans,* conc.; si ut *praeveniens* tantum, rursus dist.: si spectetur *in se,* nego; si in *praescientia divina,* concedo.

903. **Scholion II.** Verum est, Augustinum disserentem de gratiae virtute et efficacia saepe provocare ad *omnipotentiam* Dei. Non tamen idcirco **1.** *gratia* cum *omnipotentia* Dei confundi debet. Damnata enim

---

[1]) 1. Cor. 4, 7: *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ex quibus liquet, quo sensu *nobis non liceat in ullo gloriari.* Non licet gloriari, *quasi non acceperis;* non licet gloriari in viribus meritisque *naturalibus,* quasi his debeatur aliquid in ordine salutis; sed licet gloriari, si cum gratitudine omnia in acceptis referimus Deo, hoc est enim *gloriari in Domino,* quod permittit Paulus 1. Cor. 1, 31; 2. Cor. 7, 4. 14; 11, 18. ss.; 12, 1. ss. Ad rem Bernardus *de diligendo Deo* n. 3. in 1. Cor. 4, 7: »Non ait simpliciter, *quid gloriaris?* Sed addit: *quasi non acceperis,* ut asserat reprehensibilem, *non qui in habitis,* sed qui in *non acceptis* gloriatur.« Inepte autem objicitur, gratiam, quae non sit *ex se* sed ex cooperatione humani arbitrii efficax, esse *versatilem:* eodem enim jure dici posset et *evangelium* versatile, quia teste Paulo 2. Cor. 2, 16. aliis est *odor mortis in mortem, aliis autem odor vitae in vitam;* versatilis *eucharistia,* quia alii inde percipiunt vitam, alii sibi manducant judicium 1. Cor. 11, 29. etc. Versatilis enim tunc tantum posset dici gratia, si *ex aequo* ad bonum et ad malum juvaret; cum vero solum ad bonum alliciat et juvet, a malo deterreat et contra malum subministret virtutem, vere *inscite* versatilis concipitur.

est prop. 19. Quesnelli: „Dei gratia nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas; haec est idea, quam Deus nobis tradidit in omnibus suis Scripturis." Neque propterea **2.** sequitur, homines non posse divinae etiam *gratiae resistere*: damnata enim est prop. Jansenii 2: „Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur." Adverti deinde **3.** debet, Augustinum etiam provocare ad praescientiam, in qua Deus paraverit auxilia, quibus salvandi certissime salventur. Nulla autem est necessitas provocandi ad praescientiam, si nexus inter gratiam et bonum opus ex sola omnipotentia, ex virtute gratiae insita, et non etiam *ex liberi arbitrii consensu* sit repetenda. Ideo vero **4.** Augustinus contra pelagianos disputans ad divinam provocat omnipotentiam, quod illi dominium Dei in distribuendis gratiis salvandisque hominibus dependens fecerint a conditionibus per homines viribus naturae adimplendis, negaverintque Deum posse pro lubitu hominem vel contumacissimum ad nutum suum inflectere. Advertimus deinde **5.** ex nonnullis Scripturae patrumque, Augustini praesertim, effatis, in quibus subinde de *specialissima* gratia loquuntur, *praepostere* judicari de gratia boni operis *universim*. Quid enim, si illa gratia, qua Paulus praeventus ex persecutore subito factus est apostolus, fuerit ex *sese* efficax, sequiturne, quotiescunque fidelis tenuissimam elicit attritionem, eum simili gratia praeveniri?

904. Denique **6.** sedulo distinguatur inter haec duo, *gratiam esse ex sese invictam*, indeclinabilem, insuperabilem, et *gratiam reddere voluntatem* hominis cum gratia cooperantis *invictam*, indeclinabilem, insuperabilem: illud generatim de *quacunque* gratia boni operis affirmari nequit; hoc autem nihil verius, nam homo gratia adjutus (quacum proinde libere cooperatur) merito dicere potest cum Paulo (Philip. 4, 13.): *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Cf. Rom. 8, 35. ss. Hoc cederet in gratiae injuriam, si ea, cum sit *auxilium Dei* et quidem Dei *omnipotentis,* non posset adeo solidare et adjuvare voluntatem, ut haec, licet gratia adjuta, par non foret ad edenda opera salutis et vincendas inimici insidias et tentationes. Quod ut praestet, necesse non est, ut *ex sese* sit eficax, sed ut voluntati subministret virtutem, robur invictum, quo voluntas utens *(voluntatis est* enim *gratia uti,* cf. n. 884.) invicta reddatur.

905. **Scholion III.** Inter *auxilia gratiae* numerari etiam possunt actus quidem voluntatis deliberati. Sane ejusmodi actus *juvant* ad alios actus, ut perfecta caritas ad praeceptorum observationem, et *gratia* dici possunt utpote gratiae fructus. Unde sequitur admitti posse aliqua auxilia gratiae *intrinsecus et ex se efficacia;* nam aliqui actus salutares, ut sincerus amor Dei vel proximi, quamdiu manet, efficacia sibi intrinsecus insita *ex se* et *infallibiliter* ad alios actus salutares juvabit et impellet. De ejusmodi auxiliis gratiae ex sese efficacibus, quae scil. consistunt in actibus salutaribus *deliberatis* seu in gratia non praeveniente tantum sed *adjuvante* ac proinde supponente liberam voluntatis cooperationem, plura intelligi possunt Augustini testimonia, ad quae patroni alterius sententiae provocare solent.

906. **Scholion IV.** Reliquum est, ut pauca dicamus de discrimine gratiae actualis *Adamo ante lapsum* et *hominibus post lapsum* necessariae. *Triplex* est discrimen: **a.** gratia nobis jam confertur ex meritis Christi; **b.** gratia Adami fuit tantum *elevans,* cum Adamus careret concupiscentia;

nostra est *simul medicinalis* (cf. n. 826.), pugnax; **c.** illa mansit *inefficax,* in nobis saepe est *efficax.* Quod vero attinet doctrinam Augustini distinguentis inter adjutorium *sine quo non,* quod habuit Adamus; et *adjutorium quo,* quod nunc ii habent, qui *actu* perseverant: praeferenda videtur sententia eorum, qui docent, adjutorium *quo* secundum s. Augustinum non esse *unam* gratiam, sed gratiarum *seriem:* sive divinam providentiam erga sanctos, complectentem tum gratias *externas,* tum *internas,* et *quidquid ad salutem praedestinati confert* ipsamque perseverantiam passivam, qua providentia justus ita regitur, ut tandem actu perseveret. Duo autem discrimina assignat inter adjutorium *quo* et illud *sine quo non. Primum* est, quod in priori oeconomia, in qua adjutorium *sine quo non* collatum est, ostensum fuerit, quid possit *liberum arbitrium:* in altera vero oeconomia, in qua adjutorium *quo* confertur, ostendat Deus, quid possit *gratia* sua. *Alterum* discrimen est, quod adjutorium *sine quo non* relictum fuerit in *libero arbitrio Adami;* ita ut Adamus stare potuerit per liberum arbitrium. sicut steterunt angeli; adjutorium vero *quo* operetur etiam, ut indeclinabiliter, insuperabiliter, invictissime sancti velint, ut loquitur s. Doctor l. c. n. 38. Omnibus autem expensis ita videtur explicanda Augustini theoria: Deus instituens statum justitiae originalis et conferens gratiam, per quam posset perdurare, non habuit voluntatem *absolutam* antecedentem, ut ille status perseveraret: sed solum *conditionatam,* si nempe Adam cum gratia cooperaretur et perseveraret in gratia accepta. Quare perseverantia illius status relicta erat *in arbitrio Adami;* cujus proinde peccato ostensum est, quid liberum arbitrium possit; quod ostensum quoque fuisset, si Adamus perseverasset. At lapsa natura Deus Filium suum humani generis constituit Redemptorem, voluitque voluntate *absoluta* et antecedenti effectum redemptionis in pluribus saltem reapse obtineri. Voluit igitur Deus humano generi reparato eam gratiam subministrare, ut plures ex eo *certissime* salvarentur, et ita ostendere, quid *gratia sua* possit, h. e. quod ipse potens sit, si velit, per gratiam suam salvare homines. Quae manifestatio eo erat luculentior, quo natura lapsa est fragilior, quam integra. Perseverantia ergo status reparationis per Christum non est relicta in *arbitrio* hominis, sed antecedenter ordinata et statuta a Deo.

PARS II.

De gratia habituali seu de justificatione..

907. De gratia *actuali* egimus, jam de habituali (n. 820.) disserendum est. Cum autem ea in ipsa infundatur *justificatione* ejusque effectus plane eximii[1]) justificationis nomine designentur, ad plenam ejus notitiam assequendam de toto *justificationis* exordio, processu et consummatione disputabimus. Omnia ad *tria* capita revocari possunt, in quorum *primo* agemus de *dispositione* ad justificationem requisita; in *secundo* de hujus *natura;* in *tertio* vero de ejusdem loquemur *proprietatibus.*

[1]) Hos paucis ita complectitur Ripalda *de ente supernat.* disp. ult. sect. 5. n. 77: „Comparatione Dei dicitur (gratia habitualis justificans) *participatio naturae*

Caput I.

De dispositionibus ad justificationem requisitis.

908. Paucis complectamur, quae conc. tridentinum prioribus cap. sess. 6., in qua praeclare disserit de toto justificationis negotio, docet. Postquam c. 1. breviter descripsit tristissimam conditionem humani generis, quae consecuta est Adami praevaricationem (cf. n. 641. ss.), statuit **1.** *Gentes solis viribus naturae non potuisse ex tot malis liberari.* Cujus propositionis veritas manifesta est ex iis, quae *de gratiae necessitate* statuimus. Docet **2.** *ne judaeos quidem per ipsam etiam literam legis* (scil. seclusa gratia Christi) *a lapsu surgere potuisse.*

Quod probatur **1.** generatim epistolis Pauli ad romanos, galatas et hebraeos, in quibus data opera apostolus oeconomiae mosaicae insufficientiam ad veram coram Deo justitiam assequendam demonstrat: et quidem in *ep. ad romanos* negat hominem justificari *lege morali* seu decalogo; in *ep. ad galatas* virtutem justificandi removet a *caeremoniis* legalibus, et *in ep. ad hebraeos* a *sacrificiis* mosaicis. Idem **2.** probatur speciatim ex variis doctrinae capitibus ejusdem apostoli, sive cum **a.** docet Rom. 4, 14. ss., ad Gal. 3, 18; 2, 21: *Si per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est;* sive cum **b.** negat, legem posse vivificare, ad Gal. 3, 21. collat. Hebr. 7, 19; Rom. 8, 2; sive cum **c.** diserte testatur Rom. 3, 20: *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo (Deo),* quae repetit ad Galat. 2, 16. Et sane **3.** totum institutum mosaicum ad gratiam revocari potest *externam.* Ostendimus autem thes. n. 836., gratiam externam absque *interna* ad salutem non sufficere.

909. Cum igitur homo lapsus neque *ex sese,* neque *litera legis* adjutus surgere posset et idcirco in misera pereundi necessitate jaceret: Deus Pater misericordia motus, Filium suum misit ad salvandum humanum genus (673.). Quare tenendum est **3.**, *neminem salutem consequi posse, nisi per Christum Jesum.* Quod divinae literae docent tum *disertis* verbis[1]), tum *aequivalenter,* quoties docent Christum salvatorem esse omnium hominum, eum mortuum esse pro omnibus, eo quod omnes mortui sunt. 2. Cor. 5, 14. Cf. n. 803.

---

divinae, filiatio adoptiva et *amicitia;* comparatione virtutum infusarum *natura* quaedam *supernaturalis,* quae radix sit universalis formaque virtutum; comparatione actuum moralium *dignitas* et *valor* ipsorum; comparatione gloriae *semen* et *jus hereditarium* ad illam; denique comparatione naturae rationalis antonomastice *gratia, justitia, vita, pulchritudo* et *munditics* ab omni macula peccati letalis.‘ En quanta gratiae habitualis dignitas et pretium, quantum hujus disputationis momentum!

[1]) Act. 4, 12: *Et non est in alio aliquo salus: neque enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri;* Joan. 14, 6: *Ego sum via et veritas et vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me;* Rom. 3, 22: *Justitia Dei per fidem J. Christi in omnes et super omnes, qui credunt in eum* etc.

910. Porro **4.** *ut homo salutem a Christo partam* seu justificationis gratiam *consequatur, necessaria est in adultis aliqua dispositio. Justificatio* a conc. tridentino cap. 4. definitur: „Translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adami, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum Adamum Jesum Christum." Ad hanc consequendam *requiri* in adultis aliquam *dispositionem,* patet **a.** ex innumeris Scripturae effatis, in quibus remissio peccatorum, justitia etc., quae sunt justificationis effectus, nonnisi iis promittitur, qui aliqua prius praestiterint. Cf. Ezech. 18, 21; Marc. 16, 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* etc. Patet **b.** ex praxi constanti Ecclesiae, quae ad sacramenta baptismi et poenitentiae, quibus peccatores justificantur, nonnisi eos admittere solebat ex adultis, qui rite essent dispositi.

911. **Thesis CXXVIII.** ***Dispositio ad justificationem necessaria complecti in primis debet fidem, qua credimus vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt, non vero eam, qua quisque firmissime et sine haesitatione credit, propter Christum sibi non imputari peccata sua, sed esse remissa.***

Demonstratio p. I. Thesis est *de fide,* ut patet ex concilii trid. sess. 6. cap. 6. et can. 12: „Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinae misericordiae peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, A. S." Statuitur autem contra lutheranos, qui licet nobiscum doceant, fidem ad justificationem esse necessariam, nomine tamen *fidei* justificantis *fiduciam* intelligunt, qua justificandus credit et sperat, sibi non imputari peccata propter Christum. Quam fidem vocant fidem *specialem* promissionum, eamque docent *unicam* esse dispositionem ad justificationem necessariam. Fidem autem ad justificationem esse *necessariam,* est plane evidens ex divinis literis, quae docent, *accedentem ad Deum credere oportere* Hebr. 11, 6; non credentem condemnari Marc. 16, 16; Joan. 3, 18; imo *impossibile esse sine fide Deo placere* Hebr. 11, 6.

912. **Demonstratio p. II.** Utramque partem, *affirmantem* et *negantem,* simul probabimus. Conferantur **1.** s. Scripturae effata: Marc. 16, 15. s.: *Praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Joan. 20, 31: *Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus;* Act. 8, 37: *Dixit Philippus* (eunucho): *Si credis ex toto corde, licet* (baptizari). *Et respondens ait: Credo Filium Dei esse Jesum Christum.* Consulantur praeterea Joan. 3, 16; Rom. 1, 16; 3, 22. 26; Hebr. 11, 1. ss. etc., in quibus sermo est de fide justificante: nullibi pro-

ponuntur promissiones *speciales* tamquam ejus objectum; sed vel Evangelium qua late patet, vel divina Christi missio, vel generatim invisibilia mysteria, res sperandae etc. Accedit 2. auctoritas symbolorum, quae profecto sunt expressio fidei ad salutem necessariae i. e. justificantis. Atqui nullum exstat symbolum, cujus objectum sint promissiones speciales, sed omnia complectuntur summam *doctrinae* christianae. Suffragatur 3. constans praxis Ecclesiae, quae a justificandis nunquam primario exegit fidem specialem promissionum, sed fidem symbolis contentam. Non tamen negamus, fidem justificantem posse in primis ferri etiam in hanc veritatem, a Deo justificari impium per ejus gratiam propter redemptionem Christi Jesu, ut docet ipsum concilium trid. sess. 6. cap. 6. Cf. Rom. 4, 5; Act. 13, 38. etc. Ratio est, quod in ea objecta in primis tendere debeat fides ad justificationem requisita, quae maxime idonea sint ad excitandum hominem, ut se ad justificationem serio disponat. Ejusmodi autem est haec veritas.

913. **Scholion.** Ut vero accuratius definiantur quae de fide ad justificationem necessaria tenenda sunt, dicimus 1. eam esse necessariam non tantum necessitate praecepti, sed et medii[1]), ut docet Paulus ad Galat. 2, 16; Hebr. 11, 6. absolute pronuncians, *sine fide impossibile esse placere Deo;* et conc. trid. sess. 6. c. 7. statuens: »Sine fide nulli unquam contingit justificatio;« quae denuo inculcat conc. vaticanum sess. 3. c. 3: »Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo et ad filiorum ejus consortium pervenire, ideo nemini unquam sine illa contigit justificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam aeternam assequetur.« Suaderi autem potest ratione: Sicut vita animalis non explicatur, nisi praeeunte cognitione sensitiva, et rationalis nisi praeeunte lumine rationis: ita non poterit vivere homo vitam *supernaturalem* sicut oportet, nisi praefulgente cognitione *supernaturali,* quae modo fide continetur.

Dicimus 2. fidem justificantem se extendere debere *virtute* quidem et

---

[1]) Necessitas *praecepti* oritur ex voluntate superioris obligantis; necessitas vero *medii* ex relatione, qua unum ad alterum tamquam medium ad finem consequendum refertur: haec autem est *multiplex.* Si enim unum sine altero obtineri quidem potest, sed cum magna difficultate, habetur necessitas *medii* latiori sensu accepta seu *moralis,* quae iterum suos habet gradus. Si vero unum sine altero absolute obtineri nequit, habetur necessitas medii proprie dicta, et haec est vel *physica,* si oritur ex physica rei natura, quae quidem necessitas nonnisi per miraculum dispensationi est obnoxia: vel est *metaphysica* plane et indispensabilis, quae oritur ex essentiis rerum: cujusmodi est ex. gr. necessitas causae ad effectum habendum. Est insuper necessitas medii propria ordinis supernaturalis, eaque *duplex:* altera *privilegiata,* cum scilicet vi alicujus privilegii medium alioquin *absolute* necessarium alio medio suppleri possit, ut est necessitas baptismi (n. 1019.); altera vero est *plane absoluta,* et licet ab ea Deus dispensare posset, nunquam tamen dispensat. Ejusmodi est, ut nobis videtur, ex. gr. necessitas *fidei* et *gratiae* ad salutem consequendam.

implicite ad *totum fidei catholicae objectum, actu* autem et *explicite*[1]) *saltem ad veritates Dei exsistentis et remuneratoris.* Utrum autem necessaria sit necessitate *medii* fides mysteriorum ss. Trinitatis et incarnationis, controversum est inter theologos. In praxi certe praeferenda est sententia affirmans.

914. **Thesis CXXIX.** ***Sola fides non justificat.***

Demonstratio. Hac thesi unum ex erroribus fundamentalibus novatorum sec. XVI. refellimus. Probatur autem **1.** hoc argumento: Plures ex defectu bonorum operum damnabuntur, licet habeant fidem, ut patet ex integro cap. 25. Matth. et 7, 21: *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei.* Atqui hoc contingere non posset, si sola fides justificaret. Ergo sola fides non justificat. Minus enim **2.** requiritur ad conservandam justificationis gratiam, quam ad eam consequendam. Atqui ad eam conservandam, ut patet ex capite citato, non sufficit sola fides. Ergo neque sola fides justificat. Hinc **3.** Deus plus exigit, quam solam fidem Zach. 1, 3; Joel 2, 12; Ezech. 18, 30. etc., scilicet conversionem ex toto corde, poenitentiam de omnibus iniquitatibus, cor novum etc. Ejusmodi vero exhortationibus non satisfit *sola fide* vel fiducia. Praeterea **4.** secundum Paulum 1. Cor. 13, 2. vera fides theologica, etiamsi adeo intensa sit, ut montes transferat, si caritate destituitur, *nihil prodest;* si opera non habet, *mortua est, non salvat* secundum Jac. 1, 14. s., quae de fide dici nequeunt, si ea sola justificat. Ad haec **5.** doctrina protestantium, quomodocunque demum explicetur, ex se omnibus peccatis sternit viam. Denique **6.** ea est *praeter* Scripturam, cum *nullibi* legatur, homines justificari *sola* fide, nisi textus corrumpatur. Nihil autem secundum protestantes admittendum est, praesertim tamquam dogma *fundamentale*, quod non *clare* in Scripturis continetur. Imo ea est *contra* Scripturam, cum passim salus aliis etiam adscribatur dispositionibus. Imo s. Jacobus diserte protestantium doctrinam videtur praedamnasse inter alia scribens 2, 24: *Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo et non ex fide tantum.* Hinc illae irae!

---

[1]) Fides *explicita* ea est, quae veritatem, quam credit, in se attingit; *implicita* vero ea dicitur, quae veritatem creditam in se ipsa non concipit, neque cognoscit, sed in alia veritate explicite credita implexam atque latentem amplectitur: quod alterum, in quo aliquid implicite creditur, potest esse vel **1.** objectum *formale* fidei, seu auctoritas Dei revelantis; ita fideles actum fidei implicitae eliciunt, cum dicunt: credo quidquid Deus infinita veritas revelavit; vel **2.** potest esse *principium* proponens revelationem, ut cum dicitur: credo quidquid credit et docet Ecclesia; vel **3.** potest esse objectum aliquod *materiale* fidei explicite creditum, in quo alterum includitur; sic qui credit Christum esse hominem, implicite credit, eum habere voluntatem humanam.

315. **Scholion I.** Provocant protestantes pro suo errore **1.** ad plura Scripturae effata, quibus fidei tribuitur justificatio. Sed respondemus **a.** retorquendo argumentum. Nam salus passim etiam aliis adscribitur dispositionibus, ut *timori, poenitentiae,* etc., et tamen nemo infert, *solum* timorem ad justificationem sufficere. Advertimus **b.** testimonia illa esse *affirmantia,* non *excludentia,* ideoque ex aliis locis esse supplendum, quod in iis tacetur. Ad rem Augustinus *de fide et operibus* c. 9: „Scriptura tacuit, inquit, atque intelligenda dimisit cetera, quae cum illo spadone baptizando Philippus egit (Act. 8, 38.); atque in eo, quod ait, *baptizavit eum* Philippus, intelligi voluit impleta omnia, quae licet taceantur in Scripturis gratia brevitatis, tamen serie traditionis scimus implenda.“ Eoque minus **3.** alias dispositiones excludere licet, quod Scriptura loquatur de fide non *mortua,* sed *viva,* ex qua sponte sua reliquae dispositiones oriantur. Neque desunt rationes, propter quas justificatio fidei in primis adscribatur, ut scilicet **a.** fidei necessitas inculcetur; quob **b.** ea sit primus gressus ad justificationem; quod **c.** reliquae dispositiones in ea radicem habeant et ex ea, nisi homo resistat, sponte sua oriantur; quod **d.** ipsa viam ad justificationem consequendam demonstret.

916. Provocant **2.** ad ea testimonia Pauli, quibus docet homines justificari *sine operibus legis,* vel generatim *sine operibus.* Ita Rom. 3, 28: *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis;* Gal. 2, 16; 5, 4. etc. Verum haec testimonia tunc tantum adversarentur doctrinae catholicae, si Paulus loqueretur de operibus, quae *fidem consequuntur* eique innituntur. Atqui Paulus non de his disserit operibus, sed de iis, *quae fidem praecedunt,* fide non innituntur, viribus naturae eduntur. Quod probatur **a.** ex harmonia Scripturae, quae tam diserte praeter fidem ad justificationem alia exigit. **b.** Ex scopo s. Pauli; evidenter enim eos refellit, qui rejecta vel neglecta fide solis viribus naturae per opera sive moralia, sive caeremonialia se veram coram Deo assequi posse justitiam confidebant. **c.** Ex argumentatione s. Pauli ad Galat. 2, 21: *Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est;* 3, 18; 5, 4; Rom. 4, 14. etc. Quae sicut validissima est in hypothesi, quod loquatur de operibus fide non innixis, ita nulla esset, si excluderet opera fidei. **d.** Ex Rom. 4, 4., ubi explicat, quid nomine *operum* intelligat, ea scilicet, quae opponuntur fidei, quibus, quod redditur, merces est, non gratia[1]). Accedit **e.** constans horum locorum interpretatio, quae obtinuit in Ecclesia usque ad seculum XVI.

---

[1]) Quare facile est, *Paulum cum Jacobo,* qui tam diserte opera ad justificationem exigit, *conciliare.* Nam Paulus excludit a justificationis negotio opera in fide non fundata, *naturalia:* Jacobus vero postulat opera *salutaria,* ex fide tamquam hujus fructus profecta. Loquitur enim **a.** de iis, quae ad justificationem conducunt 2, 24; sine quibus **b.** fides est mortua vers. 14. 17. 20. et 26; quae **c.** sunt fructus et consummatio fidei, ad quae fides cooperatur vers. 22; quorum **d.** exempla habemus in Abraham et Rahab, qui propter opera magnam laudem apud Deum et gratiam consecuti sunt, vers. 21. s. et 25. coll. Hebr. 11, 17. s. et 21. Si autem quaeritur, quo sensu *opera* requirantur ad *justificationem,* cum plures videantur justificari *absque operibus,* dicimus **1.** si nomine *operum* intelliguntur *actus,* ut spei, poenitentiae etc., manifestum est ex dictis, ea requiri ad complendam dispositionem per fidem. Si vero **2.** intelliguntur opera *externa,*

917. Provocant **3.** ad nonnullos patres, qui *soli fidei adscribunt salutem.* Sed hac loquendi ratione patres nullatenus excludere volunt alios actus tamquam necessarios, qui sponte sua fidem consequuntur, cum et ipsi illos alibi tantopere inculcent et postulent. Verum loquuntur vel **a.** in sensu s. Pauli; vel **b.** de fide *viva,* de fide *practica,* quae ceteras conditiones ad justificationis gratiam consequendam adimplet; vel **c.** de casu *necessitatis* et excludunt tantum opera *externa;* vel **d.** nomine *fidei* intelligunt *religionem christianam,* aut fidem *catholicam* haeresi oppositam, et inculcare volunt, fidem justificantem non esse fidem haereticorum, sed fidem solius verae Ecclesiae, i. e. catholicae.

918. **Scholion II.** Praeter fidem alii quoque actus ad justificationem disponunt, quos recenset conc. tridentinum sess. 6. cap. 6., *timor* scil., nam *qui sine timore est, non poterit justificari* Eccli. 1, 28; *spes, dilectio* Luc. 7, 47; *poenitentia* Act. 2, 38. cum *voto baptismi* et *proposito novae vitae.* Neque hi sunt *omnes* actus, licet potiores quique sponte sua consequantur fidem, nam alii quoque ad justificationis gratiam impetrandam conducere possunt ut oratio, eleemosyna etc. Porro *duplici* ratione peccator justificationis gratiam consequi potest: scil. vel per sacramentum baptismi aut poenitentiae (ex *opere operato*), vel citra sacramentum cum ejusdem tantum voto (*ex opere operantis*), quo tamen in casu major requiritur dispositio. Haec autem non tantum est *conditio sine qua non,* sed veri nominis *dispositio moralis,* quae Deum ad justificationis gratiam elargiendam aliqualiter, praesertim si est *perfecta,* movet, ut colligitur **1.** ex trid., quod actibus, quibus peccator ad justificationem adducitur, passim vindicat vim *disponendi, praeparandi, impetrandi,* et quidem ita, ut gratia infundatur etiam secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem. Quam **2.** doctrinam hausit ex Scripturis et patrum traditione: in quibus **a.** hi actus exhibentur intime connexi cum salute et ad eam recta ducere. Zach. 1, 3: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos;* Ezech. 18, 21: *Si impius egerit poenitentiam . . . vita vivet et non morietur* etc.; **b.** exhibentur motivi instar moventis Deum ad conferendam justificationis gratiam; Luc. 7, 47: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* etc. **c.** Pro ratione horum actuum Deus dicitur majorem minoremve conferre gratiam. Imo **3.** ejusmodi causalitatem huic dispositioni tribuunt divinae literae, ut affirment, hominem ratione horum actuum seipsum *sanctificare, justificare, emundare* etc., Ezech. 18, 30. s.; Eccli. 2, 20; 1. Joan. 3, 3: *Omnis, qui habet hanc spem, sanctificat se* etc. Id denique **4.** a Suarez *de gratia* l. 8. c. 9. n. 16. hac ratione suadetur: „Quamvis ex *conditionali* locutione formaliter non inferatur *causalitas,* tamen in materia *promissiva* (ut sic dicam) optime infertur, quando conditio requisita est aliquod *obsequium liberum* exhibendum ab eo, cui talis promissio sub tali conditione fit, et intuitu cujus aliquid promittitur: quia tunc illud opus,

---

ea requiruntur in *proposito;* servandi scil. praecepta Dei, et *actu,* urgente praecepto ante actualem justificationem. Requiruntur **3.** *actu* ad augendam justificationem, ad eam servandam et fovendam urgente praecepto: et quamvis plura bona opera *absolute* forte non sint necessaria, *moraliter* tamen sunt necessaria ad gratiam perseverantiae impetrandam.

quod exigitur, est *moralis ratio* obtinendi, quod promittitur, et hoc est esse *causam moralem.* Hoc autem modo offertur remissio peccatoribus, si poenitentiam agant; et conversio Dei ad ipsos per gratiam, si ipsi ad Deum per congruentem dispositionem convertantur.«

Caput II.

De natura et essentia justificationis.

919. De justificatione disserentes sedulo distinguere debemus, quae Ecclesia tamquam *dogmata* fidei contra protestantes definivit, ab iis, quae spectant potius ad uberiorem quandam horum dogmatum *explicationem.* Quare prius dogmata fidei catholicae adversus protestantes vindicabimus, deinde in justificationis naturam inquiremus, considerantes ejus effectus formales, causas, partes integrantes, quod ut melius fieri possit, nonnulla de habitibus et virtutibus inserenda erunt. Quare omnia ad *tres* revocabimus *articulos.*

Articulus I.

De justificatione secundum fidem catholicam.

920. **Thesis CXXX.** ***In justificatione peccatoris peccata a Deo vere remittuntur et delentur.***

Declaratio. Thesis est *de fide,* ut patet ex conc. tridentini sess. 5. c. 5: »Si quis per Jesu Christi gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam rationem peccati habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari, A. S.« Sermo quidem est in hoc can. de peccato *originali,* sed quod de hoc affirmatur, de aliis quoque peccatis est tenendum. Non tamen contendimus peccata fieri *infecta,* sed vere remitti, ita ut in ratione culpae provocantis iram ea plane cessent, ac si peccator nunquam peccasset. Ideoque delentur in ordine morali, ut amplius non sint. Possunt quoque dici deleri ratione cujusdam maculae, quam anima peccato incurrit amittendo gratiam sanctificantem, cujus defectus animam Deo reddit invisam. Nullatenus vero dici potest, peccata solum *tegi, non imputari,* ut statuunt protestantes.

921. **Demonstratio.** Licet **1.** in Scriptura semel aut iterum dicatur Deus *tegere peccata* et *non imputare* Psal. 31, 1; Ezech. 33, 16; 2. Cor. 5, 19; saepissime tamen, cum de remissione peccatorum est sermo, ea dicuntur *auferri* Joan. 1, 29; *ablui* 1. Cor. 6, 11; *deleri* Act. 3, 19; Isai. 44, 22; *mundari* Ephes. 5, 26. s.; Ezech. 36, 25; adeo ut justificatus sit *lotus* et *dealbatus* Isai. 1, 18., quibus clare designatur vera remissio deletioque peccatorum. Praeterea **2.** dedecet Deum *Patrem,* cujus adeo mundi sunt oculi, ut malum videre et ad iniquitatem respicere non possint (Hab. 1, 13.), amicos et filios peccato adhuc maculatos habere. Dedecet Deum *Filium,* qui venit Adae

ruinam reparare, si tantum *exterius dealbasset* humanum genus *interius* Adae *peccato infectum*, quemadmodum sepulcra dealbari solent, ut appareant speciosa (Matth. 23, 27.). Dedecet Deum *Spiritum s.*, qui non habitat in corpore subdito peccato (Sap. 1, 4.), templa incolere peccato inquinata. Haec vero essent affirmanda, si, ut protestantes contendunt, peccata in justificatione tegerentur tantum, non delerentur[1]). **3.** Relate ad Deum, in cujus conspectu non est ulla creatura invisibilis et cujus oculis omnia nuda et aperta sunt (Hebr. 4, 13.), idem est aliquid esse *tectum* et *deletum*. Ergo etiamsi concedatur, in justificatione peccata *tegi*, ut *vere* sint *tecta* coram Deo, necesse est, ut sint *deleta*[2]).

922. **Thesis CXXXI.** ***Justificatio non consistit in sola peccatorum remissione, sed interioris etiam hominis renovationem complectitur.***

Demonstratio. Haec thesis est in primis contra calvinianos, secundum quos justificatio consistit in *sola peccatorum remissione* i. e. non imputatione. Quem errorem damnavit concilium tridentinum sess. 6. c. 11: „Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum s. diffundatur atque illis inhaereat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei, A. S." Probatur **1.** justificatio describitur in divinis literis ut quaedam *regeneratio*, *renovatio*, *resurrectio* in novam vitam, *vivificatio*[3]) etc. Atqui hisce non significatur *mera exclusio corruptionis* et vetustatis, sed simul etiam vera quaedam interior *restauratio* et ad pri-

[1]) S. Augustinus protestantium figmentum in antecessum jam damnavit: nam l. 1. *contra duas ep. pelag.* c. 13. n. 26. hanc proponit pelagianorum calumniam: „Dicunt (catholici) baptisma non dare omnium indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur," quae videtur ipsa protestantium doctrina. Jam eam ita refellit s. Doctor: „Quis hoc adversus pelagianos *nisi infidelis* affirmet? Dicimus ergo baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, et *auferre crimina, non radere;* nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata."

[2]) Cum in justificatione peccatori peccata remittantur, remittitur ei quoque *poena aeterna*. Neque enim *plane* remissa dici potest culpa, neque peccator vere Deo reconciliatus, saltem ea reconciliatione, quam toties commendat Scriptura, si pro culpa *integram* adhuc luere deberet poenam. Quare Paulus Rom. 8, 1. statuit: *Nihil nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.*

[3]) Tit. 3, 5: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus s.;* Joan. 3, 3. s.; Gal. 6, 15; Eph. 2, 10: *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in bonis operibus;* 5, 26. s.; Rom. 6, 4: *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus* etc.

stinam perfectionem revocatio. 2. *Justificare* non significat idem ac *remittere peccatum,* cum possit aliquis justificari, cui nullum remitti debeat peccatum, ut justificati fuere angeli et protoparentes; et possit Deus remittere peccata, quin justificet, ut in statu naturae purae. Quare dici nequit, justificationem consistere *in sola peccatorum remissione.* Hinc patres de *justificatione* disserentes sedulo distinguunt inter *peccatorum remissionem* et interiorem *animae renovationem,* atque utramque ad justificationem exigunt. Ita jam Barnabas *ep.* n. 6: „Ut igitur nos renovavit per remissionem peccatorum, effecit, ut aliam formam haberemus, animam nempe puerorum instar, utpote qui et spiritu nos reformavit . . . Ecce igitur nos denuo formati sumus, quemadmodum rursus in alio propheta dicit: *Ecce,* inquit Dominus, *auferam ab eis* h. e. ab eis, quos Spiritus Domini praevidebat, *corda lapidea et immittam illis corda carnea* (Ez. 11, 19.)." Quae interim sufficiant, nam ex infra dicendis uberius haec veritas illustrabitur.

923. **Thesis CXXXII.** ***Justificationis gratia, qua justi reddimur, non continetur justitia Christi nobis imputata, sed in animam ipsam recipitur eique inhaeret.***

Declaratio. Una e potioribus controversiis inter catholicos et novatores sec. XVI. est de *causa formali* justificationis, seu de eo, quo constituimur justi coram Deo. Plerique adversariorum censent, causam formalem esse obedientiam et *justitiam Christi nobis imputatam,* vi cujus imputationis justificatus, licet in se *vere injustus, justus* tamen *habetur* a Deo, utpote justitia Christi tectus et indutus. Ut vero omnis tollatur aequivocatio, *duplex* distinguatur *imputatio* justitiae Christi: *formalis* altera, quam tuentur protestantes, et hanc rejicimus: altera *efficiens* seu *meritoria,* quam amplectimur. Dici enim vere potest, nobis imputari merita Christi, ejus passionem, obedientiam etc., eo quod Deus merita Christi nobis applicat, in nos transfert et propter ipsa nobis largitur justitiam inhaerentem, qua vere justi reddimur.

924. **Demonstratio.** „Recipimus, inquit Augustinus *de gen. ad lit.* l. 6. c. 24., justitiam, ex qua per peccatum lapsus est homo." Atqui per peccatum Adami non amisimus justitiam *imputatam,* sed animae *vere inhaerentem;* talem ergo recipimus in justificatione. Quod confirmatur doctrina s. Pauli Rom. 5, 12. ss., secundum quem *justificatio* et regeneratio per Christum opponitur *generationi* ex Adamo, tamquam medicina morbo, reparatio damno. Per Adamum autem contraximus peccatum singulis inhaerens. Ergo et per Christum justitiam inhaerentem consequemur. 2. s. Scriptura testatur, Christum venisse hunc in mundum, ut nos redderet *sanctos, immaculatos, justos* Ephes. 1, 4; 5, 25; ad Tit. 2, 5. etc. Finem vero suum non esset assecutus et a scopo aberrasset, si impii non *reapse* justi, sed *specie* tantum et imputatione justi redderentur. Haec sententia 3. *philo-*

sophice est absurda. Res enim *duplici* praedita forma opposita, altera *interna* et inhaerente, altera *externa*, denominatur potius a forma *interna* et inhaerente, quam ab *externa*. Ita aethiops non dicitur simpliciter albus a veste alba. Atqui peccatori, cui *imputatur* tantum justitia Christi, inest forma *inhaerens* injustitiae. Quare justificatus potius dicendus esset *injustus* quam justus, quod adversatur sensui totius christiani nominis.

Articulus II.

Uberior doctrinae catholicae de natura justificationis illustratio.

925. **Thesis CXXXIII.** ***Gratia, qua peccatores justificantur, distincta est ab actibus et permanens, proinde habitualis, forma scil. quaedam et qualitas spiritualis animae inhaerens.***

Demonstratio p. I. Thesis non continet dogma proprie dictum catholicum, sententiam tamen communem inter theologos seu potius *doctrinam catholicam*, cujus contrarium saltem est *temerarium*. Prior vero pars demonstratur **1.** ex Scripturis, quae docent, peccatores, dum justificantur, *recreari, renovari, regenerari, renasci* etc. Cf. n. 922. annot. Atqui creatione et generatione *esse aliquod* ab actibus *distinctum* confertur. Ergo et recreatione et regeneratione *novum esse*, non quidem substantiale, sed *modale* communicabitur, quod Dionysius Areopagita *de hierar. eccl.* c. 1. §. 1. τὸ εἶναι θείως *esse divinum* vocat. **2.** In divinis literis[1]), et a patribus gratia justificationis frequenter exhibetur sub symbolis *seminis, vitae, lucis, pignoris, inunctionis, splendidae vestis, stolae,* quam in Adamo amisimus: quae symbola sponte sua ingerunt ideam alicujus doni *permanentis* ab actibus distincti. Ita Basilius *de Spiritu s.* c. 26. n. 61: „Quemadmodum ars est in eo, qui illam adeptus est, ita gratia Spiritus in eo, qui recepit eam, semper quidem praesens est, at non perpetuo operans."

926. Eadem **3.** est gratia, qua justificantur adulti et infantes, ut colligimus ex Clementina *de summa Trinitate et fide catholica,* in qua Clemens V. statuit: „Opinionem secundam, quae dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismo *gratiam informantem* et virtutes,

[1]) 1. Joan. 3, 9: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet;* Eph. 5, 8: *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino;* Joan. 6, 58: *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivit propter me;* 10, 10: *Ego veni, ut vitam habeant et abundantius habeant.* Hinc peccatores gratia hac destituti dicuntur *mortui;* justificatio exhibetur ut *resuscitatio,* quo clare significatur, gratiam justificationis esse principium *permanens* et animae inhaerens ad instar principii vivificantis.

tamquam *probabiliorem* et dictis sanctorum et doctorum modernorum theologiae magis consentaneam et concordem sacro approbante concilio (viennensi) duximus eligendam;" et ex conc. tridentino sess. 5. can. 5. (n. 920.). Atqui gratia, qua justificantur infantes, nequit esse *actualis,* sed debet esse aliquid ab actibus distinctum et permanens. Licet vero **4.** concilium trid. hanc doctrinam *disertis* verbis non definiverit, ea nihilominus de gratia justificante affirmat, quae eam *evidenter* ostendunt permanentem et ab actibus distinctam. Docet enim, eam *infundi, inhaerere, conservari, augeri,* justum posse *ab ea excidere,* eam esse *stolae instar,* quam Adam sibi et nobis perdidit, quam candidam et immaculatam conservare jubentur renati, ut eam perferant ante tribunal Jesu Christi, et habeant vitam aeternam. Cf. sess. 6. cap. 7. 10. 11. et 16; can. 32. etc.

927. **Corollarium.** Ex quibus liquet, *justificationis gratiam* non posse confundi cum *statu* cujusdam perfectionis, in quem exercitio virtutum *gradatim* transimus. Nam **1.** concilium trid.. c. 7. docet, translationem, in qua justificatio consistit, conferri una cum *remissione peccatorum,* quae certe gradatim non confertur. **2.** Dispositio secundum concilium non meret justificationem, saltem de condigno; multo minus ergo illam efficit. **3.** Secundum idem concilium justificationis gratia confertur baptismo et quidem **4.** etiam infantibus, proinde in instanti, non gradatim. Non est ergo perfectio, quam sensim acquirimus.

928. **Demonstratio p. II.** Gratiam esse *formam* aliquam et *qualitatem animae inhaerentem* probatur **1.** via *exclusionis.* Neque enim est *substantia,* neque mera *relatio* et denominatio, neque *actio;* reliquum ergo est, ut sit *accidens,* qualitas, forma. Et sane **2.** a conc. viennensi (n. 926.) dicitur *informans* i. e. formam dans; et a catechismo tridentino de baptismo n. 50: „Est autem gratia, quemadmodum tridentina synodus ab omnibus credendum poena anathematis proposita decrevit, non solum per quam peccatorum fit remissio, sed divina *qualitas* in anima inhaerens, ac velut splendor quidam et lux, quae animarum nostrarum maculas omnes delet ipsasque animas pulchriores et splendidiores reddit;" et mox subjicit: „Per eam *qualitatem* ad omnia christianae pietatis officia justificatos habiles reddi;" a Cyrillo alex. *hom. pasch.* 10. (Migne 77, 618.): „Spiritus nos similes Christo reddit per sanctificationis videlicet *qualitatem* διὰ τῆς ἐν ἁγιασμῷ ποιότητος: imago enim et facies veluti quaedam est Salvatoris nostri Christi, Spiritus divinam in nobis figuram per seipsum quodammodo exprimens." Cui sententiae favet **3.** concilium trid., cum passim de hac gratia affirmet, eam justis *inhaerere,* quod verbum qualitatem adsignificat. Quod etiam **4.** magno consensu docent theologi scholae praeeunte s. Thoma, qui ita habet 1. 2. q. 110. a. 2. ad 2:

„Omnis substantia vel est ipsa natura rei, cujus est substantia, vel est pars naturae, secundum quem modum materia vel forma substantia dicitur. Et quia gratia est supra naturam humanam, non potest esse, quod sit substantia, aut forma substantialis, sed est forma accidentalis ipsius animae. Id enim quod substantialiter est in Deo, accidentaliter fit in anima participante divinam bonitatem."

929. **Scholion.** Formae alicujus excellentia ex perfectione, quam sua inhaesione communicat, seu ex *effectu formali* colligi potest: qui in hac quaestione ob varios respectus relationesque in *plures* discerni potest *inadaequatos*. Paucis potiores expendemus, ut gratiae justificantis pretium magis semper innotescat. Dicimus ergo **1.** gratiae effectum formalem *esse peccatorum remissionem*, ut colligimus ex conc. trid. verbis sess. 5. can. 5: »Si quis per Jesu Christi D. N. gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, A. S.;« et ex iis Scripturae et patrum effatis, quibus passim affirmant, gratiam opponi peccato ut lumen tenebris, sanitatem aegritudini, novitatem vetustati, resurrectionem morti[1]). Quare de facto nunquam simul sunt gratia et peccatum mortale in eodem subjecto, quod confirmatur damnatione prop. 70. et 43. Baji, quae ita sonat: »In hominibus poenitentibus ante sacramentum absolutionis et in catechumenis ante baptismum est *vera justificatio* separata tamen a remissione peccatorum.« Hinc colligitur gratiae hujus *praestantia*. Delet enim **a.** malorum omnium *maximum;* delet **b.** peccata *omnia*, etiamsi forent innumera; et **c.** ea delet perfecte ipso infusionis *momento*.

930. *Alter* effectus formalis gratiae justificantis est *nos reddere Deo gratos,* non ratione tantum generica, qua omnes creaturae bonitate aliqua praeditae Deo gratae dici possunt (cf. Genes. 1, 4. 10. etc.), sed *speciali,* quatenus scilicet hominem sic Deo reddit acceptum, ut sibi in illo complaceat ut in *amico* et *filio* carissimo. Quod probatur ex conc. tridentini sess. 6. cap. 4. et 7., ubi docet, hominem fieri ex inimico *amicum* et qui-

---

[1]) *Triplex* est sententia de *oppositione* inter *gratiam* et *peccatum.* Sunt qui docent, gratiam *ex natura rei* et *physice* opponi peccato, sicut calor opponitur frigori, ita ut mutuo se excludant e subjecto. Ex patronis hujus sententiae alii admittunt cum Vasquez in 1. 2. disp. 204. repugnantiam *absolutam;* alii cum Suarez l. 7. c. 20. tuentur repugnantiam *quidem physicam*, sed ita ut tamen potentia Dei absoluta gratia habitualis simul consistere possit in anima cum peccato. *Secunda* sententia docet, gratiam justificantem non expellere peccatum ex natura sua, sed tantum *lege* et *constitutione* Dei decernentis ad praesentiam qualitatis gratiae peccatum remittere, nulla facta vi qualitati gratiae, si peccatum non remitteret. Ita Scotus cum suis. *Tertia* sententia videtur media, quae statuit, gratiam justificationis non opponi peccato ex natura rei tanta oppositione, quanta opponitur calor frigori, albedo nigredini; sed oppositione ex natura rei solum *morali,* fundata in quadam indecentia, quae ex se apparet in eo, quod gratiae excellentia conjungatur cum deformitate peccati, qualis apparet in eo, si scurriles mores assumerentur ad dignitatem pontificiam. Ita Lessius *de div. perfect.* l. 12. c. 11. n. 75. ss.; l. 13. c. 27. n. 195. Cf. Ripalda disp. ult. s. 16. et Suarez l. 7. c. 12. ss. fuse de hac quaestione disputantes.

dem per voluntariam susceptionem *gratiae* et *donorum,* et ex ipso nomine *gratiae,* quod in primis tribuitur gratiae justificanti: nam inter omnes eminet gratias **a.** *stabilitate* sua; **b.** *dignitate,* cum reliquarum omnium sit centrum, finis, meta; **c.** *praestantia,* ratione suorum effectuum; **d.** *necessitate,* quia sine ipsa reliquae non prosunt ad vitam aeternam. Quare cum gratiae sit, nos Deo reddere gratos, in primis huic gratiae effectus iste erit tribuendus. Hinc Thomas *in 2. sentent.* dist. 26. q. 1. a. 2. ad 4: „Sicut albedo, inquit, facit album parietem, sic gratia in animam agit mundificando ipsam et gratificando."

931. *Tertius* effectus gratiae justificantis est reddere hominem *justum*[1]),

[1]) Ut clariora reddantur, quae de hoc effectu formali ac generatim de *justificatione* disseremus, juverit accuratius notiones *justitiae, justificandi, justificationis* explicare. De ratione *justitiae* est *duplex* elementum: *debitum* et *aequalitas.* Pro *varietate* debiti vel normae, cui actiones sunt adaequandae, variae oriuntur *justitiae partitiones.* Justitia illa, vi cujus inducitur aequalitas seu conformitas inter cogitationes, consilia, affectus, verba, opera, seu totam vitam et legem, qua haec regi debent, dicitur *justitia universalis* vel generalis. Haec vero distinguitur **1.** ratione *principii* et originis in *humanam* et *divinam, acquisitam* et *infusam;* **2.** ratione *legis,* ad quam est expressa, in *politicam* seu civilem, *naturalem* seu moralem, *legalem* seu judaicam, et in justitiam *fidei* seu christianam; **3.** ratione *modi,* quo habetur, in *actualem* et *habitualem.* Justitia autem *particularis,* quae huic *generali* opponitur, illa erit, qua inducitur conformitas seu aequalitas inter actus et legem in determinata aliqua materia. Secundum hanc significationem *quaelibet virtus* dici poterit justitia *particularis.* Tamen nomine *justitiae* intelligi *proprie* solet illa virtus *quae reddit cuique suum* quodque ipsi debetur. Et haec est illa justitia, quae tamquam virtus *cardinalis* a reliquis tribus (n. 940.) secernitur. Cum autem debitum erga alterum et hujus jus non semper ejusdem sint rationis ac gradus admittant, justitia haec saltem *duplex* est. Vel enim reddit alteri *quamcunque* debiti rationem, ut religio, pietas, gratitudo, vel respicit *perfectam* debiti et juris rationem, quod secundum aequalitatem reddi potest; et haec dicitur justitia *specialis,* quae iterum distingui solet in *commutativam, distributivam, legalem.* — Verbum *justificare* in divinis literis *multiplicem* habet significationem. Significat enim vel *approbare* seu agnoscere alicujus praerogativas Luc. 7, 35; vel *jactare* justitiam ibid. 10, 29; vel *declarare* justum declaratione judiciali et forensi sive *divina* Matth. 12, 37. (quae significatio protestantibus maxime placet in praesenti controversia), sive *humana* Prov. 17, 15; vel *facere justum* collatione justitiae inhaerentis aut hujus augmenti Apoc. 22, 11: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc: et qui justus est, justificetur adhuc; et qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* Et haec significatio in praesenti quaestione *vera* et *catholica* est, ut patet tum ex articulo praecedenti, tum ex eo, quod in Deo *dicere* et declarare sit *facere;* tum quia alioquin judicium Dei esset falsum, si quem declararet justum, qui revera a parte rei justus non esset. A verbo *justificare* derivatur *justificationis* nomen, cujus acceptio pariter *multiplex* est; et omissis in praesentia iis sensibus, secundum quos significat, aut *declarationem* justitiae, aut translate ipsam *legem divinam,* nomen hoc vel *active* vel *passive* accipi potest. *Active* acceptum significat vel *singularem* illam *operationem Dei, qua* completa hominis dispositione, *eum ex statu injustitiae ad statum verae justitiae inhaerentis transfert,* vel qua hominem justum *facit justiorem,* vel *omnem operationem Dei* a

ut patet ex ipso verbo *justificare*, quod accipi debet *sensu Deo digno*, et ex concilio trident. sess. 6. c. 7., ubi statuit: *formalem causam* justificationis esse *justitiam* Dei, qua nos *justos facit*. Hujus vero *justitiae* nomine esse intelligendam gratiam in justificatione infusam, colligitur eodem ex conc. sess. 5. c. 5; sess. 6. cap. 7. et can. 11., tum ex theologorum consensu, penes quos synonyma sunt, justitia inhaerens et gratia justificationis; tum ex eo, quod gratia in justificatione infusa omne complectatur, quod requiritur ad constituendum hominem justum, i. e. bene dispositum ad omne id, quod est debitum secundum lumen fidei. Ratione enim *virtutum infusarum*, quas secum cohaerentes habet gratia, recte ordinatur justificatus relate ad Deum, seipsum et proximum[1]). Accedit damnatio propos. 42. Baji: »Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quae est *operum justitia*, non autem in *gratia aliqua animae infusa*, qua adoptatur homo in filium Dei et secundum interiorem hominem renovatur ac divinae naturae consors efficitur, ut sic per Spiritum s. renovatus deinceps bene vivere et Dei mandatis obedire possit.«

932. *Gratia* **4.** *pulchritudine coelesti animam perfundit;* tales enim **a.** nos efficit, in quibus Pater coelestis sibi complacet, i. e. *gratos* et *gratiosos*. Ad haec **b.** virtus pulchritudine non caret, gratia autem non unam, sed virtutum collectionem animo justificati inserit. Quapropter **c.** catechismus trid. de bapt. n. 50., gratiam vocat »splendorem quendam et lumen[2]),

---

prima salutari illustratione usque ad infusionem ipsius justitiae. Justificatio vero *passive* accepta effectum denotat justificationis activae. Quapropter sicut hujus est *triplex* notio, ita et illius.

[1]) Ad difficultates solvendas non inutile erit animadvertisse: **1.** justitiam, quam justificationis gratia confert, in se quidem esse *perfectam,* non tamen summo gradu: possumus enim et debemus in justitia *crescere;* **2.** eam inesse nobis una cum concupiscentia, cujus motus non impedit, et qui potius impediunt, quominus semper juste agamus. Difficultas ergo bene agendi non probat, justitiam non inhaerere nobis, sed tantum cum ordine supernaturali restitutum non fuisse ordinem *praeternaturalem.* Quare **3.** licet justi simus, non repugnare, nos simul multis esse obnoxios defectibus, maculis, quibus justitia nostra *maculetur.* Praeterea **4.** ut quis dici possit justus, necesse non esse, ut *actu semper* juste agat: potest enim aliquis ab *habitu* denominari. Unde etiam distingui debet inter justitiam *habitualem* et *actualem.* Sicut **5.** homo ut possit dici *rationalis,* non est necessarium ut ratione *semper* utatur, proficere nequeat, errore nunquam decipiatur.

[2]) Comparatio, qua gratia confertur *luci,* admodum opportuna est ad gratiae praerogativas illustrandas, ut pluribus ostendit Scheeben, *die Herrlichkeiten der göttl. Gnade* l. 3. c. 1. Exhibetur scil. **1.** ut lux, quia Deus *pater luminum est* Jac. 1, 17; omnium autem participationum ad extra nulla nobilior est gratia, proinde ratione *originis;* **2.** ratione *virtutis:* lux enim **a.** dissipat tenebras; non tantum **b.** afficit exterius, sed intus pervadit corpora pellucida: ita gratia omnes recessus animae pervadit, penetrat, omnia refingit; lux **c.** confert rebus colorem, pulchritudinem, adeo ut ea recedente omnia horreant, amittant splendorem; ea incidente in crystallum, hoc redditur soli persimile: ita gratia absente bona vel maxima carent pretio, ea praesente deificatur homo. Lux **d.** dilatat, ita gratia

quae animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores et splendidiores reddit.« Ad rem omnino scribit s. Bonaventura in 2. dist. 29. a. 1. q. 1: »Quod enim creatura consecretur in *templum*, adoptetur in *filiam*, assumatur in *conjugium*, hoc est supranaturale complementum omnis creaturae. Et ideo nec consecratio, nec adoptatio, nec unio animae ad Deum fit per aliquam proprietatem naturae, sed per aliquod donum gratiae superadditum, quod animam *consecret*, ut sit *templum*; *assimilet*, ut sit Dei *filia*; quod faciem *decoret* animae, ut apta sit esse Dei *sponsa*. Haec autem omnia facit *gratia gratum faciens*; cui est adeo juncta *Dei conformitas*, ut nullo modo possit Deo *dissimilis* fieri; adeo juncta spiritualis *venustas*, ut nullo modo possit *deformari*, et ideo reddit Deo animam acceptam.«

933. Ex gratia miram redundare in animam *pulchritudinem*, etiam ex eo liquet, quod **5.** *hominem refingat ad similitudinem unigeniti Filii*, cujus imprimit lineamenta. Haec est certa doctrina patrum, nominatim Cyrilli alex., qui id saepissime inculcat. »Neque enim, ita ille in *thesauro* ass. 32., adoptione et similitudine filii essemus, nisi ipso vero Filio praesupposito, ad quem efformamur, qui ad similitudinem ipsius arte quadam et gratia traducimur.« Quod non obscure etiam Scripturae docent, sive cum Christum vocant *primogenitum inter multos fratres*, inter fratres autem vi ipsius generationis solet esse quaedam similitudo: regeneratione vero filii Dei et fratres Christi constituimur; sive cum Paulus ad Galat. 3, 27. scribit: *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis*[1]; et 4, 19: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.*

934. Constituuntur **6.** justificati *templa sancti Spiritus*. Innumera sunt Scripturae et patrum effata, quibus docemur, *Spiritum s.* non tantum per dona sua, sed κατ' οὐσίαν secundum substantiam *justos*, eo ipso quod sunt justi, *inhabitare*. Docent enim **a.** Scripturae illum ipsum Spiritum s., qui est Patris et Filii Spiritus, qui a Patre procedit, justis *mitti, infundi, donari*; justos eum *accipere, habere, portare*, adeo ut sint ejus *templum*. Cf. Joan. 14, 16; 15, 26; Rom. 5, 5; 8, 9. s.; 1. Cor. 3, 16; 6, 19. etc. Praeterea **b.** patres distinguunt inter Spiritus *substantiam* et *operationem*, et diserte tuentur, Spiritum s. non tantum secundum *operationem*, sed secundum *substantiam* inhabitare justos. Ita auctor *serm.* 182. in append. s. Augustini al. 185. *de tempore* n. 1: »Adfuit ergo in hac die (Penteco-

---

dilatat corda, ut mundus ipsis sit angustus nimis. Lux **e.** calefacit, ita gratia sancto accendit amore; lux **f.** attrahit, ut omnia respiciant solem: ita gratia corda attrahit ad Deum; lux **g.** fecunditate donat: ita et gratia animas ante steriles ad opera salutis reddit intentas; mediante luce **h.** imagines admodum expressae obtinentur, ut in speculo vel ope photographiae: ita gratia nos reddit deiformes. Similis est **3.** gratia luci ratione *proprietatum*. Nil enim luce purius, candidius, serenius, hilarius, subtilius, actuosius, mitius etc. Jam vero proprietates analogas communicat gratia animae, ut patet ex vitis sanctorum.

[1]) In quae verba scribit Chrysostomus: ›Hoc est, eandem formam, eundem typum habetis omnes, videlicet Christi. Qui prius erat ethnicus aut judaeus aut servus, nunc obambulat formam gestans non angeli, neque archangeli, sed universorum Dominum in sese Christum repraesentans.‹

stes) fidelibus suis non jam per gratiam visitationis et operationis, sed per ipsam praesentiam majestatis, atque in vasa non *odor* balsami, sed ipsa *substantia* sacri defluxit unguenti.« Ex qua praesentia **c.** inferunt, nos *divinae consortes esse naturae,* cum nullius creaturae praesentia reddi possimus consortes divinae naturae. Sic idem Cyrillus *dialog.* 7. pag. 637: »Si ignis, inquit, nemo particeps esse potest sine igne, quinam divinitatis particeps esse potest quispiam nisi per Deum? Jam vero quod in nobis inest, tamquam Deus ac Dei locum et operationem implet, potestne Deus non esse[1])?«

935. Constituimur **7.** gratia justificante *filii Dei adoptivi.* Filiatio *adoptiva* a theologis praeeunte Thoma 3. p. q. 23. a. 1. solet definiri: »Personae extraneae in filium et heredem gratuita assumptio.« Hanc porro effectum esse justificationis, patet **a.** ex ejus definitione tradita a concilio trid. 6. c. 4; continetur enim translatione »ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae in statum gratiae et *adoptionis filiorum Dei;*" patet **b.** ex Scripturis, secundum quas *justi* omnes sunt *filii* Dei; patet **c.** ex eo, quod justificatio sit *regeneratio;* generationis autem terminus sit *filiatio,* non vero in casu nostro *naturalis,* ut evidens est; reliquum ergo est, ut sit *adoptiva.* Huc **d.** pertinet doctrina patrum, secundum quos hoc

---

[1]) Difficile tamen est explicare *modum* hujus praesentiae et unionis Spiritus sancti cum anima justi. Tenendum ergo est **1.** hanc unionem non esse *naturalem, substantialem, hypostaticam,* sed **2.** esse *moralem, accidentalem, relativam;* hinc **3.** liquet, *maximum* esse *discrimen* inter hanc unionem et unionem Verbi cum humana natura assumpta sive animae cum corpore; *analogice* tamen **4.** ad utramque accedit. Sicut enim ratione unionis hypostaticae filius hominis est Filius Dei naturalis et verus Deus: ita ratione hujus unionis filius Adae redditur *plene* filius Dei adoptivus atque consors divinae naturae; et sicut ratione unionis animae cum corpore corpus vivit vitam animalem: ita ratione inhabitantis sancti Spiritus justi vivunt vitam spiritualem. Quam ob rem passim Augustinus docet, ut *in Psalm.* 70. serm. 2. n. 3: »Duae vitae sunt, una corporis, altera animae; sicut vita corporis est anima, sic vita animae Deus. Quomodo si anima deserat, moritur corpus: sic anima moritur, si deserat Deus.« Quare **5.** Spiritus s. illapsu suo ac substantiae suae applicatione justi animae se insinuat, eam pervadit, nova vita novisque proprietatibus donat. Quae doctrina mirum in modum illustratur ex *sanctorum biographia* non obiter tamen inspecta. Quod vero **6.** attinet quaestionem, utrum haec *specialis* inhabitatio Spiritui sancto sit *propria,* an tantum *appropriata:* animadvertimus, longe communiorem esse theologorum sententiam eam tantum ipsi *appropriari,* cum in graves admodum incidamus difficultates, si ea Spiritui s. propria statuatur. Denique **7.** si quaeritur, quid haec praesentia superaddat *praesentiae per immensitatem,* dicimus **a.** gratiam esse *novum titulum* praesentiae sancti Spiritus, cui adeo placet anima gratia praedita, ut si non esset ibi ratione immensitatis, gratia allectus in tali saltem anima inciperet esse. Deinde **b.** superaddit novam praesentiae suae *manifestationem;* propter novum vero manifestationis modum solemus dicere, Deum speciali ratione alicubi esse. Est ergo in sanctis ut in *templo, organo, throno;* ut effundens suae gratiae divitias, ut se communicans speciali gratia sua. Cf. supra verba s. Bonaventurae n. 932.

est discrimen inter Christum et justos, quod ille natura sit Filius, hi adoptione et gratia[1]).

936. Ex qua praerogativa[2]) sponte sua consequitur alia (8.); nam teste Paulo Gal. 4, 7; Rom. 8, 17: *Si filii* (sumus) *et heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* De praerogativa *nona* ita scribit Ripalda *de ente supernat.* disp. ult. s. 7: »Per gratiam habitualem fieri hominem *participem divinae naturae*, ideoque gratiam esse *participationem deitatis,* adeo frequens et constans est theologorum assertum, ut *absque temeritate* negari non possit. Ita s. Thomas et reliqui theologi cum illo 1. 2. q. 110. a. 2; q. 112. a. 1; 3. p. q. 2. a. 10. ad 1.« Et revera **a.** id passim docent patres occasione verborum Psalm. 81, 6: *Ego dixi: dii estis et filii excelsi omnes;* 2. Petr. 1, 4: *Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae.* Neque **b.** id tantum affirmant et comprobant, sed etiam illustrant variis similitudinibus; docent enim ita nos reddi divinitatis participes, ut ferrum ignitum ignis, aër illuminatus luminis, gutta aquae vino immissa vini etc. Ita Basilius *de Spiritu s.* c. 9: »Quemadmodum, inquit, corpora illustria pellucidaque contacta radiis solis fiunt et ipsa supra modum splendida et alium fulgorem ex se profundunt: sic et animae Spiritu afflatae et illustratae fiunt et ipsae spirituales et in alios gratiam emittunt ... Hinc cum Deo similitudo et, quo nil sublimius expeti potest, hinc est ut Deus fias.« Huc **c.** referri possunt prop. Baji damnatae: 42. (cf. n. 931.) et 21., quae ita sonat: »Humanae naturae sublimatio et exaltatio in *consortium divinae naturae* debita fuit integritati primae conditionis, ac proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis[3]).«

---

[1]) Quaeri autem potest, utrum *justi V. T.* fuerint etiam *filii Dei,* de qua q. cf. Suarez in 3. p. q. 23. a. 3., qui id affirmat, sed advertit, **a.** eos fuisse filios Dei non *vi veteris Testamenti,* sed quatenus fide, spe et caritate jam ad novum spectabant. »Deinde **b.** illi antiqui justi, licet *vere* essent filii, tamen non habebant *statum filiorum*, sed servorum, quia erant sub lege et spiritu timoris ducebantur, unde erant tamquam *parvulus,* qui quamdiu sub actoribus et tutoribus est, nihil differt a servo (Gal. 4, 2.). Denique **c.** pro illo statu carebant *perfectione gloriae,* unde non poterant adire perfectam hereditatem, donec Christus veniret. Erat ergo illa adoptio vera, sed *imperfecta.*«

[2]) Si **1.** Deus est *Pater* noster, patris autem est filiis providere panem, profecto et filiis suis Pater coelestis *panem condignum* providebit: quem et praestitit in *eucharistia.* Quod si **2.** *tantus* est panis, *quantae excellentiae* erit *vita gratiae,* quae illo conservatur, sustentatur, fovetur? Sic mutuo illustrat gratiae praestantia excellentiam eucharistiae: et hujus dignitas illius manifestat pretium. Sicut vero **3.** praestantia illius panis est *invisibilis*, sensuum judicio non aestimanda, sed *fide* tantum *cognita:* ita et *vita gratiae,* quae infunditur in justificatione, non est *sensibus aestimanda*, oculis non usurpatur (saltem in se et immediate), *fidei* tantum est *pervia.* Et sicut **4.** *mutatio* panis in Christi corpus est *interior* manentibus tamen *speciebus:* ita *licet is*, *qui foris est*, *noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem* 2. Cor. 4, 16.

[3]) Verum in quo consistit haec *naturae divinae participatio?* Cavere **1.** debemus, ne eam per *defectum* extenuemus, neque per *excessum* exaggeremus, adeo ut in sententias pantheismum olentes incidamus. Plerique theologi **2.** reponunt

937. *Decimus* effectus gratiae justificantis continetur *speciali dignitate et valore* quem justorum actibus tribuit, ut bene Lessius *de div. perfect.* l. 12. c. 11. demonstrat: „Quo persona est excellentior vel carior, eo pluris est aestimandum ejus obsequium: quia per illud ipsa cum tota sua dignitate et amabili bonitate se illi subjicit et in ejus cultum et honorem impendit; vilitas autem personae multum detrahit operis aestimationi: similiter si parum sit grata ei, cui defert obsequium. Itaque cum esse filium Dei ejusque praeditum esse Spiritu tribuat homini summam excellentiam faciatque Deo carissimum, fit, ut opera ejus et obsequia in Deum maximi aestimentur et condigna censeantur, vitae aeternae remuneratione.“ Ex qua praerogativa maxima gratiae excellentia colligitur. Sine ipsa enim opera vel maxima nil valent ad vitam aeternam; cum illa vel minima merentur de condigno augmentum gloriae aeternae, idque non semel, sed toties, quoties quis bene operatur. Est ergo fons inexhaustus bonorum.

938. Denique **11.** ut gratiae excellentia adhuc magis innotescat, effectus quosdam *secundarios* ejusdem innuemus. Omissa interim *infusione virtutum,* quae illam comitatur, gratia sanctificans **a.** reddit justos *dignos speciali dilectione* et *providentia divina.* Cf. Isai. 49, 15: *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper;* Matth. 6, 25. s. etc., et tanta est haec providentia, ut *diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum* Rom. 8, 28. Adnexa est **b.** gratiae sanctificanti *specialis angelorum custodia* Hebr. 1, 14; Psalm. 90, 11; et **c.** *singularis virtus* et *potentia,* quam fragili naturae confert propter habitus infusos et multiplex gratiae auxilium, quod secum fert. Cujus virtutis tot sunt argumenta, quot martyres, virgines, quot horum victoriae de carne, mundo, inferno; hujus virtutis intuitu exclamare licet: *Vere digitus Dei est hic* (Ex. 8, 19.); *haec mutatio dexterae Excelsi* (Ps. 76, 11.); *mirabilis Deus in sanctis suis* (Ps. 67, 36.). *Venite et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram* (Ps. 45, 9.). Cf. Isai. 40, 31. Quare justo cum Paulo Philipp. 4, 13. dicere licet: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Haec gratia **d.** *veram* conciliat *felicitatem* et *pacem,* quam mundus dare non potest, adeo ut cum eodem Apostolo 2. Cor. 7, 4. justus dicere possit: *Superabundo gaudio in omni*

---

hoc consortium in speciali et supernaturali *assimilatione* hominis cum Deo, vi cujus redditur expressa imago et similitudo Dei. Cum vero accuratius exponunt, in quo consistat haec specialis similitudo, in alias atque alias abeunt sententias. Verum **3.** admissa speciali similitudine *plenius* forte divinae naturae participationem cum gravissimis theologis explicabimus, si dicimus, eam consistere seu saltem *compleri* et perfici inhabitatione Spiritus sancti (n. 934.). Cui sententiae suffragari videntur patres, qui passim docent, ideo nos esse consortes divinae naturae, quod ipse Spiritus s. κατ' οὐσίαν justos inhabitet. Ita ex. gr. Athanasius ep. 1. *ad Serap.* n. 24: „Omnes similiter per Spiritum participes Dei dicimur . . . Sed si Spiritus s. res creata esset, nulla sane Dei communicatio nobis in ipso esset: sed rei creatae conjungeremur et divinae naturae alieni essemus, utpote nulla in parte ejus facti participes . . . Si porro Spiritus communicatione divinae naturae consortes efficimur, nemo certe nisi insanus dixerit, Spiritum non Dei, sed creatae esse naturae.“

tribulatione nostra. Ipsa **5.** vere *illuminat,* veram confert *libertatem,* verum *progressum cultumque;* formamur enim ad similitudinem Christi et Dei. Quare de illa repeti possunt encomia, quae auctor inspiratus sapientiae tribuit Sap. 7, 8. ss.: *Praeposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius. Nec comparavi illi lapidem pretiosum; quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua et tamquam lutum aestimabitur argentum in conspectu illius. Super salutem et speciem dilexi illam: quoniam inexstinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa et innumerabilis honestas per manus illius... Infinitus enim thesaurus est hominibus.*

Articulus III.
De virtutibus infusis.

939. **Praenotiones.** *Habitus* ab Aristotele *Metaph.* l. 5. definitur: „Dispositio, secundum quam bene vel male disponitur subjectum aut secundum se aut ad aliud.“ *Duplex* inde pendet habituum divisio; dividuntur scilicet **1.** habitus in eos, qui subjectum *in se* citra relationem ad operationem afficiunt, ut sanitas, pulchritudo etc.; et in illos, qui subjectum disponunt seu perficiunt in ordine *ad actum,* et hi dicuntur habitus *operativi;* ex usu vero loquendi nomine habituum *simpliciter* plerumque intelliguntur *operativi.* Dividuntur **2.** in *bonos* et *malos;* ratione vero *originis* **3.** in *naturales* seu ipsa natura insitos, *acquisitos* qui actibus acquiruntur, et *infusos,* quos Deus supernaturaliter agens animae communicat. Horum habituum infusorum alii dicuntur *infusi per accidens,* ii scil., qui repetitis actibus ab homine quidem acquiri potuissent, nihilominus tamen a Deo gratuito infunduntur, ut ex. gr. donum linguarum; alii vero dicuntur *infusi per se,* qui unum Deum habent auctorem, et nulla actuum etiam supernaturalium repetitione acquiri possunt, iique non tam agendi facilitatem, quam potius agendi potentiam conferunt[1]).

940. „*Virtus,* inquit s. Thomas *de verit.* q. 14. a. 6., ex sui nominis impositione significat complementum activae potentiae;“ hinc

---

[1]) De his ita scribit Suarez l. 2. *de gratia* c. 9. n. 8: „Nec sunt *puri habitus,* nec *purae potentiae,* sed utramque rationem eminenti modo participant. Sunt enim *habitus,* quatenus *supponunt potentiam,* quae est proximum principium operationis, et illam informant et ad operandum adjuvant, nec possunt sine illius influxu operari: sunt vero *potentiae* aliquo modo, quatenus non dant solam facilitatem operandi sicut puri habitus, sed etiam *dant* vel *complent potestatem.* Non possunt autem dici *simpliciter* potentiae, quia non sunt *totum* principium proximum agendi; quia necesse est, ut ipsae potentiae animae immediate influant in actum, alioquin actio non esset vitalis. Vocantur autem *simpliciter* habitus, ut distinguantur a propriis potentiis, quibus superadduntur, et quia sine potentiis nihil agere possunt: potentiae autem absolute agere possunt sine tali habitu, si Deus per aliquod auxilium vicem ejus suppleat.“

cum quaedam potentiae perfectio sit, generatim definiri potest *habitus operativus bonus.* Habitus autem operativus *duplici* modo dici potest *bonus,* vel quia adjuvat ad opus *physice* bonum, ut ex. gr. artes; vel quia adjuvat ad opus *moraliter* bonum, ac perficit proinde hominem in ordine *morali;* ille dicitur virtus *secundum quid,* hic virtus *simpliciter,* quae ab Aristotele *Ethic.* l. 2. c. 6. definitur: „Virtus est, quae bonum facit habentem et opus ejus bonum reddit.“ Hinc derivatur prima virtutis divisio. Distinguuntur **2.** ratione *potentiae,* quam perficiunt, in virtutes *intellectuales* et *morales,* quae scil. perficiunt *voluntatem.* Inter has eminent *cardinales,* i. e. *fortitudo, justitia, temperantia,* et *prudentia* (quae quidem ratione potentiae, quam perficit, intellectualis est), quarum mentio frequenter occurrit apud veteres, imo et in Scripturis Sap. 8, 7; dicuntur autem *cardinales,* vel quia opus quodlibet, ut sit bonum, bonitate harum virtutum propria praedita esse debet et illi veluti *quadruplici cardini* inniti adeo, ut si vel una desit, opus dici nequeat bonum; vel quia reliquae virtutes omnes ad has tamquam ad principales revocari possunt. Distinguuntur **3.** virtutes ratione *originis* in *acquisitas* et *infusas* (n. 939.). Virtus *infusa* solet definiri: Qualitas bona, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.

941. Distinguuntur **4.** virtutes ratione *objecti* in *theologicas* et *non theologicas,* quae communiter *morales* dici solent. Differunt autem hae virtutes **a.** ratione *objecti* materialis, nam virtutis *theologicae* objectum materiale adaequatum aut saltem princeps, ad quod reliqua objecta referuntur, est ipse *Deus,* non vero virtutum moralium; **b.** ratione objecti *formalis,* nam objectum formale in virtutibus theologicis est etiam *Deus* vel aliqua ipsius perfectio; in virtutibus vero moralibus bonitas seu *honestas ipsa actus;* **c.** virtutis theologicae est, hominem *immediate* per actus cum Deo *fine* supernaturali conjungere, in illum ordinare et dirigere. „Virtutes theologicae, inquit Thomas 1. 2. q. 62. a. 3., hoc modo ordinant hominem ad beatitudinem supernaturalem, sicut per naturalem inclinationem ordinatur in finem sibi connaturalem;“ reliquae vero virtutes perficiunt potius circa ea, quae sunt ad finem. **d.** De ratione virtutis theologicae est, ut adhaereat suo objecto actu *appretiative super omnia,* quae repugnant illi praedicato divino, quod est formale objectum actus theologici.

942. Thesis **CXXXIV.** ***In justificatione habitus operativi infunduntur, nominatim vero virtutes theologicae fides, spes, caritas.***

Demonstratio p. I. Probatur thesis, quae saltem ita est *certa,* ut absque *temeritate* nequeat negari, **1.** ex controversia de habituum infusione tempore conc. viennensis; quoad adultos enim nemo du-

bitabat; si quod erat dubium, illud referebatur tantum ad *infantes;* verum et his infundi virtutes tamquam probabilius statuit illud concilium (n. 926.). Accedit 2. auctoritas catechismi trid., qui de baptismo n. 50. docet: „Huic autem gratiae additur nobilissimus *omnium virtutum comitatus,* quae in animam cum gratia infunduntur divinitus." Omisso 3. argumento ex consensu theologorum, qui tantus est, ut teste Suario l. 6. c. 4., nullus reperiatur, qui id negaverit, suadetur id 4. ratione haud spernenda, qua Thomas passim utitur. Ita ex. gr. docet 1. 2. q. 110. a. 2: „Non est conveniens, quod Deus minus provideat his, quos diligit ad supernaturale bonum habendum, quam creaturis, quas diligit ad bonum naturale habendum. Creaturis autem naturalibus sic providet, ut non solum moveat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas et virtutes quasdam, quae sunt principia actuum, ut secundum se ipsas inclinentur ad hujusmodi motus... Multo igitur magis illis, quos movet ad consequendum bonum supernaturale aeternum, infundit aliquas formas seu qualitates supernaturales, secundum quas suaviter et prompte ab ipso moveantur ab bonum aeternum consequendum."

943. Quod 5. divinae literae toties significare videntur, quoties promittunt Deum ablaturum esse in foedere gratiae *cor lapideum* et daturum *cor carneum;* se scripturum legem *in fidelium visceribus,* et in eorum *corde,* ut Ezech. 11, 19: *Et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum: ut in praeceptis meis ambulent, et judicia mea custodiant faciantque ea;* 36, 26; Jerem. 31, 33. s. etc., quae vix aliter, quam de habitibus infusis explicari possunt. Sicut enim nomine *cordis lapidei* intelligitur cor pravis habitibus infectum: ita nomine cordis *carnei* manifesto significatur principium *habituale* et *permanens, operativum* bonum (*ut in praeceptis meis ambulent*) divinitus infusum i. e. *habitus operativus bonus.* Pariter aliquid *in corde scribere* est illud habitualiter memoria tenere, magni facere, amare etc. Lex ergo cordi inscripta erit lex menti alte impressa, quae cum amore et prompte servatur. Atqui habitualis promptitudo et alacritas in servanda lege est virtus. Ergo divinitus infunditur virtus cordibus eorum, qui spectant ad N. T.

944. **Demonstratio p. II.** Haec pars probatur 1. per modum corollarii. Si enim in justificatione virtutes infunduntur, inter eas vero necessitate et dignitate eminent virtutes *theologicae,* hae *prae ceteris* infundentur. Quare 2. concilium trid. sess. 6. c. 7. docet: „In ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per J. Christum, cui inseritur, *fidem, spem et caritatem:*" quae certe neque de actibus neque de gratia actuali intelligi possunt.

Suaderi deinde 3. potest hac ratione: Non dissimili ratione videtur gratia operari in filiis adoptionis, ac natura in filiis naturalibus. Jam vero natura inserit filiis specialem instinctum agnoscendi parentes, fiduciam in illos et amorem tenerum: cui *triplici* affectui in ordine naturali respondet *triplex affectus* ordinis *supernaturalis* erga Deum, sive tres virtutes theologicae: ergo gratia regenerationis eas inseret justificatis; quod saltem de *caritate* clare docet Paulus Galat. 4, 6: *Quoniam estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater.*

945. **Scholion.** Quaeritur **1.** utrum in justificatione virtutes etiam *morales* infundantur. *Communior* est sententia affirmans, quae innititur argumentis, quibus thesim demonstravimus[1]). Quaeritur **2.**, quodnam sit discrimen inter *gratiam* justificationis et *habitum caritatis.* Plures graves theologi contendunt, nullum esse *reale* discrimen, sed *rationis* tantum; alii vero cum Thoma 1. 2. q. 113. a. 3. tuentur *reale* discrimen inter gratiam et caritatem. Sicut enim in ordine *naturali,* inquiunt, distinguuntur essentia animae et ejus facultates, ita in *gratia* distingui debet habitus, qui perficit *essentiam* animae, quatenus est radix intellectus et voluntatis, ab habitibus, quibus hae *facultates* perficiuntur: ut ita *totus* homo gratia elevetur, regeneretur, deificetur. Quaeritur **3.**, cujusmodi sit *relatio* inter *gratiam* sanctificantem et *virtutes* infusas: cui quaestioni melius responderi nequit, quam verbis Thomae 3. q. 62. a. 2.: „Gratia secundum se considerata perficit essentiam animae, in quantum participat aliquam similitudinem divini esse; et sicut ab essentia animae fluunt ejus potentiae, ita a gratia fluunt perfectiones ad potentias animae, quae dicuntur virtutes et dona, quibus perficiuntur potentiae in ordine ad actus suos." Quapropter docent theologi, sanctificanti gratiae competere in ordine supernaturali *munus naturae,* eamque esse radicem omnis perfectionis supernaturalis.

Articulus IV.

De causis justificationis.

946. I. Causa *efficiens* est *Deus unus et trinus,* et Deus quidem *solus* est causa efficiens *principalis;* neque enim ulla creatura, licet

---

[1]) Neque virtutum infusioni adversatur *factum* illud, quod justi experiantur eosdem in se pravos habitus, quibus obnoxii erant ante justificationem: nam **1.** inter virtutes infusas et habitus pravos non est *formalis* oppositio, cum sint *diversi* ordinis: sicut etiam memoria orationis dominicae in lingua latina non opponitur oblivioni ejusdem in alia lingua. **2.** Distingui debet *duplex facilitas* vel *difficultas,* una *interna,* quae per se inest cuicunque facultati respectu sui actus: alia quae oritur ex adjunctis *externis.* Jam vero virtus *infusa* confert *priorem* facilitatem seu ipsam possibilitatem ponendi actum (n. 939. annot.), sed non aufert difficultatem, quae oritur ex fomite concupiscentiae, tentationibus etc., quamvis **3.** saepe, praesertim si fervida praecesserit praeparatio, pravos quoque habitus, si non penitus exstirpet, multum refrenet difficultatesque minuat.

esse possit causa *ministerialis*, potest esse causa efficiens principalis, quae scil. virtute sibi insita et propria justificationis conferat gratiam. II. Causa *instrumentalis* et quidem *separata* sunt *sacramenta; conjuncta* vero est *humanitas Christi*, cui relate ad justificationem convenit causalitas *satisfactoria*, *meritoria* et *ministerialis*. Christus enim homo in terris degens *reconciliationis* egit *ministrum*, cujus tamen ministerialis potestas non iis alligata erat conditionibus, quibus nostra circumscribitur. Illi praeterea ea causalitas jure merito potest vindicari, quae sacramentis tribuitur; sicut enim horum applicatione homines justificantur, ita potuit Christus in terris degens tactu ss. humanitatis justificare accedentes ad se. III. Causa *finalis* est *triplex:* gloria Dei, gloria Christi, vita aeterna. IV. Causa *formalis* est *justitia Dei,* non qua Deus justus est, sed qua nos justos facit, quaeque nobis inhaeret. V. Causa *subjectiva*, quam alii *materialem* dicunt, est ipsa *anima* justificandi, neque enim gratia creatur, sed e potentia obedientiali animae educitur. VI. Causa *ministerialis* sunt *ministri* conferentes sacramenta. Denique VII. causa *dispositiva,* quae ad *materialem* revocari solet, sunt *actus nostri,* quibus ad justificationis gratiam consequendam disponimur.

Caput III.

De proprietatibus justificationis.

947. Plures justificationis *proprietates* concilium trident. sess. 6. c. 7. s. proponit et contra protestantes tuetur. Quarum *prima* est gratiae *inaequalitas:* neque enim *aequalis* est in *omnibus* justis, neque *semper* aequalis manet in *eodem* justo. De qua proprietate haec paucis animadvertimus: **1.** Quod gratia non in *omnibus* justis sit *aequalis, duplex* est ratio: *voluntas* Dei, qui *prout vult* sua dispensat dona; et justificandorum diversa *dispositio.* Sicut enim in ordine naturali pro diversa materiae subjectae dispositione diversus est causarum secundarum effectus, ita et in ordine supernaturali. Utramque rationem inculcat concilium trid. docens c. 7., unumquemque recipere justitiam suam „secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, *prout vult*, et secundum propriam cujusque *dispositionem* et *cooperationem.*"

948. Neque **2.** in *singulis* gratia *semper* est aequalis; crescere enim potest et debet, ut patet ex Apoc. 22, 11: *Qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc;* Prov. 4, 18: *Justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem* etc. Quod multiplici *analogia* illustrari potest. Gratia enim est **a.** *seminis* instar boni, **b.** regeniti sunt *parvuli,* qui cum aetate proficere debent, donec formetur in illis Christus, cujus in regeneratione illis impressa fuerunt lineamenta Galat. 4, 19. (n. 933.). **c.** Justificati sunt Deo *grati* et *cari* ratione sanctificantis gratiae; qui vero gratus et carus est, gratior et carior fieri potest. Hoc vero **3.** gratiae *augmentum*

obtinetur vel per *sacramenta,* vel per singula *bona opera,* ut patet ex sess. 6. c. 10. et can. 24. 32; tum etiam[1]) ex ep. s. Jacobi 2, 24. s.

949. *Altera* gratiae justificantis proprietas in eo consistit, quod *nemo scire possit certitudine fidei se gratiam Dei esse consecutum,* ut patet ex sess. 6. cap. 9. Quod tenendum est contra protestantes et colligitur ex Eccl. 9, 1: *Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei; et tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit;* 1. Cor. 4, 4: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Cf. Job 9, 20; Prov. 20, 9. In primis vero comprobatur hac ratione: Eatenus aliquis certus esse posset *certitudine fidei* de obtenta justificationis gratia, quatenus certus foret certitudine fidei vel evidentiae, se omnia praestitisse omnesque adimplesse conditiones, quae requiruntur ad justificationis gratiam consequendam. Atqui licet quis possit certus esse certitudine *conjecturali* et *morali* de sua dispositione, deque adimpletis omnibus conditionibus, nunquam tamen certus esse potest *certitudine fidei* vel evidentiae. Quamvis enim conscientiae testimonium verax sit in testanda alicujus dispositionis *exsistentia,* infallibile tamen non est in dijudicanda ejusdem *qualitate.* Jam vero dispositionis sufficientia non pendet a sola illius praesentia, sed quam maxime ab illius qualitate; esse enim debet supernaturalis, sicut oportet[2]).

950. **Thesis CXXXV.** ***Gratia justificationis amitti potest etiam in perpetuum; amittitur autem per quodlibet peccatum mortale, et una cum illa amittuntur reliqua dona infusa, non tamen fides et spes, quae nonnisi per actus ipsis directe oppositos amittuntur.***

---

[1]) Jac. 2, 24: *Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo et non ex fide tantum.* Porro haec verba sunt intelligenda non tantum de justificatione *prima,* sed etiam de *secunda,* scil. de *augmento* gratiae justificantis. Nam **1.** verbum *justificare* utramque *potest* significare; neque ulla **2.** ratio est, cur *restringatur* hic ad significandam *primam* justificationem; praesertim **3.** cum apostolus duplex afferat justificationis exemplum: alterum *certo* justificationis *secundae* v. 21., alterum probabilius *primae* v. 25.

[2]) Ut difficultates solvantur, advertatur **1.** nos negare quidem, justum absque revelatione posse habere *certitudinem fidei* de adepta justitia: libenter tamen concedimus, eum posse habere certitudinem *conjecturalem* et *moralem* majorem minoremve, quae excludat *actualem* formidinem, *prudens* dubium: non tamen ita, ut si justus velit totam rationem timendi attendere et expendere, non possit non formidare. Jam vero hanc certitudinem conjecturalem patres justis subinde concedunt. **2.** Pleraque ex innumeris testimoniis, quae vel ex Scripturis vel ex patribus protestantes objiciunt, non sunt ad rem; in illis enim sermo est vel de certitudine *confidentiae,* qua certo *confidimus* et speramus, nos a Deo gratiam et gloriam consecuturos, si fecerimus, quod est in nobis; vel de certitudine fidei, cujus objectum non est *propria* cujusque justificatio, sed propositiones *universales,* ex. gr.: Qui se rite disposuerit, justificabitur; per baptismum remitti peccata etc., quae veritates utpote revelatae profecto certitudine fidei sunt credendae.

Demonstratio. Hac thesi *tertiam* gratiae justificantis proprietatem exponimus. *Justos* autem **1.** *amittere posse gratiam* statuimus contra Calvinum, et est *de fide,* ut constat ex concilii trid. sess. 6. c. 14. et can. 23: „Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur et peccat, nunquam vere fuisse justificatum, A. S." Assertionem autem nostram Scripturae passim docent; jugiter enim exhortantur, ut *qui se existimat stare, videat ne cadat* (1. Cor. 10, 12.). Cf. Ezech. 33, 12. s.: *Justus non poterit vivere in justitia sua, in quacunque die peccaverit. Etiam si dixero justo, quod vita vivat, et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem: omnes justitiae ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur;* Rom. 11, 20. etc. Neque minus **2.** certum est, justos *in aeternum* amittere posse gratiam; quocirca hortatur Spiritus s. singulos justos Apoc. 3, 11: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam;* Joan. 15, 6: *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum et in ignem mittent et ardet;* 1. Cor. 9, 27: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.*

951. Contra lutheranos **3.** tenendum est, non solum peccato *infidelitatis,* sed *quovis* peccato gravi amitti posse gratiam justificationis, ut sess. 6. c. 15. et can. 27. statuitur: „Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum nisi infidelitatis, aut nullo alio quantumvis gravi et enormi praeterquam infidelitatis peccato semel acceptam gratiam amitti, A. S." Quod diserte docent Scripturae, ut Ezech. 18, 24: *Si autem averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet? Omnes justitiae ejus, quas fecerat, non recordabuntur: in praevaricatione, qua praevaricatus est, et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur;* 1. Cor. 6, 9. s.: *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt;* 1. Joan. 3, 8; Jac. 1, 14. s.

952. Praeter gratiam **4.** quovis gravi peccato amittuntur reliqua dona habitualia, quod ita Ripalda disp. 128. sect. 4. n. 38. probat: „Virtutes exsistunt sola exigentia gratiae, scil. solum quia gratia exigit, ut compleatur per illas status divinus et dignitas intrinseca permanens, in quam homo evehitur per gratiam, potens scil. permanenter et intrinsece actiones edere dignas filiatione, amicitia Dei divinitatisque consortio, quod ei confert gratia justificans. Nam, ut statuimus disp. 35., non exiguntur virtutes ex natura rei, ut actus supernaturales connaturaliter edantur, nec ut potentia vitalis connaturaliter eos eliciat, sed solum ut homo elevatus in participationem divinitatis facultatibus sibi intrinsecis ac permanentibus ornetur consentaneis dignitati gratiae. Ergo abeunte gratia abibunt ex natura rei virtutes, si-

quidem abiit unica causa, qua a Deo inducuntur et conservantur in homine: neque alia exsistit, quae ex natura rei vindicet conservationem earum.«

953. *Excipi* tamen **5.** debent *fides* et *spes*. Quam exceptionem Ripalda loc. cit. sect. 5. ita probat: »Lex aliqua specialis et dispensatoria Dei recte colligitur ex testimoniis sacrae paginae et patrum communi catholicorum doctorum sensu intellectis et ex definitionibus Ecclesiae. At lex conservandi habitum fidei (idem de *spe* dicatur) post interitum gratiae colligitur ex testimoniis sacrae paginae et patrum communi doctorum sensu intellectis et ex definitionibus Ecclesiae. Ergo talis lex admittenda est . . . Minor probatur. In primis sunt plura testimonia sacrae paginae et patrum, quae fidem admittunt in peccatore nullo discrimine expresso fidei actualis et habitualis . . . At haec testimonia sic indifferentia intellecta sunt communi doctorum catholicorum consensu etiam de fide habituali, cum omnes doctores catholici tam prisci in 3. l. dist. 23., quam recentes in 1. 2. q. 4. a. 4. et aliis in locis unanimi consensu in hanc sententiam incubuerint. Ergo ex testimoniis s. paginae et patrum communi doctorum catholicorum sensu intellectis colligitur lex conservandi fidem habitualem post interitum gratiae.« Quam deinde Ecclesia suo suffragio comprobavit sess. 6. can. 28: »Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti; aut fidem, quae remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum, qui fidem sine caritate habet, non esse christianum, A. S.«

954. Verum **6.** etiam dona habitualia *fidei* et *spei* amitti possunt, ut patet **a.** ex variis Scripturae effatis Luc. 8, 13: *Qui supra petram: qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: et hi radices non habent, qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.* 1. Tim. 1, 5. s.; 4, 1; 6, 21; 2. Tim. 2, 17. s.; **b.** ex patrum exhortationibus; sollicite enim hortantur fideles, ut sibi caveant tempore persecutionis vel haeresis, ne fidem amittant; ratio vero **c.** evidens est: fides enim libera est, libere suscipitur; libere ergo etiam abjici potest. Amittuntur autem **7.** hi duo habitus *peccatis ipsis directe oppositis,* uti sunt *haeresis, infidelitas,* et *desperatio,* cujus amissionis hanc reddit de Lugo disp. 14. *de fide* sect. 4. rationem: »Sicut Deus vult haec dona habitualia adultis nonnisi volentibus dare, ita non vult conservare in nolentibus et respuentibus, quamvis non exigat eandem dispositionem ad conservationem et ad infusionem; nam ad infusionem exigit actum positivum; ad conservationem vero solum exigit, quod non respuantur per actum contrarium; quando tamen homo per actum contrarium ea dona abjicit et respuit, Deus meritissime ea aufert, quippe qui ea volentibus solis confert et in invitis non conservat[1]).«

PARS III.

De Merito.

955. *Meritum* propria significatione acceptum est quaedam proprietas *actuum* humanorum, quatenus *ad alterum* referuntur in ordine ad retributionem, eo quod cedunt in ipsius *obsequium* vel *damnum.*

---

[1]) Gratia habitualis potest crescere et amitti; jam quaeritur, utrum etiam possit *imminui?* Aliqui affirmarunt, sed tamen theologi cum Suarez l. 11.

Quamvis autem nomen *meriti* tribuatur tam *bono* quam *malo* actui, communiter tamen theologi nomen *meriti* de *bono* actu praedicant, *malum* vero dicunt *demeritum*. Definiri *meritum* solet: Obsequium cedens in utilitatem aut honorem alterius valentis illud munere aliquo compensare.

956. Supponentes modo homines apud Deum posse mereri, in meriti *conditiones* inquiremus, quae repeti possunt vel ex parte *actus*, vel ex parte *merentis*, vel ex parte *Dei remunerantis*. Ex parte *actus* requiritur: **1.** ut veri nominis adsit actus; neque enim per meram *omissionem* actus meremur. Requiritur **2.** ut actus sit *liber* libertate non tantum a coactione, sed et a necessitate, ut de *fide* tenendum est contra Jansenium, cujus prop. 3. ut *haeretica* damnata est: „Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione." Requiritur **3.** ut actus sit moraliter *bonus:* neque enim meremur per actus sive malos sive indifferentes[1]).

De actu *externo* haec sunt animadvertenda: **a.** meritum potissimum residere in actu *interno;* **b.** ratione vero actus interni imperantis vel approbantis actus etiam *externos* meritorios esse posse: imo **c.** cum actus externus multum conferat, ut actus internus sit magis intensus, saepius iteretur, diutius duret, multum conferre actus externos ad meriti augmentum; ceteris vero paribus **d.** disputare theologos, utrum actus externus *augeat* meritum actus interni. Negant plurimi cum Suarez l. 12. c. 6., de Lugo disp. 24. sect. 6. *de Poenitentia.* Sed refragatur Ripalda disp. 68. et in append. ad disp. 74., qui argumentis haud spernendis innixus contendit, actum externum ceteris paribus *augere* meritum actus interni, cum natura sua conferat ad majorem Dei honorem, cedat ad majorem Dei cultum et proximi utilitatem.

957. Requiritur in praesenti ordine **4.** ut actus meritorius *a gratia* procedat et aliquo modo sit *supernaturalis,* est enim actus *salutaris.* Ad quemlibet vero actum salutarem requiritur gratia[2]). Requiritur 5. ut

---

c. 8. statuunt: „Dicendum est, gratiam et caritatem *imminui non posse.* Hanc assertionem censeo ita certam, ut contraria *non sit probabilis, nec verisimiliter defensabilis.*"

[1]) Quaerunt vero theologi, utrum actus moraliter bonus, qui propter aliquam circumstantiam malam vitiatur, meritorius esse possit. Affirmat alacriter Ripalda; plures cum Suarez negant: quia actus, ut sit meritorius, bonus esse debet. Atqui bonum ex *integra* causa, malum ex *quocunque* defectu: ergo actus vitio aliquo infectus non est *simpliciter* bonus. Concedit tamen Suarez l. 12. c. 4., posse actui bono et meritorio vel simul tempore vel successu temporis adjungi actus vere sed venialiter malos numerice distinctos ab actu bono, quin impediant actus boni meritum.

[2]) Quod si quaeritur, utrum ad meritum requiratur *specialis relatio actus in Deum,* distinguatur prius *quintuplex* actus relatio in Deum: *actualis, virtualis,* per

opus meritorium (de *condigno*) habeat aliquam *proportionem* et *aequalitatem* cum praemio; non tamen requiritur aequalitas *mathematica*, sed sufficit aequalitas *proportionis*, quae non solum ab opere, sed et *ab adjunctis* et *praemiantis majestate* pendet. Hinc ut rite animadvertit Ripalda disp. 16. s. 9.: „Magnam *latitudinem* admittit (haec aequalitas proportionis), nullaque in opere facta variatione fieri potest, ut idem opus nunc praemio majori, nunc minori jure compensetur, ex. gr. eidem poëmati ab inaequalibus principibus in eadem occasione et ab eodem principe in diversis occasionibus inaequalia munera juste quidem reddenda proponi possunt."

958. Ex parte *personae merentis* requiritur ad meritum *condignum*: **1.** ut ea sit in *statu gratiae;* quod probatur **a.** ex damnatione prop. 12. 13. 17. 18. Baji, quarum prima ita habet: „Pelagii sententia est, opus bonum citra gratiam adoptionis factum non est regni coelestis meritorium;" probatur **b.** ex doctrina perspicua conc. trid. sess. 6. c. 16. et can. 32. (n. 962.); **c.** ex Joan. 15, 4. ss.: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras et arescet; et colligent eum et in ignem mittent, et ardet.* Sermo hic est de fructibus manentibus in vitam aeternam, quos agricola coelestis exspectat et vitis Christus intendit, seu de operibus *plene* meritoriis, quibus mercedis instar tribuitur coelum. Ad haec autem evidenter exigitur plena et habitualis cum Christo unio[1]), quae nonnisi per justificationis gratiam habetur.

---

actum nimirum virtute perseverantem; *objectiva*, qua offeruntur Deo subinde bonae actiones, qui tamen actus oblationis supponitur jam praeteriisse, neque amplius virtute durare; *habitualis*, qua opera eo ipso, quod operans habet gratiae et caritatis habitum, quo in Deum dirigitur, censentur relata in Deum; denique *connaturalis*, quam quodlibet opus salutare eo ipso, quod ex gratia proficiscitur, connaturaliter habet. Qua distinctione posita dicimus, non requiri relationem *actualem*, neque *virtualem*, neque *objectivam*, quia haec in opera nullo modo influit, proinde ea meritoria reddere nequit; requiritur, sed non sufficit relatio *habitualis;* praeter hanc requiritur et *sufficit* relatio *connaturalis*. Hinc consequitur justos per *omnes* omnino actus salutares mereri. Ratio hujus asserti primaria est, quod concilium trid. sess. 6. c. 16. disserens de meritis data opera ad meritum non exigat, nisi ut opus sit justi et ex Deo seu ex gratia profectum. Cf. Suarez c. 8. et Ripalda disp. 90. s. 5.

[1]) Quamvis gratia justificationis praecipue tribuat justorum operibus valorem (n. 937.), tamen hic augeri videtur dignitate *membri Christi*, quo in praesenti ordine justi fruuntur. Nam **a.** ex hac unione cum Christo specialis amabilitas redundat in justos, *novusque* velut titulus conferendi praemium debitum am ob internum operum valorem. **b.** Ex relatione ad merita Christi majorem

Nec deest **e.** ratio theologica. Sane opera bona justorum ex se vix ullam habent proportionem ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis (2. Cor. 4, 17.). Atqui ad meritum condignum aliqua requiritur proportio cum praemio (n. 957.): ergo haec ex personae dignitate in opus derivari debet, quae nulla quidem est in peccatore, maxima autem in justo (n. 937.).

959. Requiritur **2.** ut persona, quae meret, sit *in statu viae.* Nomine autem status *viae* intelligitur status fidei in vita mortali, quae secundum communem et ordinariam legem in hoc mundo agitur, et ideo qui extra hanc legem et altiori modo vivunt, ut Elias et Henoch, ad hunc statum viatorum non pertinent. Haec vero conditio colligitur ex Scripturis, quae docent: **a.** tempus vitae esse tempus meriti Eccli. 14, 17: *Ante obitum operare justitiam;* 18, 19. ss.; **b.** tempus mortis esse tempus retributionis ibid. 11, 28: *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas;* Luc. 16, 9; **c.** post mortem non dari locum aut tempus meriti Eccle. 9, 10: *Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos;* 11, 3; Joan. 9, 4: *Venit nox, quando nemo potest operari;* quapropter **d.** testatur Paulus objectum judicii atque idcirco retributionis esse *propria corporis* i. e. quae per corpus gessimus τὰ διὰ τοῦ σώματος 2. Cor. 5, 10: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum.*

960. Quod conditiones attinet ex parte *Dei remunerantis* ad meritum *condignum,* quaeritur, utrum necessaria sit *acceptatio* et *promissio* Dei. Omnino videtur tenenda sententia asserens, condignitatem quidem ad praemium inesse in actu *primo* nostris operibus independenter ab omni lege et promissione divina: sed rationem et efficaciam meriti condigni in actu *secundo* illis convenire ex promissione divina. Et sane meritum condignum in sensu proprio illud est, per quod homo *jus* ad praemium apud Deum acquirit. Atqui homo jus apud Deum per opera acquirere non potest nisi ex ipsius promissione sub conditione talium operum. Cui sententiae favet conc. tridentinum sess. 6. c. 16.

---

quandam *justitiae* rationem merita nostra participant, et hinc a Deo Patre *rigorosiori* acceptantur justitia. „Addere possumus **c.** inquit Suarez l. 12. c. 19. n. 11., etiam concurrere Christum ad nostra merita *offerendo* illa Patri, ut ab illo non solum libentius acceptentur, sed etiam majori quodammodo obligatione acceptentur: nam illa Christi *oblatio* et auget rei oblatae dignitatem seu acceptabilitatem, et licet prout nunc fit a Christo in coelo, non habet novum meritum: quatenus vero in praecedentibus Christi meritis nititur, rationem justitiae in nostris meritis auget et perficit.‟

961. Ad meritum *congruum* requiritur ex parte *actus,* ut sit actus *bonus, liber, salutaris;* et ex parte *Dei* necessaria est *acceptatio.* Haec enim sunt de *essentia* actus *meritorii;* non vero requiruntur reliquae conditiones necessariae ad meritum *condignum;* ad quod meritum congruum ita se habet, ut imperfectum ad perfectum; ideoque si vel una ex reliquis conditionibus ad meritum condignum requisitis desit, habebitur meritum congruum.

962. Contra protestantes tamquam *de fide* tenendum est, homines apud Deum per bona opera ex gratia facta merere posse; quod definivit concilium trid. sess. 6. c. 16. et can. 32: „Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et J. Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia Dei decesserit, consecutionem atque etiam gloriae augmentum, A. S.“ Evidenter autem colligitur haec veritas ex divinis literis, in quibus **1.** passim sermo est de *mercede,* praemio, retributione, remuneratione, corona justorum bonis operibus a Deo tribuenda. Atqui haec sunt correlata ad *meritum,* nec nisi merito tribuuntur. Praeterea **2.** frequenter legimus Deum esse *redditurum secundum opera* uniuscujusque sive bona sive mala; ideoque dicitur *judex* et ejus *judicium* accurate describitur Matth. 25, 31. ss., 16, 27; Rom. 2, 6. s.; 1. Cor. 3, 8; Apoc. 2, 23. etc. Atqui judicii notio et vis locutionis reddere secundum opera sive bona sive mala mercedem vel poenam, meriti vim inesse significat operibus bonis, sicut et demeriti malis. Ergo homines non solum malis operibus poenam, sed et bonis apud Deum praemium merere possunt. Imo **3.** diserte adscribitur hominibus respectu Dei *meritum* Eccli. 16, 15: *Misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum;* Hebr. 13, 16: *Beneficentiae autem et communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus.* Haec autem argumenta ostendunt, operibus justorum inesse rationem meriti *de condigno:* quae quidem assertio, ut advertit Suarez l. 12. c. 1. n. 10., „non est *de fide,* quia sub his terminis non est definita; est tamen omnino vera et valde consentanea principiis fidei, ideoque conclusio est theologice satis certa, quam communiter approbant theologi.“

963. Si autem homines merere possunt *de condigno* apud Deum, *a fortiori* poterunt merere *de congruo.* Inepte vero contra justorum merita opponunt protestantes, iis obscurari merita Christi, cum haec potius illustrentur. Tanta enim horum est virtus, ut non solum obtinuerint hominibus gratiam, sed et ipsam virtutem merendi. Quare

sicut fecunditas palmitum non obscurat vitis fecunditatem, imo hanc potius manifestat, ita et justorum merita virtutem Christi vitis patefaciunt.

964. Restat, ut aliqua de *objecto* meriti dicamus. **1.** *Nullus* hominum *potest* sive de condigno sive de congruo *merere primam gratiam actualem,* ut patet ex thesi CXXIII. **2.** *Potest peccator* gratia actuali adjutus *de congruo* merere *alias gratias* actuales ad justificationis gratiam consequendam, imo et *justificationis gratiam,* ut patet ex n. 918. Eos non posse *de condigno* merere justificationis gratiam patet ex dictis de necessitate status gratiae ad meritum condignum n. 959. *Justi* **3.** *merere possunt de condigno gloriam, augmentum gloriae et gratiae habitualis,* ut definit concilium trid. sess. 6. c. 32. Quam veritatem probant omnia, quibus ostenditur, justos apud Deum posse merere n. 962. Si quid enim haec probant, ostendunt, eos merere mercedem, coronam aeternam etc., et consequenter propter gloriae cum gratia nexum etiam gratiae augmentum. *Justi* **4.** *merere possunt sibi de congruo gratias actuales uberiores opportunas, perseverantiam finalem et probabiliter etiam reparationem* pro casu, quod e gratia excidant. Possunt enim haec impetrare; ergo et merere, saltem *de congruo,* quamdiu sunt in statu viae, in quo sunt meriti capaces. *Justi* **5.** *merere possunt aliis de congruo quidquid sibi merere possunt,* imo secundum plures theologos aliquid plus, nimirum etiam *primam* gratiam, quam sibi merere non possunt. Rationem hujus meriti de congruo *pro aliis* ita bene explicat Suarez l. 12. c. 5. n. 5: »Secundum legem amicitiae congruum est, ut amicus honestam amici voluntatem faciat, et ita hoc potest dici debitum operibus et obsequiis amici ex congruitate amicitiae. Cum ergo inter Deum et hominem amicitia intercedat dicente Christo Domino: *Jam non dicam vos servos, sed amicos* (Joan. 15, 15.), magnum profecto fundamentum est in operibus justorum, ut ad benefaciendum aliis Deus benigne propter amicorum opera inclinetur, et hoc ipsum est, illa esse meritoria de congruo respectu aliorum.«

965. Denique aliquid dicendum est *de reviviscentia meritorum,* de qua statuit Ripalda disp. 91. sect. 1: „Redire merita et per peccatum eis superveniens non exstingui, sed solum mortificari et impediri, constans est omnium theologorum consensus . . . Quam veritatem adeo plerique certam pronunciant, ut Ledesma censeat, eam esse *de fide,* Sotus oppositum esse *erroneum;* sed rectius Suarez, Granadus, Meratius et alii, *sine temeritate* asseri non posse. Nam quamvis haec veritas in ss. literis expressa non sit, omnes tamen theologi et plures Ecclesiae patres tamquam rem indubitatam docent, quin unus eam negaverit." Suadetur haec sententia Galat. 3, 4; Hebr. 6, 10: *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, et ministratis.* Cui etiam favet concilium trid. sess. 6. c. 16. et can. 32; ad hoc enim, ut opera justorum sint meritoria, exigit tantum, ut sint bona, facta per gratiam et a vivo membro Christi et ut justus in gratia decedat

(non autem ut in gratia *sine interruptione* perseveret): quae conditiones reperiuntur etiam in operibus illorum justorum, qui ad tempus gratia excidunt. Ratio autem theologica pro eadem potior haec videtur, quia Deus delendo culpam cum illa omnem dignitatem ad poenam *aeternam* delet[1]). Atqui privatio gratiae et gloriae prioribus meritis debitae esset poena aeterna. Ergo remisso peccato reviviscit jus ad gloriam ex meritis prioribus profectum. Opinio autem *probabilior* est, redire merita quoad *totam* gratiam et praemium ipsis debitum; probabile quoque est, reviviscere quoque gratiam *per sacramenta* obtentam ante peccatum et amissam per peccatum. Proinde *omnis illa redit gratia, quam quis ante peccatum habuit.*

---

[1]) In hoc ingens est *discrimen* inter *peccata* et *merita.* Merita peccato amissa, seu potius *mortificata,* deleto peccato *reviviscunt,* adeo ut peccatum se habeat ad illa *obicis* tantum instar, qui praemii consecutionem impedit; eo igitur remoto omnem illam exserunt vim relate ad praemium, quam habuerunt ante peccatum. *Peccata* vero superveniente hominis congrua poenitentia a Deo non solum teguntur, quamdiu gratiae status durat, sed prorsus remittuntur et *delentur,* et non solum conditionate, sed *absolute*; quare etsi justus e statu gratiae excidat, peccata *non reviviscunt,* utpote antea prorsus *deleta:* nam *sine poenitentia sunt dona Dei,* ut toties cum s. Paulo Rom. 11, 29. patres inculcant. Quod si patres subinde de *reditu* loquuntur *peccatorum,* de eo intelligi debent, quem s. Thomas 3. p. q. 88. a. 1. vocat reditum *secundum quid:* quatenus scil. peccatum subsequens eo majorem malitiae et ingratitudinis prae se fert rationem, quo saepius jam Deus peccatori remiserit peccata; propter quam majorem ingratitudinem solet Deus subinde gravius punire peccatum subsequens ac illud punisset, si nulla praecessisset jam peccatorum remissio.

Tractatus IX.

De Sacramentis.

966. Considerata gratiae sanctificantis praestantia digni quoque consideratione sunt canales a bono Samaritano Ecclesiae relicti (cf. n. 637. ss.), per quos ipsa hominum animis infunditur quique *sacramenta* dici solent. Quorum momentum ex *quintuplici* consideratione innotescet. Nam sacramenta **1.** respectu *humani generis* sunt **a.** *canales gratiae,* per quos de fontibus Salvatoris in cruce pendentis ad homines omnium aetatum et gentium gratia decurrit; **b.** *vasa medicinae* contra mortem spiritualem animae et multiplex peccati vulnus; sunt denique **c.** *fundamenta vitae christianae,* quibus ejus varii status et stadia ad altiorem elevantur ordinem gratiaque sanctificantur.

Relate **2.** *ad Ecclesiam* sunt sacramenta **a.** *fontes,* qui illam irrigant, non secus ac ille fluvius, qui *egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum* (Gen. 2, 10.), ut eam reddant verum paradisum hortumque voluptatis virginum liliis, rosis martyrum, confessorum violis consitum; sunt **b.** *columnae* illae septem, quibus innititur domus a Sapientia sibi aedificata (Prov. 9, 1.); sunt **c.** *vincula* et nervi, quibus fidelium multitudo in unum coalescit et colligatur corpus (cf. Eph. 4, 16.). Si sacramenta **3.** spectentur secundum suum *habitum ad Christum,* haud incongrue dici possunt **a.** quaedam *incarnationis adumbrationes* et imitamenta; sicut enim in humana assumpta natura latebat divinitas Dei Verbi, qui illam gestabat atque per eam nostram operabatur salutem: ita sacramentum forma est visibilis invisibilis gratiae, quae per ritum visibilem exseritur. Ea dici possunt **b.** *operationes Christi:* sicut enim Christus loquendo, tangendo etc. remittebat peccata, sanctificabat; ita mediante ritu sacramentali a suis ministris ipsius nomine et auctoritate posito ipse peccata delet, sanctificat. Quapropter **c.** *multiplicatio* sunt quaedam *virtutis sanctificatricis* Salvatoris, quam mediantibus sacramentis modo non solum ut olim in Palaestina pro judaeorum tantum salute (visibiliter) exserit, sed hominibus sanctificandis omnium aetatum, gentium et locorum applicat, atque ita omnibus se redemptorem exhibet, adeo ut ratione sacramentorum maxime dici possit, Christum in sua Ecclesia vivere illudque continuare opus, quod visibilis in terra

degens inchoavit. Si considerentur **4.** sacramenta *secundum suam ad Deum relationem*, **a.** *mirabilia* sunt *omnipotentiae* divinae; **b.** *pignora divinae bonitatis*, atque **c.** *inventa divinae sapientiae.* Denique **5.** si sacramenta spectentur relate *ad naturam*, dici possunt **a.** *sublimatio naturae sensibilis*, quae **b.** in sacramentis maxime *assequitur finem suum*, qui est bono naturae rationali inservire; et cum **c.** in sacramentis natura sensibilis instrumentum fiat benedictionis, jam *anticipatur illa redemptio*, quam modo aspirat et qua liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei (Rom. 8, 19. ss.).

967. Cum autem *plura*, ut videbimus, sint sacramenta, quibus quaedam sunt *communia:* ne de singulis disserentes, ea semper repetere necesse sit, quaedam *de sacramentis in genere* praemitti solent: quare haec *de sacramentis* disputatio in *duas* dispescitur partes.

PARS I.

De sacramentis in genere.

968. Ad *duo* capita revocari possunt, quaecunque *de sacramentis* novae Legis *in genere* disputantur: ad illorum scil. *naturam* et *numerum.* Natura autem alicujus rei et per ejusdem *causas* et per ipsius *effectus* dignoscitur. Quare, ut sacramentorum *naturam* rite cognoscamus, illorum *causas* indagabimus et *effectus.* Prius tamen quaedam de *sacramenti notione* praemittemus.

Non una est hujus vocis penes auctores tum profanos, tum ecclesiasticos, tum sacros significatio. Significat enim vel *pecuniam* a duobus litigantibus in loco sacro ea depositam conditione, ut qui vicisset causam, suam reciperet, amitteret vero victus; vel *jusjurandum*, vel penes scriptores ecclesiasticos respondet voci graecae μυστήριον, quae significat *sacrum arcanum*, et per translationem hujus *symbolum* seu signum: et quia ritus, quibus aliquis sacris initiabatur, etiam penes gentiles significationem sacram et occultam habebant vel habere jactabantur, ideo dicebantur mysteria, ac proinde etiam *ritus* sacri religionis christianae; *objecta* quoque *fidei* tum quatenus sola revelatione divina innotescunt fidelibus, tum etiam quatenus occultantur nondum initiatis. Cum qua significatione nexa est illa, qua sacramenta dicuntur res aliquae dispositione divina vel saltem auctoritate legitima ordinatae in signa aliarum rerum sacrarum. Pro usu loquendi a sec. XII. recepto sacramenta in primis vocantur certa quaedam signa practica seu ritus a Christo Domino ad hominum sanctificationem instituti. Qua significatione in hoc tractatu utemur: verum haec ipsa est accuratius explicanda.

969. Haec secundum theologos catholicos ad genuinam concurrunt *sacramenti notionem:* **1.** Sacramentum debet esse *signum* seu ritus aliquis externus, quod ultro etiam protestantes concedunt; et quidem **2.** signum *sensibile*, quia pro hominibus est institutum; necnon **3.** signum *sacrum* tam ex parte rei significantis, quam ex parte rei signi-

ficatae: debet scil. ritus esse non profanus, sed sacer significans rem non profanam, sed sacram: significare nimirum debet **4.** animae sanctitatem seu gratiam, qua anima sanctificatur. Quod colligitur ex omnibus fere sacramenti definitionibus, quae a theologis catholicis ab Augustino ad nostram usque aetatem proponuntur; ex patrum effatis, qui cum de iis ritibus, quos sacramenta diximus, loquuntur, sedulo distinguunt inter elementum visibile et elementum invisibile scil. Spiritus sancti gratiam, quae intus latet; ex decretis tum Eugenii IV. pro armenis, tum concilii trid. sess. 7., secundum quae sacramenta gratiam significant, quam conferunt; vel eam saltem (ut sacramenta V. T.) praefigurabant. Praeterea **5.** de ratione sacramenti est, ut non solum sanctitatem significet, sed et eam usu seu ipsa applicatione conferat atque conciliet, ac proinde consecret: proinde ut sit signum *practicum,* non speculativum; ritus non sterilis, sed efficax sanctitatis: quae sacramentorum N. T. praecipua et propria est praerogativa, quam in primis rejiciunt protestantes, nos vero sacramentis suo asseremus loco. Quibus praemissis poterit sacramentum N. T. aptissime definiri cum catechismo romano p. 2. c. 1: „Res sensibus subjecta, quae ex Dei institutione sanctitatis et justitiae tum significandae tum efficiendae vim habet;“ vel brevissime *ritus efficax gratiae*[1]).

970. De sacramentorum *exsistentia* in *paradiso* nil certo, imo ne probabiliter quidem statui vel affirmari potest. De statu *legis naturae*[2]) haec advertantur: **1.** communem esse theologorum sententiam nemine fere dissentiente, exstitisse aliquod *remedium,* quo infantes citra propriam cooperationem participes fieri potuerint remissionis peccati originalis et sanctificationis. Dissentiunt tamen **2.** de ratione hujus remedii, utrum scil. necessario fuerit sensibile, utrum fuerit divinitus determinatum. Probabile vero **3.** est, parvulos a peccatis fuisse mundatos et populo Dei insertos actibus religiosis aliorum, qui ipsorum nomine ac jure agerent, qui actus in individuo non essent determinati: cum satis fuerit, ut essent apti ad ipsum finem cooptationis ad coetum fidelium significandum. Cum ergo **4.** ritus ille sensibus obnoxius ad parvulorum esset ordinatus sanctificationem eamque significaret, *sacramentum* dici poterit. Certum autem est, in oeconomia *mosaica* fuisse sa-

---

[1]) Sunt theologi, qui praeterea exigant ut sint ritus *perpetuae* institutionis, eo quod spectent ad cultum religiosum ordinarium et divinitus institutum, in quo omnes fideles et Ecclesiae membra conveniunt et quo in coetum religiosum colliguntur.

[2]) Status *legis naturae* non dicitur ad exclusionem *gratiae,* sed ad exclusionem legis *positivae* mosaicae et christianae, neque ad exclusionem *cujuscunque* legis supernaturalis: nam et in eo statu praeceptae erant fides, spes, caritas, poenitentia etc. Is autem status duravit penes judaeos usque ad Moysen, penes alias gentes usque ad Christum, imo usque ad Evangelium sufficienter promulgatum, quae promulgatio successive facta est penes varias gentes.

cramenta[1]), hoc enim supponunt conc. florentinum et tridentinum, passim testantur patres, unanimiter docet schola, praeeunte s. Thoma 1. 2. q. 102. a. 5. Denique in lege *christiana* aliqua saltem esse sacramenta, ex integro constabit tractatu.

Caput I.

De sacramentorum natura.

Articulus I.

De sacramentorum virtute.

971. Diximus n. 968. rei alicujus naturam cognosci etiam posse ex ejusdem *agendi virtute* atque *effectibus;* quocirca in sacramentorum agendi virtutem eorumque effectus indagabimus: unde duplex erit quaestio. Quaerere enim possumus, *quos* effectus sacramenta producant, et *quomodo* illos operentur. Initium ducimus ab hac posteriori quaestione, qua soluta ex parte soluta erit et prior.

972. **Thesis CXXXVI.** ***Virtus sacramentis novae Legis propria est, ut per ea tamquam per causas instrumentales hominibus non ponentibus obicem gratia vi ipsius signi sensibilis sacrique ritus externi juxta Christi institutionem adhibiti conferatur.***

Declaratio. 1. *Obex gratiae* est animi dispositio vel absolute vel secundum praesentem Dei providentiam repugnans infusioni gratiae: quae repugnantia non potest tolli nisi per *actus liberos* ipsius hominis auxilio gratiae actualis elicitos, quibus proinde constituitur necessaria ad sacramenta dispositio. **2.** In *infantibus* relate ad aliqua sacramenta nullus est gratiae obex: quoad alia est ineptitudo, ut constat ex universali traditione christiana. **3.** Quoad *adultos* repugnantia haec in iis sacramentis, quae instituta sunt ad remissionem peccatorum, est *impoenitentia* de peccato commisso: quocirca dispositio necessaria ad removendum obicem continetur actibus poenitentiae, ad quos requiritur fides, spes, voluntas perveniendi ad gratiam Dei, detestatio peccati commissi cum voluntate servandi legem Dei (n. 918. ss.), ut patet ex Matth. 28, 19; Marc. 16, 15; Act. 2, 38; 8, 37. etc., et ex historia catechumenatus et poenitentiae. Quoad alia sacramenta, quae ex sua institutione referuntur ad peculiarem membrorum Christi sanctificationem et gratiae augmentum, dispositio necessaria est *status gratiae,* ut constat ex propria illorum natura proprioque fine, qui non est conferre vitam supernaturalem, sed collatam augere: quare vitam gratiae omnino praesupponunt. **4.** Dispositio ad sacramenta necessaria non est *causa* gratiae *efficiens,* sed est *remotio impedimenti,* ut causa suum producere possit effectum, seu *conditio sine qua non.* Quare **5.** calumniantur qui asserunt, secundum catholicos sacramenta conferre gratiam absque ullo suscipientis

---

[1]) Sacramenta V. T. fuerunt *circumcisio*, figura baptismi; *agnus paschalis,* figura eucharistiae; *ritus*, quibus initiabantur sacerdotes, figura sacramenti ordinis; variae *lustrationes* et mundationes, figurae sacramenti poenitentiae.

bono motu. Contendimus autem **6.** per sacramenta tamquam per causas instrumentales, ubi obex non impedit, sanctificantem gratiam immediate et efficienter conferri. Thesis statuitur contra protestantes, secundum quos, cum *sola fides justificet,* sacramenta eatenus tantum justificant, quatenus sunt obsignatio quaedam promissionum divinarum ideoque fidem justificantem excitant et fovent ac proinde *mediante fide.* Ea autem est *de fide,* ut patet ex concilii trid. sess. 7. can. 5. ss., quorum 7. ita sonat: „Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus, A. S."

973. **Demonstratio.** Consulantur **1.** ea *Scripturae* effata, in quibus sermo est de sacramentorum efficacia, cujusmodi sunt: Joan. 3, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu s., non potest introire in regnum Dei;* Act. 2, 38: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine J. Christi in remissionem peccatorum vestrorum; et accipietis donum Spiritus s.;* Act. 22, 16., ubi Ananias dicit ad Saulum (Paulum): *Quid moraris? exsurge et baptizare, et ablue peccata tua;* Eph. 5, 25: *Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae;* Tit. 3, 5: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti;* Act. 8, 17: *Tunc imponebant* (Petrus et Joannes) *manus super illos et accipiebant Spiritum s.;* Joan. 6, 59: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum;* 1. Tim. 4, 14: *Noli negligere gratiam . . . quae data est tibi . . . cum impositione manuum presbyterii;* 2. Tim. 1, 6: *Resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum;* Joan. 20, 22. s.: *Accipite Spiritum s.: quorum remiseritis peccata, remittentur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* etc. Atqui hisce in testimoniis ne semel quidem innuitur, effectum sacramentorum contineri *fide,* quae excitetur, vel *obsignatione* promissionum divinarum: sed diserte vel aequivalenter enunciatur, sacramenta eo pertinere et hunc esse illorum effectum, ut homines laventur, renoventur, regenerentur, accipiant Spiritum s., vivant in aeternum, remissionem consequantur peccatorum. *Quo* vero *habitu* quave relatione ad hos referuntur effectus? Eo, quem Scripturae ipsae designant **a.** particulis *ex, per;* **b.** ablativo instrumenti; **c.** particula finali *in;* **d.** synthesi subordinationis, qua instrumentalis ritus cum Spiritu s. ceu causa efficienti principe copulatur. Atqui hisce omnibus habitus effertur causae *immediatae instrumentalis* et obnoxiae, quibus homines regenerentur, renoventur etc. Ergo per sacramenta immediate tamquam per causas instrumentales confertur gratia.

974. Eadem veritas probatur **2.** ex traditione, et in primis ex *symboli* articulo: „Credo unum baptisma in remissionem peccatorum," quo significatur, peccatorum remissionem esse *immediatum* baptismi

ceu instrumentalis causae effectum ut patet **a.** ex obvio verborum sensu; **b.** ex Scripturae effatis Act. 2, 38; 22, 16. (cf. n. praec.); Marc. 16, 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;* quibus significatur, baptisma non media fide, quam excitat, sed fide jam praesupposita operari salutem; **c.** ex praxi universalis Ecclesiae flagitantis fidem et poenitentiam (in adultis) ante baptismi collationem; **d.** ex praxi paedobaptismi; si enim et infantibus conferebatur baptisma in remissionem peccatorum, in quibus excitare non potest fidem, remissionem peccati originalis per se et immediate credebatur operari: **e.** ex baptismi descriptionibus, quae apud patres passim occurrunt, quarum ne una quidem illius (secundum protestantes) immediati, praecipui, proprii effectus, qui sit fidei excitatio, meminit.

975. Accedit **3.** *traditio* practica. Constans enim fuit Ecclesiae doctrina, infantes quoque baptismo mundari. Atqui hic effectus non adscribebatur merito ministri, ratum enim habebatur baptisma ab haeretico collatum; neque infantium dispositioni, ut patet. Reliquum ergo est, ut adscriberetur ipsi ritui. Simile fere argumentum erui potest ex praxi conferendi nonnulla sacramenta adultis moribundis, qui jam sensibus essent destituti. Accedit traditio theoretica seu patrum doctrina. Docent enim patres **a.** intimum esse nexum inter ritum sacramentalem ejusque effectum. »Caro abluitur, ita Tertullianus *de resur. carnis* c. 8., ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.« Nexum vero **b.** repetunt ex virtute s. Spiritus, quae ritui inest atque insidet. Ita iterum Tertullianus *de bapt.* c. 4: »Invocato Deo supervenit statim Spiritus de coelis et aquis superest sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatae vim sanctificandi combibunt.« Basilius *de Spir. s.* n. 3.: »Si qua est gratia in aqua, non est ex ipsius aqua natura, sed ex Spiritus praesentia.« Quod **c.** multiplici similitudine, praesertim cum disserunt de baptismo, illustrant. »Quemadmodum, inquit Cyrillus alex. l. 2. *in Joan.* 3, 5., infusa lebetibus aqua, si admoveatur igni vehementi, vim ejus accipit: sic Spiritus operatione aqua sensibilis ad divinam quandam et ineffabilem vim transformatur omnesque demum, in quibus fuerit, sanctificat.« Probatur denique **4.** luculento *consensu* Ecclesiae graecae schismaticae, quae licet saepius tentata nunquam potuit adduci, ut protestantium de sacramentis approbaret errores: potius revelationis evidentia inducta saepius doctrinam catholicam solemniter professa est, ut in synodo in urbe Jassy a. 1624. habita declarans q. 99. sacramentum esse »caeremoniam sacram, quae sub forma visibili producit Dei gratiam invisibilem eandemque in animam fidelem infundit.«

976. **Scholion I.** Praecipua testimonia, ad quae protestantes pro suo errore provocare solent, sunt[1]) Act. 15, 9; Rom. 1, 17. col. Gal. 3, 11;

---

[1]) Speciminis gratia sint ista: Act. 15, 9: *Fide purificans corda eorum;* Rom. 1, 17: *Justus ex fide vivit;* 1. Cor. 15, 1. 2: *Notum vobis facio Evangelium,*

Hebr. 10, 38; Rom. 10, 4. 8; Eph. 5, 26; 1. Petr. 3, 21. ss. etc. Verum **1.** frustra ad ea provocant, sunt enim testimonia *affirmantia,* non excludentia; affirmant quidem fidei ad justificationem consequendam sive necessitatem, sive utilitatem, sed non excludunt aliarum dispositionum necessitatem (cf. n. 918.). Nominatim **2.** sacramenta non excludunt: aliis enim in locis ut Marc. 16, 16; Act. 2, 38; 22, 16. (cf. supra n. 973.) praeter fidem baptismus exigitur, cui *immediate* salus adscribitur. Saepe vero **3.** *fidei* nomine significatur vel fides *practica,* fides, quae per caritatem operatur, quae proinde sacramentorum includit *usum;* vel fides *objectiva,* quae universam religionem christianam cum omnibus mysteriis, praeceptis et institutis complectitur, adeo ut sensus sit, religione Christi nos salvari: quo sensu testimonia objecta nullam prae se ferunt difficultatem.

977. **Scholion II.** Doctrinam suam Ecclesia expressit formula, *sacramenta conferre gratiam ex opere operato,* quam acriter impugnant protestantes. Sensus autem hujus formulae est, ipsi ritui sacramentali secundum Christi institutionem adhibito vim inesse gratiam infundendi, non propter opus *operantis* sive ministri sive suscipientis sacramenta; ideoque sacramentorum virtutem esse independentem non quidem a Spiritu sancto, qui sacramento veluti instrumento utitur, sed a subjecti dispositione, quamvis haec requiratur ad removenda impedimenta, quae obstare possent, quominus sacramenta suam exserant efficaciam. Neque probari potest quorundam catholicorum explicatio, quae refert opus *operatum* ad opus, quod Christus operatus est in cruce, adeo ut sensus sit, sacramenta conferre gratiam *ex passione atque meritis Christi.* Licet enim hoc verum sit, non is tamen est genuinus hujus formulae sensus, quem intendit conc. tridentinum.

978. **Scholion III.** Acriter disputant theologi inter se, utrum sacramenta sint causae *physicae* an *morales* gratiae, quam conferunt[1]). Quid nobis tenendum videtur, ad quasdam revocabimus propositiones.

Propositio I. *Sacramenta sunt operationes vicariae Christi* Redemptoris, quas a se institutas ad passionis fructus singulis applicandos per ministros sua auctoritate fungentes exsequitur. Quod colligitur tum ex ipsa *ministerii* ecclesiastici notione et natura, tum ex traditione: veritas enim asserta multipliciter declarata et data opera propugnata fuit principii fundamentalis instar in controversia contra donatistas, ut inde probaretur sacramentorum valor, etiamsi a ministris improbis vel haereticis administrarentur.

---

quod praedicavi vobis . . . per quod et salvamini etc. Huc etiam referri possunt omnia illa testimonia, quibus nituntur probare, solam fidem justificare, quae cf. n. 915. s.

[1]) Causalitatem *physicam* tuentur auctores numero plurimi, auctoritate et scientia graves, ut Suarez, fere omnes thomistae, salmanticenses, Bellarminus, Valentia, Drouvenius, Schäzler, etc.; *moralem* vero plures etiam theologi auctoritate certe non inferiores, ut s. Bonaventura, Canus, Vasquez, Lugo, Frassen, Tournely, Arriaga, Pallavicini, Franzelin etc.

Ita passim Augustinus in suis adversus illos operibus, qui ex. gr. *contra literas Petiliani* l. 3. c. 49. scribit: »Hic (Christus) est, qui baptizat in Spiritu s., nec sicut Petilianus dicit, jam baptizare cessavit, sed adhuc id agit, non ministerio corporis, sed invisibili opera majestatis.«

979. **Propositio II.** Quare *sacramentis inest supernaturale pretium et dignitas objectiva,* quae ex Christi meritis promanans constanti ordinis reparati lege exigit hominum, qui initiantur, sanctificationem. Quod colligitur et ex actionis vicariae notione et ex sensu Ecclesiae, quae huic veritati innixa valorem sacramentorum ab haereticis collatorum agnovit. Porro cum Christus his ritibus sua velit merita passionisque fructus applicare, idque meritorum suorum infinito valore promeruerit, ex constanti reparati ordinis lege sacramentorum administratio exigit horum, qui initiantur, sanctificationem.

Propositio III. Ideo *sacramenta verissimae sunt causae morales collationis gratiae.* Sane causa *moralis* ea dicitur, quae causae physicae intelligenti ad effectum physice producendum est ratio sua bonitate et dignitate movens; et per hoc, quod *insita* sua dignitate moveat, distinguitur a mera *conditione sine qua non* vel ab *occasione.* Jam vero bonitas et dignitas actionum Christi movet Deum, qui est sanctificationis causa principalis physica, ad sanctificandos eos, quibus illae applicantur hunc in finem. Cum vero haec bonitas actibus ministrorum *vicariis* non insit *per se,* sed nonnisi *per derivationem* ex infinita Christi dignitate, qui iis tamquam suis utitur, ideo ministri causae morales *instrumentales* tantum sunt[1]).

980. **Propositio IV.** Cum tamen Deus virtutem suam sanctificatricem ritui sacramenti adjungat, in illo et per illum exserat, per illum suscipienti sacramenta applicet (n. 975.), vero quoque sensu *sacramenta causae physicae collationis gratiae dici possunt:* sicut cum Christus tactu sanabat, manus ejus vere dici poterat instrumentum sanationis physicum, quia per illam virtus divina, quae causa erat physica sanationis, derivabatur in infirmum eique applicabatur.

Propositio V. Non vero eo sensu sacramenta causae sunt *physicae* collationis gratiae, quasi sensibilis sonus et sensibilis actio vel per qualitatem aliquam eis impressam vel per virtutem obedientialem physice in animam agat et gratiam producat. Quam sententiam idcirco minus probamus, quod et necessaria non sit ut putant patroni causalitatis physicae, ad illa,

[1]) Proderit prae oculis habere discrimen inter causam *principalem* et *instrumentalem.* „Causa *principalis,* inquit em. card. Franzelin quam accuratissime de his disserens *de sacr. in genere* thes. 6. p. 2., ut contradistinguitur ab *instrumentali,* ea dicitur, quae virtute *propriae* formae ac naturae proportionata effectui *per se* agit et influit (vel physice, si est causa physica, vel moraliter, si est moralis) ad effectum producendum; causa vero *instrumentalis* semper relative dicitur ad causam *principalem,* et est ea, qua principalis utitur ad producendum effectum in ipsam derivando aliquam virtutem. Causa ergo instrumentalis non habet *ex sua natura* ac *forma* propriam virtutem ad producendum effectum, sed agit virtute derivata a causa principali. Vide s. Thomam 3. p. q. 62. a. 1; cf. Suarez *Metaphys. disput.* disp. 17. s. 2. n. 16; Lugo disp. 4. n. 43; s. 5. n. 95.“

quae de sacramentorum efficacia Scripturae et patres tradunt, explicanda; et pluribus obnoxia sit difficultatibus[1]) atque magna obscuritate involvat doctrinam de sacramentis[2]).

§. II. De sacramentorum novae Legis effectibus.

981. Sacramentorum *effectus* ad *tres* revocabimus. Omnibus enim commune est, gratiam conferre *sanctificantem* necnon gratias *sacramentales;* trium vero proprium, imprimere etiam *characterem.* Quae ad priores duos effectus pertinent, paucis expediemus. Dicimus ergo **1.** *omnia N. Legis sacramenta semper conferre gratiam habitualem* seu sanctificantem: quae est sententia *communis* theologorum, ac patet ex sacramentorum fine: per ipsa enim, ut docet concilium trid. prooemio sess. 7., „omnis vera justitia vel *incipit,* vel coepta *augetur,* vel amissa *reparatur,*“ quod citra gratiae sanctificantis infusionem non fit.

Licet **2.** sacramenta omnia conferant gratiam habitualem, *aliqua* tamen *per se sunt instituta* ad delenda peccata, ideoque *ad infundendam gratiam* justificantem *primam,* ut baptismus et poenitentia, quae propterea sacramenta *mortuorum* dicuntur; reliqua vero sacramenta supponunt peccatum jam deletum, hinc gratiam: ac proinde instituta sunt ad augendam hanc gratiam seu *ad conferendam gratiam secundam;* et haec appellantur sacramenta *vivorum.* *Sacramenta* illa **3.** quae per se ordinata sunt ad conferendam gratiam primam, *possunt subinde conferre gratiae augmentum* seu gratiam secundam, quoties scil. suscipiens ejusmodi sacramentum jam gratia fruitur. **4.** Sacramenta *vivorum* saltem *aliqua per accidens conferre possunt gratiam primam.* Haec sententia non quidem certa est, sed saltem *probabilis*[3]) et magis pia, ut ait Suarez disp. 7. sect. 2., quam s. Thomas

[1]) Ejusmodi difficultates sunt: **a.** collatio gratiae in hypothesi, quod sacramentum suscipiatur cum gratiae obice: sacramentum enim remoto obice confert gratiam (cf. n. 982.), sed physice non amplius exsistit; quomodo ergo poterit physice causare gratiam? **b.** quia materia et forma, quae constituunt sacramentum, physice non semper coexsistunt, quod tamen esset necessarium, ut constituant causam *physicam;* **c.** verba formae sibi succedunt et prolatis ultimis, sine quibus forma non valet, non amplius exsistunt priora: quomodo ergo forma (utique integra, nam nonnisi integra valet), *physice* concurrere potest ad producendum effectum, qui fit *in instanti?*

[2]) Quod s. Thomam attinet, alii aliter eum interpretantur (cf. Lugo disp. 4. s. 5. n. 98. ss.) etiam inter ipsos thomistas. Concedimus tamen, eum *facilius* explicari in sententia de causalitate *physica;* neque, si vere in ea fuit, mirum foret, cum ejus aetate defensores efficientiae *moralis* fere ita disputare viderentur, ut *vera causae ratio* in sacramentis vix intelligeretur, de qua asserenda ipse unice fuit sollicitus. Qui hanc igitur juxta Scripturae patrumque doctrinam pro viribus tuetur, a s. Thoma quoad rei caput non discedit.

[3]) Non adeo probabilis videtur cardinali de Lugo disp. 9. s. 1. n. 8. ss., nec ejus exceptio adeo spernenda est. De eucharistia vero id omnino negat disp. 12. *de euch.*, atque hanc praerogativam *uni extremae unctioni* concedere videtur.

ubique docet tractando de singulis sacramentis. *Sacramenta* **5.** *conferunt gratiam ex opere operato, sed pro ratione dispositionis.* Quod clare docet concilium trid. sess. 6. cap. 7. et colligitur ex praxi Ecclesiae, quae accedentes ad sacramenta hortatur, ut pro viribus se disponant, cum meliori dispositioni uberior respondeat gratia.

982. De *reviviscentia gratiae* in sacramentis cum obice susceptis haec statuimus: **1.** gratiam *certo* reviviscere in sacramento *baptismi,* ut probatur ex controversiis catholicorum cum donatistis. Illorum enim nomine Augustinus passim tuetur, baptismum ab haereticis collatum tunc incipere valere ad peccata remittenda, cum is, qui illum susceperit, redierit ad Ecclesiam, removerit proinde obicem, qui gratiae infusioni obstiterat. Ita l. 1. *de baptismo* c. 12. n. 18: „Non iterum baptizandus est, quia ipsa ei reconciliatione ac pace (qua removetur schismatis obex) praestatur, ut ad remissionem peccatorum ejus in unitate jam prodesse incipiat sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat.“ Ratio autem inde petitur, quod vix credibile videatur, Deum velle cum obice baptizatum privari fructu sacramenti adeo necessarii ad salutem, quod nequit iterari, etiamsi is postea deposito obice doleat.

Probabilius est **2.** sacramenta *confirmationis, ordinis, matrimonii* et *extremae unctionis* cum obice suscepta eo ablato reviviscere. Cujus ratio pariter est, quod hinc quidem haec sacramenta vel simpliciter vel quadamtenus saltem iterare non liceat; inde vero vix credibile sit, Deum velle eos, qui ea ficte susceperint, de hoc tamen peccato poenitentiam egerint, illorum fructu carere in perpetuum. Hoc tamen **3.** *de eucharistia,* quae toties accipi potest, affirmandum non videtur. **4.** De *poenitentiae* sacramento merito dubitant nonnulli, dubium enim ipsis est suppositum, posse aliquem illud suscipere ficte i. e. valide, et tamen ejusdem non assequi fructum.

983. Quod *alterum* sacramentorum spectat effectum, gratiam scil. *sacramentalem,* statuimus: **1.** *Singula* sacramenta praeter gratiam sanctificantem *peculiares* conferre gratias. Ordinantur enim sacramenta ad fines distinctos; singulis ergo alius atque alius respondet effectus: alioquin sacramenta non differrent ab invicem nisi ritu externo, nec ulla esset ratio, quare Christus plura instituerit sacramenta, et quare unum alio magis sit necessarium. Quocirca et patres, imo et Scripturae de diversis loquentes sacramentis diversos eorundem recensent effectus. Tenendum esse **2.** quod docet Thomas 3. p. q. 62. a. 2: „Sicut virtutes et dona addunt super gratiam communiter dictam quandam perfectionem determinate ordinatam ad proprios actus potentiarum, ita gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam et super virtutes et dona quoddam divinum *auxilium* ad consequendum sacramenti finem.“ Proinde **3.** gratiam sacramentalem *plene* et *adaequate* spectatam esse ipsammet gratiam sanctificantem, quatenus

per tale sacramentum datur et ordinatur ad ejusdem sacramenti finem, et quatenus sub ea ratione illi respondent ac debentur ex divina institutione specialia quaedam auxilia suo tempore conferenda. Hinc 4. sequi, non semper dari *totam* gratiam sacramentalem eo tempore, quo sacramentum suscipitur: quamvis enim tunc conferatur gratia sanctificans et jus ad specialia gratiae auxilia: haec ipsa tamen postea conceduntur, quando iis indigemus.

984. **Thesis CXXXVII.** ***Sacramentis baptismi, confirmationis et ordinis animae imprimitur character, signum videlicet quoddam spirituale et indelebile.***

Demonstratio. Thesis statuitur contra protestantes, qui characterem sacramentalem prorsus aversantur, estque *de fide,* ut patet ex concilii trid. sess. 7. can. 9: „Si quis dixerit, in tribus sacramentis, baptismo scil., confirmatione et ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, A. S." Probatur ita: **1.** Quatuor saltem seculis praecedentibus protestantium innovationi doctores omnino omnes dogma hoc proponebant in suis commentariis in *l.* 4. *sententiarum* dist. 4. vel 6. et in 3. p. q. 63. ut ecclesiasticum, ubique receptum. Licet enim disputatio in scholis ferveret de characteris natura vel etiam de modo, quo ejus impressio probetur, eo evidentior erat consensus de illius exsistentia. Atqui ejusmodi consensio semper habita est *theoretice* et *practice* ut nota praecipua et tutissima apostolicitatis. Doctrina ergo de characteris exsistentia est apostolicae originis. Et revera **2.** ex historia dogmatum patrumque testimoniis constat, inde a temporibus apostolicis semper et ubique creditum esse, tria haec sacramenta semel collata ita haerere, ut eadem iterare nunquam liceat. Cujus tam singularis proprietatis hanc reddidere patres in controversiis praesertim cum donatistis rationem, quod hisce sacramentis praeter gratiam aliquid conferatur homini *independens ab ejus dispositione, permanens et indelebile,* etiamsi gratia vel non recepta vel iterum amissa sit, quod hominem a Deo et ab Ecclesia fugitivum semper obliget Christo tamquam ovem, militem, ministrum[1]): quod imprimatur animae realiter

---

[1]) Ita Augustinus *contra ep. Parmeniani* l. 2. c. 13. n. 29: „Si enim aliqui furtim et extra ordinem in monetis publicis aurum, vel argentum, vel aes percutiendo signaverint; cum fuerit deprehensum, nonne illis punitis, aut indulgentia liberatis, cognitum regale signum thesauris regalibus congeretur? Aut si quisquam, sive desertor, sive qui nunquam omnino militavit, nota militari privatum aliquem signet; nonne ubi fuerit deprehensus, ille signatus pro desertore punitur, et eo gravius, quo probari potuerit nunquam omnino militasse, simul secum punito, si eum prodiderit, audacissimo signatore? Aut si forte illum militiae characterem in corpore suo non militans pavidus exhorruerit, et ad clemen-

tamquam sigillum et character, quo homo maneat consecratus et specialiter transcriptus in jus Christi pastoris atque imperatoris, cujus characterem gerit.

985. Patrum **3.** effata de charactere disserentium, inter quos eminent s. Augustinus et Cyrillus hierosol., ad quaedam revocabimus capita. Docent patres **a.** sacramentis hisce imprimi *sigillum, signum, characterem.* Ita Ambrosius *de Spiritu s.* l. 1. c. 6: Signati igitur Spiritu sancto a Deo sumus. Sicut enim Christo morimur, ut renascamur, ita etiam Spiritu sancto signamur, ut splendorem atque imaginem ejus et gratiam tenere possimus, quod est utique spiritale signaculum. Nam etsi specie signamur in corpore, veritate tamen in corde signamur, ut Spiritus sanctus exprimat in nobis imaginis coelestis effigiem.« Illud signum **b.** diserte distinguunt tum a ritu externo sacramenti tum a gratia sanctificante; quod toties significant, quoties affirmant sacramenta haec manere etiam in pessimis. Ita Augustinus *serm.* 8. (Migne t. 46.) n. 2: »Baptizatus in Ecclesia, si fuerit desertor Ecclesiae, sanctitate vitae carebit, sacramenti signaculo non carebit . . . sicut desertor militiae caret legitima societate, non caret regio charactere.« Docent **c.** hujus characteris esse signatos secernere a non signatis, ut agnoscantur ab angelis, timeantur a daemonibus. »In acie, inquit s. Basilius hom. 13. *de s. baptismo* n. 4., duces tesseram tribuunt sub se militantibus, ut et amici facile se invicem inclament, et si in conflictu fuerint cum hostibus commixti, queant citra confusionem sejungi. Agnoscet te nemo, nosterne sis an hostium, nisi mysticis signis affinitatem ostenderis, nisi signatum sit super te lumen vultus Domini. Quomodo angelus vindicabit te? quomodo eripiat ex hostibus, nisi agnoverit signaculum? Quomodo dicturus es tu: Dei sum, si notas et insignia non exhibeas? An ignoras exterminatorem domus signatas praeteriisse, in his vero, quae signatae non erant, primogenita occidisse? Thesaurus non obsignatus diripi a furibus facile potest: ovi signo carenti tuto struuntur insidiae.« Quare **d.** patres, Augustinus praesertim, characterem saepissime cum tessera ab imperatore militibus imposita vel cum signo ovibus a pastore impresso conferunt. Cf. annot. n. praec. Quando igitur **e.** patres priorum quatuor seculorum sacramenta haec vocant *sigillum, signaculum* salutare etc., testimonia haec intelligi debent secundum declarationes patrum sec. IV. mediantis et V., quorum doctrina manifesto est continuatio aetatis praecedentis ejusque legitima interpretatio: proinde et illis insinuatur characteris impressio.

986. Collata **4.** phraseologia ecclesiastica de tribus sacramentis cum iis, quae leguntur[1]) 2. Cor. 1, 21. s.; Eph. 1, 13; 4, 30., per-

---

tiam imperatoris confugerit, ac prece fusa et impetrata jam venia militare jam coeperit; numquid homine liberato atque correcto character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? An forte minus haerent sacramenta christiana, quam corporalis haec nota, cum videamus nec apostatas carere baptismate, quibus utique per poenitentiam redeuntibus non restituitur, et ideo amitti non posse judicatur?«

[1]) 2. Cor. 1, 21: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus: qui et signavit* (ὁ καὶ σφραγισάμενος) *nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris;* Eph. 1, 13: *In quo* (verbo veritatis) *et credentes signati estis* (ἐσφραγίσθητε)

spicue innotescit, eam ex hisce esse desumptam et ad hanc loquendi rationem expressam. Quare ex hac phraseologia ecclesiastica praesto est *canon externus* hermeneuticus, cujus ope commemorata oracula rite enarrentur. Licet ergo ex Scripturae verbis, adhibitis solis canonibus interpretationis grammaticis, doctrina de characteris impressione nequeat evinci: potest tamen sufficienter demonstrari, doctrinam hanc in divinis literis insinuari et contineri, si interpretatio ad normam intellectus catholici dirigatur; eoque magis quod huic interpretationi nullus prorsus canon hermeneuticus internus adversetur.

987. **Corollarium.** A charactere *objectivo*, qui animae imprimitur, potest metonymice *sacramentum* denominari character, sigillum, sensu scil. *activo* et *causali:* sicut et sigillum significatione tam passiva quam activa adhiberi solet. Quo sensu patres quandoque *baptismum,* et hujus etiam *formam,* qua conficitur, characterem vel sigillum appellant.

988. Jam inquiramus in rationem et *naturam characteris* sacramentalis. Statuimus **1.** characterem esse *qualitatem* quandam *realem,* quae animam ipsam afficiat, non relationem tantum rationis et denominationem mere moralem et externam, ut opinatur Durandus. Hoc patet ex singulis fere verbis, quibus conc. tridentinum characterem describit; eum enim dicit *signum spirituale* et *indelebile animae impressum.* Eum **2.** consistere in quadam *consecratione permanente a gratia distincta,* passim docet Augustinus, ut l. 2. *contra epist. Parmeniani* c. 13. n. 28. disserens de sacramentis baptismi et ordinis: „Utrumque sacramentum est et quadam *consecratione* utrumque homini datur: illud cum baptizatur, istud cum ordinatur; *ideoque* in catholica utrumque non licet iterari."

Quam consecrationem patres alii aliis describunt verbis, ut cum docent (n. 985.) charactere nos addici Christi familiae; eum esse ornamentum coeleste, quo agnoscamur ut pertinentes ad familiam Dei, imaginem et conformationem ad Dominum. Ita jam Theodotus auctor vetustissimus apud Clementem alex. († p. a. 217.) *in Excerptis* n. 86: »Cum Domino numisma fuerit oblatum, dixit ille, non cujus illud juris est, sed, cujus est imago ac superscriptio (Matth. 22, 20.)? Caesaris, ut cujus esset, illi daretur. Sic etiam fideles Dei nomen per Christum sibi superscriptum habent, Spiritum autem ut imaginem. Quin et muta animalia per signaculum ostendunt, cujus unumquodque pecus sit, atque ex signo hoc vindicantur. *Sic etiam anima fidelis, quae sigillum veritatis accepit, stigmata Christi secum portat.*"

989. Jam vero **3.** in Christi familia *triplex* ordinum distinctio considerari potest, cui tres respondent characteres distincti. Sicut enim

Spiritu promissionis sancto; 4, 30: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis* (ἐσφραγίσθητε) *in diem redemptionis;* in quibus textibus praeter gratiam et sancti Spiritus communicationem distincte *obsignationis* seu sigilli fit mentio.

Christus est *rex, propheta* et *sacerdos:* ita pro triplici hoc munere respondet in mystico ejus corpore triplex fidelium status, *subditorum* simpliciter, *certantium* bonum certamen pro fide, et *ministrantium* in mysteriis et charismatibus redemptionis: atque ideo *triplex* est *character* et triplex *consecratio, fidelium* scil., *confirmatorum* et *sacerdotum.* Qua consecratione configurantur et conformantur Christo regi, prophetae, sacerdoti, ut apta reddantur membra in ejusdem corpore mystico atque participes functionum sacerdotalium capitis passive et active ad cultum Dei: sicut in corpore humano membra vi suae configurationis et structurae apta redduntur organa ad percipiendum influxum vitae exserendasque animae vires. Cum ergo **4.** character sit consecratio ad cultum divinum secundum religionem christianam, haec autem destinatio includat potestatem seu idoneitatem seu capacitatem ad sacra vel recipienda vel agenda: eo ipso character est *sigillum* ac velut diploma divinum, ut loquitur Lugo disp. 6. s. 6. n. 37. ss., *sacrae hujus potestatis.* Huic principio innititur scientifica characteris declaratio apud s. Thomam 3. p. q. 63. Porro quia omnis sacra potestas est quaedam emanatio ex sacerdotio Christi, „ideo sacramentales characteres, ut ipse ait a. 3., nihil aliud sunt, quam quaedam participationes sacerdotii Christi ab ipso Christo (gradu tamen diverso) derivatae[1]."

990. **Scholion I.** *De differentia sacramentorum N. L. a sacramentis veteris Legis* haec teneantur: **1.** generatim affirmari potest, sacramenta N. L. differre eo discrimine a sacramentis V. L., quo discrimine differt ab invicem utrumque testamentum. Quod ut rite intelligatur, distingui debet in toto vetere Testamento oeconomia *spiritualis* pertinens ad omnes gentes, cum ipsa origine humani generis inchoata, per Christum vero consummata: et oeconomia *temporaria,* restricta ad populum Israel, cujus promissio erat hereditas terrena, terra lacte et melle manans, et sanctificatio hereditati respondens externa legalis et, ut Paulus ait Hebr. 9, 13., emundatio carnis, ita tamen, ut hereditas et sanctificatio figura essent atque realis prophetia hereditatis et sanctificationis conferendae per magnum sacerdotem N. T. Cf. 1. Cor. 10, 1. ss. Huic ergo rationi veteris oeconomiae seu Testamenti

[1]) Quod characteris *perpetuitatem* attinet, de fide tantum est, characterem semel receptum *in hac vita* amitti non posse. Inter theologos vero sententia est *communis* eaque patrum conciliorumque locutionibus omnino conformis, characterem *permanere post hanc vitam* et quidem, ut docet s. Thomas 3. p. q. 63. a. 5. ad 3., „in bonis ad eorum gloriam et in malis ad eorum confusionem: sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam: et in his, qui vicerunt, ad gloriam, et in his, qui sunt victi, ad poenam."

propriae respondebat propria rituum et sacramentorum ratio. Erant enim signa demonstrativa et causae justitiae legalis et per hanc signa prophetica Salvatoris venturi sanctitatisque verae per ipsum conferendae, non autem erant causae gratiae collatae. Contra vero sacramenta N. T. sunt signa sanctificantia et verae sanctitatis causae[1]).

991. Quare **2.** si quaeritur, utrum *sacramenta V. L. contulerint gratiam ex opere operato*[2]), negandum id omnino est: quamvis idcirco non negemus, potuisse ea prodesse ad salutem, excitando fidem, fovendo spem, poenitentiae spiritum atque fervorem, adeo ut qui illis rite uterentur, *ex*

---

[1]) Sacramenta ergo N. L. sunt **a.** signa *demonstrativa* gratiae; **b.** signa *practica*, quae efficiunt, quod demonstrant; **c.** *commemorativa* passionis Christi, cujus virtute sunt efficacia; **d.** *prognostica* vitae aeternae, ad quam jus conferunt. Ceterum hoc discrimen inter sacramenta utriusque T. proponitur in *instruct.* Eugenii IV. *pro armenis*, in qua legimus: ›Illa (sacramenta V. L.) non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: haec vero nostra et continent gratiam et ipsam digne suscipientibus conferunt;‹ et praeclare expressit Bruno astensis, *hom. in sabb.* post dominic. 1. Quadrag. distinguens secundum Hebr. 9. *tria* tabernacula: ›Primum synagoga, secundum Ecclesia, tertium coelum: primum in umbra fuit et *figura;* secundum in *figura* est *et veritate*, tertium in *veritate* sola: in primo *ostenditur* vita, in secundo *datur*, in tertio *possidetur:* non enim sacramenta Ecclesiae sicut sacramenta synagogae medicinam docent et ostendunt, sed ipsa potius sunt medicina et remissio peccatorum.‹

[2]) *Tres* sunt de circumcisionis virtute et efficacia sententiae. *Prima* affirmat, per circumcisionem datam fuisse gratiam *ex opere operato* vel ex infallibili decreto et promissione divina. *Altera* est plane contraria, quam tuentur Bellarminus, Canus, Vasquez et, ut videtur, Thomas 3. p. q. 62. a. 6. ad 3; q. 70. a. 4., qui provocant ad Scripturae effata, quae generatim ritus mosaicos, non exclusa circumcisione, egena et infirma vocant elementa; ad patres haud paucos, qui omnem circumcisioni abnegant virtutem atque inculcant, eam tantum fuisse datam ad discernendos judaeos a gentilibus; ad concilia florentinum et tridentinum, quae de *omnibus* sacramentis V. T. negant, quod gratiam contulerint etc. *Tertia* sententia est media, quam tuetur de Lugo disp. 5. s. 3. *de sacr.* Secundum hanc circumcisio, quatenus erat ritus legis mosaicae, non conferebat gratiam, sed quatenus includebat remedium naturae: non conferebat gratiam, quatenus per eam puer inserebatur populo *judaico*, sed quatenus ea inserebatur populo *fidelium*. Sicut sanguis postibus in Aegypto aspersus (Ex. 12, 23. ss.) non protegebat ab angelo vastatore judaeos per se, quatenus erat sanguis agni paschalis, sed quatenus erat umbra sanguinis Christi. Quod si quaeritur utrum saltem *remedium naturae* gratiam conferret *ex opere operato*, respondet Suarez disp. 10. sect. 2: ›Quamvis suppositis his, quae in superioribus dicta sunt, quaestio haec videatur ad modum loquendi pertinere, nihilominus hic modus loquendi magis probandus est, ut non simpliciter asseramus, circumcisionem vel sacramentum legis naturae contulisse gratiam ex opere operato: sed *interdum* eis datam esse *praeter opus operantis* solum ob specialem necessitatem, cui divina providentia non statuit aliter subvenire, quae necessitas in parvulis tantum accidebat.‹

opere operantis consequerentur gratiam. Si ergo **3.** propria ratio generica sacramenti in eo ponatur, quod sit *sanctificationis signum,* sine dubio *univoce* sacramenti ratio convenit tam sacramentis V. L. quam sacramentis N. T.; ita tamen ut ab invicem differant *specie.* Si autem propria ratio sacramenti ponatur in eo, quod sint *causae* sanctificationis, sacramenta V. T. *analogice* tantum videntur sacramenta appellari; nam sacramenta N. L. causant sanctitatem *veram:* sacramenta vero V. L. causabant tantum verae sanctitatis umbram et figuram, sanctitatem scil. *legalem.* Non deest quidem ratio, sub qua dici possint et in hoc sensu *univoce* sacramenta: nam licet sanctitas *analogice* tantum dicatur de sanctitate legali, possumus tamen a sacramentorum utriusque T. effectu abstrahere conceptum univocum et communem sanctitatis, qui significari potest nomine consecrationis aut dedicationis et conjunctionis peculiaris cum Deo. Cum ergo sacramentis utriusque Testamenti ejusmodi consecratio respondeat, utrique ritus univoce dici possunt sacramenta, si sacramenti nomine intelligatur ritus sanctitatem significans et suo usu consecrans homines.

992. **Scholion II.** Subjiciemus aliqua de *sacramentalibus,* quorum nomine intelliguntur sive *ritus ab Ecclesia instituti* sive *res ab eadem benedictae atque destinatae in spiritualem fidelium utilitatem.* Jam vero **1.** certum est, fideles, praesertim justos, sacramentalium usu gratiam mereri vel impetrare *ex opere operantis.* Sed praeterea **2.** *specialis* aliqua virtus spiritualis illis debet adscribi: quae virtus **3.** neque est collatio gratiae *sanctificantis* ex opere *operato,* alioquin sacramentalia essent sacramenta; neque collatio gratiae *actualis* ex opere *operato,* quamvis Deus intuitu orationis Ecclesiae eadem instituentis elargiatur gratiae auxilia iis pie utentibus. Neque **4.** sacramentalium effectus est *remissio peccati mortalis,* neque *venialis,* saltem *immediate,* sed nonnisi mediantibus actibus, ad quos illa auxilia gratiae juvant; neque *remissio poenae temporalis.* Eorum effectus proprius **5.** optime colligitur ex ipso Ecclesiae usu et orationibus, quae in plerisque consecrandis vel adhibendis ab ea funduntur. Ex hisce vero assequimur sacramentalium efficaciam maxime (non unice) dirigi *adversus daemones* eorumque potestatem, incursus et impugnationem. Haec autem *efficacia* **6.** adversus daemones ex *triplici* titulo oritur: **a.** ex virtute impetrationis Ecclesiae sacramentalia instituentis; **b.** ex potestate speciali Ecclesiae a Christo data adversus daemones; **c.** ex ipsa crucis et nominis Christi virtute, sub cujus invocatione conficiuntur vel adhibentur. Virtus vero **7.** sacramentalibus insita non est *infallibilis;* quatenus tamen independens est ab opere operantis et innititur dignitate Ecclesiae, aliquid participat de efficacia *ex opere operato.*

Articulus II.

De sacramentorum causis.

993. Praetermissa causa *finali* (n. 981. ss.) et *exemplari* (n. 966.), quaedam dicamus de causa sacramentorum *intrinseca.* Ad hanc revocamus *materiam* et *formam,* de quibus haec teneantur: **1.** Inductione, perpetua Ecclesiae traditione, imo et Scripturae oraculis Matth. 28, 19. Act. 8, 15; Jac. 5, 14. s. etc. liquet, N. L. sacramenta *rebus* vel *acti-*

bus et *verbis* perfici: cujus institutionis congruentiam exponit s. Thomas 3. p. q. 60. a. 6. Jam vero **a.** habitus hujusmodi, qui est concursus duorum ad unam componendam significationem, quorum **b.** unum est imperfectum in significatione et indifferens ad plura: alterum vero perficiens, determinans ad unam significationem; quorum **c.** imperfectum supponitur ut prius, perficiens vero accedit: hujusmodi, inquam, habitus apte designatur nominibus *materiae*[1]) et *formae:* eoque magis, quod hic loquendi modus jam a sec. XII. penes omnes theologos sit communis, confirmatus a concilio trid. sess. 14. c. 2. et 3; et ab Eugenio IV. *in instruct. pro armenis,* in qua legimus: „Omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum." Adverti tamen **2.** debet, si ratio signi non secundum *physicam,* sed secundum *metaphysicam* compositionem spectetur, seu si non ipse ritus visibilis, sed totum sacramentum, quatenus est signum significans, efficax, practicum consideretur, tunc ad *materiam* referendum esse, quidquid in ritu est *visibile* et *sensibile:* ipsam autem *significationem,* quae ex institutione Christi huic competit ritui, et *virtutem,* quae illi inest, rationem habere *formae*[2]).

---

[1]) Materia in sacramentis alia dici potest *ex qua,* scil. ex qua constat ritus sacramentalis, et de hac hic loquimur: alia, *circa quam* versatur actio sacramentalis, ut in eucharistia substantia panis et vini, quae consecratione cessat. Porro materia *ex qua* alia est *remota,* elementum scil., quod actione aliqua applicari debet, ut efficiatur sacramentum, ut aqua in baptismo, quae ablutione corpori applicanda est, ut cum forma constituat sacramentum: alia est *proxima,* scil. ipsa materia applicata seu applicatio materiae, ut immersio vel aquae infusio vel aspersio in baptismate.

[2]) Celebris est distinctio, qua theologi scholae in sacramentis distinguunt aliquid, quod sit *sacramentum tantum,* aliquid, quod sit *res tantum,* et aliquid, quod sit *res simul* et *sacramentum.* Nomen autem *sacramenti* in hac distinctione accipitur *latius* pro *signo* pertinente ad sacramentum, licet non sit pars constituens sacramentum: ita character secundum hanc distinctionem *res* et *sacramentum* dicitur, quia est *signum.* Rursus quando aliquid appellatur *sacramentum tantum,* non est sensus, quod in illo solo consistat tota ratio illius sacramenti, sed quod illud ita sit signum, ut non sit simul res significata. Per hunc ergo loquendi modum volunt theologi explicare, in sacramentis esse aliquid quod *significat* et *non significatur,* et hoc vocant *sacramentum tantum;* aliquid quod *significatur* et *non significat,* et hoc dicunt *rem tantum;* denique esse aliquid, quod *significat* et *significatur,* et hoc appellant *rem simul* et *sacramentum.* Ita in *eucharistia* species sunt sacramentum tantum, quia significant corpus Christi et gratiam, ipsae vero non significantur; gratia vero est res tantum, quae significatur et non significat. Denique corpus Christi est sacramentum simul et res, quia significat gratiam et significatur a verbis et a speciebus.

994. Ad solvendas 3. difficultates adverti debet: a. de ratione materiae sacramentalis necessarium non esse, ut ea sit res *materialis* et *palpabilis;* sufficit enim, ut sit aliquod ens, aliquod elementum minus determinatum, ad plura indifferens, quod alterius accessu magis determinetur et perficiatur; proinde et *actus* sensibili modo manifestati rationem habere possunt *materiae,* ut in sacramentis poenitentiae et matrimonii. Ad rationem vero *formae* b. sufficere, ut verba habeantur vel formaliter vel aliquoties *aequivalenter* (ut sunt nutus), et ut inter materiam et formam distinctio habeatur saltem *virtualis.* Ita in matrimonio eadem verba vel iidem actus rationem habent materiae, quatenus per ea significatur vel efficitur mutua traditio; et simul rationem habent *formae,* sub alio tamen respectu, quatenus mutua sunt acceptatio seu hanc significant et eatenus obligationem inducunt contractumque perficiunt et consummant.

995. Deum solum esse *principem* sacramentorum *auctorem* auctoritate prorsus *independente* et a qua omnis alia pendeat auctoritas, per se patet. Ille enim solus esse potest auctor sacramentorum auctoritate *suprema,* cujus est pro nutu gratiam distribuere, regenerare, in Dei adoptare filios. Hic vero est *Deus tantum.* Licet autem Christo homini, qua homo est, talis non competat auctoritas, ei tamen relate ad sacramenta ejusmodi tribuenda est potestas, quae longe excellat cujuslibet creaturae potestatem, quam propterea etiam theologi *potestatem excellentiae* appellant. Sane certum est, Christum esse omnium hominum redemptorem, qui pro peccatis totius mundi plenissime satisfecit gratiamque nobis promeruit (n. 798.); ipsum esse Ecclesiae caput, e quo omnis gratia dimanat in membra Joan. 1, 16: *De plenitudine ejus omnes nos accepimus, et gratiam pro gratia* (n. 188. s.); summum sacerdotem, sponsorem et mediatorem N. T. (n. 789. s.) eique datam esse omnem potestatem in coelo et in terra, praesertim in hominum salutem: ac proinde ab ipso pendere meritorum suorum applicationem, gratiae, quam ipse promeruit, distributionem collationemque per media, quae propterea nonnisi ejus nomine et auctoritate administrantur. Ex quibus sequitur, in praesenti oeconomia nullum esse sacramentum gratiae efficax, cujus virtus et dignitas non sit ex meritis Christi, et quod non administretur ejus nomine et auctoritate (n. 978.), nullumque denique esse, cui ita alligata sit Christi ipsius potestas remittendi peccata atque gratiam conferendi, ut eam independenter ab illo exercere nequeat. Hisce continetur potestas *excellentiae,* quam theologi Christo homini vindicant, quaeque opponitur potestati *participatae* ministrorum in sacramentis administrandis.

996. Tenendum autem est, Christum non solum *mediate* omnia instituisse sacramenta, quod saltem *de fide* est secundum concilii trid. sess. 7. can. 1: „Si quis dixerit sacramenta N. L. non fuisse omnia

a J. Christo D. N. instituta . . . A. S.," sed etiam *immediate*[1]): ut colligitur **1.** ex obvio sensu can. citati; **2.** ex sess. 14. can. 1. (n. 1165.), quo ei asseritur immediata institutio extremae unctionis, de qua maxime erat dubium. Quod si **3.** concilium Christo voluisset *mediatam* tantum asserere sacramentorum institutionem, caeremoniarum quoque institutionem ei potuisset tribuere. Hanc vero adscribit Ecclesiae, cui denegat omne jus circa sacramenti substantiam sess. 21. cap. 2.

997. **Thesis CXXXVIII.** ***Sacramentorum valor non pendet a sanctitate vel fide ministri.***

Demonstratio p. I. Virtus conferendi gratiam inest (n. 972. ss.) ipsi operi operato seu signo sacramentali; quare cum sacramenta per homines sint ministranda, ut ex universa revelatione et praxi christiana patet, per illos scil., qui pro Christo legatione funguntur, potestas vicaria ministri *immediate* pertinet ad ponendum ipsum signum, quatenus est sacramentale et efficax gratiae, atque *mediate* i. e. per ipsam videlicet actionem sacramentalem ad gratiae collationem: ideoque minister eatenus tantum causa est gratiae, quatenus potestate sibi a Christo collata sibique inhaerente utitur ad ponendum signum efficax gratiae. Jam vero sacramentorum valorem non pendere *a ministri probitate,* dogma est fidei statutum jam olim contra donatistas, dein contra waldenses et wicleffitas, contra quos omnes est concilii trid. sess. 7. can. 12: „Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali exsistentem, modo omnia essentialia, quae ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum, A. S."

998. Primarium argumentum petitur ex Ecclesiae *praxi* validissime contra donatistas tot operibus a s. Augustino defensa, non iterandi sacramenta a peccatoribus sive occultis sive publicis collata. Colligitur deinde **2.** haec veritas ex doctrinae capite ea occasione sive diserte, sive aequivalenter propugnato, sacramenta constare propria sanctitate eorumque principem administratorem esse Christum: unde inferunt patres, eorum valorem independentem esse a ministri sancti-

[1]) Tenendum quidem est, Christum eo ipso, quod *immediatus* fuerit sacramentorum auctor, *materiam* quoque et *formam* sacramentorum determinasse. Verum hoc non obstante licet tueri, eum non in omnibus sacramentis materiam et formam *accurate* seu ut dicunt in *specie infima* determinasse, sed nonnisi in *genere,* adeo ut Ecclesiae permiserit arbitrio, eam *accuratius* constituere. Nisi enim quandam institutionis *latitudinem* admittamus, et si omnia, quae materiam formamque spectant, *a priori* ex quibusdam congruentiis et subtilibus considerationibus definire velimus, in *graves* incidimus difficultates ex ipsa *historia* administrationis sacramentorum petitas.

tate. „Dedit Judas (baptismum), inquit Augustinus[1], et non baptizatum est post Judam; dedit Joannes (Baptista), et baptizatum est post Joannem: quia si datus est a Juda baptismus, Christi erat; qui autem a Joanne datus est, Joannis erat. Non Judam Joanni, sed baptismum Christi etiam per Judae manus datum baptismo Joannis etiam per manus Joannis dato recte praeponimus . . . Quos baptizavit Joannes, Joannes baptizavit: quos autem Judas baptizavit, Christus baptizavit. Sic ergo quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si baptismus Christi erat, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam; quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: *Hic est qui baptizat* (Joan. 1, 33.).“

999. Quod **3.** patres multiplici etiam illustrant similitudine. Quemadmodum enim verbum Dei etiam cum fructu ab improbis ministris annunciari; semen sordidis licet manibus satum fructificare, aqua per canales etiam lapideos et ferreos derivata irrigare etc. potest: ita quoque sacramentorum virtus independens est a ministrorum probitate. Deinde **4.** si peccator privaretur potestate valide administrandi sacramenta, hoc ideo fieret, vel quia talis minister hac potestate est indignus, vel quia non decet Deum uti homine iniquo ut instrumento ad effectus tam supernaturales et sanctos, vel quia Ecclesiae non expedit peccatores sacramentorum esse ministros. Atqui horum nihil admitti potest. Non primum, quia peccator non omnibus iis privatur, quibus propter peccatum redditur indignus, alioquin privandus esset potestate praecipiendi, regendi, docendi, ipsa vita etc.; non alterum, quia Deus tam bonus est atque omnipotens, ut et per malos possit bonum operari; non tertium, cum ipsum Ecclesiae bonum exigat, ne ministri mali hac priventur potestate, nam fideles semper dubii haererent de sacramentorum valore. Sacramentorum ergo valor independens est a ministri sanctitate.

1000. **Demonstratio p. II.** Sacramentorum valor neque *a ministri fide* pendet; quod de baptismo est *de fide,* ut patet ex controversia praesertim cum donatistis et ex concilii tridentini sess. 7. can. 4: „Si quis dixerit, baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus s. cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum, A. S.“ Quoad reliqua sacramenta id quidem *non est de fide,* ita tamen in Ecclesia receptum,

---

[1]) Tract. 5. *in Joan.* n. 18. De hoc iterum fuse agit tract. 6., ubi inter alia n. 6. scribit: „Per hanc potestatem, quam Christus solus sibi tenuit et in neminem ministrorum transfudit, quamvis per ministros suos baptizare dignatus sit, per hanc stat unitas Ecclesiae . . . Si enim, ut jam dixi, fratres mei, transferretur potestas a Domino ad ministrum, tot baptismata essent, quot ministri essent et jam non staret unitas baptismi.“ Chrysostomus hom. 86. al. 85. *in Joan.:* „Neque angelus, neque archangelus in iis, quae a Deo data sunt, aliquid efficere potest, sed Pater et Filius et Spiritus s. omnia administrat. Sacerdos vero linguam suam commodat, manum porrigit.“

ut *certum* atque fidei proximum sit: *poenitentiae* tamen sacramentum excipi debet, cum absolutio sacerdotis haeretici invalida sit, ex defectu non quidem potestatis *ordinis,* sed *jurisdictionis,* qua carent haeretici. Quare cum Ecclesia, ne quis pereat, suppleat vel concedat jurisdictionem in articulo mortis etiam haeretico, poterit is in hoc casu *valide* absolvere. Probatur autem veritas hujus asserti iisdem fere argumentis, quibus priorem demonstravimus partem; nominatim vero quoad baptismum ex celeberrima controversia sec. III. cum s. Cypriano et deinde sec. IV. et V. cum donatistis; ex qua liquet, sententiam negantem valorem baptismi ab haereticis collati tempore esse posteriorem affirmante, fuisse particularem, quae tandem evanuit praevalente sententia affirmante. Nequit ergo sententia opposita censeri apostolicae originis, sed potius haberi debet doctrinae revelatae contraria. Reliqua vero sacramenta ab haereticis collata pariter esse valida, evincit tum praxis Ecclesiae universae[1]), tum analogia cum baptismo; suadet et ratio petita ab objectivo valore et sanctitate sacramentorum, quae independens est a ministro.

1001. **Scholion.** Quod attinet *intentionem* ministri necessariam ad valide administranda sacramenta putant protestantes innixi suo errori, quod sacramentis similis insit vis ac verbis concionis, sacramentorum efficaciam non pendere ab intentione ministri, sicut nec verborum significatio a loquentis pendet intentione. Contra quem errorem statuit conc. tridentinum sess. 7. can. 11: „Si quis dixerit, in ministris dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, A. S.“ Cf. sess. 14. cap. 6. et can. 9. Aliis argumentis praetermissis, urgemus hoc unum: necesse est in sacramentorum confectione, ut is, qui eadem administrat, agat tamquam legatus et minister Christi, ideoque actionem ponat non nomine suo proprio, tamquam actionem suam, quia tunc profecto non est sacramentalis, sed nomine Christi, auctoritate ab eo accepta, actionem ministerialem. Atqui ministerium, id est, administratio potestatis commissae et rationabiliter exercendae concipi non potest sine voluntatis rationalis deliberatione seu intentione, qua homo velit se exhibere ministrum Christi. Potest enim minister actionem ponere nomine suo et nomine Christi. Haec autem actionis indifferentia non tollitur nisi voluntatis nutu, quo potius agere vult tamquam Christi minister,

---

[1]) Dicimus praxim *universae* Ecclesiae; non enim diffitemur, fieri potuisse, ut *nonnulli* de valore sacramentorum ab haereticis collatorum dubitaverint, et forte etiam eadem, ut ordinationem, iteraverint: Ecclesia vero *universa* nunquam dubitavit et in praxi valorem horum sacramentorum agnovit.

quam auctoritate et facultate sua naturali. Requiritur ergo ad sacramenti confectionem talis ministri intentio, qua se subjicit instrumenti instar agenti principali[1]).

1002. Si vero quaeritur, quaenam requiratur et sufficiat intentio, statuunt Martinus V. art. 22. ex 39, de quibus errorum Wicleff et Huss suspecti interrogandi sunt, Eugenius IV. *in instruct. pro armenis* (n. 993.) et concilium trid. locis supra citatis, ut sit saltem intentio faciendi quod facit Ecclesia. Qua formula significatur **1.** non requiri intentionem *explicitam* agendi nomine Dei et Christi, et conferendi sacramentum formaliter qua efficax gratiae; sed **2.** sufficere intentionem *implicitam* in altera, qua quis velit sese in illo actu exhibere Ecclesiae ministrum; **3.** hanc ipsam sufficere, si sit concepta *in confuso* et *generatim* faciendi, quod Ecclesia sive christiani in hujusmodi ritu facere consueverunt. Hinc **4.** intelligitur, quomodo fides, a qua potestatem conficiendi sacramenta independentem diximus (n. 1000.), non requiratur ratione necessariae intentionis. Licet enim baptizans ex. gr. nec in Christum credat, neque efficaciam vel sanctitatem sacramenti, neque veritatem Ecclesiae atque religionis christianae admittat, dummodo sciat eum ritum haberi et adhiberi ut sacrum a religionis christianae sectatoribus, potest habere, et si a christianis rogatus baptizet, plerumque habebit intentionem faciendi ritum non sua quidem, sed christianorum opinione sacrum; qua intentione supposita jam non proprio agit nomine, sed se exhibet Ecclesiae ac propterea implicite Christi ministrum.

Caput II.

De sacramentorum N. L. numero.

1003. **Thesis CXXXIX.** ***Septem sunt N. Legis sacramenta.***

Demonstratio. *De numero* sacramentorum statuit concilium trid. sess. 7. can. 1: „Si quis dixerit, sacramenta N. L. . . . esse plura vel pauciora quam septem, videlicet baptismum etc., aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum, A. S." Quod dogma nobis vindicandum est contra sec. XVI. novatores, qui quamvis inter se dissentirent de numero sacramentorum, consenserunt tamen in rejiciendo numero *septenario;* sed fatendum est illos grada-

[1]) Hoc eodem argumento videtur refelli posse celebris Catharini opinio affirmans, materiam et formam *externa* deliberata actione externisque adjunctis ita determinari ad rationem sacramenti, ut nulla intentione contraria, quae in animo ministri lateat, valor sacramenti impediri possit. Cum enim actio externa *per se* sit *indifferens,* utrum sit exercitium et actuatio potestatis *naturalis* omnibus hominibus communis ponendi ritum externum, an actuatio et exercitium potestatis *ministerialis,* requiritur nutus voluntatis determinans hanc actus *indifferentiam* seu *intentio interna.* Ceterum merito contra hanc opinionem urgetur prop. 28. ab Alexandro VIII. damnata: „Valet baptismus collatus a ministro, qui *omnem ritum externum* formamque baptizandi observat: *intus* vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo quod facit Ecclesia."

tim eo devenisse, ut jam *duo* tantum admittant. Seposita autem demonstratione directa, qua singulorum sacramentorum veritas ex revelatione comprobatur, demonstratione utemur *indirecta* eaque plane decretoria ex consensu christiani nominis petita. Cujus argumenti vis ut perspiciatur, haec advertenda sunt: **1.** Christianos omnes saltem a sec. XII. usque ad XVI. conspirasse in hanc fidem, et quidem professione *unanimi, practica, solemni, quotidiana,* ipso eorum usu. Quam in fidem **2.** conspirarunt cum latinis ipsi *graeci* jam a sec. XI., imo et IX. ab unitate romana sejuncti.

De hoc consensu constat **a.** *negative:* nunquam enim graeci propter sacramentorum numerum litem Ecclesiae romanae moverunt; **b.** ex gestis pro unione utriusque ecclesiae tempore conc. lugdunensis II. et florentini; **c.** ex professionibus fidei graecorum; nominatim vero **d.** ex irrito protestantium conatu pertrahendi graecos ad suum errorem[1]); tandem **e.** ex eorum libris liturgicis et ritualibus. Imo **3.** sectae Orientis ab Ecclesia jam a sec. V. divulsae eandem de numero sacramentorum septenario fidem profitentur.

1004. Jam vero ex tali consensu hisce praedito dotibus abunde constat, fidem de numero sacramentorum septenario *apostolicae* esse originis. Id enim colligimus **1.** ex principio certo historia controversiarum fidei comprobato, consensionem patrum, quae praeverterit controversiam aliquam de fide, semper habitam fuisse pro tutissima norma orthodoxiae. Colligimus **2.** ex eo, quod hujus fidei origines aetate apostolica recentiores assignari nequeant. Neque enim dici potest, illam primum inductam esse sec. XII., cum reperiatur etiam apud *graecos,* qui certissime hanc fidem non hauserunt a latinis post suam separationem. Ergo latini et graeci eam hauserunt ex fonte *communi,* qui antecessit eorum separationem, scil. ab Ecclesia *universali* sec. IX. et VIII., a qua divulsi sunt graeci. Sed neque sec. IX. vel VIII. primam originem habuit haec fides, cum reperiatur apud illas sectas, quae jam sec. V. Ecclesiae castra deseruerunt. Quod si Ecclesia jam sec. V. et IV. hanc profitebatur fidem, ea certe non est apostolis recentior, cum Ecclesia illius praesertim temporis admodum esset *tenax antiquitatis novitatisque omnis aversatrix.* Quare manifesto

---

[1]) Ita ex. gr. Jeremias patriarcha († 1594.) in *censura Ecclesiae orientalis,* in qua reprobat confessionem augustanam, statuit: „Dicimus praeclare nobis ss. patres tradidisse, unam, sanctam, catholicam Ecclesiam esse . . . in ea item ipsa catholica et orthodoxa Ecclesia *septem* divina sacramenta esse, baptismum scil. etc. Nam cum dona Spiritus sancti teste Isaia septem sint, septem item sacramenta, quae ab eodem Spiritu sancto vim efficiendi habent, sint oportet; non plura autem nec pauciora esse vel ipsa plena rei partitio demonstrat . . . Et haec quidem omnia salutis nostrae remedia ipse J. Christus Deus et D. N. nobis tradidit et ss. ejus apostoli."

obtinet hic Augustini *de bapt.* l. 4. c. 24. axioma: „Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur."

1005. Sane **3.** supponamus, hoc dogma non esse originis *apostolicae:* erit ergo, ut contendunt protestantes, *innovatio humana* atque proinde fidei apostolicae *corruptio.* Atqui **a.** omnis innovationis in fide, saltem alicujus momenti, scimus parentes, patrem et matrem, patriam, annum nativitatis, adjuncta etc., ut inductione constat: ergo haec omnia sciremus etiam de hac persuasione, si esset *inventum humanum.* Neque enim **b.** potuisset induci fidei et praxis christianae *corruptio,* quin commoveretur Ecclesia, excitarentur patres, reclamarent episcopi, cogerentur concilia atque sequeretur innovationis damnatio, ut iterum inductione luculenta omnium fere seculorum comprobatur: eoque magis quod ageretur de re magni momenti, *practica, quotidiana,* a qua plurimum pendet vita christiana, Ecclesiae disciplina totumque ejus ministerium. Hujus autem commotionis nullum vestigium in universa antiquitate. Quod si **c.** haec fides esset innovatio sec. XII., quae sensim et clanculum nemine advertente invasit et pervasit universam Ecclesiam latinam, quomodo ea invasit et pervasit coetus schismaticos Orientis, Ecclesiae romanae adeo infensos? et si hi clausis oculis ab occidentalibus hanc mutuarunt sententiam, unde factum est, ut in administrationis ritibus adeo subinde dissentiant? Ad rem Tertullianus *de praescr.* n. 28: „Ecquid verisimile est, inquit, ut tot ac tantae ecclesiae in *unam* fidem erraverint? Nullus inter multos eventus *unus* est exitus. Variasse debuerat error doctrinae ecclesiarum: ceterum quod apud multos *unum* invenitur, non est erratum, sed traditum."

1006. Id colligimus **4.** hac praescriptione: Eatenus tantum deserenda esset doctrina de numero sacramentorum, quam Ecclesia catholica pacifice possedit per plura secula ante ortas de eadem sec. XVI. controversias, quatenus novatores sec. XVI. digni essent, qui audiantur et quibus tuto credere possimus. Atqui novatores sec. XVI. *undequaque sunt indigni, qui in rebus fidei audiantur*, omni carent auctoritate. Ergo temere deseritur propter eorum asserta Ecclesiae fides. Et sane protestantes *ne audiendi quidem sunt* **a.** quia carent omni missione, ut fuse ostendimus n. 285; **b.** quia inter se dissident de numero sacramentorum: magisterium autem *in se dissonum,* cum agitur de rebus fidei, caret auctoritate; **c.** quia dissentiunt manifesto a patrum doctrina seu ab Ecclesia sec. IV. et V.; quia **d.** dissentiunt a doctrina omnium coetuum fidelium, qui huic controversiae praeexstiterunt: inter varios autem coetus illos fuit *vera Ecclesia,* cum haec sit indefectibilis; quia **e.** nimis terrifica sunt Christi verba Matth. 18, 17: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus;* Gal. 1, 9. Neque dicant novatores sec. XVI., se nihil novi annunciare, sed *purum* tantum Evangelium restaurare: nam **a.** haec *assertio* est, non probatio; et quidem **b.** assertio *omnibus* haereticis communis; et

c. evidenter *falsa*, cum alia atque alia asserant diversi novatores sec. XVI.: quare, ne indigne ferant, si eos hortemur, ut prius inter se consentiant, antequam catholicos turbent[1]).

1007. **Scholion.** Fatemur quidem, plura posse huic dogmati opponi, sed animadvertatur: **1.** Patres minus fuisse systematicos theologis scholae, neque adeo pronos ad sacramenta connumeranda, praesertim cum haec quoad ritum externum in multis discrepent. **2.** Vocis *sacramenti* notionem olim nondum satis fuisse determinatam et definitam: quapropter veteres modo duorum triumve, modo plurium quam septem sacramentorum faciunt mentionem. **3.** Viguisse olim *arcani* disciplinam praesertim in re sacramentaria: quare nonnisi necessitate compulsi patres de uno alterove disserunt sacramento, vel ut Ecclesiae doctrinam vindicent a calumniis, vel ut initiandos in necessariis instruant: in quibus instructionibus *trium* plerumque faciunt mentionem, baptismi scil., confirmationis et eucharistiae, quia haec simul conferri solebant. Quod **4.** difficultatem attinet petitam *ex pedum lotione*, cui elementa omnia ad sacramenti notionem necessaria convenire videntur, aliis omissis advertimus, eam hoc unum probare, in re sacramentaria *optimam esse interpretem Ecclesiae praxim.* Cum ergo ex hac constet, pedum lotionem nunquam habitam fuisse pro vero proprioque sacramento, manifestum quoque est, verba Joan. 13, 14. ss. de sacramenti alicujus institutione non esse intelligenda.

PARS II.

De sacramentis in specie.

Sectio I.

De baptismi sacramento.

1008. Sacramentorum *primum* et necessitate et natura, ideoque et receptionis ordine, est *baptismus.* Sicut enim generatio est principium et fundamentum vitae naturalis, ita *regeneratio* initium est vitae (habitualis) *supernaturalis*, quae dein aliis excoli et conservari debet sacramentis.

Multiplici *typo* patres hoc sacramentum in V. Testamento adumbratum cernunt[2]), quotiescunque scil. Deum legunt miri aliquid mediante aqua esse

---

[1]) Cf. *Perpétuité de la foi* t. 4. l. 10; Franzelin th. 18. *Quadruplex* haec probatio n. 1003—1006. proposita bene notetur, cum ea saepe utemur: plane enim efficax est ad omnia fere dogmata a protestantibus rejecta comprobanda; neque etiam quid alicujus momenti contra eam excipi potest, nisi cum rationalistis vel *prima* fidei christianae rudimenta subvertere velimus atque in dubium vocare divinitatem, imo et sapientiam Christi promittentis, Ecclesiam suam aedificaturum se esse non super *arenam*, sed *super petram.*

[2]) Cf. de *typis* Ambrosius *de myst.* c. 3. et Tertullianus *de bapt. opusc.* VII., ubi in annotationibus plurima patrum adduximus testimonia. Cernunt scil. patres baptismum adumbratum in verbis Gen. 1, 2: *Spiritus Dei fere-*

operatum: multiplici quoque *nomine* illius praestantiam, proprietates atque effectus significant. Porro a catechismo romano definitur p. 2. c. 2. n. 5: „Sacramentum regenerationis per aquam in verbo," vel explicatius a theologis: Sacramentum a Christo Domino institutum, in quo per ablutionem exteriorem corporis sub invocatione ss. Trinitatis homo spiritualiter regeneratur.

1009. Cum autem ad sacramenti collationem quatuor requirantur, *materia, forma, minister* et *subjectum*, cui confertur, de hisce in primis disseremus: quibus quaestionem subjiciemus de baptismi *necessitate.* Quare omnia ad *quinque* revocabimus puncta. Reliqua[1]) enim vel jam satis expendimus disserentes de sacramentis in genere, vel magis spectant ad theologiam morum, vel minoris sunt momenti, quam ut in theologia compendiaria tractentur.

1010. Materiam *remotam* baptismi esse *aquam veram* et *naturalem,* est *de fide,* ut patet ex concilii trid. sess. 7. can. 2: „Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa D. N. J. Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto* (Joan. 3, 5.), ad metaphoram aliquam detorserit, A. S." Colligitur autem **1.** ex *verbis* Christi mox citatis, quae adeo sunt clara, ut nonnisi socinianis seculo demum XVI. in mentem venerit, ea alium in sensum detorquere. Quod si esset vel minimum circa Christi verba dubium, hoc plane dissipatum fuisset traditione luculenta. Colligitur **2.** *ex factis.* Ita eunuchus ille Candacis reginae jam satis fide imbutus mox atque aquam vidit, dixit Act. 8, 36: *Ecce aqua: quid prohibet me baptizari?* Cf. Act. 10, 47.

Accedit **2.** manifesta *traditio theoretica* et *practica;* et *practica* quidem, quia semper adhibita fuit in baptismo aqua; *theoretica* vero colligitur

---

batur super aquas; Gen. 1, 20: *Producunt aquae reptile animae viventis;* Gen. 2, 7. in formatione hominis ex limo i. e. terra et aqua; in fonte irrigante paradisum; in diluvio, in arca Noë secundum verba Petri 1. ep. 3, 20; in transitu israelitarum per mare rubrum; in mutatione aquae amarae in dulcem Ex. 15, 23. ss.; in aqua de petra miraculose educta Ex. 17, 1. ss.; in mundatione Naaman syri; in piscina probatica Joan. 5, 2; in aqua profluente e latere Christi Joan. 19, 34.

[1]) De *effectibus baptismi* sufficiant, quae disputavimus disserentes de effectibus justificationis formalibus (n. 929. ss.), cum evidens sit ex universa revelatione christiana, baptisma esse sacramentum, quo justificamur et quo proinde delentur omnia peccata (n. 921. ss.). Baptismo autem deleri non solum *peccata*, sed remitti *omnem* quoque poenam temporalem, in quo praecellit sacramentum poenitentiae, est *de fide,* ut docet concilium trid. sess. 5. can. 5: „Nihil est damnationis in iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma . . . ita ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur." Quam fidem ita jam expressit Augustinus l. 2. *de peccat. meritis et remiss.* c. 28. n. 46: „Si continuo (post baptismum) consequatur ab hac vita emigratio, non erit omnino quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus, quae tenebant."

a. ex tot illis typis, quibus praefiguratum censuerunt patres baptismum (cf. annot. ad n. 1008.); **b.** ex nomine *pisciculorum*, quo designabantur olim christiani. »Sed nos pisciculi, ita belle Tertullianus *de bapt.* c. 1., secundum ἰχθῦν nostrum J. Christum in aqua nascimur;« **c.** ex disertis testimoniis. Huc spectat integer Tertulliani lib. *de baptismo.* Quod si quaeritur, quare Christus aquam pro baptismo selegerit, ratio **1.** est ejus *voluntas;* **2.** aquae *aptitudo* ad designandam spiritualem animae mundationem; **3.** baptismi *necessitas* summa.

1011. Valet autem baptismus per *immersionem,* ut colligitur **1.** ex baptismo eunuchi Act. 10, 38. s. relato; **2.** ex verbis Pauli Rom. 6, 3. ss.; Coloss. 2, 12., qui disserens de baptismo satis clare innuit, eo veluti repraesentari mortem et resurrectionem Christi; **3.** ex praxi Ecclesiae. Valet etiam per *aspersionem* vel *infusionem,* ut patet **1.** ex praxi baptizandi infirmos et moribundos[2]); **2.** ex Act. 2, 41., ubi refertur, die Pentecostes recepisse baptismum circa tria hominum millia, qui vix omnes per immersionem baptizati sunt; Act. 16, 33; **3.** ex eo, quod alioquin hujus sacramenti adeo necessarii administratio redderetur saepe admodum difficilis, sive propter defectum aquae, sive propter frigus, sive propter baptizandorum infirmitatem vel multitudinem.

1012. Ad baptismi *formam* requiritur *distincta trium personarum ss. Trinitatis* invocatio, ut colligitur **1.** ex Matth. 28, 19: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti;* ex **2.** praxi Ecclesiae quovis seculo, quae de baptismi valore judicans in primis erat sollicita, utrum is collatus fuerit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Imo adeo certa fuit hujus formae necessitas, ut Augustinus testetur *de baptismo* l. 6. c. 25. n. 47: „Quis nescit, non esse baptismum Christi, si verba evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint? Sed facilius inveniuntur haeretici, qui omnino non baptizent, quam qui non illis verbis baptizent[2]).“

---

[1]) Hinc Cyprianus consultus a Magno de infirmorum baptismo *ep.* 76. n. 12. respondet: ‚Nec quemquam movere debet, quod aspergi vel perfundi videntur aegri, cum gratiam dominicam consequuntur, quando Scriptura s. per Ezechielem prophetam loquatur et dicat: *Et aspergam super vos aquam mundam* etc. (36, 25.). Unde apparet aspersionem quoque aquae instar salutaris lavacri obtineri etc.‘

[2]) Legimus quosdam baptizatos fuisse *in nomine Jesu Christi* Act. 2, 38; 8, 12; 10, 48. et 19, 5; de quo baptismate *triplex* est sententia. *Prima* sententia tuetur, baptisma in nomine Jesu collatum esse validum; *altera* est s. Bonaventurae et s. Thomae, qui 3. p. q. 66. a. 6. ad 1. respondet: ‚Dicendum, quod ex *speciali* Christi revelatione apostoli in *primitiva* Ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi (quod erat odiosum judaeis et gentilibus) honorabile redderetur per hoc, quod ad ejus invocationem Spiritus s. dabatur in baptismo.‘ *Tertia* sententia eaque communior atque in praxi omnino tenenda statuit, baptismum in solo Christi nomine collatum esse invalidum; proinde illa Scripturae effata vel esse explicanda de baptismo collato quidem in nomine J. Christi, sed non excluso nomine Patris et Spiritus sancti; vel intelligenda de

1013. De baptismi *ministro* haec teneantur: **1.** ministrum proprium hujus sacramenti primo loco esse *sacerdotem,* episcopum et presbyterum: altero veluti gradu **2.** *diaconum* Act. 8, 12. 38. „In casu autem necessitatis **3.**, ut docet Eugenius IV. *in instruct. pro armenis,* non solum sacerdos vel etiam diaconus, sed etiam *laicus* vel *mulier,* imo etiam paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae et facere intendat, quod facit Ecclesia."

Quod ita jam expressit Tertullianus *de bapt.* n. 17: »Dandi quidem (baptismum) habet jus summus sacerdos, qui est episcopus: dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate propter Ecclesiae honorem . . . alioquin etiam laicis jus est.« Idem sec. IV. asserunt conc. eliberitanum can. 38. et Hieronymus in *dial. contra luciferianos* n. 9: »Baptizare, si tamen necessitas cogit, scimus etiam *laicis* licere« etc. Accedit Ecclesiae praxis, quae licet initio non adeo fuerit manifesta, ita invaluit et praevaluit, ut nunquam *serio* hac de re fuerit dubitatum. Congruentiae autem rationem petunt theologi ex summa ipsius baptismi necessitate ad salutem.

1014. Quod hujus sacramenti attinet *subjectum,* controversia est *de infantibus,* cum dispositionis sint incapaces. Quare sit

Thesis CXL. ***Baptismus infantibus valide et licite confertur.***

Demonstratio. Thesis statuitur contra anabaptistas, qui innixi Lutheri principiis de sola fide justificante deque sacramentis, quorum virtus tantum consistat in excitanda hac fide, consequenter inferebant, infantes utpote fidei incapaces inutiliter baptizari; quos sequuntur sociniani et arminiani. Ea est *de fide* saepe ab Ecclesia statuta et iterum in concilio trid. sess. 7. can. 12. et 13: »Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse: ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut praestare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae, A. S.«

1015. Fatendum quidem est **1.** ex divinis literis nullum proferri posse testimonium *disertum* vel factum *indubium* pro *paedobaptismo.* Haud tamen improbabilis est conjectura infantes quoque esse baptizatos, nam narratur integras familias fuisse baptizatas Act. 16, 15. 33; 1. Cor. 1, 16. Traduntur tamen 2. *principia,* ex quibus valor et utilitas colligitur paedobaptismi. Constat siquidem **a.** ex divinis literis, Christum Adami reparasse ruinam: hanc vero reparationem fieri per regenerationem. Sicut ergo infantes absque sua cooperatione sola generatione contrahunt peccatum, ita poterunt et sola regeneratione

---

baptismo, qui a Christo est institutus vimque sanctificandi habet, et idcirco ab eo denominatur, adeo ut baptismus in nomine Christi idem sit ac *Christi baptismus.* Quidam vero putant baptizare in Christi nomine idem esse ac baptizare in Christum credentes vel in professionem fidei Christi.

citra suam cooperationem constitui justi et filii Dei, proinde baptismi omnino sunt capaces. **b.** Certum est, baptismum absolute esse necessarium, ut mox videbimus. Si autem infantes non essent capaces baptismi, tertia hominum pars careret salutis possibilitate. **c.** Circumcisio figura est baptismatis; atqui infantes valide circumcidebantur; poterit igitur et baptismus valide conferri parvulis.

1016. Validissime vero confirmatur haec veritas traditione adeo splendida, ut protestantes coacti fuerint paedobaptismum retinere, licet alioquin traditionem contemnant, illumque eatenus tantum utilem et necessarium censere possint, quatenus ipsi adscribunt aliquam virtutem *ex opere operato,* quam alioquin exhorrent. Ecclesiae autem traditio maxime elucet ex controversia cum pelagianis: argumentum enim fere praecipuum adversus illos pro peccato originali petebatur ex *paedobaptismo;* neque unquam ausi sunt pelagiani de hujus sive valore sive utilitate dubitare. Hinc conc. milevitanum et dein carthaginense anathema dicit can. 2. illi, „quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat:“ et Augustinus de hac praxi *serm.* 176. n. 2. dicit: „Hoc Ecclesia *semper* habuit, semper tenuit, hoc a majorum fide percepit, hoc usque in finem perseveranter custodit.“

Sed jam ante Augustinum Ambrosius l. 2. *de Abraham* c. 11. n. 81. confidenter pronunciat: „Quia *omnis aetas* peccato obnoxia, ideo *omnis aetas* sacramento idonea;“ ante Ambrosium Cyprianus cum synodo 66 episcoporum ad Fidum scribit: „Porro si etiam gravissimis delictoribus et in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, et a baptismo atque a gratia nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit? qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata.“ Ante Cyprianum idem testatur Origenes l. 5. *in ep. ad Rom.* c. 9: „Ecclesia ab apostolis traditionem accepit etiam parvulis baptismum dare.“ Ante Origenem jam Irenaeus nos docet l. 2. c. 22. n. 4: „Omnes venit per semetipsum salvare (Christus): omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes et parvulos et pueros et juvenes et seniores.“

1017. **Scholion.** Erasmus innixus principio, neminem invitum ad aliquid ab alio ejus nomine promissum servandum obligari posse, contendit, interrogandos esse parvulos, cum ad annos discretionis pervenerint, „ratum ne habeant, quod susceptores illorum nomine polliciti sunt in baptismo: si respondeant, se ratum habere, tunc publice renovetur ea professio (in praef. ad *paraphr. in Ev. Matth.*)“ Quod consilium adoptarunt protestantes; verum illud damnavit concilium trid. sess. 7. can. 8. et 14. Et revera infantes teneri sponsione, quam eorum nomine patrini fecerunt, probatur **1.** *ex jure naturae.* Parentes enim tenentur jure naturae infantibus providere ea, quae necessaria sunt ad salutem tum corporis, tum animae. Sicut

ergo jure naturae tenentur parvuli, cum adoleverint, ea servare pacta et solvere debita, quae in utilitatem temporalem pro ipsis inierunt parentes, neque interrogandi sunt, utrum ea rata habere velint: ita etiam iis obstringuntur obligationibus, quas baptismus ad salutem prorsus necessarius secum fert. Probatur 2. *ex jure civili.* Nam jure civili (imo et naturali) tenentur pupilli iis stare pactis, quae in eorum utilitatem inierunt tutores, et vi *iuris civilis* tenentur, quin adulti interrogentur, propter solam nativitatem ad leges patriae subinde duras, subinde inutiles, servandas. Quanto minus ergo injustum est, eos vi *regenerationis* obnoxios fieri legibus reipublicae christianae plane salutaribus? Probatur 3. *ex jure mosaico.* Infantes enim judaeorum vi circumcisionis obnoxii reddebantur universae legi mosaicae. Probatur denique 4. *ex jure divino:* nam circumcisionis lex institutionis erat *divinae;* et omnis homo *vi nativitatis,* velit nolit, tenetur ad legis naturalis observantiam; proinde non erit contra jus divinum, ut infans *vi regenerationis,* quo fit membrum ordinis supernaturalis, obnoxius reddatur hujus ordinis legibus.

1018. Reliqua est quaestio de baptismi *necessitate,* quam negarunt veteres et recentiores haeretici, ut pelagiani, sociniani, arminiani, rationalistae etc.[1]), contra quos statuit concilium trid. sess. 7. can. 5: »Si quis dixerit, baptismum liberum esse h. e. non necessarium ad salutem, A. S.;« et sess. 6. cap. 4. docet, »justificationem *post promulgatum Evangelium* sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non posse.« Proinde cum non ubique *eodem* tempore promulgatum fuerit Evangelium, sed successive et temporis cursu, non ubique eodem tempore incepit obligatio recipiendi baptismi. Quare infideles negativi post Christi adventum, sed ante sufficientem Evangelii promulgationem, in eodem statu et conditione versabantur, in qua fuerunt universae gentes ante Christi adventum circa salutis media.

1019. **Thesis CXII.** ***Baptismus omnibus ad salutem est necessarius.***

Demonstratio. Baptismus necessarius est non solum necessitate *praecepti,* sed et necessitate *medii* (n. 912. annot.), quae tamen non est *prorsus absoluta,* cum baptismus suppleri possit *martyrio,* quod propterea dicitur *baptismus sanguinis*[2]), et in adultis *contritione* cari-

---

[1]) Mirum vere est, quomodo protestantes, saltem orthodoxi baptismi necessitatem tueri possint, si sola fides justificat atque sacramenta nullam habent virtutem conferendi gratiam *ex opere operato.* Sed qui rebellant adversus revelationem et infallibilis Ecclesiae auctoritatem, logicae quoque jugum excutere ejusque leges contemnere solent.

[2]) *Martyrium* supplere posse baptismum aquae, constans est assertio theologorum, innixa praxi Ecclesiae et persuasioni totius antiquitatis, quam ita enunciat Augustinus *de civit. Dei* l. 13. c. 7: »Quicunque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet (mors) ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur fonte baptismatis. Qui enim dicit: *Si quis non renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum coelorum* (Joan. 3, 5.), alia sententia istos facit exceptos, ubi non minus generaliter dixit: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre*

tate perfecta, quae baptismi votum includat, et quae idcirco dicitur *baptismus flaminis.* Baptismi necessitas colligitur **1.** ex Joan. 3, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei;* Matth. 28, 19; Marc. 16, 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit:* quibus verbis profecto significat Christus, quae prae ceteris sint necessaria ad salutem, scil. *fidem,* qua complectitur reliquas dispositiones, et *baptismum.* Colligitur **2.** ex *traditione,* praesertim ex disputatione cum pelagianis, qui cum contenderent, parvulos sine baptismo posse consequi saltem vitam aeternam, damnati sunt atque saepius declaratum fuit, parvulos sine baptismo perire. Cf. n. 626. Quocirca scribit Augustinus ad Vinc. Victorem l. 3. *de anima et ejus orig.* c. 9: „Noli credere, nec dicere, nec docere, infantes antequam baptizentur, morte praeventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus." Accedit **3.** *sensus fidelium,* qui ideo tam solliciti sunt de parvulorum baptismate, et adeo tristantur, si contigerit eorum parvulos sine baptismo mori. Neque deest **4.** ratio theologica. Nam *sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* 1. Cor. 15, 22. Atqui infantes moriuntur secundum animam vi generationis ex Adamo. Ergo vi regenerationis ex Christo vivificabuntur. Sed „quisquis dixerit, scribit Augustinus ad Hieronymum *ep.* 166. n. 21., quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine sacramenti ejus (baptismi) participatione de vita exeunt, hic profecto et contra apostolicam praedicationem venit et totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo vivificari omnino non posse." Ergo baptismus, ut vivificentur, ipsis necessarius est.

Sectio II.

De confirmationis sacramento.

1020. Baptismum in ordine sacramentorum excipit *confirmatio,* quae a materia remota dicitur *chrisma;* a materia proxima sive ritu *impositio manuum* seu *chrismatis sacramentum;* ab effectu *confirmatio,*

---

meo, qui in coelis est (Matth. 10, 32.); et alio loco: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam* (16, 25.). Hinc est, quod scriptum est: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (Ps. 115, 15.) etc. Nomine autem *martyrii* intelligitur: Perpessio mortis vel cruciatus letalis pro Christi fide aut virtute christianae fidei. Ut vero martyrio haec tribui possit praerogativa, requiritur consensus in martyrium sive acceptatio mortis saltem habitualiter voluntaria, ex motivo supernaturali, absque resistentia, et si is, qui propter Christum occiditur, sit in peccati gravis statu, necessaria est poenitentia, quae sit saltem attritio.

signaculum dominicum, *sigillum,* quamvis haec appellatio videatur etiam derivata a ritu; a relatione ad baptismum dicitur *perfectio,* consummatio, sacramentum plenitudinis. A theologis censetur hoc sacramentum adumbratum manuum impositione, quam Christus impertiebat parvulis Matth. 19, 13; Marc. 10, 13; splendidius vero solemni adventu Spiritus s. supra apostolos die Pentecostes. Definiri solet *confirmatio* sacramentum N. L., quo baptizatis gratia sanctificans augetur et additur robur sancti Spiritus tum ad firmiter credendum, tum ad fidem ipsam strenue profitendam. *Duplex* autem in primis est quaestio *dogmatica,* quam etiam concilium trid. suis canonibus diremit: **1.** utrum confirmatio veri nominis sit sacramentum, et **2.** quinam sit ejusdem minister.

1021. **Thesis CXLII.** ***Confirmatio verum est proprieque dictum novae Legis sacramentum a baptismo distinctum.***

Demonstratio. Thesis statuitur contra protestantes, et est *de fide,* ad quam tuendam concilium trid. sess. 7. sanxit can. 1: „Si quis dixerit, confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse, et non potius verum et proprium sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quandam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant, A. S." Probatur **1.** ex Act. 8, 14. ss., ubi narratur samaritanorum ad fidem conversio, ad quos post receptum baptismum missi fuere Petrus et Joannes, qui *imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum sanctum. Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam* etc.; 19, 5. s. *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus s. super eos: et loquebantur linguis et prophetabant*[1]). Ex quibus colligi-

---

[1]) Quod si quis inferret, hanc manuum impositionem fuisse olim adhibitam ad conferenda extraordinaria Spiritus s. charismata, quae modo cessarunt, fuisse proinde ritum nonnisi pro Ecclesia *primitiva:* negamus hunc fuisse ritus istius finem. Adhibitus enim fuit, ut ex ipsis patet textibus, ad conferendum *Spiritum sanctum;* voluit autem Deus, ut initio Ecclesiae nascentis collatio invisibilis gratiae sancti Spiritus visibili manifestaretur modo ad roborandam fidem christianam, qua sufficienter corroborata cessarunt signa extraordinaria. Si vero quis ulterius urgeret, hunc ritum esse inutilem: vel enim adhibetur ad conferendam gratiam vel ad conferendum robur; sed ad gratiam conferendam institutus est baptismus, ad roborandum data est eucharistia: respondemus **1.** in quaestione *facti* et *institutionis* divinae sententiam non esse ferendam a priori, sed secundum divinae revelationis testimonia; haec autem praeter baptismum et eucharistiam alium exhibent ritum Ecclesiae relictum ad conferendum Spiritum sanctum. Ratio vero **2.** reddi potest institutionis ritus distincti. Baptismo enim reddimur *filii;* eucharistia nutrimur cibo, qui tales tantosque decet filios, confirmatione vero

mus **a.** manuum impositionem, de qua l. c. est sermo, ritum fuisse distinctum a baptismo, **b.** efficacem gratiae, nam per illam conferebatur Spiritus s.; eam **c.** habitam non fuisse ut indifferentem, cum ad imponendas manus apostolorum princeps cum Joanne in Samariam se contulerit; imo **d.** tantae praestantiae, ut non quilibet illius esse possit minister, sed ii tantum, qui in Ecclesia excellunt.

1022. Ne vero **2.** quis excipiat, apostolorum tantum aetate ejusmodi exstitisse ritum ad conferendum speciali modo Spiritum s., recurrendum est ad *traditionem,* qua evidenter comprobetur ejus perennitas in Ecclesia. Eum viguisse sec. V. testatur Augustinus *de Trinitate* l. 15. n. 46. respiciens enim Act. 8, 14. ss. scribit: „Quem morem in suis praepositis etiam nunc servat Ecclesia." Ante ipsum refert Hieronymus *dial. adv. lucifer.* n. 9., „hanc esse ecclesiarum *consuetudinem,* ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus a presbytero et diacono baptizati sunt, episcopus ad invocationem Spiritus sancti manus impositurus excurrat." Ante Hieronymum Cyrillus hieros. adeo clare tradit integra catechesi (*opusc.* VII, 110. s.) hujus ritus in Ecclesia usum, ut Chemnitius hoc sacramentum per contemptum appellet *chrisma cyrillianum.* Sec. III. testes luculenti sunt Cornelius rom. pontifex et Cyprianus, qui ep. 73. relato facto Act. 8, 14. ss. scribit: „Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, praepositis Ecclesiae offerantur et per nostram orationem et manus impositionem Spiritum s. consequantur et signaculo dominico consummentur." Quibus similia habent duo alii testes coaevi, Nemesianus s. Thubunis in conc. carthaginensi III. (a. 256.) c. 5. et auctor l. *de rebaptismate.* Sed ante hos omnes sec. exeunte II. jam Tertullianus testis exsistit et in l. *de resurr. carnis* (cf. n. 975.) et *de baptismo* c. 8: „Dehinc (post baptismum) manus imponitur per benedictionem advocans et invitans Spiritum sanctum." Accedit **3.** argumentum *ex consensu* ecclesiae graecae schismaticae et sectarum Orientis, quae nunquam non inter septem, quae admittunt, sacramenta confirmationem recensent.

1023. De hujus sacramenti *ministro* statuit concilium trid. sess. 7. can. 3: „Si quis dixerit, sanctae confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, A. S." Cf. etiam sess. 23. can. 7. Episcopos autem ministros *proprios* et *ordinarios* esse hujus sacramenti, colligitur vel ex illis sive Scripturae sive traditionis effatis, quibus thesim comprobavimus. Constat tamen, non solum in Oriente, sed et in Occidente presbyteros quoque hoc administrasse sacramentum, imo in Oriente hanc praxim esse quasi ordinariam. Quaeritur ergo, utrum episcopi

---

constituimur *milites* et *roboramur* ad *militiam* spiritualem, ut procliemur proelia Domini adversus spirituales nequitias.

jure *divino*, an *ecclesiastico* tantum sint hujus sacramenti ministri *ordinarii.* Omnibus expensis praeferenda est ea sententia, quae statuit, presbyteros ad confirmationis sacramentum conferendum indigere in Ecclesia latina romani pontificis delegatione; in Oriente vero ex privilegio et tacito illius consensu indigere delegatione tantum episcopi. Nam Eugenius IV. declarat *in instruct.* pro armenis: »Legitur tamen aliquando per apostolicae sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum.« Quare sacerdotes ministri censendi sunt tantum *extraordinarii.*

1024. De *materia* hujus sacramenti *quadruplex* est sententia, et unaquaeque graves numerat patronos. *Prima* censet materiam proximam esse solam *manuum impositionem*, cujus unice in divinis literis fit mentio. *Altera* contendit, solam materiam essentialem esse *inunctionem*, quae substituta fuerit manuum impositioni; nam libri rituales pluresque patres solius inunctionis meminerunt; Eugenius IV. vero in *instruct.* pro armenis declarat, hujus sacramenti materiam esse chrisma; et citatis verbis Act. 8, 14. s. subdit: »Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia confirmatio.« Reliquae duae sententiae sunt mediae ad evitandas primae et alterius difficultates. *Tertia* scil. sententia statuit et *manuum impositionem* et *inunctionem* seorsim materiam esse essentialem, ut suadere videntur argumenta, quibus utuntur patroni tum primae, tum alterius sententiae. *Quarta* sententia contra tuetur manuum impositionem scil. eam, quae habetur in ipsa inunctione, cum hac, materiam esse proximam confirmationis: quae sententia videtur praeferenda, cum ea concilientur monumenta antiquitatis. Quare forma erunt ea verba, quae episcopus, dum pollice manus impositae frontem inungit confirmandi, pronunciat.

Sectio III.

De sanctissimo eucharistiae mysterio.

1025. Sacramentorum omnium praestantissimum esse *eucharistiam* nemo catholicorum in dubium vocabit. Haec autem praestantia multiplici ex capite innotescit. Innotescit **1.** ex nominum multitudine, quibus hoc sacramentum designatur[1]), *ex praedicatorum splendore,* quibus idem a patribus describitur; dicunt enim illud non solum sanctum, sacrosanctum, sed et sanctissimum, divinum, divinissimum, tre-

[1]) Vocatur hoc sacramentum **1.** *a ritu,* qui in eo celebrando adhibetur *fractio panis,* *εὐλογία*, *εὐχαριστία*; **2.** ab *institutionis tempore* vel occasione *coena,* coena dominica, coena Domini; **3.** a *re,* quam continet, *corpus et sanguis Christi,* sancta, sancta sanctorum, sanctissimum (Frohnleichnam): **4.** *a materia,* e qua conficitur, *panis* Joan. 6, 52; 1. Cor. 10, 16., licet etiam panis dicatur sive ratione speciei externae, sive ratione virtutis, qua vitam spiritualem conservat et auget; **5.** ratione *sacrificii,* in quo conficitur, *oblatio,* sacramentum altaris, mensa Domini 1. Cor. 10, 21; **6.** ratione *adjunctorum,* quae illius celebrationem comitantur vel saltem olim comitabantur, ἀγάπη; **7.** ratione *effectuum,* quos producit, *viaticum,* communio etc.

mendum, φρικτόν, horrendum „quod, ut scribit Chrysostomus hom. 82. al. 83. *in Matth.* n. 5., angeli videntes horrore replentur, nec respicere audent propter erumpentem exinde splendorem."

Innotescit **2.** ex *apparatu liturgico*, quo eucharistia quovis seculo in Ecclesia universa celebrata fuit. Vere enim dici potest, eucharistiae celebrationem totius cultus et vitae religiosae esse centrum, et velut cor et animam. Quo pretiosior **3.** est thesaurus, eo diligentiori cura et sollicitudine custoditur. Quapropter Ecclesia memor verborum Christi: *Nolite dare sanctum canibus, neque projicite margaritas vestras ante porcos* (Matth. 7, 6.), hoc in primis mysterium profanorum et nondum initiatorum oculis sedulo subtraxit, atque *disciplina,* ut dicunt, *arcani*[1]) caute velavit. Hinc patres

---

[1]) Cum *disciplinae arcani* in re praesertim *sacramentaria* saepe occurrat mentio, quaedam de illa breviter annotasse haud pigebit. *Eam* **1.** *viguisse* nemo inficiabitur, qui vel obiter patrum inspexerit opera. Agens de ipso baptismo, haec advertit Chrysostomus: ‚Volo quidem aperte hoc dicere, verum non audeo propter non initiatos. Hi enim expositionem nobis reddunt difficiliorem, ut qui nos cogunt vel non aperte dicere, vel eis arcana enunciare. Sed tamen quantum potero, dicam adumbrate etc.' (*in 1. Cor.* hom. 40. n. 1.). Quod si **2.** quaeras, quam late patuerit haec disciplina, respondemus, eam fuisse *plane universalem;* ex qua *universalitate* merito conjicitur **3.** eam esse *traditionis apostolicae,* nam illius jam meminerunt Origenes l. 1. *adv. Celsum* n. 7. et Tertullianus *praescr.* c. 41. etc. Et revera Basilius *de Spir. s.* c. 25. illam apostolis videtur adscribere. Exemplo enim desumpto ex lege mosaica, qua solus summus sacerdos semel per annum permittebatur ingredi Sancta Sanctorum, ne scil. res usu trita contemptui exponeretur, subdit: ‚Ad eundem profecto modum, et qui in primordiis Ecclesiae certos ritus perscripserunt *apostoli* et patres, in occulto silentioque mysteriis suam servavere dignitatem. Neque enim omnino mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures effertur.' *Summo* autem **4.** *rigore* haec disciplina servabatur, ut colligitur tum ex Tertulliano *apol.* c. 7. n. 33. ss.; nunquam enim Ecclesiae persecutoribus adhibita licet omni diligentia christianorum innotuerunt mysteria; tum ex eo, quod vel romani pontifices se hac lege obstrictos censuerint, ut testis est Innocentius I., qui noluit confirmationis formam literis consignare, ne magis prodere videretur, quam ad consultationem respondere ep. 25. *ad Decentium* n. 6. et 12. (*opusc.* t. XVIII.); tum ex horrore, quem concepit Julius I., cum audisset, in causa Athanasii interrogationem habitam fuisse ab arianis de mysteriis eucharisticis praesentibus catechumenis, judaeis et ethnicis (ep. *ad eusebianos* n. 15. *opusc.* t. XVII.); tum demum ex interdicto initiatis imposito, ne institutionem de mysteriis auditam aliis nondum initiatis traderent. Si vero **5.** quaeritur, de quibus potissimum arcani disciplina servaretur, respondemus, illam in primis viguisse circa sacramenta omnia (cf. Basilium *de Spir. s.* c. 27.), praesertim circa eucharistiam: sed etiam circa sublimiores veritates revelatas universim. Memoria dignissima sunt, quae Sozomenus de symbolo nicaeno disserens scribit. ‚Initio quidem existimaveram, ita ille l. 1. *hist. eccl.* c. 10., exemplum illius fidei ad veritatis demonstrationem hic necessario apponendum esse. Sed cum quidam ex amicis viri pii et harum rerum notitia praediti suasissent mihi, ut ea quidem, quae a solis initiatis et sacerdotibus dici audirique fas est, silentio involverem, eorum consilium

in suis sermonibus, cum orationis contextus hujus sacramenti exigeret mentionem, silentio ipsum praetermittunt, vel obiter tantum attingunt, quod illud *noscerent initiati*, vel obscure et plane aenigmatice loquuntur. Insigne est testimonium Epiphanii in *Ancorato* n. 57: „Videmus enim Salvatorem ipsum in manus accepisse, ut in Evangelio legitur, quod a coena surgens haec accepit et gratias agens dixit: *Hoc meum est hoc,* τοῦτό μου ἐστὶ τόδε. At videmus aequale illud non esse nec simile, non susceptae carnis imagini, non invisibili divinitati, non membrorum lineamentis. Illud enim rotundum est et quod ad vim attinet, sensus expers; et nihilominus ex gratia pronunciare voluit: *hoc meum est hoc.* Et nemo non credit sermoni, nam qui verum illud esse non credit, ita ut dixit, a gratia et salute excidit.“

1026. Hanc eucharistiae praestantiam evincit **4.** *comparatio cum aliis sacramentis,* quam instituit s. Thomas 3. p. q. 65. a. 3., „quod quidem tripliciter apparet: *primo* quidem ex eo, quod in eo continetur: nam in sacramento eucharistiae continetur ipse Christus *substantialiter;* in aliis autem sacramentis continetur quaedam virtus instrumentalis participata a Christo . . . . *Secundo* hoc apparet ex ordine sacramentorum ad invicem: nam omnia alia sacramenta ordinari videntur ad hoc sacramentum sicut ad finem. Manifestum est enim, quod sacramentum ordinis ordinatur ad eucharistiae consecrationem. Sacramentum vero baptismi ordinatur ad eucharistiae receptionem: in quo etiam perficitur aliquis per confirmationem, ut non vereatur se subtrahere a tali sacramento. Per poenitentiam etiam et extremam unctionem praeparatur homo ad digne sumendum corpus Christi. Matrimonium etiam saltem sua significatione attingit hoc sacramentum, in quantum significat conjunctionem Christi et Ecclesiae, cujus unitas per sacramentum eucharistiae figuratur . . . . *Tertio* hoc apparet ex ritu sacramentorum, nam fere omnia sacramenta in eucharistia consummantur etc.“

1027. Eucharistia **5.** est admirabilis divinarum perfectionum manifestatio; quantopere enim illa manifestantur divina potentia, liberalitas, bonitas, sapientia etc.? Et compendium mirabilium mysterii incarnationis ac propemodum repetitio quaedam[1]). Neque solum incarnatio hoc mysterio *adum-*

---

probavi. Quippe verosimile est quosdam sacramentis fidei nostrae minime initiatos hunc librum lecturos esse. Verum occultatis a me quantum fieri potuit arcanis, quae reticenda sunt etc.“ Si **6.** inquiras in hujus disciplinae *fundamenta,* patres fere unanimes illam, si non praeceptam, insinuatam saltem vident verbis Christi Matth. 7, 6; provocant ad ipsorum gentilium praxim, penes quos „mysteriis silentii fides debetur“ (Tertullianus *apol.* c. 7. n. 34.); ob oculos ponunt hujus disciplinae utilitatem, tum ut mysteria a profanatione vindicentur venerandaque reddantur; tum ut catechumenorum animus ad illa discenda excitetur et audiendi cupiditas acuatur. Ceterum **7.** haec disciplina in Oriente ad finem usque seculi V., in Occidente ad medium circa sec. VI. videtur durasse.

[1]) Sicut enim Verbum ex b. Maria V. nascens carne amictum prodiit et in praesepi jacuit, ita Verbum carofactum sacerdotis consecratione panis et vini speciebus velatur et in altari adorandum proponitur. Sicut Christus diu vitam vere absconditam, sed plane divinam duxit in domo nazarethana: ita et vitam absconditam, divinissimam tamen, vivit in hoc sacramento. Sicut Christus totum se impendit animarum saluti benefaciendo pertransiens universam Palaestinam:

bratur, sed quadamtenus *continuatur*. Hoc enim sacramento Christus intime se fidelibus singulis insinuat eosque sua imbuit vita secundum illa Joan. 6, 58: *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me et ipse vivet propter me*, adeo ut merito singuli fideles dicere possint: *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus* (Gal. 2, 20.). Qua intima insinuatione fideles penitissime sibi devincit Christus, sicut vitis palmites, caput membra sua: et non solum fideles arctissime sibi devincit, sed inter se quoque conjungit atque in unum constringit corpus: *unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus* (1. Cor. 10, 17.). Imo **6.** eucharistia est *summa novorum mirabilium*, quibus Christus suum in omnem creaturam dominium ostendit, „nam et substantias transmutat, inquit Suarez in 3. p. t. 3. disp. 46. s. 7., et accidentibus alium modum exsistendi tribuit, et corporis molem ad similitudinem spiritualis substantiae praesentem efficit idemque corpus in variis locis constituit et alia similia operatur, quibus se universae naturae dominum declarat. Tandem **7.** hujus mysterii praestantia inde quoque apparet, quod non solum *sacramentum* sit, sed et *oblatio* illa munda, quae succedens sacrificiis V. T. typicis a solis ortu usque ad occasum Deo in odorem suavitatis offertur (Mal. 1, 11.).

1028. Cum igitur eucharistia *sacramentum* simul sit et *sacrificium*, pro duplici hac praerogativa *duo* in capita hanc dividemus sectionem. Omnia autem, quae ad eucharistiam, quatenus est *sacramentum*, spectant, ad *quinque* revocabimus articulos. Demonstrandum siquidem est **1.** vere realiterque adesse in hoc sacramento corpus et sanguinem Christi sub speciebus panis et vini. Inquirendum deinde est **2.** in modum, quo praesens sistatur corpus Christi et quaenam **3.** sit hujus praesentiae ratio. Tum expendemus **4.** corollaria quaedam ad praxim spectantia. Conabimur demum **5.** conciliare hoc mysterium cum sana ratione, quantum per illius altitudinem et hujus fieri licet angustias.

Caput I.

De sanctissimo eucharistiae sacramento.

Articulus I.

De praesentia reali corporis et sanguinis Jesu Christi in eucharistiae sacramento.

1029. Directa et aperta impugnatio realis corporis Christi in eucharistia praesentiae est haeresis propria infausti sec. XVI. Antea enim vel nulla

---

ita et in hoc sacramento totus vivit animarum saluti, lumen, benedictionem, salutem impertiens, gratiarum charismata omnis generis ubertim diffundens. Sicut Christus in cruce moriens sacrificium obtulit Deo Patri cruentum: ita et in altari quotidie offertur oblatio munda, cruenti illius sacrificii incruenta commemoratio. Sicut post resurrectionem solaturus suos saepius apparuit, ita per eucharistiam pacem et gaudium afferens stat in medio fidelium.

fuit mota gravior controversia, vel nonnisi indirecte vel absque exitu. Nefandi vero hujus erroris auctores fautoresque fuere Carolostadius, Bucerus, Zwinglius, Oecolampadius, Calvinus etc., non vero Lutherus, licet eum libenter esset amplexus, nisi verborum Christi evidentia obstitisset[1]). Contra quos statuit concilium trid. sess. 13. can. 1: „Si quis negaverit in ss. eucharistiae sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate D. N. J. Christi ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo vel figura aut virtute, A. S:“ quibus verbis *triplicem* damnat adversariorum errorem. Adversus Zwinglium enim statuit, corpus Christi adesse *realiter,* eucharistiam proinde non esse illius tantum *signum* vel symbolum; adesse *vere,* non tantum in *figura,* ut contendit Oecolampadius; adesse *substantialiter,* non tantum *virtualiter* seu secundum aliquam illius virtutem, prout ratus est Calvinus.

1030. **Thesis CXLIII.** ***Vera, realis et substantialis corporis et sanguinis D. N. J. Christi in eucharistia praesentia demonstratur primum verbis promissionis Joan. 6, 48. ss.***

Demonstratio. Praetermisso argumento *indirecto,* quo usi sumus ad demonstrandum numerum septenarium sacramentorum n. 1003. ss., quod etiam invicte dogma catholicum de reali corporis Christi in eucharistia praesentia probat atque derivatur **a.** ex consensu praevertente controversiam cum novatoribus sec. XVI.; **b.** ex consensu ecclesiae graecae[2]) sectarumque Orientis; **c.** ex eo quod non possit assignari

---

[1]) Lege candidam ejus confessionem in *ep. ad argentoratenses:* „Hoc diffiteri non possum, nec volo, quod si Carolostadius aut alius quispiam ante quinquennium mihi persuadere potuisset, in sacramento praeter panem et vinum esse nihil, ille *magno me beneficio* sibi devinctum reddidisset. Gravibus enim curis anxius et in hac discutienda materia multum desudans omnibus nervis extensis me extricare et expedire conatus sum, cum ipse perspiciebam, hac re papatui in primis me valde incommodare posse. Verum ego me captum video, nulla evadendi via relicta est; textus enim Evangelii nimium apertus est et patens, qui facile convelli non potest.“

[2]) Speciminis gratia sit haec declaratio conc. hierosolymitani a. 1672. cap. 17. adversus protestantes edita: „In hujus itaque celebratione sacramenti D. N. J. Christum credimus esse praesentem, non quidem secundum figuram aut imaginem, neque etiam secundum quandam, uti ceteris in sacramentis, gratiae excellentiam, neque secundum simplicem, quam et in baptismo patres nonnulli commemoravere, praesentiam: neque penes conjunctionem, qua proposito eucharistiae pani Verbi divinitas substantialiter uniatur, quemadmodum inscite juxta ac misere lutherani arbitrantur: sed vere realiterque, quatenus panis et vini facta consecratione, transmutetur, transsubstantietur, convertatur, transeat panis quidem in ipsum corpus Domini verum, quod natum est Bethlehem ex semper Virgine, baptizatum in Jordane, passum, sepultum, quod resurrexit, ascendit, sedet a dextris Dei Patris, in coeli denique nubibus adventurum; vinum vero in ipsum Domini sanguinem verum converti ac transsubstantiari, qui ex illo in cruce pendente pro mundi vita defluxit.“

origo recentior dogmati catholico aetate apostolica; **d.** ex defectu missionis sacramentariorum seu eorum, qui illud rejiciunt: jam provocamus primum ad verba Joan. 6, 51. ss., quibus Christus eucharistiae sacramentum promittit. Sane habuit ipse post panum multiplicationem longum ad judaeos sermonem Joan. 6, 26—60. Plerique protestantium contendunt, in eo usque ad finem de eadem re agi, scil. de fide in Christum, seu Christum exhiberi qua panem vitae *per fidem* in ipsum. Catholici vero fere unanimes sermonem duas dividunt in partes, in quarum priori v. 25—48. Christus exhibetur ut panis vitae *per fidem* seu quatenus est fidei objectum: in altera v. 48. vel 51. ss. ut panis vitae per *veram manducationem;* proinde contendunt in hac parte sermonem esse **1.** de eucharistia, et quidem ita **2.** ut clare significetur, Christum carnem suam vere in ea manducandam exhibere.

1031. Sane **1.** negari nequit, *transitum fieri* a v. 51. ad aliud orationis argumentum, neque amplius de Christo pane vitae *per fidem* esse sermonem. Alia enim **a.** occurrit *phraseologia:* verba *manducare, bibere, caro, sanguis,* quibus antea nunquam usus est Christus, modo singulis fere in incisis redeunt; **b.** alius exhibetur in utraque hujus panis dator: v. 32: *Pater meus dat vobis panem de coelo verum;* v. 52: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita;* in altera parte hic panis exhibetur ut dandus *(dabo);* Christus autem jam erat, imo semper erat panis vitae *per fidem.* Ergo in hac parte non est tantum sermo *de fide* in Christum; sed sermo est **2.** *de eucharistia* seu de Christo pane per veram manducationem, ut ostendit **a.** vel *collatio* cum eucharistiae institutione; conferantur enim verba: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita,* cum Luc. 22, 19: *Dedit eis* (panem) *dicens: hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Ostendit **b.** *interpretatio patrum*[1]), et **c.** quod hic panis vitae opponatur manna v. 52. et 59. figurae eucharistiae. Praeterea **d.** in alia hypothesi bene explicari nequit, quare tam sedulo Christus distinguat inter *carnem* et *sanguinem,* inter *manducare* et *bibere.*

1032. Hisce autem verbis **3.** *realis corporis et sanguinis J. Christi praesentia in eucharistia* clare docetur[2]). Sane **a.** ea admitti debet, si

[1]) Ex prioribus sex seculis **1.** nullus adduci potest pater, qui haec verba non intellexerit de eucharistia; **2.** nemo patrum est, qui haec verba, etiamsi ea interpretatus sit de Christo pane per fidem, non intellexerit quoque de *eucharistia,* de qua **3.** conc. ephesinum (Hard. 1, 1290. s.) et nicaenum II. (lib. 4, 370.) illa etiam acceperunt. Nonnisi **4.** occasione haeresis *calixtinorum* (sec. XV.), qui contenderunt sumptionem eucharistiae sub *utraque* specie necessariam esse ad salutem, theologi nonnulli verba Christi interpretati sunt sensu metaphorico, ut adversariis praecipuum pro suo errore eriperent argumentum (lib. 6, 54.). Ceterum **5.** plures doctique protestantium interpretes nobiscum circa hanc assertionem consentiunt; qui vero **6.** dissentiunt, ideo nolunt haec interpretari de eucharistia, ne amplecti cogantur dogma catholicum.

[2]) Verba autem Christi Joan. 6, 51—59. sunt: 51. *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi.* 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum: et*

verba Christi *proprie,* non *metaphorice* sunt accipienda. Atqui sensu proprio sunt accipienda: tum quia hic est praesumendus, nisi contrarium probetur; tum quia sensus metaphoricus est plane absonus. Ex usu enim loquendi penes orientales, dictio *manducare alicujus carnem* metaphorice accepta significat moliri alicui gravem injuriam, praecipue per calumniam[1]. **b.** Judaei verba Christi acceperunt sensu proprio et obvio v. 56. Atqui neque Christus pro more suo eorum correxit interpretationem, neque evangelista Christi verba explicavit, ut tamen alias fecit[2]; Christus potius iterum atque iterum repetendo sua verba, quae sponte sua hunc suggerebant sensum, confirmavit illorum interpretationem; imo diserte enunciat: *Caro mea* **vere** *est cibus et sanguis meus* **vere** *est potus.* **c.** Si verba Christi figurate essent explicanda, sermo ejus revera esset durus, nullatenus pervius, ut probat protestantium conatus in expiscando et determinando sensu metaphorico, quem Christus intenderit. Usus vero talis sermonis conciliari nequit cum Christi indole, et quod maluerit permittere discessum discipulorum, quam explicare sermonem adeo improprium, obscurum, insolitum, quem *non poterant* intelligere. Accedit **d.** pro interpretatione nostra patrum suffragium. Cf. Hilarius pict. l. 8. *de Trinit.* n. 13. ss., qui inter alia n. 16. scribit: „Vivit ergo per Patrem, et quomodo vivit per Patrem, eodem modo nos per carnem ejus vivimus . . . Haec ergo vitae nostrae causa est, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus, victuris nobis per eum ea conditione, qua

---

panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. 53. *Litigabant ergo judaei ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* 54. *Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* 55. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam; et ego resuscitabo eum in novissimo die.* 56. *Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* 57. *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* 58. *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me.* 59. *Hic est panis, qui de coelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.*

[1]) Cf. Ps. 26, 2: *Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas.* Mich. 3, 3: *Qui comederunt carnem populi mei et pellem eorum desuper excoriaverunt;* Gal. 5, 15; Jac. 5, 3. etc. Verba Job 31, 31: *Dixerunt viri tabernaculi mei: quis det de carnibus ejus, ut saturemur,* vel etiam hoc sensu explicari possunt, vel secundum textum hebraicum clarius: Quis reperiet aliquem, qui de victu ejus non sit saturatus? Quod si intelliguntur de flagrantissimo amore, prophetica et typica sunt et spectant hoc ipsum mysterium."

[2]) Cf. Joan. 3, 3. ss.; 4, 32; 11, 11; 8, 21. ss.; Matth. 16, 6. col. Luc. 12, 1. etc. Evangelistae morem testantur, 2, 19. s. et 7, 38. s.

vivit ille per Patrem. Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum vivimus i. e. naturam suae carnis adepti, quomodo non naturaliter secundum Spiritum in se Patrem habet, quo vivat ipse per Patrem?“

1033. **Scholion.** Provocant protestantes **1.** ad verba ib. v. 63: *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam: verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Sed frustra, sensus enim est: Verba Christi non *carnaliter* i. e. secundum naturalem, infirmam sensibusque addictam intelligentiam esse explicanda: animalis enim homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei (1. Cor. 2, 14. et Matth. 16, 17.); sed *spiritaliter* i. e. Spiritus illustratione opus esse ad ea percipienda et credenda, ac nonnisi fide apprehensa ea esse salutaria. Aliis vero videtur Christum significare, carnem suam *per se* et qua talem non posse vivificare; hanc praerogativam ei non competere nisi *ratione spiritus* seu *divinitatis*, cui hypostatice est unita. Gravior **2.** est exceptio, quae petitur ex verbis Augustini *de doctrina christ.* l. 3. c. 16: »Si praeceptiva est locutio aut flagitium aut facinus vetans, aut beneficentiam jubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est. *Nisi manducaveritis*, inquit, *carnem Filii hominis* etc., facinus vel flagitium videtur jubere. *Figura* ergo est praecipiens passioni Domini esse communicandum, et suaviter atque utiliter in memoria recondendum, quod caro ejus pro nobis crucifixa et vulnerata sit.« Verum **1.** his non negari realem corporis Christi in eucharistia praesentiam oralemque ejusdem manducationem, patet ex aliis s. doctoris locis. Eam **2.** vult exclusam manducationem, quae oris comestione tota absolvitur, quae ad altiorem mysterii intelligentiam non assurgit, quae non sit simul signum, symbolum ac velut typus manducationis spiritualis. Sicut vero quodam sensu dici potest, baptismum non esse ablutionem corporis, sed animae emundationem (1. Petri 3, 21.), non ut illa excludatur, sed ut significetur, baptismum in illa non terminari, sed eam ulterius destinari tamquam ad scopum intentum ad emundandam animam: ita et eucharistiae sacramentum non eo continetur, ut manducetur Christi caro more aliorum ciborum, sed in sacramentali consistit refectione, quae dum ore perficitur, internam refectionem significat et efficit. Quod ita clarius significat *serm.* 131. n. 1: »Tunc vita unicuique erit corpus et sanguis Christi, si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur.«

1034. **Thesis CXLIV.** ***Eadem veritas comprobatur verbis institutionis Matth. 26, 26. ss.: Marc. 14, 22. ss. et 1. Cor. 11, 24. s.***

Demonstratio. 1. Dogmatis catholici probatio ex verbis institutionis adeo est plana, simplex et candida, ut vix ad demonstrationis normam exigi possit, quin obscuretur. Ratio enim, quare Ecclesia catholica credit, in eucharistia ipsum esse corpus Christi ejusque sanguinem, est, quia ipse dixit: *Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus* Matth. 26, 26. 28. Planior atque evidentior consonantia inter verba Christi et doctrinam Ecclesiae cogitari nequit: ea enim non est nisi *repetitio* verborum Christi. Sacramentarii vero, ut suam inde ex-

tundant opinionem, vim inferre debent verbis Christi atque in diversissimas abeunt sententias, quas jam ita belle irrisit Lutherus in Apolog. *de coena Domini:* „Doctor Carolostadius ex his sacrosanctis vocabulis: *Hoc est corpus meum,* misere detorquet pronomen *hoc;* Zwinglius autem verbum substantivum *est* macerat; Oecolampadius nomen *corpus* torturae subjicit; alii totum textum excarnificant."

1035. Sane **2.** unica ratio confugiendi ad sensum figuratum, ut etiam candide plures e sacramentariis fatentur, est apparens mysterii impossibilitas. Atqui haec ratio admitti nequit: nam **a.** ea vel semel admissa, lata aperitur via rationalismo: omnia mysteria in discrimen vocantur; neque **b.** credibile est, Christum, qui toties fidem exegit in suam omnipotentiam, apostolos ob defectum fiduciae in eandem increpavit, quique inculcavit Luc. 18, 27: *Quae impossibilia sunt apud homines, possibilia esse apud Deum:* post haec omnia voluisse, ut ejusmodi criterio uterentur apostoli illiterati et rudes, quo de sensu suorum verborum judicarent; neque **c.** credibile est, apostolos tot miraculorum Christi testes, admodum fuisse dispositos ut hoc uterentur criterio; hinc et alias verba Christi figurate accipienda sensu proprio acceperunt. Propter hanc ergo rationem a proprio et obvio non licet recedere sensu.

1036. Sed **3.** omnia exigunt, ut sensus proprius et obvius retineatur. Hic enim **a.** praesumitur, nisi contrarium demonstretur, praesertim si sensus figuratus est plane insolitus; quando autem unquam panis fuit *signum* seu *symbolum* corporis? Exigit **b.** collatio cum verbis promissionis Joan. 6, 52. ss.: hoc enim tradit hic manducandum, quod ibi promittit. Exigunt **c.** ipsa adjuncta et orationis emphasis. Valedicturus enim Christus apostolis, ultima tradebat monita, in primis eucharistiae institutionem memoriae et testamenti instar; quocirca praeter morem a tribus evangelistis et ab apostolo Paulo in ep. ad Corinthios accurate refertur[1]), nil prorsus adjecto, unde colligi possit Christi verba, quod corpus et sanguinem attinet, figurate esse accipienda; verbis vero utitur admodum emphaticis dicens Matth. 26, 28:

[1]) Quod factum non est negligendum. Nam **a.** pauca admodum sunt, quae a tribus evangelistis simul referuntur, et insuper ab apostolo evangelistae instar; quod si **b.** idem referunt, id narrant nonnullis adjectis vel omissis vel aliis verbis. Institutio vero eucharistiae a quatuor refertur et quod attinet panis consecrationem iisdem prorsus verbis; quoad calicis consecrationem cum aliqua varietate bini et bini. Si autem Christi verba metaphorica essent in sensu sacramentariorum, qui factum est, ut nullus eorum vel aliquo modo innuerit hanc metaphoram, ex se obscuram nec perviam? Phaenomenon vere singulare!

τοῦτο γάρ ἐστιν τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν: ubi articulus ter repetitus inculcat identitatem sanguinis ad bibendum exhibiti cum eo, quem Christus pro nobis effudit, quasi diceret: hic est sanguis meus, non symbolicus, sed ille ipse, qui effunditur pro multis in remissionem peccatorum[1]). Praeterea cum a Luca calix dicatur pro nobis effundendus, neque aliud pro nobis Christus effuderit, quam proprium sanguinem, eatenus tantum calix pro nobis effundendus dici poterat, quatenus non vinum, sed sanguinem pro nobis effundendum continebat. Exigit **d.** collatio[2]) cum Exodi 24, 8; Hebr. 9, 20. Utrobique enim instituitur testamentum et sanguine confirmatur: et sanguis quidem, quo instituebatur V. T., typus et figura erat sanguinis, quo confirmandum erat N. T.: utrobique eadem adhibentur verba. Atqui Ex. 24, 8. non est sermo de sanguinis figura. Ergo nec Matth. 26, 27. s.

1037. Confirmatur **4.** sensus catholicus iis, quae Paulus relata eucharistiae institutione subjicit 1. Cor. 11, 27: *Itaque quicunque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Atqui dici non posset communio indigna crimen in *corpus* et *sanguinem Domini* commissum, si panis esset tantum figura corporis Christi, neque realiter adesset ipsum corpus Christi. Sane nunquam dicuntur judaei, qui peccato maculati manducabant agnum paschalem vel manna, rei *corporis* Christi, vel qui profanat baptismi aquam, reus Spiritus sancti; vel qui injuria afficit regis imaginem, reus *corporis* et *sanguinis* regis, sed injuriosus in ipsum regem. Quare concludamus cum s. Cyrillo hieros. *catech. mystag.* 4. n. 1. 2:

---

[1]) Ad varias tricas cavendas advertatur, pronomine *hoc* et *hic* sive substantive sive adjective accipiatur, attentionem dirigi in rem praesentem, quaecunque demum ea sit, quae exhibetur: addita copula *est* mentem suspendi et protendi ad ideam praedicati, quo edicitur, quid sit illud subjectum praesens, quod exhibetur. Completa propositione per praedicatum *corpus meum* enunciari jam distincte, quid illud sit, quod sub visibilibus praesentatur speciebus. Quare facta distinctione inter *significationem* et *demonstrationem,* pronomine *hoc* neque panis, neque Christi corpus distincte significatur; sed praesentia alicujus rei in confuso significatur, sicut particula *ecce;* quod autem monstratur materialiter initio propositionis, est panis in statu *transeunte:* propositione completa est corpus Christi in statu *permanente.*

[2]) Sufficit hos duos locos juxta se ponere, et illico apparet parallelismus et hinc vis argumenti:

Ille (Moyses) *sumptum sanguinem*	*Accipiens calicem gratias egit et dedit illis*
Respersit in populum, et ait:	*dicens: Bibite ex hoc omnes;*
Hic est sanguis foederis,	*Hic est enim sanguis meus*
quod pepigit Dominus vobiscum (Ex. 24, 8.).	*novi Testamenti* (Matth. 26, 27. s.).

Cf. Bellarminus *de euchar.* l. 5. c. 8.

„Cum igitur ipse pronunciaverit et dixerit de pane: *Hoc est corpus meum,* quis deinceps audebit ambigere? et cum ipse asseveraverit et dixerit: *Hic est meus sanguis,* quis unquam dubitaverit, ajens non esse ejus sanguinem? Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, in Cana Galilaeae transmutavit: et eum parum dignum existimabimus, cui credamus, cum vinum in sanguinem transmutavit?"

1038. **Scholion.** Provocant sacramentarii pro suo figmento **1.** ad plurima Scripturae testimonia, quae ex eorum opinione verbis institutionis sunt parallela, et in quibus verbum *esse* significat *repraesentare,* figuram esse, vel quae *metaphorice* sunt accipienda[1]). Verum **a.** si objecta testimonia verbis institutionis sunt vere parallela, unde factum est, ut usque ad sec. XVI. nemo unquam illa explicaverit sensu proprio, sicut explicari solebant verba institutionis? Neque **b.** patres unquam videmus sollicitos sive ut persuadeant fidelibus, credendum omnino esse, Christum sensu proprio esse vitem, petram, ostium etc., neque licere dubitare hac de re, licet sensus contrarium renuncient; sive ut probent omnis generis miraculis possibilitatem talis mutationis, ut eos circa verba institutionis fecisse constat ad convincendos auditores, eucharistiam ipsum esse corpus Christi. Ceterum **c.** ad parallelismum non sufficit, ut idem verbum *quomodocunque* recurrat, sed requiritur, ut de eadem re sit sermo, eadem servetur verborum constructio, eadem sint adjuncta. Jam vero in locis objectis neque est de eadem re sermo, neque eadem sunt adjuncta; et plerisque in locis, si qua figurata est locutio, ea vel explicatur vel ex contextu facillime potest colligi, quod de verbis institutionis nequit affirmari.

1039. Provocant **2.** ad Matth. 26, 29: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Appellat ergo Christus illud, quod dixerat sanguinem suum, iterum *vinum.* Verum **a.** probabile admodum est, verba haec referri ad calicem, quem ante vel post eucharistiae institutionem bibendum porrexerat, ut liquet ex collatione cum Luc. 22, 17. ss. et cum geminis verbis, quae dixerat de agno paschali ib. 15. s. Quod si tamen **b.** ea quis referre velit ad calicem eucharisticum, tunc eo sensu sanguis Christi dicitur genimen vitis i. e. vinum, quo ejus corpus in eucharistia praesens dicitur a patribus, imo et a Paulo 1. Cor. 10, 16., *panis:* scil. ratione *materiae,* ex qua conficitur eucharistia, vel secundum eum loquendi usum, quo nomen conveniens rei ante mutationem retinemus; ita legimus Matth. 11, 5: *Coeci vident, surdi audiunt;* vel ratione *apparentiae* seu specierum, et ratione *analogiae,* quia relate ad animam corpus Christi est, quod panis relate ad corpus: est enim revera cibus coelestis atque plane eximius, dicente Christo Joan. 6, 56: *caro enim mea vere est cibus.* Neque obstat **3.** Christum

[1]) Speciminis gratia sint: Gen. 41, 26: *Septem boves pulchrae et septem spicae plenae* (quas viderat Pharao in somnio) *septem ubertatis anni sunt* (eos significant); 1. Cor. 10, 4: *Petra autem erat Christus* (typus, figura Christi.) — Joan. 15, 1: *Ego sum vitis vera et Pater meus agricola est . . . vos palmites.* — Gen. 17, 10. de circumcisione dicit Deus: *Hoc est pactum meum* (i. e. signum pacti mei); Ex. 12, 11: *Est enim phase* (i. e. transitus Domini, scil. agnus paschalis significat transitum Domini).

eucharistiam reliquisse in sui *memoriam:* neque enim **a.** memoria necessario supponit *absentiam rei,* cujus memores esse decet, cum et Dei praesentis memores esse oporteat; sed **b.** memoria opponitur *oblivioni,* quae oritur non solum ex rei absentia, verum etiam ex rei invisibilitate.

1040. **Thesis CXLV.** ***Realis corporis et sanguinis J. Christi in eucharistia praesentia comprobatur luculento traditionis suffragio.***

Demonstratio. Tot suppetunt splendidissima traditionis testimonia, ut cogamur ea claritatis gratia in varias distribuere classes. *Primum* eos audiemus, qui docent, *eucharistiam multipliciter praefiguratam fuisse* in V. T: inter ejus figuras autem et ipsam tantum interesse, „quantum inter umbram et corpora, inter imaginem et veritatem, inter exemplaria futurorum et ea ipsa, quae per ipsa exemplaria figurabantur," ut loquitur Hieronymus in *ep. ad Tit.* c. 1. Ita Salvianus *adv. avaritiam* (l. 2. n. 6.): „Judaei habebant quondam umbram rerum, nos veritatem; judaei fuerunt servi, nos adoptivi ... Judaeis servus magister missus est, nobis Filius; judaei per mare transierunt ad eremum, nos per baptisma introimus in regnum; judaei manna manducaverunt, nos Christum; judaei carnes avium, nos corpus Dei; judaei pruinam coeli, nos Deum coeli." Ex tanta autem eucharistiae prae suis figuris praestantia ipsum adesse Corpus Christi in illa evidenter colligitur. Si enim panis eucharisticus non secus ac manna figura est corporis Christi et quidem absentis, tantum abest, ut ille praecellat manna sicut corpus umbram, ut hoc potius censendum sit praestare.

1041. Succedunt 2. ejusmodi testimonia, quorum splendor nullis obscurari sophismatibus potest. Speciminis gratia sint haec, quae leguntur in *liturgia* s. Marci, secundum quam populus, postquam sacerdos de eucharistia dixit: „Corpus et sanguis Emmanuelis Dei nostri hoc est vere, amen;" respondet: „Credo, credo, credo et confiteor usque ad ultimum spiritum, quod sit ipsa caro vivifica unigeniti Filii tui, Domini Dei et Salvatoris N. J. Chr. Accepit ipsam ex s. Domina nostra Deipara et semper V. Maria." Huc pertinent illa s. Ignatii M. *ep. ad Smyrn.* n. 7: „Ab eucharistia et oratione abstinent (docetae negantes veram a Dei Filio assumptam fuisse carnem), eo quod non confitentur eucharistiam carnem esse Salvatoris N. J. Chr. eam, quae pro nobis passa est, et quam Pater benignitate sua suscitavit." Macarius Magnes qui floruit ineunte s. IV., ita loquitur (Migne *patrol. lat.* 5, 348.): „Dixit (Christus): *hoc est corpus meum;* non enim figura corporis Christi est, neque figura carnis, ut quidam stupida mente nugati sunt: sed secundum veritatem sanguis et corpus Christi."

1042. Mirantur **3.** patres miracula, quae hoc sacramentum comitantur[1]) ac propterea realem corporis Christi praesentiam evidenter supponunt. Ita Augustinus s. 1. in *Ps.* 33. n. 10. exponens verba 1. Reg. 21, 13. sec. LXX: *Et ferebatur in manibus suis*, scribens: „Hoc vero, fratres, quomodo posset fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum literam, non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait: *Hoc est corpus meum* (Matth. 26, 26.). Ferebat enim illud corpus in manibus suis."

Rationes **4.** quas reddunt institutae eucharistiae, novum sunt argumentum pro dogmate catholico. Eximia sunt, quae docet Gregorius nyss. *or. catech.* c. 37., ubi, postquam advertit, contra venenum sumendum esse antidotum, nos autem gustu cibi vetiti infectos esse veneno peccati, hoc antidotum aperit ita scribens: »Quid hoc ergo est? Nihil aliud quam illud corpus, quod morte potentius ostensum fuit et vitae nostrae fuit initium... Immortale corpus, cum fuerit intra eum, qui sumpsit, totum quoque transmutat in suam naturam (immortalem). Sed non potest fieri, ut quidpiam aliud sit intra corpus (nostrum), nisi per esum et potum visceribus nostris misceatur . . . Dispensatione gratiae seipsum per carnem inserit omnibus fidelibus commixtus corporibus fidelium, quibus ex pane et vino substantia est, et unione cum immortali (corpore) etiam homo particeps fiat incorruptionis. Haec autem dat virtute benedictionis in illud (immortale corpus Christi) transelementans eorum, quae apparent, naturam.«

1043. Plurima **5.** inferunt patres ex eucharistia corollaria, quae evidenter supponunt realem corporis et sanguinis praesentiam. Huc spectant inter alia[2]) quae patres praecipiunt *de summa reverentia*, qua accedendum

---

[1]) In praefatione missae, quae teste Guitmundo (Mig. 149, 1434.) sec. IX. per totum pene orbem latinum adhibebatur, legimus: »Hostia, quae offertur a plurimis, et unum corpus Christi s. Spiritus infusione perficitur. Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur, sed integrum se praebet in singulis.« In praef. missae gothicae fer. 4. post pascha dicitur Christus agnus, »qui nusquam moritur immolatus, sed semper vivit occisus.« In *liturg.* s. Joan. Chrysostomi ad fractionem: »Frangitur et dividitur agnus Dei, Filius Patris, qui frangitur, at non comminuitur; qui semper comeditur et non consumitur, sed eos, qui sunt participes, sanctificat.« Quae in mentem nobis revocant pulcherrima verba s. Andreae ap. tributa in *epist. presbyterorum et diaconorum Achajae* de ejus martyrio, cum jussus idolis sacrificare dixisse fertur: »Omnipotenti Deo ego omni die vivum offero sacrificium... immaculatum agnum quotidie in altari crucis Deo offero, cujus carnes postquam fidelis populus comedit et sanguinem ejus bibit, immolatus agnus integer manet et vivus.«

[2]) Quo sanctius hoc mysterium, eo majorem exigunt patres sanctitatem ab iis, qui eo fruuntur. »Qua ergo puritate, inquit Chrysostomus hom. 82. al. 83. *in Matth.* n. 5., non oporteat eum esse, qui hoc fruitur sacrificio? quibus

sit ad tantum sacramentum. Ita instituit Cyrillus hieros. recens baptizatos *catech. mystag.* 5. n. 22: »Adiens igitur, ne expansis manuum volis, neque disjunctis digitis accede; sed sinistram velut thronum subjiciens dexterae, utpote regem suscepturae, et concava manu suscipe corpus Christi, respondens: *Amen.* Postquam autem caute oculos tuos sancti corporis contactu sanctificaveris, illud percipe, advigilans ne quid ex eo tibi depereat. Quod enim intercidere patieris, id tibi tamquam ex propriis membris deminutum puta. Dic enim, quaeso, si quis tibi auri ramenta dedisset, nonne summa cautione ac diligentia teneres, providus ne quid horum tibi periret, ac damnum paterere? nonne multo cautius ac vigilantius curabis, ne ex eo tibi vel mica intercidat, quod est auro ac gemmis longe pretiosius? Tum vero post communionem corporis Christi accede et ad sanguinis poculum: non extendens manus, sed pronus, et adorationis ac venerationis in modum, dicens *Amen* sanctificeris, ex sanguine Christi quoque sumens. Et cum adhuc labiis tuis adhaeret ex eo mador, manibus attingens, et oculos et frontem et reliquos sensus sanctifica.«

1044. Nil vero efficacius est **6.** ad confirmationem dogmatis catholici errorisque sacramentariorum refutationem quam collatio instituta inter patrum novatorumque doctrinam. Hinc enim patebit consonantia fidei catholicae cum traditione apostolica et omnimoda dissonantia figmenti adversariorum ab eadem.

Conferatur **a.** *loquendi modus.* Si enim quaerimus a sacramentariis, quid sit panis eucharisticus, non solent respondere, eum esse corpus Christi, vel significantius eum esse *ipsum corpus,* proprium corpus, vere corpus Christi, quo tamen responso nil frequentius in liturgiis et apud patres. Ita s. Isaac Magnus syrus serm. *de fide:* »Vidi mixtum craterem ejus (fidei i. e. quem fides porrigit) et pro vino repletum sanguine et pro pane positum ab ea corpus in media mensa (altaris). Vidi sanguinem et expavi: vidi corpus, et stupor apprehendit me. Innuit mihi (fides dicens): Comede et quiesce, bibe puer et ne scruteris . . . Ostendit mihi corpus mactatum, et ponens ex eo in labiis meis placide mihi dixit: Vide, quid comedis. Porrexit mihi calamum Spiritus et postulavit a me, ut manum apponerem: accepi, scripsi et confessus sum: hoc esse Dei corpus; ita deinde etiam calicem accepi et bibi in convivio ejus (fidei), et perculit me ex calice odor ejusdem corporis, quod manducaveram. Et quod de corpore dixeram ipsum

---

radiis solaribus non puriorem manum, quae hanc carnem secat, os repletum igne spirituali, linguam tinctam tremendo sanguine? . . . Quis pastor propriis suis membris nutrit oves? Et quid dicam pastor? Matres saepe sunt, quae post partus dolores tradunt infantes aliis nutricibus. Ipse autem hoc non est passus, sed ipse nos nutrit proprio sanguine et per omnia nos sibi ipsi conjungit.‹ Hinc etiam inferunt gravitatem criminis communionis indignae. Ita Tertullianus *de idolol.* c. 7. redarguens christianos idolorum artifices: ›Zelus fidei ingemit . . . christianum eas manus admovere corpori Domini, quae daemoniis corpora confecerunt . . Semel judaei Christo manus intulerunt; isti quotidie corpus ejus lacessunt; o manus praecidendae.‹ Haec autem et alia multa consectaria, quae praetermittimus, non sequuntur ex jejuna sacramentariorum opinione.

esse Dei corpus, id etiam dixi de calice, hunc esse sanguinem Salvatoris nostri.«

1045. Conferamus **b.** *modum instituendi* catechumenos. Sacramentarii magna sollicitudine et diligentia exempla corradunt, quibus ostendant, rei significatae nomen tribui ipsi signo, ut inde suadeant, potuisse Christum panem utpote corporis sui symbolum appellare corpus suum. Ejusmodi sollicitudinis nullum vestigium apud patres, qui alioquin admodum solliciti erant ne illa Scripturae testimonia, in quibus Deo membra adscribuntur, proprie acciperentur; potius verba Christi inculcant, exigunt ut simpliciter prout sonant accipiantur, ne sensus sequamur, sed firma fide nitamur; scrutationem et dubia de mysterii possibilitate damnant, ad omnipotentiam Dei provocant et undique collectis miraculis illud credibile reddere nituntur (n. 1055.), quae in jejuna hypothesi sacramentariorum fere risum moverent. Quis sacramentariorum unquam ita instituet[1]) fidei christianae candidatos, ut ex. gr. Cyrillus hierosolymitanus *cat. myst.* 4. n. 6: »Nec igitur velut simplici pani et vino attendas; corpus enim et sanguis Christi est secundum Domini asseverationem. Nam etsi tibi illud sensus exhibeat, tamen fides te certum reddat. Ne judices rem ex gustu, sed ex fide indubitanter certus esto, te corpore et sanguine Christi dignatum fuisse.« Secundum sacramentarios **c.** ita panis eucharisticus continet corporis Christi virtutem, ut aqua baptismatis sanguinis Christi efficaciam aut ἐνέργειαν s. Spiritus. Atqui talis secundum patres comparatio non obtinet; nunquam enim dicunt aquam baptismatis esse ipsum Christi sanguinem vel Spiritum s.; quid vero *sit* eucharistia, ita tradunt cum Justino M. († 166. vel 167.) *apol.* I. n. 65: »Neque enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei carofactus Jes. Christus Salvator noster et carnem et sanguinem habuit pro nostra salute, ita etiam illam alimoniam, ex qua sanguis et carnes nostrae per conversionem aluntur, *edocti sumus,* esse incarnati illius Jesu et carnem et sanguinem, postquam

---

[1]) Quis sacramentariorum ita loquetur cum s. Jacobo sarugensi syro serm. 66. *de pass. Domini:* »Ab illo temporis puncto, quo (Jesus) accepit panem et dixit illud corpus suum, non erat panis, sed corpus ejus, et hoc edebant admirantes. Edebant corpus ejus, qui cum ipsis in mensa accubabat, et bibebant sanguinem ejus, cujus simul audiebant vocem doctrinae . . . Corpus suum Dominus noster suis manibus distribuit in mensa. Et quis rebellis sit, ut dicat nunc, non esse corpus? Ipse (Christus) dixit: *Hoc est corpus meum*, et quis verum non fateatur? Si quis hoc non credat verum, non est discipulus apostolatus. Apostoli enim crediderunt et viventem ac secum accumbentem (ad mensam) comederunt.« Vel quis usurpabit haec Chrysostomi hom. 82. al. 83. *in Matth.* verba: »Deo igitur ubique credamus, nec contradicamus, etiamsi quod dicit, rationibus et sensibus nostris contrarium videatur, sed praevaleat ejus verbum nostris rationibus et sensibus. Sic etiam in mysteriis (eucharistia) faciamus, non solum quae sub sensus cadunt respicientes, sed verba ejus tenentes. Verbum quippe ejus infallibile est, sensus vero noster facile decipitur; verbum ejus nunquam excidit, sensus noster in multis fallitur. Cum ergo sermo (divinus) dicat: *Hoc est corpus meum*, obtemperemus et credamus et spiritualibus oculis ipsum respiciamus. Nihil enim sensibus percipiendum Christus nobis tradidit, sed in rebus quidem sensibilibus, omnia vero intelligibilia.«

ea (alimonia) per precem verba ejus continentem facta est eucharistia,« quod allatis institutionis verbis confirmat.

1046. Secundum sacramentarios **d.** verba Christi: *Hoc est corpus meum*, ita sunt exponenda: Hoc est figura (vel signum, symbolum) corporis mei; sed refelluntur iis[1]), quae scribit Joannes damasc. *de fide orthod.* l. 4. c. 13: »Non panis et vinum est figura corporis et sanguinis Christi, absit! sed ipsum corpus Domini divinitate donatum; cum Dominus ipse dixerit, non hoc est figura (τύπος) corporis mei, sed *hoc est corpus meum;* et non figura sanguinis mei, sed *sanguis meus* . . . Attamen (post consecrationem) antitypa futurorum dicuntur, non quasi vere corpus et sanguis Christi non essent, sed quia nunc quidem per ipsa participes sumus divinitatis Christi, tunc vero intellectualiter (νοήτως) per solam visionem (participes erimus).« Si quaerimus **e.** a sacramentariis, quare in eucharistia videantur panis et vini species, respondent, quia panis et vini substantia manet, nulla enim mutatio substantialis locum habet. Alias reddunt majores nostri rationes, quae omnino realem corporis et sanguinis Christi praesentiam supponunt. Ita Lanfrancus *de corpore et sanguine Domini* c. 18: »Credimus terrenas substantias, quae in mensa dominica per sacerdotale ministerium divinitus sanctificantur, ineffabiliter, incomprehensibiliter, mirabiliter operante superna potentia converti in essentiam dominici corporis reservatis ipsorum rerum speciebus et quibusdam aliis qualitatibus, ne percipientes cruda et cruenta horrerent, et ut credentes fidei praemia ampliora perciperent[2]).«

---

[1]) Fatendum tamen est quosdam patres eucharistiam dixisse *figuram, typum, signum corporis Christi.* Verum advertatur: **1.** haec non ita obesse doctrinae catholicae, sicut effata, quae magno numero afferre possemus (cf. *Comp.* III. n. 380), adversantur sacramentariorum errori: neque enim contraria esse possunt iis, quibus patres sexcenties inculcant, eucharistiam esse ipsum Christi corpus, sed amice cum his componi debent. Amice **2.** componuntur, si prae oculis habeatur, quae docet Ecclesia praeeunte revelatione christiana, ita scil. eucharistiam esse corpus Christi, ut tamen simul sit sacramentum, proinde signum, symbolum, forma visibilis invisibilis gratiae, seu in nostro casu corporis non absentis, sed *praesentis* et permanenter sub illo latentis, cum eucharistia sit sacramentum permanens. Hinc **3.** sicut baptismus dici potest ratione ritus externi transeuntis symbolum, signum gratiae regenerationis, quam tamen continet et confert, ita et eucharistia secundum elementum visibile et permanens dici potest symbolum, figura, memoria etc. corporis Christi, quamvis modo propter sacramentarios, qui ejusmodi formulis loquendi abutuntur, consultius sit ab iisdem abstinere. Nunquam vero **4.** patres affirmant sicut sacramentarii, eucharistiam esse *figuram tantum* corporis Christi; nunquam diserte negant eam continere corpus Christi.

[2]) Cf. etiam Germani CP. verba in hom. *de sacramentali corpore D. N. J. Christi* (in edit. Renaudot p. 4. s.), ubi Christum ita loquentem ad discipulos inducit: ›Verborum meorum efficacia omnem panem et vinum in meum sanguinem et corpus transmutabit . . . Neque vero gravis vobis debet aut durus esse communionis sermo. Non enim absterrebimini carnem edentes humanam et sanguinem bibentes sub eadem forma, qua subsistunt et in me sunt, sed tamquam in pane et vino manducabitis. Panis autem et vini apparens veritas veritatem non apparentem corporis et sanguinis continebit: substantia quidem transmutata

1047. Adeo persuasi erant patres 7. de reali corporis et sanguinis J. Christi in eucharistia praesentia, ut hoc dogmate usi sint principii instar indubii, quo contra haereticos alias comprobarent fidei catholicae veritates. Inde enim probat Irenaeus l. 4. c. 18. n. 4. adversus gnosticos, J. Christum esse Filium Creatoris mundi; Hilarius *de Trinitate* l. 8. n. 16. contra arianos Verbi cum Patre consubstantialitatem; Chrysostomus hom. 82. al. 83. *in Matth.* n. 5. adversus plures, Verbum suscepisse carnem nostram; Cyrillus alex. adversus Nestorium l. 4. c. 5. unionem substantialem et hypostaticam naturae humanae cum Verbo: „Quis porro ille est, qui dicit: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo* (Joan. 6, 57.)? Nam si homo quispiam seorsim et non potius ipsum Dei Verbum factum est simile nobis, res ipsa, quae geritur, anthropophagia erit et inutilis omnino illa participatio. Ipsum enim Christum dicentem audio: *Caro non prodest quidquam: Spiritus est qui vivificat* (ib. v. 64.). Quod enim naturam ejus attinet, corruptibilis quidem est caro et nullo modo vivificabit alios, cum intrinsecus corruptionis morbo laborat.“ Adversus macedonianos probat Spiritus sancti divinitatem Isidorus Pelusiota l. 1. *ep.* 109. Libenter vero patres carnis nostrae resurrectionem ex hoc dogmate inferunt. „Quomodo dicunt, ita Irenaeus l. c. adversus gnosticos, carnem in corruptionem devenire et non percipere vitam, quae corpore Domini et sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutent aut abstineant offerendo, quae praedicta sunt. Nostra autem consonans est sententia eucharistiae et eucharistia rursus confirmat sententiam nostram.“ Denique aliis praetermissis Cyrillus al. l. 11. c. 11. *in Joan.* 17, 22. summam membrorum Ecclesiae inter se et cum capite conjunctionem inde illustrat[1]). Cf. infra n. 1054. ss.

---

ut in vobis sacramentum operetur: externa vero forma eadem permanente, ne qua vos haesitatio et horror detinens a communione abducat.“ Cf. plures alios scriptores in annot. *opusc.* XXXVII, 50.

[1]) Ipsi *haeretici* ad hoc provocant dogma, ut suos stabiliant errores. Ita eutychiani, quorum aliquis ita apud Theodoretum *dial.* 2. naturam humanam post Christi ascensionem transiisse in divinam probare nititur: „Sicut symbola dominici corporis et sanguinis alia sunt ante sacerdotis invocationem, post invocationem vero mutantur et alia fiunt: ita dominicum corpus post ascensionem in divinam substantiam mutatum est.“ Quare post tantum antiquitatis consensum licebit concludere cum Durando ab. troarnensi († 1088.) in l. *de corpore et sanguine Domini* p. 2. n. 2. (Mig. 149, 1378.): „Absit, ut tam perversis et a veritate ipsa tam aversis pari jungamur perfidia, atque in sancta dominici corporis et sanguinis communione minus aliquid fateamur, quam catholica per universum orbem praedicat Ecclesia. In qua revera tam vera Christi caro verusque

1048. **Scholion.** Non infitiamur, plura patrum testimonia contra realem Christi in eucharistia praesentiam objici. Cum vero ad singula nec respondere vacet, nec sit necessarium, sufficiat praeter ea, quae adnotavimus n. 126., quaedam statuisse principia, quibus, si non omnia, pleraque saltem explicentur. Cum **1.** nullum sit mysterium, contra quod plura non possint testimonia sat obscura, sat difficilia opponi: immerito omnino exigitur, ut nullum prorsus patrum reperiatur effatum, quod pariat difficultatem; praesertim si ratio habeatur *disciplinae arcani* n. 1025. annot. et quod patres *praesupposita fide* libenter rimentur et sectentur significationes morales et allegoricas. Cum **2.** patrum effata pro reali Christi in eucharistia praesentia fulgeant splendore numeroque careant, imprudenter illa propter pauca atque obscura dicta negliguntur, et haec illis praeferuntur. Neque mirum **3.** si sacramentariis nondum litigantibus patres subinde securius et liberius loquerentur. Loquentes enim in Ecclesia catholica jure merito praesumere poterant, verba sua secundum Ecclesiae fidem aliunde satis cognitam intelligi.

1049. Distinguatur **4.** duplex de rebus loquendi modus: alter innititur phaenomenis, quae sensibus sunt subjecta, et externa rerum specie; alter sequitur scientiae fideique normam: et hic priorem saepe corrigit. Ita secundum speciem stellas parvas, magnas secundum rei veritatem dicimus. Jam vero saepe contingit, ut iidem de eadem re nunc priori, posteriori nunc utantur genere loquendi. Quapropter patres modo sequentes consuetudinem humanam juxta sensuum phaenomena eucharistiam vocabant *panem,* modo juxta fidei lumen hunc loquendi usum corrigentes dicebant, eam esse *ipsum Christi corpus.* Cum vero **5.** sacramentum eucharistiae duplici constet elemento, visibili nimirum, quod speciebus continetur: et invisibili i. e. corpore et sanguine Christi: cumque res composita modo ab uno tantum elemento, modo ab altero, modo ab utroque possit denominari, hinc, *triplici* ratione de eucharistia licet loqui. Ab elemento visibili dici potest *panis, sacramentum, figura, typus* corporis Christi; a re contenta seu ab elemento invisibili *corpus* et *sanguis Christi;* ab utroque *panis coelestis* etc. Si ergo patres eucharistiam quandoque dicunt *signum,* typum, symbolum corporis Christi, praepostere infertur, eos ideo exclusisse rem contentam i. e. corpus Christi: sicut neque ex eo, quod modo catholici eucharistiam dicant *sacramentum* corporis Christi, sacramentum autem sit *signum* rei sacrae, sequitur, eos credere Christi corpus non adesse secundum rei veritatem.

1050. Quod si **6.** patres subinde negent, nos *manducare* corpus Christi, alibi tamen id affirmant. Quae revocantur ad harmoniam, si advertatur *manducationis* nomine plura pauciorave posse comprehendi et intelligi. Si hoc nomine intelligitur trajectio ab ore ad stomachum alicujus cibi vel rei, quae saltem sub specie cibi praebetur, Christi corpus in eucharistia manducamus. Si ea praeterea comprehenditur illius effectus et finis, qui est refectio, vere dicitur, solos *justos,* non vero peccatores, manducare Christi corpus. Quo sensu Augustinus passim loquitur, ut cum *serm.* 131. n. 1. ait: „Illud manducare refici est, et illud bibere quid est nisi vivere?... tunc autem hoc erit, id est, vita unicuique erit corpus et sanguis Christi,

---

sanguis exsistit, *quam verax esse ipse Christus probatur,* qui ea (panem et vinum) prior sanctificavit suisque demum auctoritatem formamque sanctificandi sua potestate concessit“ etc.

si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritaliter manducetur, spiritaliter bibatur.« Si vero manducatio intelligitur *physiologice* cum functionibus solitis attritionis dentium, gustus, digestionis, corporalis nutritionis etc., vere negatur, nos Christi corpus manducare. Tandem **7.** cum alius sit status corporis Christi in eucharistia, alius in coelo, et alius ejusdem fuerit ante resurrectionem, facile intelligitur, quomodo Paschasius sec. IX. docens in eucharistia esse ipsum illud corpus, quod natum est de Maria V., reperire potuerit adversarios vel inter catholicos. Quos bene ad harmoniam revocat Lanfrancus *adv. Berengarium* statuens c. 18: »Vere posse dici et ipsum corpus, quod de Virgine sumptum est, et tamen non ipsum. Ipsum quidem quantum ad *essentiam* veraeque naturae proprietatem atque virtutem; non ipsum autem, si spectes panis vinique *speciem.*«

Articulus II.
De Transubstantiatione.

1051. Catholica doctrina de ss. eucharistiae sacramento non absolvitur professione, corpus et sanguinem Christi post consecrationem vere, realiter atque substantialiter esse sub speciebus panis et vini, sed praeterea ad fidem catholicam spectat[1]) etiam *modus,* quo corpus et sanguis Domini fit praesens: credendum scil. est id fieri *per mirabilem* et singularem *conversionem* totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia aptissime *transubstantiationem* appellat.

1052. **Thesis CXLVI.** ***Tota substantia panis ac vini in eucharistia per consecrationem convertitur in substantiam corporis et sanguinis D. N. J. Christi.***

Declaratio. Ad *conversionis* conceptum requiritur et sufficit, ut **1.** *duplex* sit terminus, unus *a quo,* qui desinit: et alius *ad quem,* qui succedit secundum aliquam entis rationem pro diversitate conversionis diversam; deficiente termino *a quo* habetur *creatio:* deficiente termino *ad quem* habetur *annihilatio,* non vero *conversio;* ut **2.** inter desitionem unius et successionem alterius *nexus* sit et ordo, quo successio exigat prioris desitionem et desitio ordinetur ad successionem: unde non sufficit fortuita successio unius post alterum; **3.** facta distinctione inter terminum *totalem* et *formalem*[2]), conversio sensu stricto exigit,

[1]) Cf. concilii trid. sess. 13. can. 2: »Si quis dixerit, in sacrosancto eucharistiae sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini; quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat, A. S.« Cf. ejusdem sess. cap. 3. 4. et censuram Pii VI. in prop. 29. syn. pistoriensis latam.

[2]) Terminus *formalis a quo* est illa ratio entis, quae cessat: in casu nostro substantia panis et vini; terminus *totalis a quo* est ille terminus, qui mutatur

ut non modo terminus formalis desinat, sed etiam ut id, quod cum eo constituerat terminum totalem a quo, perseveret et cum termino formali ad quem componat unum terminum totalem ad quem. Statuitur thesis contra lutheranos, qui admissa vera realique corporis atque sanguinis J. Christi in eucharistia praesentia, contendunt, una cum corpore et sanguine Christi manere panis vinique substantiam, adeo ut corpus Christi sit *cum, sub, in pane.*

1053. **Demonstratio.** Dogma catholicum probatur **1.** *verbis institutionis,* sive ea *speculative* sive *practice* accipiantur. Si ea accipiantur *speculative,* tunc inter subjectum *hoc* et praedicatum *corpus* affirmatur *identitas substantialis.* Atqui haec affirmari nequit manente panis substantia, quae non est substantialiter idem cum corpore Christi. Quare ut vera sint Christi verba, necesse est, ut cessaverit panis substantia ejusque in locum sub eisdem speciebus successerit Christi corpus seu ut facta sit transubstantiatio. Si vero Christi verba fuerunt *practica,* effecerunt id, quod significant, identitatem scil. substantialem inter praedicatum et subjectum, quae supponit cessasse panis substantiam, ejusque in locum successisse corpus seu factam esse transubstantiationem. Quae illatio confirmatur authentico patrum suffragio, ut mox videbimus, imo vel ex confessione sacramentariorum aliorumque, qui candide fatentur, admitti non posse realem corporis et sanguinis Christi in eucharistia praesentiam vi verborum institutionis, quin admittatur transubstantiatio.

1054. Dogma catholicum probatur 2. evidentissime ex *traditione,* ex liturgiis scil. et patrum effatis[1]). Saepissime enim in illis occur-

---

secundum aliquam entis rationem; in hac conversione ipse panis, scil. illud totum constans ex panis substantia et accidentibus. Terminus *formalis ad quem* est illa ratio entis, quae incipit adesse: in hac conversione corpus et sanguis J. Christi; terminus *totalis ad quem* est ille terminus, qui ex conversione prodit: in nostro casu synthesis ex corpore et sanguine Christi et accidentibus panis atque vini seu ipsum eucharistiae sacramentum.

[1]) Ipsi protestantes candidiores fatentur antiquitatis sensui consonum esse dogma catholicum. Ita Leibnitzius in *systemate theol.* (edit. 2. Raess et Weiss, Moguntiae 1825.) p. 220: „Sed pia antiquitas aperte satis declaravit panem mutari in corpus Christi, vinum in sanguinem: passimque hic veteres agnoscunt μεταστοιχείωσιν, quam latini transubstantiationem recte verterunt, et definitum est, totam substantiam panis et vini mutari in substantiam corporis Christi et sanguinis; et quemadmodum igitur alias, ita hic quoque explicanda est Scriptura ex traditione, quam custos Ecclesia ad nos usque transmisit.“ Grabius in annot. *ad Irenaei* l. 5. n. 2. de Cyrillo hierosol., Nysseno, Damasceno „et aliis fortasse pluribus“ scribit: „Hi quippe persuasi erant, Spiritum s. coelitus descendentem pani non modo virtutem corporis Christi communicare sicque eundem ratione qualitatum mutare, sed et divina potentia ipsam ejus substantiam

runt ejusmodi formulae: ante consecrationem esse panem et vinum, post verba mystica non esse panem et vinum, sed corpus et sanguinem Christi; panem fieri, mutari, transmutari, transelementari, transire etc. in corpus Christi. Ex innumeris testimoniis speciminis gratia sint, quae legimus in liturgia alexandrina s. Gregorii: „Ipse igitur, Domine, tua voce haec proposita transmuta . . . Ipse Spiritum tuum mitte, ut adveniens sancta, bona et gloriosa sua praesentia sanctificet et transmutet proposita et sancta dona ista in ipsum corpus et sanguinem nostrae liberationis."

1055. Cum autem talis mutatio omnem nostrum superet captum ac plane incredibilis videatur, mirum non est, quod patres ad omnis generis miracula provocent, quo eam persuadeant. Ita provocat Ambrosium *de mysteriis* c. 8. (*opusc.* VII, 81. ss.) et auctor op. *de sacramentis* l. 4. c. 4. (*opusc.* XXXVII, 45. ss.) ad plures conversiones stupendas; ad aquam mutatam in vinum occasione nuptiarum in Cana Galilaeae (Joan. 2, 7. s.) Cyrillus hieros. (n. 1037.); ad creationis opus Isidorus hisp. (vel alius auctor antiquus) hom. 5. *de paschate* n. 2: »Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor est muneris, ipse etiam testis est veritatis. Nam invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui verbo suo secreta potestate convertit, ita dicens: *Accipite et comedite, hoc est corpus meum* (Matth. 26, 26.) . . . Ergo ut ad nutum praecipientis Domini repente ex nihilo substiterunt excelsa coelorum, profunda fluctuum, vasta terrarum, pari potentia in spiritualibus sacramentis verbi praecipit virtus et rei servit effectus.« Ad incarnationis mysterium Justinus *apolog.* 1. n. 66. (n. 1046.); ad quotidianas mutationes, quae secundum naturae leges peraguntur, Gaudentius brix. s. 2. *de Exodo:* »Ipse igitur naturarum creator et Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus (quia et potest et promisit) efficit proprium corpus: et qui de aqua vinum fecit, facit et de vino sanguinem suum.«

1056. Succedit *triplex* analogia (sane inadaequata), qua nituntur illustrare mysterium. Provocant scil. ad mutationes quotidianas, quibus semina mutantur in triticum atque adeo in panem, succus terrae in vinum; ad mutationem, qua Christus quotidie comedens panem mutavit in sui corporis substantiam, et ad mutationem, qua virtute naturali cibi vertuntur in carnem et sanguinem[1]).

---

in carnem transmutare, quae Christi caro sit etc.« Quare merito scribit Haymo halberstad. *de corp. et sanguine D.* (Migne 118, 815.): »Substantiam ergo panis et vini, quae super altare ponuntur, fieri corpus Christi et sanguinem per mysterium sacerdotis et gratiarum actionem, Deo hoc operante divina gratia, secreta potestate, *infandissimae dementiae est fidelibus mentibus dubitare.*"

[1]) Hisce in mutationibus non habetur proprie *transsubstantiatio* i. e. mutatio *totius* substantiae, sed tantum *transformatio;* manet enim *materia,* quae ex uno termino transit in alium, mutatur vero *forma,* cui materia illa substat. In nostro vero casu *tota* substantia panis *penitus* cessat, *nihil recipitur elementi instar* in ipsum corpus Christi, ut hoc *constituat.* Neque propterea dici debet *annihilari,*

Ita Joannes Damascenus *de fide orthod.* l. 4. c. 13: „Quamobrem si *sermo Dei vivus est et efficax* (Hebr. 4, 12.); et *omnia quaecunque voluit Dominus fecit* (Ps. 134, 6.) etc.; si coelum et terra, aqua et ignis et aër omnisque eorum ornatus verbo Domini perfecta sunt, quin et hoc nobilissimum animal, quod homo nuncupatur: si denique ipse Deus Verbum pro sua voluntate homo factus est, atque ex sanctae semperque Virginis purissimis et intaminatis sanguinibus ipse sibi nullo semine carnem compegit, cur demum panem corpus, vinum item et aquam sanguinem suum efficiendi potens non sit? In principio dixit: *Producat terra herbam virentem* (Gen. 1, 11.), et ad hanc usque diem, accedente imbre, divino praecepto impulsa et roborata, fetus suos profert; dixit perinde Deus: *Hoc est corpus meum* etc. idque omnipotenti ejus praecepto, donec veniat, efficitur... per invocationem huicce novae segeti imbre superveniente, Spiritus s. nimirum obumbrante virtute . . . Tu nunc quaeris, qui panis fiat corpus Christi, ac vinum et aqua sanguis illius? Ego vero tibi repono, Spiritum s. supervenire et ea facere, quae sermonem conceptumque procul exsuperant[1]."

1057. **Scholion I.** Sicut substantia panis et vini ex constanti lege physica suis subest accidentibus tamquam *subjectum inhaesionis,* tamquam νοούμενον sub suis phaenomenis pro rationis lumine, tamquam *demonstrabile,* quamdiu eadem manent accidentia: mutatio vero specifica accidentium postulet naturaliter et indicet mutationem panis et vini in aliam substantiam respondentem hisce accidentibus mutatis: ita ex constanti lege sacramentali corpus Christi subest accidentibus panis non quidem tamquam inhaesionis subjectum, sed tamquam pars essentialis et praecipua hujus sacramenti tamquam νοούμενον sub hisce sacramentalibus phaenomenis pro lumine fidei, tamquam demonstrabile,

---

nam annihilationis terminus est *purum nihil;* panis autem cessat, non ut sit nihil: sed ejus desitio ad hoc dirigitur, ut sit aliquid, scil. corpus Christi.

[1]) Patres subinde mutationem, quae in eucharistia locum habet, illustrant mutationibus tantum accidentalibus, qualis ea est ex gr., qua aqua baptismi vel chrisma invocatione s. Spiritus fit sacrum et sanctificans, vel qua homo gratia mutatur in angelum etc. Verum **a.** *raro* ejusmodi comparationem instituunt, est enim **b.** admodum *inadaequata;* adest siquidem **c.** similitudo tantum in *genere,* non vero in *specie* mutationis: in eucharistia enim ea est *substantialis,* in aliis casibus tantum *accidentalis:* quod **d.** patres clare docent, cum mutationis eucharisticae terminum semper dicant esse *ipsum corpus Christi,* aliis vero mutationibus assignant terminum accidentalem: nunquam enim dicunt aquam vel chrisma fieri ipsum Spiritum s., sed aliquid sacrum. Quid clarius verbis Cyrilli *catech. mystag.* 3. n. 3: „Sicut panis eucharistiae post invocationem sancti Spiritus non est communis panis, sed *corpus Christi:* ita et sanctum istud unguentum non amplius nudum, neque, si quis ita appellare maluerit, commune unguentum est: sed *charisma* Christi et Spiritus sancti, praesentia ipsius Deitatis factum efficax." Quod si patres dicunt hominem fieri *angelum,* propositio est evidenter *metaphorica,* ad cujus veritatem sufficit mutatio *accidentalis:* hinc nunquam patres ad hanc mutationem suadendam provocant ad ea miracula, quibus utuntur ad comprobandum dogma catholicum.

quamdiu manent eadem accidentia. Mutatis vero specifice accidentibus ex constanti lege postulatur, ut non sit amplius sub illis corpus Christi, sed substantia respondens hisce mutatis accidentibus, quae proinde ad exigentiam accidentium substituitur. Neque tamen ideo corpus Christi potest dici conversum in aliam substantiam, quia non simpliciter desinit, sed tantum desinit esse sub his speciebus.

1058. **Scholion II.** *Corpus et sanguis Christi ipsis verbis evangelicis, quibus Salvator in ultima coena sacramentum instituit, realiter ac substantialiter praesens fit.* Hoc statuimus contra graecos schismaticos recentiores, qui contendunt invocationi Spiritus s. super dona proposita ἐπίκλησις dictae, quae in liturgiis Orientis et in nonnullis Occidentis occurrit, tribuendam esse vim efficiendi transubstantiationem. Assertio quidem nostra non est de fide, tamen fidei proxima dici potest. Quare Eugenius IV. in *decreto pro jacobitis* et in *instruct. pro armenis* docet: „Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit sacramentum.“ Suffragatur conc. trid. sess. 13. cap. 3. et Pius VII. in brevi ad patriarcham melchitarum 8. Maji 1822. prohibet sententiam, verba consecrationis non sufficere, sed ad perfectam consummatamque consecrationem addi oportere eam precum formulam, quae verba memorata apud occidentales praecurrit, in orientali liturgia subsequitur.

1059. Probatur 1. sat efficaciter ex divinis literis. Dubitari enim nequit, scriptores sacros voluisse eucharistiae institutionem ea referre plenitudine, ut nil eorum omitterent, quae Dominus ad realem praesentiam significandam et efficiendam dixit. Atqui praeter institutionis verba nil omnino aliud referunt dictum a Christo, quod pertineat ad illam significandam et efficiendam. Quare his eam effecisse censendus est. Quod 2. magno consensu docent etiam patres.

Ita Ambrosius *de mysteriis* c. 9. n. 52: „Si tantum valuit humana benedictio (in miraculis, quae retulerat ex V. T.), ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi ipsa verba Salvatoris operantur? Nam sacramenti istud, quod accipis, Christi sermone conficitur;“ Isidorus hispal. l. supr. n. 1055. c.: „Quando benedicendae verbis coelestibus creaturae sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione summi nominis consecrentur, substantia illic est panis et vini: post verba autem Christi, corpus et sanguis est Christi. Quid autem mirum est, si ea, quae verbo potuit creare, verbo possit creata convertere? Imo jam minoris videtur esse miraculi, si id, quod ex nihilo agnoscitur condidisse, jam conditum in melius valeat commutare.“ Joannes Darensis, monophysita sec. VIII., explicans verba consecrationis ita scribit[1]): „Incipit qui sacerdotio fungitur

[1]) Apud P. de Benedictis *in antirrhet.* 2. cap. 11. op. s. Ephraemi syr. lat. t. 2. p. 48. Cf. Justinus n. 1046; Germanus CP. annot. ad n. 1047; Damascenus n. 1056.

et repetit preces deificas, nempe efficientes corpus et sanguinem Dei. Sunt autem preces deificae illae ab hierarchis laudatae et in mysticis ministeriis positae juxta Evangelium et Apostolum; illud (Evangelium) enim dicit: *accepit Jesus panem et benedixit,* cum iis quae sequuntur; hic (Apostolus) autem: *Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem et dixit: hoc est corpus meum.«* Accedit **3.** consensus graecorum cum latinis in conc. florentino. Bessarion enim, archiep. nicaenus, reliquorum nomine solemniter professus est (ap. Mansi *coll. conc.* 31, 1045. s.): »Quoniam ab omnibus ss. doctoribus Ecclesiae, praesertim ab illo bb. Joan. Chrysostomo, qui nobis notissimus est, audimus, verba dominica esse illa, quae mutant et transubstantiant panem et vinum in corpus verum Christi et sanguinem: et quod illa verba divina Salvatoris omnem virtutem transubstantiationis habent, nos ipsum ss. doctorem et illius sententiam sequimur de necessitate [1]).«

Articulus III.

De praesentia sacramentali.

1060. **Thesis CXLVII.** ***Totus Christus sub utravis specie et sub qualibet utriusque speciei parte praesens est.***

Demonstratio. Doctrina catholica de praesentia sacramentali ita proponitur a concilio tridentino sess. 13. cap. 3: „Semper haec fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate exsistere; sed corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis et concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur: Divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum

---

[1]) Difficultas inde oritur, quod in omnibus fere liturgiis Orientis et quibusdam etiam missis Occidentis (gothicis scil. et mozarabicis) post verba evangelica consecrationis sequatur invocatio Spiritus s. (n. 1054.). Sed advertatur **a.** totam eam partem sacrae liturgiae, quae a latinis *actio, canon,* a graecis ἀναφορά dicitur, ut unam considerandam esse actionem sacrificialem. Ideo autem **b.** plura verba diversosque adhiberi ritus, ut sacramenti et sacrificii finis et fructus distinctius uberiusque declaretur et ut excitetur congruentior animi devotio. Quocirca **c.** verba, quatenus pertinent ad distinctiorem declarationem, intelligi debent non pro tempore, quo dicuntur, sed pro tempore, pro quo dicuntur. Operatio scil. Spiritus s. non est successiva et per partes, sed tota simul: ejus autem declaratio precibus et verbis fieri nequit nisi successive. Pertinet praeterea **d.** haec invocatio s. Spiritus non ad efficiendam praesentiam corporis Christi, sed ad obtinendum fructum in corpore Christi mystico. Ita oramus in liturgia romana, ut eucharistia fiat *nobis* corpus et sanguis Christi.

est, tantundem sub alterutra specie atque sub utraque contineri, totus enim et integer Christus sub panis specie et sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie et sub ejus partibus exsistit." Quibus affirmatur **1.** vi verborum exsistere solum corpus sub specie panis, et solum sanguinem sub specie vini. Sane id vi verborum Christi exsistit sub speciebus, quod verba significant. Haec vero significant tantum corpus et sanguinem. Alia **2.** adesse *per concomitantiam* probat ratio a concilio allata. Hinc **3.** sponte sua consequitur, *totum Christum* adesse sub quavis specie, quod haud obscure significatur Joan. 6, 58: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me;* quod clarius docent patres et profitentur fideles, secundum quos idem est suscipere eucharistiam et suscipere Christum; corpus Christi esse in eucharistia, et ipsum Christum esse in ea, ut patet ex textibus hactenus allatis.

1061. Christum exsistere **4.** sub quavis speciei parte divisione facta ita evincitur: Fractione et divisione facta aut Christus desinit esse sub particulis ab invicem divisis; aut est sub una tantum, non sub aliis; aut partim est sub una, partim sub alia; aut totus est sub particulis singulis. Atqui *primum* et *alterum* affirmari nequit, ut probatur ex facto Christi, qui probabiliter panem eucharisticum post consecrationem divisit: certo vero calicem post consecrationem apostoli inter se diviserunt; confirmatur quoque Ecclesiae universalis praxi frangendi hostiam consecratam et distribuendi particulas tam panis eucharistici quam calicis inter fideles, quod certissime non fieret, si fractione periret consecratio. *Tertium* statuere est absurdum, cum adversetur statui glorioso corporis Christi. Reliquum ergo est *quartum,* Christum esse sub quolibet fragmento facta divisione; quod confirmatur practica fidelium persuasione, qui eucharistiae particulas sumentes et de eodem bibentes calice credebant, se totum, quod eucharistia continet, accipere. Christum vero **5.** exsistere jam *ante separationem* non solum totum in toto, sed etiam totum in singulis speciei partibus, licet de fide non sit[1]), magno consensu theologi tuentur, quorum ratio praecipua petitur ex dictis. Ostendimus enim Christum separatione facta esse sub singulis speciei partibus. Atqui hujus replicatae praesentiae causa esse nequit fractio, quae ad tantum effectum producendum non est instituta. Reliquum ergo est, ut Christus jam ante divisionem exsistat sub singulis speciei partibus.

---

[1]) Canon enim tridentinus 3. sess. 13. ita sonat: „Si quis negaverit, in vener. sacramento eucharistiae sub unaquaque specie et sub singulis ejusque speciei partibus *separatione facta* totum Christum contineri, A. S." In cap. tamen 3. ejusdem sessionis omittitur illa restrictio *separatione facta.*

1062. **Scholion.** Cum corpus Christi hoc in sacramento supernaturaliter exsistat prorsusque sit gloriosum, censeri illud nequit subjectum, cui accidentia inhaereant: proinde in eucharistia haec accidentia sunt *sine subjecto.* Quam ob rem damnatus fuit a Martino V. art. 2. Wicleffi: »Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem sacramento.« Quod si hujus miraculi explicatio aliqua exigitur, variae excogitatae fuere hypotheses. Sunt enim qui doceant, species, quas accidentia vocamus, objectiva carere realitate, nec esse nisi substantiae in sensus nostros operationes: quas Deus in eucharistia, transubstantiatione facta, omnipotentia sua supplet. Plurimis vero theologis haec sententia displicet; censent enim species sacramentales esse aliquid objectivum, physicum remanens ex pane et vino, quorum substantia cessavit. Quod probatur tum ex loquendi ratione patrum, qui disserentes de eucharistia distinguunt inter elementum invisibile, quod est corpus Christi, et visibile, quod vocant rem terrenam, qualitatem, naturam (sensibilem) panis etc., quae loquendi ratio ostendit, eos accidentium nomine intellexisse aliquid physicum, a parte rei et objective exsistens; tum ex consensu magistrorum scholae. Omnes enim consenserunt in objectivam accidentium panis et vini realitatem, licet dissensus aliquis esset de propria eorum ratione: quod adeo verum est, ut plerique theologi graviores post conc. constantiense et tridentinum, hanc sententiam dicant ad fidem pertinere, et catechismus trid. p. 2. c. 4. n. 25. 44. eam statuat fidelibus omnino esse declarandam a pastoribus.

1063. Qua sententia posita haud incongrue accidentium permanentiam absque subjecto ita explicare licet: Resistentia est in instanti promanationis quidam impetus et vis realis (non solum quaedam ἐνέργεια, sed quoddam ἐνέργημα), quae ex sese postulat inesse substantiae et ideo vocatur accidens, ens entis. Substantia, quae subjecti instar subest, hanc vim uniformiter et continuo emittit, atque ideo resistentia videtur continua. Jam vero Deus per suam infinitam virtutem conservare potest in esse accidens subtracta substantia. Quod si Deus resistentiam conservat, patet phaenomena, quorum radix proxima est resistentia, eodem manere modo ac si substantia panis adesset. Manet scil. extensio in spatio, quantitas visibilis, raritas vel densitas, reflexio lucis et soni, titillatio fibrarum in sensu gustus, gravitas, mutationes quoad calorem etc. Corpora vero circumstantia non solum eodem modo afficientur ab illis accidentibus sicut prius, sed etiam eodem modo in illa agent ac si adhuc eisdem subesset substantia panis et vini; poterunt proinde illa modificare, immutare, imo et corrumpere, ut non amplius sint panis et vini species: quo posito desinent esse species sacramentales, cessabitque praesentia corporis et sanguinis sub illis; ut vero specierum naturali exigentiae inhaerendi substantiae sibi congruae satisfiat, ejusmodi substantia divinitus illis substituitur. Hinc liquet, qua ratione species nutriant: nutriunt enim vi hujus substantiae substitutae.

1064. **Corollarium.** Exsistendi ratio corporis Christi in eucharistia est prorsus supernaturalis et accedit ad exsistendi rationem spirituum. Differt enim sacramentalis exsistendi ratio corporis Christi ab exsistendi ratione naturali: nam ea non est circumscriptiva (n. 445.), totum enim Christi corpus est in quolibet fragmento, et quamvis conjuncta sit cum extensione ex parte subjecti, quae aliquo modo absolute est divisibilis (posset enim

corpus adesse v. gr. sine manu, in quo differt a substantia spirituali), nihilominus tamen per comparationem ad spatium praesentia sacramentalis non est divisibilis. Quare corpus Christi non est in eucharistia sicut in loco, si hac locutione intelligitur praesentia *circumscriptiva;* est tamen in loco, quatenus realiter et substantialiter hic est. Item non est in eucharistia *definitive,* si hoc nomine intelligitur definitio ad unum locum, ita ut non sit etiam alibi.

1065. *Praesentia corporis et sanguinis Christi in eucharistia non est alligata usui tantum, sed consecratione peracta tamdiu durat, quamdiu species consecratae manent.* Quae assertio est *de fide,* ut patet ex concilii trid. sess. 13. can. 4: „Si quis dixerit, peracta consecratione in admirabili eucharistiae sacramento non esse corpus et sanguinem D. N. J. Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post: et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt, non remanere corpus Domini, A. S." Ea statuitur adversus lutheranos, qui idcirco maxime praesentiam Christi in eucharistia extra usum negant, ut eo facilius omnem hujus ss. sacramenti rejicere possint cultum.

Praecipua argumenta paucis complexus est Leibnitius in suo *systemate theologico* (ed. cit. p. 224.) scribens: »Certum est, antiquitatem tradidisse, ipsa consecratione fieri conversionem, quemadmodum apparet ex verbis Ambrosii paulo ante allatis (n. 1059.): neque unquam veteribus auditum est novum quorundam dogma, quod in momento perceptionis demum adsit corpus Christi. Certum enim est, nonnullos sacrum hunc cibum non statim consumpsisse, sed aliis misisse, et secum domum, imo in itinera, in deserta tulisse, eumque morem aliquando fuisse commendatum, quamquam postea abrogatus sit majoris reverentiae causa. Et profecto aut falsa sunt, quae a sacerdote pronunciantur, verba institutionis, quod absit, aut necesse est, quod benedictum est, esse corpus Christi, etiam antequam manducetur. Ut taceam, qui sic sentiunt, in tricas incidere, utrum in labiis aut in ore aut in gula, aut in stomacho primum incipiat, an ne in hoc quidem, si vitio ejus symbola non consumantur.«

Articulus IV.

Dogma catholicum de augustissimo eucharistiae mysterio secundum rationis lumen consideratum.

1066. Distinguatur **1.** inter rationem *mere humanam* sibique permissam et rationem, quam dicere possumus *christianam,* quae revelationis scil. lumine imbuitur et juvatur: ostendimus enim multum luminis ex revelatione redundare in rationem (cf. n. 395.). Jam vero **2.** rationi *christianae* neque *incredibile* dogma catholicum, neque *probabilis* videri potest opinio adeo jejuna sacramentariorum, si illud scil. consideret in lumine earum veritatum, quas fides nos docet **a.** de *omnipotentia* Dei, cui possibilia, quae apud homines impossibilia sunt;

b. de *liberalitate* Dei, qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro omnibus tradidit illum (Rom. 8, 32.); c. de *sapientia* Dei, qui per ea, quae judaeis scandalum, graecis stultitia videntur, constituit salvos facere credentes (1. Cor. 1, 21. s.); d. de *amore* Christi, qui cum dilexisset suos, in finem dilexit eos (Joan. 13, 1.), cujus dilectionis pignus reliquit eucharistiam; e. de *mysteriis* ss. Trinitatis, incarnationis aliisque operibus divinis: majus enim prodigium est, quod Deus fiat homo et humana indutus forma agat et patiatur humana, quam quod panis fiat caro, et caro sub panis specie tribuatur in coelestem alimoniam fidelium; f. de *summa* hominis *dignitate,* ad quam per gratiam elevatur (n. 933. ss.).

1067. Quod autem 3. attinet rationem *mere naturalem,* in primis tenendum est, *injuria eam exigere, ut demonstretur, mysterium hoc evidenter esse possibile.* Qui enim hoc exigit, supponit vel a. nullam esse veritatem nullamque rem, quae mentis finitae innumeris erroribus obnoxiae captum excedat, quod prorsus falsum (n. 3. s.); vel b. nos nil posse aut debere admittere, quod non appareat evidenter possibile, quod adversatur sensui communi, nedum christiano; vel c. Deum nil posse revelare aut facere, quod superet hominis captum, quin ejus possibilitatem evidenter manifestet, quod plane arrogans. *Neque* vicissim 4. *ratio demonstrare potest hujus mysterii repugnantiam* sive impossibilitatem. Neque enim vera demonstratio ea dici potest, quae per XVIII secula innumeros viros doctos aeque ac sanctos, veritatis ex corde studiosos omnisque erroris acerrimos hostes in sua nullatenus commovit persuasione. Ejusmodi vero est decantata demonstratio impossibilitatis hujus mysterii. Quare 5. cum nec evidens sit possibilitas, neque ejusdem impossibilitas, non *poterit a priori,* sed *debet a posteriori* scil. ex revelatione, si qua est, dirimi quaestio, quid de hoc mysterio sit tenendum. Atqui, ut vidimus toto art. 1., dogma catholicum clare continetur revelationis deposito.

1068. Sed nonne 6. eucharistiae mysterium *evidenter* repugnare videtur? Nam repugnat a. adesse Christi corpus sub speciebus panis ad modum spiritus et citra actualem coextensionem ad spatium; b. illud idem corpus adesse simul tot diversis in locis; c. cessare panis et vini substantiam remanentibus tamen absque inhaesionis subjecto eorum accidentibus. Verum 7. argumentum ex hisce petitum capitibus peccat a. *idearum confusione,* confundi enim solet in hisce urgendis impossibilitas rei cum ejusdem incomprehensibilitate; b. *temeritate,* supponunt enim adversarii, se comprehendere penitus omnipotentiam Dei atque accurate nosse, quid possit; c. *arrogantia,* cum adversarii sibi vindicent cognitionem essentiae corporum perfectam, de qua tamen

dissident philosophi sagacissimi. Peccat **d.** contra *regulas logicae,* quatenus praesens rerum ordo pro unico possibili habetur.

Advertatur igitur **8.** judicia nostra de corporibus distinguenda esse in judicia ordinis *physici,* quae innituntur constanti experientiae: et in judicia ordinis *metaphysici,* quae pendent ab evidenti cognitione essentiae corporum. Haec sunt *absolute* vera et immutabilia, priora certa *hypothetice,* quamdiu scil. leges physicae perseverant. Quare qui de corporibus judicat secundum leges physicas, supposita earum suspensione, manifesto praepostere judicat. Jam vero **9.** repugnantiae illae fundantur in *constantia legum physicarum,* nullatenus vero probari potest, eas fundari in ipsa corporum *essentia.* Inferri ergo tantum poterit, eas vigere pro praesenti, non autem pro *omni* rerum ordine; eucharistia autem ad alium pertinet rerum ordinem, qui est supernaturalis et in quo aliae vigent leges: neque Christi corpus modo naturalis est conditionis, sed in statu summae glorificationis.

1069. Haud inopportunum erit **10.** distinguere **a.** inter corporis *essentiam* et *praesentiam;* **b.** inter extensionem *subjectivam,* organicam, intrinsecam et extensionem *extrinsecam,* situalem, localem in ordine ad spatium: illa continetur pluralitate partium, quae *re* ab invicem distinguuntur, mutuo ab invicem pendent (saltem in corpore organico) et aptitudinem exigentiamque habent, ut in ordine ad spatium dispositione locali respondente suae naturae una sit extra aliam. Quare si corpus suae permittitur naturae, partes sunt extra partes in ordine ad spatium: unde exsurgit altera extensio, quam extrinsecam, localem, situalem diximus, quae prioris est velut effectus secundum leges physicas necessario ex illa resultans et dimanans: qui tamen a Deo, cui omnis obnoxia est natura creata, suspendi poterit, quo suspenso corpus quamvis in se extensum hanc suam extensionem non exseret in ordine ad spatium. Proinde poterit Deus omnipotentia sua efficere, ut unum idemque corpus praeter consuetas leges suam exhibeat praesentiam distinctis in locis[1]).

1070. Exceptionem aliam proponit Scotus: „In sacramento veritatis nil decet esse falsum. At si substantia panis desit, erit falsitas in accidentibus; accidentia enim externa sunt naturalia signa internae substantiae;

---

[1]) Ad difficultatem ex multilocatione corporis Christi petitam respondere jam nititur Guitmundus l. 1. *de veritate euch.* adv. Berengarium (*opusc.* XXXVIII, 27.): ‚Si igitur potest Christus efficere, sicut diximus, ut unaquaeque separata particula sit totum Christi corpus, et tamen omnes separatae non plura sint corpora sed unum corpus, quemadmodum vox mille hominum percutit aures, et apud unumquemque una est, nec tamen plures dicuntur sed una sola, et quemadmodum tota anima mille corporis humani replet particulas, et cum se totam praebeat singulis, non plures tamen sed una est anima; ita jam nulla ratio propter hujuscemodi quasi partitiones obstare videtur, ut non possit, aut velle non debeat Christus panem et vinum, sicut ipse docet et Ecclesia credidit, transferre in corpus et sanguinem suum.‘

unde etiam per ea a posteriori indagatur a philosophis substantia.« Verum advertatur **1.** sensus in hoc mysterio proprie non decipi: sensuum enim est referre *phaenomena*, non vero de horum subjecto vel causa judicare. Atqui eadem manent phaenomena iu eucharistia. Idem ergo sensus referre debent transubstantiatione facta: proinde ex hac parte nulla falsitas. Quamvis vero **2.** ratio sponte sua ex sensuum relationibus concludat ad subjectum vel substantiam correspondentem, in praesenti tamen mysterio, quominus ita judicet, fide praevenitur, ac proinde ab errore praeservatur. Quod vero **3.** eos attinet, qui panem eucharisticum vident, quin sciant illius consecrationem, ad summum dici potest, Deum permittere illorum errorem, sicut eum permisit quoad multos, qui videntes Christum puerum, eum purum judicabant hominem: Deus enim non tenetur omnem impedire errorem. Neque **4.** illorum judicia *necessario* sunt erronea, cum judiciorum, quae experientiae innituntur, certitudo supponat hypothesim, leges naturales fuisse servatas; qua tacite supposita (quam quidem plerumque negligimus, cum nulla adsit vel appareat suspicandi ratio, suspensas fuisse hoc in casu leges naturae) judicia circa eucharistiam ab errore sunt immunia.

1071. **Scholion.** Quod attinet *loquendi regulas* circa hoc mysterium servandas **1.** generatim adverti debet, illam loquendi rationem diligenter esse servandam, quam sancivit *Ecclesia* sive solemnibus declarationibus sive ipso usu, et quam commendat veneranda patrum auctoritas: nec facile esse usurpandas formulas, quae quamvis absolute sint verae, propter abusum tamen haereticorum redditae sunt suspectae, vel propter non usum sunt novae et insolitae, vel propter ambiguitatem errori possunt dare occasionem. Eo ipso **2.** quod *modus* tantum *exsistendi* Christi in eucharistia sit alius, sequitur nomina substantiva et adjectiva, quae ab exsistendi modo praescindunt, aequaliter posse de Christo sive in sacramento sive extra illud praedicari: non vero illa, quae *modum exsistendi naturalem* respectu loci adsignificant. Quare licet de Christo in eucharistia dicere, eum esse hominem, omnipotentem etc., non vero ipsum stare, jacere, hunc illumve habere situm. **3.** Verba, quae significant praesentiam corporis Domini in eucharistia abstrahendo a modo exsistendi in loco, simpliciter affirmari possunt. Hinc dicere licet, corpus Christi esse, manere, contineri in eucharistiae sacramento.

1072. Spectatis **4.** speciebus, quibus corpus Christi substat (sed non per modum subjecti sustentationis), per accidens quidem, vere tamen minimeque figurate de ipso verba enunciantur motum localem significantia ratione unionis cum accidentibus, quae moventur. Nullatenus vero **5.** de Christi corpore affirmari possunt vocabula, quae mutationes alias effectionesque specierum significant: neque enim ipsum subjectum est, cui species inhaereant; quocirca dicere vetamur, corpus Christi in eucharistia esse rotundum, album. Adhiberi tamen **6.** figurate licet de Christi corpore vocabula, quae habitum relationemque exprimunt ad sensus videndi tangendique. Cum enim eucharistiae sacramentum sit unum compositum, in quo corpus Christi subjecti, et species se habent phaenomenorum instar, quibus illud fidei oculis exhibetur et manifestatur: ideo quae fiunt circa accidentia panis, praecise ut manifestant praesens (sub forma tamen cibi) Christi corpus, de hoc enunciantur: et subinde propter rationes polemicas etiam enunciari

debent. Harum enim locutionum sensus est, substantiam, quae accidentibus subest ut objecto immediato visus, tactus, fractionis, et quae cum hisce accidentibus unum constituit sacramentum, non esse aliam quam ipsum Christi corpus. Denique 7. cum unum corpus pluribus in locis praesens unum esse substantiale, multiplex vero esse habeat locale: ideo quae consequuntur τὸ esse *locale,* multiplicari, imo et contraria esse possunt: non vero ea, quae consequuntur τὸ esse *substantiale.* Quocirca de corpore Christi dicere possumus simul, illud adesse et abesse, moveri et quiescere etc. Cf. n. 1050. s. et 1064.

Articulus V.

De eucharistiae effectibus aliisque doctrinae capitibus, quae dogma catholicum de reali corporis et sanguinis Christi in eucharistia praesentia consequuntur.

1073. De effectu eucharistiae tenendum est **1.** contra Lutherum et Calvinum, quod statuit conc. tridentinum sess. 13. cap. 7. et can. 5: „Si quis dixerit, vel praecipuum fructum ss. eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, A. S." Hoc enim patet ex praxi Ecclesiae, quae eucharistiam peccatoribus gravium criminum reis non ante solebat dare, quam baptismo vel poenitentia peccatorum veniam obtinuissent. Hinc inter missarum solemnia vox illa diaconi: *Exite catechumeni, poenitentes, indigni!* hinc et illa altera ante eucharistiae distributionem in liturgia graecorum: *Sancta sanctis.* Huc spectant gravissimae s. Cypriani de nimia quorundam erga lapsos facilitate ep. 9. n. 2. querelae: „Nondum poenitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manus eis ab episcopo et clero imposita, eucharistia illis datur, cum scriptum sit (1. Cor. 11, 27.): *Qui ederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Accedit ratio ex sacramenti natura petita; institutum enim est per modum cibi dicente Christo Joan. 6, 56: *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus.* Cibus autem praesupponit vitam, nec datur ad vitam communicandam, sed ad hanc conservandam roborandamque. Ideoque Christus de hujus sacramenti disserens fructu, eum significat verbis, *non morietur, vivet in aeternum,* quibus non vitae inchoatio, sed in ea perseverantia exprimitur. Quare si liturgiae et patres peccatorum remissionem inter eucharistiae numerant effectus, intelligi eorum verba debent vel de sacrificio eucharistico, vel de consumptione concupiscentiae et praeservatione a peccatis, vel de remissione peccatorum quotidianorum i. e. venialium.

1074. Eucharistia ergo **2.** non confert gratiam *primam,* sed gratiae *augmentum.* Ut autem in particulari proprios quosdam hujus sacramenti recenseamus effectus, cum Eugenio IV. in *instruct. pro armenis* affirmare

licet: „Omnem effectum, quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando et delectando, sacramentum hoc quoad vitam operari spiritualem.“ Nominatim ergo hujus sacramenti est vitam conservare spiritualem: nam *qui manducat hunc panem, vivet et aeternum* Joan. 6, 59. Conservat autem praeservando a peccatis mortalibus: praeservat vero augendo gratiam gratum facientem ideoque et gratiarum auxilia, infundendo delectationem spiritualem, unde minuitur cupiditas carnalis, et fugando daemones[1]). Verum non solum conservat vitam spiritualem, sed et illam promovet perficiendo lineamenta illa Christi, quae vi regenerationis contraximus (n. 993.), secundum praeclara Augustini verba *Confess.* l. 7. c. 10: „Cibus sum grandium, cresce et manducabis me: nec tu me in te mutabis, sicut cibus carnis tuae, sed tu mutaberis in me[2]).“ Cum autem hoc sacramentum ordinetur ad intimam unionem animae cum Deo, peccata venialia, quae unionis perfectioni obsunt, delet ex opere operato, supposita ea dispositione, quae sit sufficiens quidem ad auferendum obicem, non vero ad ipsam remissionem venialium impetrandam. Cum autem poenae temporales adhuc luendae ob peccata remissa perfectioni caritatis non obsint, nec alia adsint argumenta, ex quibus concludere possimus, harum poenarum remissionem effectum esse sacramenti: eas non ex opere operato, sed solum indirecte ex opere operantis remitti censemus.

1075. Hujus sacramenti est **3.** proprium *ad gloriam praeparare futuram,* cujus etiam est pignus. Praeparamur enim ad gloriam, quatenus in gratia conservamur et crescimus, ac roboramur ad bona opera, quibus certam facimus vocationem et electionem nostram (2. Petr. 1, 10.). Atqui hic est effectus proprius hujus alimoniae coelestis, cujus figura erat manna, quo sustentati israelitae peregrinantes per desertum pervenerunt demum in terram promissam, et panis ille subcinericius, in cujus fortitudine Elias ambulavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb (3. Reg. 19, 8.). Hinc Christus inculcat Joan. 6, 59: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* Imo patres saepe inter eucharistiae fructus recensent *corporum resurrectionem.* Cujus rationem ita Vasquez disp. 204. c. 5. reddit: „Si virtute illius (unionis per communionem) fit (caro nostra) una cum carne Christi, et nemo unquam carnem suam

---

[1]) Ambrosius serm. 8. *in Ps. 118.* n. 48: „Suscipe ante Dominum Jesum tuae mentis hospitio: ubi corpus ejus, ibi Christus est. Cum hospitium tuum adversarius viderit occupatum coelestis fulgore praesentiae, intelligens locum tentamentis suis interclusum esse, per Christum fugiet ac recedet, et tu mediam noctem sine ulla offensione transibis.“

[2]) Alius effectus est intima unio cum Christo et fidelium inter se, secundum verba Pauli 1. Cor. 10, 17: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.* Qua occasione quaerunt subtiliter theologi, qualis sit unio inter corpus Christi et nostrum. Statuit Suarez disp. 64. s. 3. *de euch.*, eam dici non posse substantialem, quia quamvis fiat inter substantias, *accidentalis* est; posse tamen bono sensu dici *corporalem*, quia fundatur in corporali permixtione seu susceptione sacramenti: sed maxime esse *spiritualem;* posse vero etiam dici unionem *realem* et *naturalem* ad excludendas figuras: sed proprie dicendam esse *mysticam* seu *moralem* fundatam aliquo modo in vinculo *corporali.*

odio habuit, ut dixit Apostolus ad Eph. 5, 29., et Christus in carne propria resurgens ex mortuis jam non moritur, quis dubitet fore, ut et nostra caro cum eo eadem immortalitate perficiatur?«

1076. Ex dictis de eucharistiae effectu per modum *corollarii* consequitur, *eucharistiae sumptionem non esse absolute necessariam ad salutem*, quod saltem quoad infantes est *de fide*, ut patet ex concilii trid. sess. 21. cap. 4. et can. 4: „Si quis dixerit, parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse eucharistiae communionem, A. S." Et sane eatenus eucharistia esset absolute necessaria ad salutem, quatenus esset medium absolute necessarium vel ad primam gratiam obtinendam, vel ad perseverandam in ea. Atqui neutrum affirmare licet: non illud, ut patet ex n. 1072; non alterum, ut patet ex infantibus et etiam adultis qui mox post baptismum ante perceptam eucharistiam moriuntur, de quorum salute nunquam fuit desperatum[1]). Dici tamen potest eucharistia *necessaria necessitate medii morali* (n. 912. annot.), utpote medium admodum efficax ad perseverandum et hunc in finem divinitus institutum; alioquin sensu carerent minae Christi Joan. 6, 54: *Amen, amen, dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* et promissio adjecta v. 58: *Sicut misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me et ipse vivet propter me.* Quibus, sicut ipsa sacramenti forma, qua institutum est per

---

[1]) Censent nonnulli, Augustinum, Innocentium I. et Gelasium statuisse *absolutam* eucharistiae ad salutem necessitatem. Sed cum certum sit, Augustinum passim docere, infantibus ad salutem sufficere baptisma, difficultas haec tantum *exegetica* est, quam alii aliter solvunt. Secundum plures hi patres loquuntur de eucharistiae *effectu*, qui est conjunctio cum Christo et incorporatio, quem infantes jam in baptismo percipiunt: quare quadamtenus dici possunt, per baptismum manducare corpus et sanguinem Christi, non quidem ratione sacramenti, sed ratione effectus. Quae explicatio confirmatur Fulgentii responso dato Ferrando diacono interroganti, quid sentiendum sit de salute cujusdam aethiopis, qui post baptismum ante perceptam eucharistiam decesserat. Respondet nimirum s. episcopus *epist. 12:* »Arbitror, sancte frater, disputationem nostram praeclari doctoris Augustini sermone firmatam, nec cuiquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur: nec alienari ab eo panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat et calicem bibat, de hoc seculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat.« Alii vero censent, Augustinum argumentari ad hominem adversus pelagianos, qui distinguentes inter regnum Dei et vitam aeternam, hanc, non illud, vindicabant infantibus absque baptismo mortuis, et contra hos urgere verba Christi Joan. 6, 54., quibus vita aeterna suscipientibus eucharistiam promittitur: hinc enim invicte licet inferre, neminem non baptizatum vitam adipisci aeternam.

modum *cibi,* clare significatur, ita analogice se habere hunc panem ad conservationem vitae spiritualis, quo se habet cibus corporalis ad conservationem vitae naturalis. Fieri ergo nequit, ut qui *voluntarie* hoc medium spernit, seposita etiam praecepti transgressione, perseverantiae donum, saltem ordinarie, assequatur.'

1077. **Thesis CXLVIII.** ***Sumptio eucharistiae sub utraque specie non est fidelibus ad salutem necessaria.***

Demonstratio. Thesis est *de fide,* statuit enim concilium trid. sess. 21. can. 1: „Si quis dixerit, ex Dei praecepto vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem ss. eucharistiae sacramenti sumere debere, A. S." Cf. can. 2. et 3. et cap. 1. ss. Tenenda ea est adversus sic dictos calixtinos, quorum errorem secuti sunt Huss, Lutherus et Calvinus. Praecipuum argumentum petunt ex verbis Christi Joan. 6, 54: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Verum **1.** inde ea necessitas non eruitur: obstat enim **a.** authentica Ecclesiae interpretatio, cujus est legitimum praeceptorum divinorum enarrare sensum; **b.** in loco objecto non est sermo de *modo* suscipiendi eucharistiam, sed de ipsa *re,* quae est sumenda, scil. de carne et sanguine Salvatoris, quae sub unaquaque continetur specie (n. 1060.): proinde Christi praecepto unius speciei sumptione satisfit. **c.** Propositio illa negans facile revocari potest ad propositionem disjunctivam: nisi quis manducaverit *vel* biberit etc., quo in casu nulla difficultas[1]). **d.** Optima est argumentatio concilii trid. sess. 21. c. 1: „Qui dixit: *Nisi manducaveritis* etc., dixit quoque: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum* (v. 52.). Et qui dixit: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam* (v. 55.), dixit etiam: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et denique qui dixit: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo;* dixit nihilominus: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.*"

1078. Eatenus **2.** communio sub utraque specie dicenda esset necessaria ad salutem, quatenus sub utraque plus contineretur, quam sub una. Atqui sub qualibet specie totus atque integer est Christus

[1]) Ita *disjunctive* accipi debent verba Petri Act. 3, 6: *Argentum et aurum non est mihi;* Ex. 21, 15. (sec. textum hebr.): *Qui percusserit patrem et matrem, morte moriatur.* Et Paulus disjunctive scribit 1. Cor. 11, 27: *Itaque quicunque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Supponere ergo videtur alterutrum fieri posse, quod verum non est, si utraque species necessario sit sumenda.

(n. 1060.). Quare nulla *ex sacramenti natura* sequitur necessitas communionis sub utraque specie. Accedit **3.** praxis antiquae Ecclesiae, quae quamvis soleret ad sec. usque XII. communionem sub utraque specie fidelibus exhibere, haud raro tamen illam etiam sub una distribuit, ut patet ex communione infantium, ex communione domestica et infirmorum; ex iis, quae s. Leo s. 49. *de Quadrag.* 4. (*opusc.* XIV, 119.) de manichaeis testatur. Plures enim diu Romae latitantes cum reliquis fidelibus intererant sacris synaxibus atque etiam ad sacram accedebant communionem: abstinebant vero a calice ex pestifero errore, quod vinum abhorrerent ut malum. Atqui latitare non potuissent si fidelibus *semper* data fuisset communio sub utraque specie. Cum vero fideles gradatim renunciarent suo privilegio sumendi sub utraque specie eucharistiam, adeo ut a sec. XII. consuetudine jam esset inducta communio sub una tantum specie, accedentibus aliis gravibus rationibus, Ecclesia pro potestate divinitus sibi facta hanc praxim lege sancivit. Ejusmodi rationes esse poterant **a.** periculum effusionis sanguinis in magna populi frequentia; **b.** plurimorum nausea bibendi cum aliis ex eodem calice; **c.** penuria vini in multis regionibus et ecclesiarum inopia ad illud comparandum; **d.** multorum constitutio, qui vinum aversantur; **e.** spontanea fidelium desuetudo et unitas ritus in accipienda eucharistia.

1079. Alterum *corollarium* ex dictis est, *Christum in eucharistia adorandum esse cultu latriae,* ut statuit concilium trid. sess. 13. can. 6: „Si quis dixerit, in s. eucharistiae sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriae, etiam externo, adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus secundum laudabilem et universalem Ecclesiae s. ritum et consuetudinem solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras, A. S.“ Et sane si ille J. Christus in ea vere est praesens, quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum jubet adorari ab omnibus angelis Dei (Hebr. 1, 6.), quem a magis et ab apostolis adoratum fuisse Scriptura (Matth. 28, 17.) testatur: certe, ut infert idem conc. cap. 5., a nobis quoque in eucharistia est adorandus. Et revera jam in antiquissima Ecclesia Christum in hoc sacramento fuisse adoratum, tradunt patres.

Praeclarissima sunt, quae legimus in *antirrhetico* 2. Theodori Studitae c. 31: „Orthodoxus: Quo in numero habes corpus et sanguinem Domini Jesu Christi? Haereticus: Sancta sunt procul dubio, etenim *sancta sanctis* a sacerdote pronunciatur. O. Haec itaque etiam adoranda judicas? H. Et *quis adeo impie sentiat,* qui non sancta simul et adoranda confiteatur? O. Non igitur tecum pugnantia loqueris, qui cum antea dixeris, non statim quod sanctum est, idem etiam adorandum esse, nunc rursum

affirmas, quod negasti? H. Atqui non de mysteriis mihi sermo erat, cum de his *omnes consentiant,* ut dixi.«

1080. **Scholion.** Paucis quasdam quaestiones de ratione et unitate hujus sacramenti expediemus. Definitur eucharistia: sacramentum corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis ac vini ad spiritualem fidelium refectionem a Christo Domino institutum. Tenendum autem est: **1.** species panis et vini intrinsecus spectare ad hoc sacramentum, quia sacramentum signum est *sensibile.* Ad illud **2.** spectare quoque corpus et sanguinem Domini, quia sacramentum causat gratiam: hanc autem causat hoc sacramentum praecise ratione corporis et sanguinis Domini. Alia quoque praedicata ei non competunt, nisi ratione corporis et sanguinis Domini. Licet **3.** consecratione *efficiatur* hoc sacramentum[1]), eam tamen non esse eucharistiae sacramentum, ut patet vel ex modo loquendi de hoc sacramento: dicitur enim manere peracta consecratione, Christum in eo esse, illud a fidelibus accipi, adorari etc., quae de consecratione affirmari nequeunt. **4.** Sumptionem esse tantum sacramenti *applicationem,* seu conditionem sine qua non illud in suscipientium animis gratiam operatur. **5.** Ambas species unum constituere sacramentum in ratione *significationis,* qua scil. significant convivium et refectionem spiritualem; quamlibet tamen speciem dici posse sacramentum, imo integrum sacramentum in ratione causae, seu illud *materialiter* esse duplex, *formaliter* vero unum sacramentum.

Caput II.

De sacrificio missae.

1081. Postquam consideravimus eucharistiam ut est sacramentum, ad alteram ejusdem praerogativam transeamus, quae continetur dignitate sacrificii (n. 1027.), quod in ejus celebratione offertur. Omnia autem, quae de sacrificio eucharistico dicenda sunt, ad *tres* revocari possunt articulos. Probanda scil. est **1.** *veritas* hujus sacrificii: inquirendum **2.** est in ejus *essentiam* et **3.** in ejus *efficientiam* seu effectum.

---

[1]) Quaerunt theologi, utrum verba consecrationis spectent ad hujus sacramenti essentiam. Negant plures, quia hoc sacramentum est *permanens* et *sanctificans;* atqui verba consecrationis neque permanent neque sanctificant animas, sunt ergo forma *efficiens,* sed non constituens, *informans* sacramentum. Ita Becanus c. 15. q. 2. c. 5; Vasquez disp. 167. etc. Affirmat Lugo d. 1. s. 4., quia species per se, seorsim a verbis, non habent rationem signi sacramentalis, et quia alioquin verba non possent dici *forma;* neque enim principium mere efficiens alicujus rei dici potest hujus *forma.* Suarez disp. 42. s. propendet in priorem sententiam, sed advertit: »Secunda opinio non negat, quod in re affirmat prima, sed addit aliquid spectans ad modum loquendi, quod non displicet,« scil. »licet verba physice transierint, semper tamen quodammodo informant illas species, quia illae non significant, nisi ut consecratae sunt, atque adeo quatenus substant verbis consecrationis, quae praecesserunt . . . unde relatio signi, quae rationis est, intelligi potest fundata in speciebus ut denominatis a tali forma . . . haec vero unio et informatio non est physica, ideo non oportet, ut sit intrinseca et propria, sed per quandam denominationem extrinsecam.«

Articulus I.

De veritate sacrificii missae.

1082. Solet sacrificium a theologis definiri: Oblatio Deo facta rei substantialis per ejusdem realem vel moraliter aequivalentem destructionem legitime instituta ad agnoscendum Dei supremum dominium et in statu lapso ad profitendam divinam justitiam propriumque reatum.

Metaphorice quidem nomen sacrificii haud raro transfertur ad alios actus, qui sunt vel res significata per sacrificium, ut spiritus contribulatus (Psal. 50, 19.), vel qui habent cum sacrificio aliquam analogiam, ut actus cultus externi sive virtutis, praesertim abnegationis, misericordiae etc.; falso vero dicerentur hi actus *proprie* sacrificia: nam **a.** ejusmodi actus solent in divinis literis opponi sacrificio proprie dicto Os. 6, 6: *Misericordiam volui, et non sacrificium;* Ps. 39, 7; 1. Reg. 15, 22: *Melior est obedientia, quam victimae; et auscultare magis quam offerre adipem arietum;* **b.** ejusmodi actus quilibet homo exercere potest vel debet: sacrificium vero offerre est sacerdotum Hebr. 5, 1; **c.** patres docent Christum obtulisse unicum sacrificium et in N. T. unum tantum Deo offerri: horum autem actuum est ingens multitudo; **d.** sicut sacerdotium et sacrificium intime nectuntur, ita et altare et sacrificium: ad ejusmodi vero virtutum actus nullum requiritur altare. Quam ob rem vel ipse Calvinus l. 4. *institut.* c. 18. §. 13. scribit: „Qui sacrificii vocabulum ad omnes caeremonias et religiosas actiones extendunt, qua ratione id faciant, non video."

1083. Sacrificium consistit in *oblatione,* sed non quaevis oblatio est sacrificium *proprie* dictum: nam **a.** passim legimus in divinis literis, Deo oblata fuisse aurum, argentum, ligna, primogenitos etc. quae tamen non legimus Deo fuisse sacrificata. Ad haec **b.** non omnis oblatio exigit sacerdotium et altare, sicut sacrificium. Sacrificium proinde superaddit aliquid oblationi, actionem scil. rei oblatae consecrativam et immutativam, qua physice vel moraliter seu aequivalenter in Dei honorem destruatur[1] (n. 793.).

---

[1] Quaeritur utrum *quilibet possit instituere sacrificium.* Passim id negant theologi: cum enim **a.** ex communi gentium persuasione sacrificium offerre sit *proprium sacerdotum munus,* qui a reliquo populo secreti speciali ratione Dei cultui sint addicti et consecrati (Hebr. 5, 1.), a fortiori non erit cujuslibet *sacrificium instituere.* Praeterea **b.** ad unitatem et concordiam humanae reipublicae expedit, ut omnes conveniant in solemniori modo colendi Deum, qui consistit in sacrificio. Ad hunc vero finem consequendum necesse est, ut sacrificia auctoritate publica instituantur et determinentur. Quod **c.** Lugo *de euchar.* disp. 19. sect. 1. illustrat ratione: „Sicut vox *homo* non potest privata alicujus voluntate accipere vim significandi hominem, sed necessaria est ad hoc institutio communis vel alicujus habentis plus quam privatam auctoritatem: sic occisio ovis v. gr. non videtur posse fieri signum sufficienter significans talem vel talem reverentiam ex sola unius vel alterius privata voluntate." Quod si aliqua sacrificia auctoritate legitima, nominatim vero divina, sunt instituta, alii actus, quamvis per se apti essent ad sacrificii rationem, nequeunt censeri actus publici, solemnes et legi-

1084. **Thesis CXLIX.** ***Traditionis suffragio invicte comprobatur eucharistiae celebratione verum propriumque Deo offerri sacrificium.***

Demonstratio. Statuitur thesis generatim contra novatores s. XVI., qui quamvis subinde permittant, ut eucharistiae celebratio laxiori et *improprio* sensu dicatur sacrificium, ut quaelibet gratiarum actio vel virtutis actus, unisone et clamoribus vere inconditis sacrificii *proprie* dicti dignitatem et rationem illi denegant. Contra quos concilium trid. dogma catholicum de veritate sacrificii missae[1]) sess. 22. quatuor tuetur canonibus, quorum 1. ita habet: „Si quis dixerit, in missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, A. S."

Antequam traditionis evolvamus monumenta, vel *a priori* suaderi potest, *esse aliquod in Ecclesia verum sacrificium:* quod si semel concedatur, jam dubium nullum amplius erit, hoc esse celebrationem eucharistiae. Suadetur vero illud **1.** ex intimo nexu inter religionem et sacrificium proprie dictum, quem testantur **a.** Gen. 4, 3; 8, 20; 3. Reg. 19, 10; 2. Paral. 15, 3; Dan. 3, 38; 12, 11; Hebr. 7, 11., ex quibus liquet, Dei cultum et sacrificia esse coaeva, illo florente vel collabente viguisse vel defecisse etiam sacrificiorum usum; ideoque **b.** apud omnes gentes, penes quas religionis reperitur vestigium, sacrificia quoque sunt. Neque mirum **c.** cum praeter sacrificium nullus sit actus cultus externi, qui ita Dei sit proprius, ut non aliis etiam (quamvis alia intentione) exhibeatur; improbabile vero est, in religione omnium perfectissima Deum carere cultu externo exclusive ipsi proprio. Quare et religio christiana suum habebit sacrificium. Idem suadet **2.** analogia cum synagoga: eoque magis quod praecipuae causae, propter quas populus hebraicus habuit sacrificia, valeant et pro christianis: nam et hi constituunt Ecclesiam visibilem; Deum cultu visibili, communi et latreutico colere debent; indigent commemoratione et repraesentatione mortis Christi etc.

1085. Sed jam ad traditionis testimonia accedamus. Provocamus **1.** ad loquendi rationem patrum et liturgiarum a primis Ecclesiae seculis: fatente enim ipso Chemnitio in p. 2. *examinis conc. trid.* p. 782., „negari non potest, veteres, quando loquuntur de celebratione coenae dominicae, usurpare vocabula *sacrificii, immolationis, oblationis,*

---

timi cultus divini, sed potius cultus profanationes. Cf. Num. 16; 2. Paralipom. 26, 16. ss.; Hebr. 5, 4. Quare quamvis in quibusdam actibus externi cultus christiani reperiantur materia et forma oblationis per se sufficiens ad rationem sacrificii, ii tamen non sunt nisi caeremoniae, nullatenus autem sacrificium: quia non modo deest institutio in signum sacrificum, sed facta jam divinitus institutione unius sacrificii excluduntur omnes aliae oblationes a ratione sacrificii. Quapropter neque in potestate Ecclesiae est instituere sacrificia.

[1]) *Missae* nomine intelligimus modo celebrationem eucharistiae sub utraque specie secundum ritum a Christo institutum et Ecclesiae traditum, cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem* Luc. 22, 19.

hostiae, victimae: item uti verbis *offerre, sacrificare, immolare.*" Quapropter ipse Lutherus fassus est *de captiv. babyl.* c. 1: „Missa creditur passim esse sacrificium, quod offertur Deo. Accedunt his dicta ss. patrum, tot exempla tantusque usus per orbem constanter observatus[1])." Tradunt 2. patres Christum semetipsum in coena ultima obtulisse in sacrificium.

Ita Cyprianus[2]). „Nam si J. Christus Dominus et Deus noster ipse est summus sacerdos Dei Patris et sacrificium Deo Patri se ipsum primus obtulit et hoc fieri in sui commemorationem praecepit, utique ille sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur. Et sacrificium verum et plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre,

---

[1]) Afferri possent plures ejusmodi protestantium confessiones, inter quas eminet illa J. Ern. Grabii, qui *ad Irenaei l. 4. c. 17.* adnotat: „Certum est, s. Irenaeum aliosque patres, quorum scripta habemus, tam eos, qui viderunt apostolos, quam eos, qui immediate ipsis successerunt, spectasse Eucharistiam velut sacrificium novae legis, et obtulisse Deo Patri super altare panem et vinum, veluti dona sacra offerentes ante consecrationem tamquam primitias creaturarum ad recognoscendum supremum ejus in res omnes dominatum, et post consecrationem velut corpus et sanguinem mysticum J. C., ad sic repraesentandum sacrificium cruentum, quod ipse fecit corporis et sanguinis sui in cruce, et ad obtinendos fructus mortis suae pro iis omnibus, pro quibus oblatum est. Ceterum haec doctrina non est doctrina *unius* ecclesiae vel peculiaris doctoris, sed erat doctrina et praxis Ecclesiae *universalis;* Ecclesia eam acceperat ab apostolis, apostoli a Christo. Est id, quod s. Irenaeus nos docet, quod s. Ignatius et s. Justinus nos docuerunt ante ipsum, quod Tertullianus et s. Cyprianus nos docuerunt post. Est id, quod clare continetur in ep. s. Clementis *ad Corinth.*" Tandem concludit: „Utinam, quoniam plures doctores protestantes cognoverunt, circa hoc punctum veram doctrinam Ecclesiae apostolicae et errorem Lutheri et Calvini, omnes convenire possent ad resolutionem reddendi majestati divinae hunc supremum honorem, qui ei debetur, et ad hoc restituerent usum sacrarum liturgiarum, quas male rejecerunt, et in quibus modus patet, quo Deo offerri debet hoc sanctum sacrificium."

[2]) *Ep. 63.* n. 14., quae tota huc spectat, quam cf. *opusc.* t. XXI. pag. 195. Integrae hic referendae essent duae homiliae *de Christi paschate* Cyrillonae, auctoris syri sec. IV. exeuntis, quas e textu originali germanice versas primum edidit cl. Bickell *Ausgewählte Gedichte der syrischen Kirchenväter,* Kempten 1872. pag. 37. ss., ex quibus quaedam tantum fragmenta afferemus. „Dominus noster ipse, inquit, primum suum immolavit corpus, et deinde homines illud immolarunt . . . Legis acuit cultrum, quo suum corpus tamquam agnum paschalem immolaret . . . Agnus comedit agnum, pascha consumpsit pascha . . . Ipse astitit seque ipsum amore actus portavit atque proprium corpus suis portavit manibus (cf. verba similia s. Augustini supra n. 1048.) . . . Consecravit et benedixit seipsum, oravit et gratias egit supra corpus suum. Obtulit et immolavit seipsum, praebuit et expressit ex se sanguinem suum vivificum . . . Venite, discipuli mei, et accipite me, me in vestras tradere volo manus. Ecce, integer vere hic adsum, sed simul vos me integrum vere consumitis . . . Corpus meum manducastis, ne mei obliviscamini: sanguinem meum bibistis, recordemini mei."

secundum quod ipsum Christum videat obtulisse.« Docent **3.** eucharistiae celebrationem successisse sacrificiis V. T. ipsius typis. Ita Augustinus de civit. Dei l. 17. c. 20: »Id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis V. T., quae immolabantur in umbra futuri. Propter quod etiam vocem illam in Ps. 39. ejusdem mediatoris per prophetiam agnoscimus: *Sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi:* quia pro illis omnibus sacrificiis et oblationibus corpus ejus offertur et participantibus ministratur.«

1086. Testantur **4.** patres hoc sacrificium ubique terrarum Deo offerri. „Firmissime tene, scribit Fulgentius *de fide ad Petrum* c. 19. n. 60., et nullatenus dubites, ipsum unigenitum Deum Verbum caro factum se pro nobis obtulisse sacrificium et hostiam Deo in odorem suavitatis (Ephes. 5, 2.): cui cum Patre et Spiritu sancto a patriarchis, et prophetis, et sacerdotibus tempore veteris Testamenti animalia sacrificabantur; et cui nunc, id est tempore novi Testamenti, cum Patre et Spiritu sancto, cum quibus illi est una divinitas, sacrificium panis et vini in fide et caritate sancta catholica Ecclesia per universum orbem terrae offerre non cessat ... In illis ergo sacrificiis, quid nobis esset donandum, figurate significabatur; in hoc autem sacrificio, quid nobis jam donatum sit, evidenter ostenditur. In illis sacrificiis praenunciabatur Filius Dei pro impiis occidendus: in hoc autem pro impiis annunciatur occisus.“ Advertunt **5.** Christum per ministros suos seipsum offerre. „Etsi Christus, inquit Ambrosius in *Ps. 38.* n. 25., nunc non videtur offerre, tamen ipse offertur: imo ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat sacrificium, quod offertur.“

1087. **Thesis CL.** ***Veritas sacrificii eucharistici comprobatur praeterea Scripturae testimoniis, quibus hoc sacrificium a prophetis praedictum, a Christo promissum et institutum, et apostolorum aetate jam oblatum exhibetur.***

Demonstratio p. I. Ex prophetis praetermittimus Ps. 21, 26. ss.; Is. 19, 21; 66, 21. coll. Jer. 33, 17. s. et ad unum provocamus Malachiam, cujus ore Deus ita alloquitur 1, 10. s. sacerdotes leviticos, quorum reprehenderat in sacrificiis offerendis sui contemptum: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.*

Quibus verbis promittitur **1.** *cultus novus* substituendus cultui mosaico: cultus enim promissus est **a.** *ab ortu solis usque ad occasum,* **b.** cultus *in gentibus,* cultus denique **c.** *in omni loco,* quae omnino adversantur cultui mosaico, qui ratione loci, gentis, diffusionis erat particularis. Hic vero cultus

2. est *externus:* nam **a.** opponitur cultui judaico externo abrogando: ergo alia erit forma cultus externi; **b.** describitur verbis, quibus alias cultus omnino externus designatur; eo **c.** praedicitur Deus magnificandus, sicut propter sacerdotum neglectum despectus fuit; **d.** ejusmodi cultum exigit vel natura humana. Cultus autem hic externus **3.** *vero proprieque dicto sacrificio continetur:* describitur enim **a.** verbis, quibus ex usu loquendi biblico constanter proprie dictum designatur sacrificium[1]); opponitur **b.** qua cultus novus substituendus sacrificiis mosaicis, et ita quidem ut appareat, non simpliciter aboleri cultum per sacrificia, sed sacrificiis mosaicis melius et mundius substitui, quod **c.** a ministris divinitus praeparatis, tribu Levi praefiguratis 3, 3., offerendum sit. Hoc autem **4.** aliud non erit a celebratione eucharistiae: quae illatio confirmatur splendido suffragio patrum. Ita jam Irenaeus l. 4. c. 17. n. 5. de Christo instituente eucharistiam disserit: »Novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab apostolis accipiens in universo mundo offert Deo ei, qui alimenta nobis praestat, primitias suorum munerum in N. T., de quo in duodecim prophetis Malachias sic praesignificavit: *Ab ortu enim solis* etc. . . . manifestissime significans per haec, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo, omni autem loco sacrificium offertur ei et hoc purum« etc. Quae illatio confirmatur etiam collatione instituta inter celebrationem eucharistiae et hoc vaticinium. Nam **a.** eucharistia celebratur ab ortu solis usque ad occasum, et quidem **b.** inter omnes gentes; ea **c.** est mundissima, cum contineat ipsum corpus et sanguinem unigeniti Dei Filii; ejus **d.** celebratione magnificatur Deus: ad eam enim congregantur undique fideles et ea est centrum totius cultus. Quare evidenter praedicta est a Malachia celebratio eucharistiae et quidem qua *sacrificium.*

1088. **Demonstratio p. II.** Ad *promissionem* proxime instituendi sacrificii non improbabiliter referuntur Joan. 4, 21. ss., ubi Christus mulieri samaritanae dicit: *Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem . . . Sed venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.* Advertatur enim **1.** verbum *adorare* passim designare adorationem non quamcunque, sed nobilissimam adorationis speciem, quae *sacrificio* continetur. Cf. Joan. 12, 20; Act. 8, 27; Gen. 22, 5; 1. Reg. 1, 3; 15, 30. etc. Christum vero **2.** de ejusmodi loqui adoratione, suadetur ex eo, quod ipse certe verbum *adorare* eodem accipiat sensu, quo mulier samaritana; haec autem loquitur de adoratione per *sacrificium*, alligata scil. monti Garizim. Ad haec **3.** Christus loquitur de adoratione **a.** opposita ei, quae tunc alligata erat uni loco; **b.** de adoratione nova, quae non amplius haberet rationem umbrae, figurae, neque esset carnalis, quae de adoratione simpliciter dicta intelligi nequeunt: perbelle autem intelliguntur de ea, quam praedixit

---

[1]) Adhibentur enim vocabula קִטֵּר, adolere, sufficere, נִגַּשׁ et מִנְחָה, quorum primum cum suis derivatis circiter centies quadragies sexies, alterum in forma Piel et Hiphil duodecies, tertium centies quinquagies quater occurrit in V. T. ad designandum sacrificium proprie dictum (hoc ultimum praesertim pro sacrificio *incruento*), nunquam vero unum eorum de cultu interno vel in cultu divino externo de oblationibus aliis, quae non sint vera sacrificia.

Malachias quaeque continetur sacrificio, quo adimpletae fuere tot umbrae et figurae.

1089. **Demonstratio p. III.** Christum ita instituisse eucharistiam, ut esset sacramentum simul et sacrificium colligitur **1.** haud obscure ex eo, quod illam instituerit *post coenam paschalem.* Atqui agnus paschalis *sacrificium* simul erat et *sacramentum.* Ergo et eucharistica coena. Colligitur **2.** ex collatione Matth. 26, 28; Marc. 14, 24. cum Exodi 24, 8; Hebr. 9, 20. (n. 1036.): utrobique enim sancitur Testamentum; utrobique sanguinis fit mentio. Atqui sanguis, quo confirmatum est V. Testamentum, fuit *sacrificialis.* Ergo et hic sanguis N. T. Colligitur **3.** ex ipsis institutionis verbis: Christus enim illud praebet corpus, quod *pro* nobis datur Luc. 22, 19; *pro nobis frangitur* i. e. pro usu loquendi biblico, quod ministratur in cibum; dat calicem, qui *pro* nobis effunditur Luc. 22, 20. et quidem *in remissionem peccatorum* Matth. 26, 28. Atqui haec intelligi nequeunt de sacramenti eucharistiae distributione inter fideles: obstat enim praepositio *pro;* sed ea sunt verba *sacrificialia:* nam et sacrificium Christi in cruce passim hisce geminisque declaratur formulis. Et revera verba *dare corpus et sanguinem pro nobis in peccatorum remissionem* apte significant Christi pro nobis rei substitutionem ad placandum Deum et consequendam peccatorum veniam, quae substitutio victimae pro reo character est proprius sacrificii veri (n. 793.). Neque haec verba immediate referenda sunt ad sacrificium *crucis:* obstat enim verbum 1. Cor. 11, 24. κλώμενον *frangitur, in cibum apponitur,* distribuitur; neque etiam in cruce effusus fuit calix. Intelligi ergo debent haec verba de ipsa eucharistia, quae eo ipso describitur ut sacrificium.

1090. Confirmatur **4.** collatione cum Gen. 14, 18; Ps. 109, 5; Hebr. 7, 1. ss. seu *ex sacerdotio Christi secundum ordinem Melchisedech.* Si enim Christus est sacerdos, debuit sacrificium offerre (Hebr. 5, 1; 8, 3.); si fuit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, debuit offerre sacrificium, quod, ut veritas umbrae, sacrificio responderet a Melchisedech oblato. Atqui ejusmodi sacrificium est praecise celebratio eucharistiae: quod evincit **a.** vel simplex comparatio coenae eucharisticae cum sacrificio Melchisedech Gen. 14, 18: *Melchisedech rex Salem proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi.* Confirmatur **b.** quod Christus ratione sacrificii *crucis* non possit dici sacerdos secundum ordinem Melchisedech.

Neque excipi potest, Christum sacerdotem dici secundum ordinem Melchisedech propter illas praerogativas, quas recenset Paulus Hebr. 7, 1. ss. Nam propter has Melchisedech typus erat Christi, non vero sacerdos, adeo ut propter eas Christus dici possit per excellentiam sacerdos *secundum or-*

dinem Melchisedech: soli ipsi propria est sacrificii forma, a qua sacerdotii ordo pendet. Neque obstat quod Paulus in ep. ad Hebraeos recensens ea, propter quae Melchisedech figura esset Christi, nullam prorsus mentionem faciat sacrificii *incruenti:* nam noluit Paulus quaestionem *de sacerdotio Christi secundum ordinem Melchisedech* exhaurire et adaequate pertractare; ipse enim ait Hebr. 5, 11: *De quo nobis grandis sermo et ininterpretabilis ad dicendum.* Attingit ea tantum, quae eum juvarent ad demonstrandam sacerdotii Christi sacerdotio Melchisedechi praefigurati praecellentiam prae sacerdotio aaronico, ad quam demonstrandam nihil conducebat mentio ejusdem sacrificii incruenti. Ceterum **c.** omne dubium excludit solemnis traditio exegetica. Audiatur Cyprianus ep. 63. *ad Caecilium* n. 4: „Quis magis sacerdos summi Dei, quam D. N. J. Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit: et obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat i. e. panem et vinum, suum scil. corpus et sanguinem? . . . Ut ergo in Genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham possit rite celebrari, praecedit ante imago sacrificii Christi in pane et vino scil. constituta. Quam rem perficiens et adimplens Dominus panem et calicem mixtum vino obtulit, et qui est plenitudo veritatis, veritatem praefiguratae imaginis adimplevit."

1091. **Demonstratio p. IV.** Jam apostolorum tempore oblatum fuisse hoc sacrificium, suadent quae Act. 13, 2. legimus: *Ministrantibus* (λειτουργούντων) *autem illis* (prophetis et doctoribus antiochenis) *Domino, dixit illis Spiritus s.: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Verbum enim λειτουργέω passim significat *sacrificare* Luc. 1, 23; Philip. 2, 17; Hebr. 9, 21; 10, 11; neque hic facile de alio ministerio Deo exhibito potest intelligi. Suadent quae Paulus scribit 1. Cor. 10, 16. ss.: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? . . . Videte Israel secundum carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? . . . Non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum.* Opponit enim **1.** apostolus mensam eucharisticam altari judaeorum et mensae gentilium atque cum iis confert: hae vero erant sacrificiis destinatae; **2.** confert eucharistiam cum victimis judaeorum et gentilium eisque opponit. Supponit ergo haud obscure eucharistiam esse victimam et ejus mensam altare, proinde eam esse sacrificium.

1092. **Scholion.** Adversus dogma catholicum urgent protestantes quae Paulus in ep. ad Hebraeos, nominatim cc. 9. et 10. inculcat *de unica oblatione Christi,* qua semel oblatus *in sempiternum consummavit* sanctificatos, adeo ut non habeat necessitatem *quotidie,* quemadmodum sacerdotes V. T., hostias offerre. Ut haec solvatur difficultas, intelligenda est Pauli doctrina. Docet ipse, sacrificio crucis meritum redemptionis et objectivae satisfactionis esse completum, ideo nec ipsum esse saepius offerendum, nec aliud sacrificium instituendum, quo redemptio compleretur et meritum novum accederet: et sub hoc respectu sacrificium Christi nonnisi semel oblatum confert cum sacrificiis V. T. saepe repetitis, quibus non obstante eorum multitudine nulla per se inerat expiandi vis. Jam vero eucharistiae sacrificium neque offertur ad perficiendam humani generis redemptionem, neque ad augendam satisfactionem meritumque Christi, sed ad applicandum sin-

gulis redemptionis meritum et fructum, quemadmodum hic fructus fide, sacramentis aliisque salutis mediis applicatur. Quare cum ille fuerit comparationis scopus, haec vero sit sacrificii eucharistici ratio, necessarium non fuit, ut apostolus disputaret *de sacrificio applicationis*, sicut non disserit de baptismo aliisque salutis mediis.

Articulus II.

De essentia sacrificii missae.

1093. *Consecratione* **1.** *perfici hoc sacrificium* plerique tuentur theologi, quod etiam ita probatur: **a.** sacrificium continetur aliqua actione: hujus vero sacrificii sacerdos principalis est Christus (cf. infra n. 1096.). Ea ergo actione sacrificii hujus essentia continetur, quam sacerdos nomine et vice Christi peragit. Haec vero est consecratio, in qua sacerdos suam exuit personam atque personam induit Christi. **b.** Sacrificium missae repetitio est sacrificii coenae, secundum illud: *Hoc facite in meam commemorationem* Luc. 22, 19. Atqui praeter consecrationem non constat, aliam a Christo adhibitam fuisse actionem, in qua consistere possit sacrificii ratio. Constat **c.** via excludente, neque enim hujus sacrificii essentia in communione consistit, quae unica est actio, de qua cum aliqua veri similitudine posset dubitari: nam communionem sacerdos, neque nomine recipit Christi, neque vi potestatis ordinis, cui solum innititur potestas sacrificandi; actio autem sacrificialis functio esse debet potestatis ordinis, qua solum sacerdos constituitur par ad sacrificandum. Cui sententiae **d.** favent patres: ita Irenaeus l. 4. c. 17. al. 32. scribit: Christus „dicens hoc est corpus meum . . . docuit novam N. T. oblationem;“ Chrysostomus hom. 1. *de prodit. Judae* n. 6: „Haec vox (hoc est corpus meum) semel prolata ad unamquamque mensam ab illo usque ad hodiernum tempus et usque ad adventum ejus sacrificium perfectum efficit.“

1094. Tenendum est **2.** eucharistiae celebrationem *commemorationem esse sacrificii crucis,* ideoque sacrificium *relativum.* Quod colligitur **a.** ex 1. Cor. 11, 25: *Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat;* **b.** ex concilio trid. sess. 22. cap. 1.; statuit enim, Christum reliquisse „sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur ejusque memoria in finem usque seculi permaneret.“ Hoc **c.** docent patres: ita Cyprianus *ep. 63.* n. 9: „Unde apparet, sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici, nec sacrificium dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio et sacrifiicum nostrum responderit passioni.“

1095. Hanc commemorationem 3. contineri *consecratione distincta panis et vini* demonstratione non eget: ea enim repraesentatur effusio sanguinis, qua in primis continetur ratio sacrificii cruenti. Cum vero pluribus theologis videatur, sacrificii cruenti repraesentationem, quamvis vivida ea sit et expressa, non sufficere, ut missa haberi possit *verum propriumque sacrificium,* nisi aliquid aliud accedat: hinc sollerter inquirunt in illud, quo distincta panis atque vini consecratio constituatur sacrificium, inque *varias* abeunt sententias[1]).

---

[1]) Ex his sententiis aliae sunt antiquatae et falsae, ut ex gr. sacrificium consistere vel in *oblatione vocali,* vel in *communione* vel in *transubstantiatione;* aliae sunt plus minusve probabiles, quas graves tuentur theologi. *Quarta* sententia est Vasquezii disp. 222., qui distinguens inter sacrificium *absolutum* et *relativum,* ad illud quidem requirit victimae destructionem, non vero ad sacrificium relativum; hinc censet ad sacrificium eucharisticum sufficere, si corpus et sanguis Christi ita realiter fiat praesens, ut repraesentet sacrificium in cruce oblatum ejusque sit commemoratio: hoc ipso enim denotat Deum auctorem vitae et mortis, ac si tunc Christus in honorem Dei reipsa occideretur. *Quinta* sententia est Lessii *de div. perf.* l. 12. n. 95., secundum quam consecratio est vere sacrificativa, quia per eam ex vi verborum separatur corpus a sanguine; licet enim per concomitantiam sit idem sub utraque specie, hoc tamen est per accidens: nam verba quantum est *ex ipsis,* separant corpus a sanguine et instar gladii mystici dissolvunt illud compositum atque ideo sacramentaliter mactant illud, et ponunt in altari tamquam victimam occisam et mactatam. *Sexta* est Suarii, qui advertit, in sacrificio requiri quidem immutationem aliquam, non tamen necessario per destructionem, quae fuit propria sacrificiorum V. T.: in nostro sacrificio eam fieri per *productionem* rei principaliter oblatae in honorem Dei factam, destructionem solum esse panis et vini veluti termini a quo. *Septima* est cardinalis Cienfuegos, *vita abscondita* disp. 5. s. 2., secundum quem Christus, dum praesens fit per consecrationem, primum exercet aliquos actus vitae sensitivae modo non quidem per se connaturali huic statui sacramentali, sed quia humanitas elevatur virtute divina ad tales actus exercendos. Tum vero Christus ipse hanc vitam suspendit, donec in commixtione specierum panis ac vini tamquam imagine resurrectionis eos actus iterum resumit. In hac sacrificatione vitae sensitivae reponit ipse rationem formalem nostri sacrificii. *Octava* sententia supra exposita est card. de Lugo, quam docte et profunde excolit et expolit card. Franzelin th. 16. *de sacrif. euch.* Ex his variis opinionibus sententia Vasquezii est *jejuna* et insufficiens; sententia Lessii *obvia* et communiter recepta; sententia Suarii *nobilis* tantoque ingenio digna; sententia card. Cienfuegos *singularis;* sententia card. de Lugo secundum explicationem card. Franzelin *ingeniosa* et approbatione digna. Cf. de iisdem Thalhofer *das Opfer des A. u. N. Bundes §. 32.* qui ipse paulo secus sacrificii nostri rationem explicat. Censet ipse nimirum sacrificii cruenti veluti formam fuisse internum Christi actum, quo se totum ex obedientia Deo impendit et immolavit; hujus formam externam, qua haec interna oblatio actuata fuit et exterius se prodidit, fuisse mortem in cruce, qua vitam suam Deo impendit omnemque sanguinem in ejus honorem fudit. Jam vero hanc interiorem oblationem et immolationem seu hunc internum voluntatis

Praeplacet nobis illa, quae ad haec revocari potest capita: **1.** ad sacrificii rationem revera aliqua requiritur rei destructio, quae tamen **2.** non debet esse semper physica, sed sufficit *aequivalens, moralis,* ita scil. ut vi actionis sacrificialis hostia ponatur in statu decliviori et humano modo desinat, ut ex. gr. vinum effusione in libationibus. Hinc **3.** liquet, inquit Lugo disp. 19. sect. 5., »quomodo consecratione ipsa sacrificetur corpus Christi, nam licet consecratione non destruatur substantialiter, destruitur tamen humano modo, quatenus accipit statum decliviorem et talem, quo redditur inutile ad usus humanos corporis humani et aptum ad alios diversos usus per modum cibi: quare humano modo idem est ac si fieret panis et aptaretur et conditetur in cibum, quae mutatio sufficiens est ad verum sacrificium; fieri enim comestibile, ut jam non sit utile ad alios usus nisi per modum cibi[1]), major mutatio est, quam aliae, quae ex communi hominum mente sufficiebant ad verum sacrificium.« Hanc sententiam **4.** patres innuunt, cum immolationem distinguunt a manducatione et participatione sacrificii, ita ut immolatio praecedat tamquam praeparatio cibi hujus divini ac potus: manducatio cibi praeparati per immolationem sequatur tamquam victimae participatio[2]): atque ideo victima immolata ordinetur ad manducationem ac potionem.

1096. *Christus* **4.** *in sacrificio missae est offerens principalis,* ut docet concilium trid. sess. 22. cap. 2. Probatur vero **1.** ex Christi sacerdotio *aeterno secundum ordinem Melchisedech* (n. 1090.); **2.** ex sacrificii eucharistici essentia, quae consistit in consecratione (n. 1093.), in qua sacerdos minister propriam exuit personam atque personam induit Christi dicens: *Hoc est corpus meum.* Quod etiam **3.** colligitur ex ipsa sacerdotii in Ecclesia indole, quae est tota *ministerialis;* sacerdotes enim sunt *ministri* Christi, ejus vices gerunt et pro ipso funguntur legatione.

---

actum Christus conservat, continuat: ejusque exterior forma et expressio est sicut quondam in cruce actualis effusio sanguinis, ita modo distincta utriusque speciei consecratio.

[1]) Quod ita enunciat, dignius forte, em. card. Franzelin th. 16: ‚Internam sacrificii formam in eo esse, quod Christus magnus sacerdos per ministerium sacerdotum ejus nomine offerentium, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini constituit secundum quandam sanctissimae suae humanitatis a functionibus et rationibus exsistendi connaturalibus exinanitionem ad statum cibi ac potus.‘

[2]) Victimae *participatio* non videtur nobis ad sacrificii *essentiam* spectare, sed ad integritatem ritus, quem Christus instituit, adeo ut nunquam liceat eam omittere. Hinc concilium toletanum XII. (a. 681.) c. 5. reprehendit sacerdotes, qui eodem die saepius sacrificium celebrabant, et nonnisi in ultima celebratione communionem accipiebant, ‚quasi non sit toties illi vero et singulari sacrificio participandum, quoties corporis et sanguinis D. N. J. Christi immolatio facta constiterit . . . nam quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur?‘ Cf. Suarez disp. 75. s. 5. s.

1097. *Solos* autem **5.** sacerdotes posse hoc sacrificium offerre, *de fide* tenendum est, ut patet ex professione fidei ab Innocentio III. waldensibus praescripta: „Firmiter credimus et confitemur, quod quantumcunque quilibet honestus, religiosus, sanctus et prudens sit, non potest vel debet eucharistiam consecrare vel altaris sacrificium conficere, nisi sit presbyter a visibili tangibili episcopo regulariter ordinatus .... Ideo firmiter credimus et fatemur, quod quicunque sine praecedenti ordinatione episcopali credit et contendit, se posse sacrificium eucharistiae facere, haereticus et perditionis Core et suorum complicum est particeps atque consors et ab omni sancta romana Ecclesia segregandus." Quae veritas colligitur **1.** ex nexu, qui intercedit inter *sacrificium* et *sacerdotium,* quorum unum alterum supponit; **2.** ex luculenta Ecclesiae doctrina et praxi, quae ministros presbyteris inferiores ab hujus sacrificii oblatione vel in necessitate gravissima arcet. Hinc diserte edicitur can. 8. concilii nicaeni, diaconos sacrificium eucharisticum offerre non posse; et cum Athanasius ab arianis accusaretur sacrilegii, quod ipso auctore Ischyra sacrificium celebrante confractus fuerit calix, omnis dissipata fuit accusatio semel ac constitit, Ischyram non fuisse presbyterum: qua de re ita in *fragmento* 2. s. Hilarii n. 16. legimus: „Reus (Athanasius ab arianis) presbyteri sui impetu disturbati altaris in ipso sacrificiorum tempore, ubi Scyrus presbyter assistebat, arguitur. Scyrus presbyter negatur et criminis falsitas cum auctore damnatur. Porro autem sacrificii opus sine presbytero esse non potuit."

1098. **Scholion.** Ad accuratiorem hujus sacrificii cognitionem nonnulla sunt addenda: **1.** *Victima* et res primo et per se oblata est Christi Domini *corpus* et *sanguis* ac consequenter *totus Christus,* quatenus constituitur sub speciebus panis et vini. **2.** *Species* panis et vini non sunt res, *quae per se offeruntur,* sed *per quas* et sub quibus corpus et sanguis Christi seu victima fit sacrificium visibile. **3.** Substantia panis et vini pertinent ad hoc sacrificium ut terminus *a quo,* qui transit per actionem sacrificialem, ut victima constituatur sub eorundem speciebus: atque ita sunt intelligendi patres, quando docent in eucharistia primitias ex creaturis Deo offerri. **4.** Quamvis in consecratione unius speciei reperiatur sufficiens aptitudo, ut in sacrificium institui potuisset, ex dictis tamen n. 1094. s. infertur, sacrificio a Christo instituto essentialem esse distinctam panis et vini consecrationem. **5.** Propter *identitatem* rei oblatae et principis sacerdotis in sacrificio crucis et sacrificio missae *simpliciter* affirmari potest, sacrificium crucis et missae sacrificium *idem* esse *specie* sacrificium, *diversum* autem *secundum quid:* est enim diversitas **a.** in modo offerendi; **b.** in offerente visibili; **c.** in effectu, qui illic est meritum et satisfactio, in hoc vero meriti satisfactionisque applicatio; **d.** illud est sacrificium prototypon et absolutum, hoc est ectypon et relativum. Cum **6.** distinctio *numerica* sacrificii desumatur potius a multiplicatione actionis sacrificialis quam a victimarum distinctione, sacrificium

crucis, coenae et altaris, et quotidianae oblationes simpliciter, *numero* dici debent sacrificia *distincta,* non autem sacrificium numero *unum,* nisi cum addito *ratione victimae*[1]).

Articulus III.
De efficientia sacrificii missae.

1099. **Thesis CLI.** ***Sacrificium missae est propitiatorium et impetratorium.***

Demonstratio. Sacrificium missae esse *latreuticum* patet ex ipsa sacrificii notione (n. 1082.); illud esse *eucharisticum* patet ex ipso nomine; esse *propitiatorium* definivit contra protestantes concilium trid. sess. 22. cap. 2. et can. 3: „Si quis dixerit, missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere, A. S." Est autem propitiatorium, quatenus per illud satisfactio sacrificii crucis iis applicatur, pro quibus offertur, ad obtinendam peccatorum poenarumque remissionem. Hujus quippe oblatione, ut loquitur idem concilium cap. 2., placatus Dominus gratiam et donum poenitentiae concedens crimina et peccata etiam ingentia dimittit. Probatur vero **1.** ex eo doctrinae capite, quod hoc sacrificium successerit sacrificiis V. T. (n. 1085.). Quocirca, ut ait s. Leo *serm.* 58., „omnem differentiam hostiarum unius corporis et sanguinis complet oblatio." **2.** Teste Paulo Hebr. 5, 1. sacerdotis est offerre sacrificia pro peccatis; in N. T. autem verum est sacrificium; veri sunt sacerdotes. Ergo et in N. T. offerendum erit sacrificium missae pro fidelium peccatis. Et revera **3.** ipse Christus testatur, calicem eucharisticum effundi *in remissionem peccatorum* Luc. 22, 20. Accedit **4.** solemnis persuasio non solum theoretica, sed et practica

---

[1]) Cum *populi participatio* de victima nullatenus pertineat ad sacrificii *essentiam,* praxi vero Ecclesiae jam veteris constet, eucharistiae sacrificium fuisse celebratum, etsi adstantium nullus de victima participaret: non est cur adversarii damnent qua illicitas, vel etiam qua invalidas eas missas, in quibus nemo sit, qui sacramentaliter communicet. Quare etiam concilium trid., licet sess. 22. cap. 6. optet, ‚ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret:' ib. tamen et can. 8. statuit: ‚Si quis dixerit, missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, A. S.' Porro missa, licet *privata* dici possit ratione loci, temporis, finis, paucitatis adstantium, ad oppositionem missae sive conventualis sive solemnis, quod nullus communicet etc.: semper characterem quendam *publicum* retinet, quatenus a ministro publico, nomine Ecclesiae et pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, offertur.

totius antiquitatis. Finis enim, propter quem universa antiquitas sacrificium obtulit, colligi potest et debet ex liturgiis, in quibus clarissime offerentis intentio exprimitur. Atqui nulla est liturgia, in qua non haec vel gemina legantur: „Offerimus tibi hoc incruentum sacrificium pro peccatis nostris et ignorantiis populi,“ ut in *liturgia* s. Jacobi et Chrysostomi; et ita instruit Cyrillus *catech. mystag.* 5. n. 10. recens baptizatos: „Christum mactatum pro peccatis nostris, offerimus, clementem Deum cum pro illis (defunctis), tum pro nobis demereri et propitiare satagentes[1]).“

1100. Sacrificium missae esse *impetratorium* colligimus ex sacrificiis V. T., inter quae fuere impetratoria; ex liturgiis; testatur enim Cyrillus hieros. l. c. n. 8: „Super illam propitiationis hostiam obsecramus Deum pro communi ecclesiarum pace: pro recta mundi compositione: pro imperatoribus, pro militibus et sociis; pro iis, qui infirmitatibus laborant: pro his, qui afflictionibus premuntur, et universim pro omnibus, qui opis indigent, precamur, nos omnes et hanc victimam offerimus.“ Idem infertur 3. a fortiori: si enim sacrificium hoc Dei *inimicis* impetrat *remissionem peccatorum,* a fortiori impetrabit Dei *amicis,* quod est minus, vária quibus indigent *beneficia.*

1101. **Scholion.** Distingui possunt varii *offerentes,* scil. Christus, Ecclesia, sacerdos, fideles; efficacia *impetrationis* et *propitiationis;* et efficacia ex *opere operantis* et ex *opere operato.* Qua distinctione facta manifestum est **a.** opus operantis tum sacerdotis tum aliorum fidelium, qui aliqua sua opera ad hoc concurrunt sacrificium, esse *meritorium, satisfactorium, impetratorium,* dummodo debitae adsint conditiones, sed valoris *finiti.* Quatenus vero **b.** sacerdos illud offert nomine Ecclesiae, qua hujus minister publicus, semper a Deo acceptatur in odorem suavitatis. Quare respectu sacerdotis hic valor dici debet *ex opere operato,* quamvis respectu Ecclesiae offerentis sit quasi ex opere operantis et propter hujus finitam dignitatem *finitus.* Ratione autem **c.** Christi principis offerentis valor et dignitas sacrificii in actu *primo* et *per se* est aestimationis *infinitae* h. e. relate ad Deum per illud repetitur adoratio et laus semel exhibita in cruce divinae majestati condigna; relate ad homines nullum est bonum, cui impetrando non sit par; nulla sunt peccata, pro quibus ad placandum Deum in ea non contineatur compensatio et pretium supereffluens: non quasi Christus iterum

---

[1]) Pulcherrime characterem propitiatorium, qui eucharistiae inest, expressit Cyrillonas in hymno *in festum omnium sanctorum* (c. a. 396.) ed. Bickell p. 21: „Parce virgae, nam tecum sum unitus: si caedis, te ipsum percutis. Corpus enim tuum in me est, ne permittas ut injuria afficiatur: mysteria tua me sunt ingressa, ne eis illudatur, velis.“ Et in hymno panegyrico *in triticum,* hoc ei tribuit elogium: „Sine ipso (tritico) vacua essent altaria; sine ipso Spiritus s. non posset descendere: sine ipso sacerdos non posset offerre sacrificium *propitiatorium,* imo sine ipso nullus hominum par esset placandi divinitatem (ib. pag. 69.).“

satisfaciat vel mereat, sed quatenus in sacrificio missae totum meritum crucis sacrificio consummatum renovata oblatione Deo Patri repraesentet et exhibeat[1]). At in actu *secundo* valor et efficientia hujus sacrificii, quatenus est impetratorium et satisfactionis applicatio, et a Christo offertur et a Patre acceptatur, est *finitus*. Patet porro hunc valorem non pendere a meritis ministri offerentis, cujus proinde respectu est ex opere operato; ex parte vero Christi est veluti ex opere operantis, cum pendeat ab infinita ejusdem dignitate.

Sectio IV.

De sacramento poenitentiae.

1102. De illo jam agendum est sacramento, quod *praefiguratum* in sacerdotum de lepra judicio (Levit. c. 14. s.), *adumbratum* in resuscitatione Lazari, quem Christus divina quidem virtute suscitavit, a vinculis vero solvendum tradidit apostolis (Joan. 11, 14.), *institutum* demum fuit, cum Christus insufflavit in discipulos dicens: *Accipite Spiritum s., quorum remiseritis peccata, remittentur eis* etc. (Joan. 20, 22. s.). Doctrina catholica de sacramento poenitentiae conc. tridentini sess. 14. comprehensa hisce absolvitur: **1.** Christum Ecclesiae suae contulisse potestatem remittendi retinendique peccata fidelium post baptismum contracta, quam tamen **2.** exercere nequeat, nisi triplex a peccatore ponatur actus: nisi scil. conteratur de suis peccatis, eadem confiteatur ac pro iisdem Deo satisfaciat, vel saltem satisfacere proponat; **3.** ritum hunc, qui hinc quidem absolutione sacerdotis, inde vero poenitentis contritione, confessione et satisfactione continetur, veri nominis esse sacramentum peccatori baptizato ad salutem necessarium. Quibus **4.** nonnulla addenda sunt de ministro, forma ac materia hujus sacramenti. Denique **5.** per modum appendicis adjiciemus disputationem de *indulgentiis*.

---

[1]) Praeclare autem explicat em. card. Franzelin th. 13., ex qua potiora delibavimus, quomodo ratio *propitiationis*, quam huic sacrificio adscribit concilium l. c., differat ab *impetratione* eidem propria, hunc in modum disserens: „Peccata scil. . . . causa sunt, cur justitia divina uberiores gratias subtrahat, quas, nisi peccata obstarent, divina bonitas concedere vellet. Jam per sacrificium, quo satisfactio in cruce consummata pro determinatis peccatoribus divino conspectui exhibetur, et ita eis specialiter applicatur, haec justa ira Dei placatur, ne poenam inferat subtractionis gratiarum, quam proinde placationem consequitur divina misericordia et liberalitas in concedendis gratiis abundantioribus, et per has ulterius, accedente hominis cooperatione, perficitur poenitentia et justificatio. Propitiatio igitur respicit directe placandam divinam *justitiam, ne poenam inferat:* impetratio divinam *bonitatem ac misericordiam, ut beneficia concedat.*"

Caput I.

De potestate remittendi retinendique baptizatorum peccata Ecclesiae a Christo collata.

1103. **Thesis CLII.** ***Contulit Christus Dominus Ecclesiae suae potestatem remittendi retinendique peccata, distinctam tum a potestate delendi peccata per baptismum, tum a potestate annunciandi credentibus et poenitentibus remissionem peccatorum.***

Demonstratio p. I. Thesis est *de fide,* ut patet ex sess. 14. concilii trid. can. 2. 3: „Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris (Joan. 20, 22. s.): *Accipite Spiritum s.: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt:* non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento poenitentiae, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem contra institutionem hujus sacramenti ad auctoritatem praedicandi Evangelium, A. S." Prima pars probatur **1.** ex verbis Joan. 20, 22. s. in can. adductis; **2.** ex verbis aequipollentibus Matth. 16, 19: *Et tibi dabo claves regni coelorum: quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis;* et geminis ad omnes apostolos 18, 18., quibus confertur etiam (non solum) *potestas remittendi peccata,* ut patet **a.** ex ipsa verborum amplissima potestate; **b.** ex constanti dogmatica interpretatione Ecclesiae sec. III. et IV. Patres enim disserentes contra montanistas et novatianos de Ecclesiae potestate remittendi peccata promiscue ad haec tria testimonia provocant. **c.** Ex symbolo clavium, quo patres saepe admodum ad potestatem remittendi peccata designandum utuntur. Ita Augustinus *serm.* 149. n. 7: „Non sunt istae claves in Ecclesia, ubi quotidie peccata dimittuntur?" Ad testimonia aequipollentia merito revocatur illud Pauli 2. Cor. 5, 18: *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis,* non solum annunciandae, sed etiam efficiendae, ut patet ex baptismo. Jam vero etiam fideles lapsi in peccatum grave indigent reconciliatione, quae supponit peccatorum remissionem. Probatur **3.** ex celebri controversia catholicos inter et montanistas ac novatianos sec. II—IV., qui cum catholicis consentiebant de hujus potestatis *exsistentia,* dissidebant vero ab iis circa ejusdem *amplitudinem.*

1104. **Demonstratio p. II.** Iisdem fere argumentis probatur hujus potestatis distinctio a potestate Ecclesiae relaxandi peccata per baptismum. Sane **1.** nulla controversia erat inter catholicos et montanistas de eo, utrum possint peccatores gravissimis licet obnoxii peccatis, dummodo essent dispositi, ad baptismum admitti; sed de eo, utrum Ecclesia possit fidelibus in peccata relapsis haec eadem peccata

remittere. Omnibus ergo persuasum erat, clavium potestatem distingui a potestate baptizandi. **2.** Sufficit inspicere testimonia, quae agunt de baptismo, ut Matth. 28, 19: *Docete omnes gentes, baptizantes eos* etc.; Marc. 16, 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* etc.: et patebit ea nullo modo esse parallela vel aequipollentia testimoniis parte praecedenti prolatis. 3. Dato non concesso, haec testimonia intelligi posse de potestate remittendi *infidelium* peccata per *baptismum,* intelligi ea quoque poterunt de potestate remittendi *fidelium* peccata: nam verba: *quodcunque, quaecunque, quorum,* infinite patent, neque ex contextu ad peccata infidelium tantum coarctantur. Quod **4.** *a priori* suadetur. Cum enim Christus tot praerogativas et remedia in fidelium utilitatem Ecclesiae concesserit: vix credibile est, Ecclesiam destitui potestate remittendi peccata filiorum suorum, proinde distincta a sacramento baptismi.

1105. **Demonstratio p. III.** Clavium potestatem Ecclesiae a Christo concessam non esse meram *potestatem annunciandi peccatorum remissionem* vel facultatem declarandi peccata vere credentibus et poenitentibus esse remissa, quae est protestantium jejuna opinio, sed esse potestatem *vere* remittendi peccata non minus ac per baptismum, colligitur **1.** ex Joan. 20, 22. s. De ea enim peccatorum remissione est ibi sermo, cujus **a.** auctor est ipse Spiritus s., hinc praemisit Christus: *Accipite Spiritum s.;* ad quam **b.** impertiendam hominibus missus est Christus: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Colligitur **2.** ad evidentiam usque ex traditione, in primis ex controversia catholicorum cum montanistis et novatianis sec. II. et deinceps.

Neque enim **a.** controversia erat, utrum Ecclesia peccatorum remissionem credentibus et poenitentibus *annunciare,* sed utrum eam possit concedere seu *efficere.* Ergo sec. jam II. credendum erat, Ecclesiam non solum posse annunciare, sed etiam concedere fidelibus peccatorum remissionem. Quod **b.** confirmatur ex praecipuo haereticorum argumento, qui ideo negabant vel coarctabant potestatem clavium, quod *solius Dei* sit remittere peccata in ipsum commissa. Quid vero **c.** reponebant catholici? Reponebant Ecclesiae ministros id non ex se, sed ex potestate sibi commissa posse. „Quod ego facio, scribit Pacianus ep. 3. n. 7. *ad Sempronianum* novatianum, id non meo jure, sed Domini . . . Quare sive baptizamus, sive ad poenitentiam cogimus seu veniam petentibus relaxamus, Christo id auctore tractamus. *Tibi videndum est, an Christus hoc possit,* an Christus hoc fecerit.“ Simili modo eos refellit Ambrosius *de poenit.* l. 1. c. 8. n. 36: „Cur ergo manus imponitis et benedictionis opus creditis, si quis forte revaluerit aegrotus? Cur praesumitis aliquos a colluvione diaboli per vos mundari posse? Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In baptismo utique remissio peccatorum omnium est: quid interest, *utrum per poenitentiam an per lavacrum* hoc jus sibi datum sacerdotes vindicent? Unum in utroque mysterium est. Sed dicis, quia in lavacro operatur my-

steriorum gratia. Quid in poenitentia? nonne Dei nomen operatur? Quid ergo? ubi vultis, vindicatis vobis Dei gratiam: ubi vultis, repudiatis? Sed hoc insolentis arrogantiae, non sancti timoris est: ut fastidio vobis sint, qui volunt agere poenitentiam.« Quapropter inferunt **d.** Ecclesiae ministros praecellere sacerdotibus leviticis, quod hi *judicare* tantum potuerint inter lepram et lepram, illi vero *efficere* possint mundos seu sanare a lepra peccati. »Corporis lepram purgare, ita Chrysostomus *de sacerd.* l. 3. n. 5., imo potius nullatenus purgare, sed purgatos probare tantum, judaeorum sacerdotibus licebat . . . Hi vero non lepram corporis, sed immunditiam animae non purgatam probandi, sed prorsus purgandi potestatem acceperunt.« Affirmant **e.** fieri posse, ut peccatores ex defectu absolutionis vi hujus potestatis concessae pereant (th. CLIV.). Quare ex traditicnis suffragio potestas haec censeri debet non tantum declarativa, sed ipsius remissionis peccatorum efficax.

1106. **Scholion.** Quaeritur, quid verbis *ligare* et *retinere* significetur. Respondemus, exprimi non tantum meram *actus* solvendi *omissionem*, sed etiam *actum positivum* jurisdictionis, quo authentice denegatur peccatorum remissio et praescribuntur conditiones, sub quibus remissio peccatorum possit obtineri, quo proinde obligantur peccatores ad satisfactiones etc. Quod colligitur **1.** ex ipsa potestate verborum. Quomodocunque enim explicentur, actum positivum significant: neque enim *ligare* est non solvere; **2.** ex Is. 22, 22; Apoc. 3, 7; et ex usu loquendi penes graecos, qui verbo δέειν non solum significant interdicere, verum etiam reum declarare, poenae obnoxium pronunciare; **3.** ex eo, quod *ligare* contrarie opponatur verbo *solvere,* et ex collatione cum aliis locis, in quibus Christus aliquam confert potestatem. Nunquam enim addit, se dare quoque jus potestatis illius exercitium omittendi, cum hoc per se intelligitur; **4.** ex practica traditione: Ecclesia enim jam olim, sicut etiam conc. tridentinum sess. 14. c. 8. et can. 15. ex potestate ligandi jus imponendi satisfactiones inferebat.

1107. **Thesis CLIII.** ***Potestas clavium ad omnium baptizatorum peccata se extendit.***

Thesis, quae est *de fide,* contra montanistas et novatianos statuitur, qui contendebant Ecclesiam non posse fidelibus baptizatis remittere peccata omnia; nominatim idololatriam seu apostasiam a fide, fornicationem et homicidium dicebant esse peccata *irremissibilia.* Nullum autem peccatum respectu hujus potestatis esse irremissibile (dummodo adsit in peccatore debita dispositio) patet **1.** ex universalitate verborum, quibus ea fuit collata. Hinc Pacianus *ep.* 3. n. 12: „*Quaecunque solveritis,* inquit, omnino nihil excepit. *Quaecunque,* inquit, vel magna vel modica.“ **2.** Ex damnatione montanistarum et novatianorum; quam ob rem statuit Fulgentius l. 1. *de remiss. pecc.* c. 23: „Qui non credit intra ecclesiam catholicam cuncta relaxari posse pec-

cata, ipse sibi remissionem peccatorum denegat, si de hoc seculo in eadem impoenitentis cordis duritia perseverans alienatus ab ecclesiastica societate discedat.“ Ad haec 3. Christus antequam Joan. 20, 23. hanc contulit potestatem, dixit: *Sicut me misit Pater, et ego mitto vos.* Atqui Christus a Patre coelesti ad omnes missus est peccatores, nullo excepto. Ergo et Ecclesia pro Christo legatione fungens ejusque missionem continuans (th. XXV.) omnium peccatorum peccata remittere potest. Patet 4. ex praxi Ecclesiae, quae omnia peccata rite dispositis remisit.

1108. **Scholion I.** Aliqua peccata esse *irremissibilia* inferebant haeretici illi 1. ex verbis Christi Matth. 12, 31: *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus; Spiritus autem blasphemia non remittetur.* Nomine blasphemiae Spiritus illud significatur atrocissimum peccatum, quo opera manifesto divina in hominum salutem facta daemoni adscribuntur, ac proin veritati manifestae mentis oculi pertinaciter occluduntur. Quo autem sensu hoc peccatum dicatur *irremissibile,* egregie explicat s. Thomas 2. 2. q. 14. a. 3. scribens: „Dicitur *irremissibile,* non quod nullo modo remittatur, sed quia *quantum est de se, habet meritum, ut non remittatur.* Et hoc dupliciter, uno modo quantum ad *poenam.* Qui enim ex ignorantia vel infirmitate peccat, minorem poenam meretur. Qui autem ex certa malitia peccat, non habet aliquam excusationem, unde ejus poena minuatur . . . Alio modo potest intelligi quoad *culpam,* sicut aliquis morbus dicitur *incurabilis,* secundum naturam morbi, per quem tollitur id, per quod potest morbus curari: puta cum morbus tollit virtutem naturae vel inducit fastidium cibi et medicinae, licet talem morbum Deus possit curare; ita et peccatum in Spiritum s. dicitur irremissibile secundum suam naturam, in quantum excludit ea, per quae fit remissio peccatorum. Per hoc tamen non praecluditur via remittendi et sanandi omnipotentiae et misericordiae Dei, per quam aliquando tales quasi miraculose spiritualiter sanantur.“

1109. Provocant 2. ad Hebr. 6, 4. s.: *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque seculi venturi, et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam* etc. Porro duplex est hujus loci penes patres et theologos explicatio: censent enim, vel Paulum negare baptismum iterari posse, vel inculcare tantum *difficultatem,* quam impotentiam *moralem* vocant, veniae obtinendae in casu apostasiae, quae quidem difficultas non oriatur ex eo, quod potestas clavium limitibus sit circumscripta, sed ex indispositione apostatarum propria, quam vel ipsa experientia et historia ecclesiastica comprobat. Fatendum tamen est priorem sententiam communiorem esse apud patres. Ita ex. gr. Chrysostomus disserit hom. 9. n. 3. in h. l.: „Quid ergo? ejecta est poenitentia? Non poenitentia, absit! Sed quae rursum fit per lavacrum renovatio! . . . Novos enim facere, solius est lavacri . . . Poenitentiae autem est eos, qui novi facti sunt ac deinde a peccatis inveteraverunt, a vetustate liberare novosque reddere: ad illum autem splendorem non licet reducere; illic enim totum erat gratia.“

Provocant 3. ad Hebr. 10, 26: *Voluntarie enim peccantibus* (peccato apostasiae, ut patet ex v. praeced. *deserentes collectionem nostram*) *nobis*

post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia. Hujus loci sensus est, apostatae a fide christiana ad judaismum nullam plane superesse hostiam pro peccatis seu medium salutis; non legale, cum sacrificia legalia jam sint abolita: non medium legis christianae, quam deseruit et sprevit. Non tamen propterea negatur, eum redire posse ad fidem christianam atque ita reparare salutem. Provocant **4.** ad 1. Joan. 5, 16: *Qui scit, fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita, peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.* Nomine autem *peccati ad mortem* non intelligitur peccatum *quodcunque grave,* sed aliquod gravissimum, in quo definiendo dissentiunt inter se theologi. De hoc vero non affirmatur *irremissibilitas* relate ad clavium potestatem, sed tantum *difficultas* impetrandae ab aliis gratiae conversionis peccatori talis sceleris reo.

1110. Quod **5.** patres attinet, quorum verba objici solent, animadvertisse sufficiat: **1.** eos saepe loqui verbis Scripturae; quare data supra explicatio illis accommodari poterit; vel **2.** eos *historice* referre quaedam peccata non remitti, non *ex defectu potestatis clavium,* sed *propter dispositionis defectum,* qui plerumque ejusmodi peccata consequitur; vel **3.** eos affirmare, peccata quaedam esse irremissibilia *merito* sensu a s. Thoma supra n. 1108. exposito. Vel **4.** eos nonnunquam veniae consequendae exaggerare difficultatem, non vero tueri *impossibilitatem;* vel **5.** eos loqui ad hominem, dilata interim quaestione, qua ratione peccatum in Spiritum s. dicatur irremissibile, et ostendere adversarios sibi non constare. Ceterum **6.** eo ipso quod patres vel inter se dissentiant vel dubii haereant in determinando peccato in Spiritum s., manifestum est, *nullum certum peccatum per se esse irremissibile:* de hoc enim Ecclesiae certo constare deberet, ne illud remittere auderet.

1111. **Scholion II.** Quaeritur utrum quondam in Ecclesia certis quibusdam criminibus denegata fuerit venia. Affirmant plures gravissimi auctores. Verum *omnino* tenendum videtur, si nonnullos excipias episcopos, qui teste Cypriano ep. 52. *ad Antonianum* n. 21. quibusdam peccatis »in totum poenitentiae locum clauserint,« *nullum fuisse peccatum,* quod in *universali* Ecclesia poenitentibus non condonaretur. Quod argumentis *generalibus* suaderi potest, et quidem **1.** ex novatianorum schismate, qui pro suo tuendo errore, quo Ecclesiae denegabant jus certis quibusdam criminibus concedendae veniae, non provocabant ad hanc praxim, ut supponitur, *universalem* et *apostolici* fere aevi, quod certo non omisissent: immeritoque accusati fuissent inhumanitatis, si eorum praxis expressa fuisset ad praxim antiquioris Ecclesiae. **2.** Ex can. 13. conc. nicaeni: »De iis autem, qui excedunt, *antiqua* et canonica lex nunc quoque servabitur, ut si quis vita excedat, ultimo et *maxime necessario* viatico ne privetur.« Supponunt dein **3.** alterius sententiae patroni, mitiorem prius viguisse disciplinam, quae gradatim austerior facta demum in summum illum rigorem abierit. Ejusmodi vero mutatio fieri non potuisset, sine aliqua saltem fidelium commotione, poenitentium turbis et querelis, ut constat ex causa lapsorum tempore Cypriani, qui magnas excitaverunt turbas propter solam *reconciliationis dilationem.* Atqui nulla comparent turbarum vestigia propter negatam veniam et disciplinae mutationem. Numquam ergo facta est talis

disciplinae in summum rigorem immutatio. Idem probatur **4.** inductione. Si enim percurrimus praecipuas ecclesias, e quibus Ecclesia universalis coalescit, patet ex antiquitatis monumentis, ubique viguisse praxim omnibus rite dispositis condonandi peccata.

1112. Imo contendimus **5.** *neque Ecclesiae posse concedi jus denegandae veniae reis cujuscunque tandem criminis*, si rite sint dispositi. Quod colligimus **a.** ex concilii trid. sess. 21., in qua supponitur, Ecclesiam idcirco posse justis de causis fidelibus subtrahere communionem sub specie vini, quod ea ad salutem non sit necessaria; quocirca tacite conceditur, Ecclesiam id non posse, si ad salutem foret necessaria. Atqui absolutio a peccatis gravissimis ad salutem est prorsus necessaria. Ergo hanc Ecclesia *nunquam* rite disposito denegare potest. Ideoque **b.** doctrina conc. pistoriensis (pr. 38.), qua, postquam synodus professa est, *se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quae* (ut ait) *ad poenitentiam non ita facile et forte nunquam eum admittebat, qui post primum peccatum et primam reconciliationem relapsus esset in culpam*, subjungit, *per timorem perpetuae exclusionis a communione et pace, etiam in articulo mortis, magnum frenum illis injectum iri, qui parum considerant malum peccati et minus illud timent,«* pronunciatur a Pio VI. »contraria can. 13. conc. nicaeni I., decretali Innocentii I. *ad Exsuperium* tolos., tum et decretali Coelestini I. *ad episc. vien. et prov. narbon., redolens pravitatem,* quam in ea decretali s. Pontifex *exhorret.«* Jam vero si tali censura notatur praxis, quae *unicam* saltem concedit *reconciliationem,* quid de illa dicendum, quae *omnem* denegat? Ad haec **c.** Ecclesia nequit eam sancire disciplinam, qua omnis poenitentia exstinguitur et desperatio inducitur. Atqui patres uno ore contra montanistas et novatianos disserentes inculcant, disciplina ea, secundum quam aliquibus peccatis venia negetur, poenitentiam auferri hominesque ad desperationem adduci. Praeterea **d.** patres consone omnino montanistarum et novatianorum praxim secundum quam peccatores quidem ad poenitentiam hortabantur, sed excludebant a venia, *crudelem* dicunt et *duram, contra fidem Scripturarum, misericordiae hostem, poenitentiae interfectricem, divinae pietatis et salutis fraternae inimicam, impiissimam, clementissimum D. N. J. Christum quasi implacabilem calumniantem, inhumanam duritiam,* ob quam ratio reddenda erit in die judicii, *haereticae praesumptionis durissimam pravitatem, ferocem censuram* etc. Jam vero quis dicet Ecclesiam, quae omnium languentium et periclitantium pientissima esse debet mater, ejusmodi disciplinam vel unquam sanxisse vel sancire posse?

1113. **Scholion III.** Ad plures difficultates[1]) solvendas haec noten-

[1]) Non diffitemur esse testimonia aliqua, quae immani illi rigori, quem plures theologi Ecclesiae primorum seculorum adscribunt, favere videntur. Illa per loci angustias expendere non licet, tantum aliquid animadvertemus circa patrum doctrinam *de unitate poenitentiae* lapsis in peccatum post baptismum permissa. Ea scil. effata **1.** non de *quacunque* poenitentia sunt intelligenda, sed de *publica;* neque ea unitas poenitentiae est juris *divini,* sed tantum juris seu potius consuetudinis *ecclesiasticae,* ne poenitentia publica vilesceret. Ex hac tamen praxi **2.** nullatenus inferre licet, causam peccatorum, qui peracta semel poenitentia

tur: **1.** *communionem ecclesiasticam* hisce contineri bonis: participatione publicarum precum, jure interveniendi synaxi, in ea faciendi oblationem, jure ad suffragia, eucharistiae participatione. Jam vero **2.** propter certa quaedam peccata gravia omnibus hisce bonis et juribus privabantur fideles ac nonnisi gradatim in eorum usum restituebantur, unde ortae sunt notissimae poenitentium *stationes*. Duplex autem **3.** reconciliatio distingui debet: altera *imperfecta,* quae continebatur absolutione a peccatis, negata adhuc plena communione et eucharistia, qua ea consummabatur: altera *perfecta,* qua omnia bona et jura communionis ecclesiasticae restituebantur, quae dicebatur κοινωνία μετὰ προσφορᾶς, τέλειον, *absolutissima reconciliatio,* μέθεξις ἁγιασμῶν, *reconciliatio altaris, legitima communio, communio et pax* simpliciter. Quare **4.** si in aliquo antiquitatis monumento legimus, negatam fuisse alicui peccatori vel in articulo mortis communionem, pacem, reconciliationem etc., non licet statim inferre negatam fuisse absolutionem a peccatis, sed tantum eucharistiam, quae erat reconciliationis perfectio et consummatio.

---

publica in eadem vel graviora inciderint peccata, fuisse plane desperatam; poterant siquidem *iterum* criminum suorum remissionem consequi. Quaero enim **3.** utrum ejusmodi peccatores in peccata gravia relapsi non potuerint dolere de suis peccatis ac poenitentiam agere? Non solum poterant, sed et *debebant,* imo ad poenitentiam erant cohortandi, incitandi, cogendi. Atqui omnibus erat persuasum **a.** eam tantum poenitentiam Deo esse gratam, acceptam et fructuosam, quae in Ecclesia agitur, „cum Dominus legem tulerit, ut ligata in terris et in coelis ligata essent, solvi autem illic possent, *quae hic prius in Ecclesia solverentur,*“ ut scribit Cyprianus in ep. *synodica 54. ad Corn.* Persuasum deinde **b.** omnibus et axiomatis instar erat, neminem posse poenitentiam agere, nisi spe veniae consequendae sustentetur. Quod uno ore patres adversus novatianos, qui poenitentiam imponebant nulla facta spe veniae ab Ecclesia consequendae, urgent atque inculcant. Et revera **4.** nihil disciplina contraria perniciosius. „Si clauderetur, inquit ad rem Augustinus *serm.* 352. n. 9., aditus poenitentiae, nonne ille peccator tanto magis adderet peccata peccatis, quanto magis sibi desperaret ignosci? Diceret enim sibi: Ecce peccavi, ecce scelus admisi, jam mihi veniae nullus est locus, poenitentia infructuosa est, damnandus sum; quare jam non vivo ut volo? Quia ibi non invenio caritatem, hic saltem pascam cupiditatem. Quare enim me abstineam? Ibi mihi locus omnis clausus est: hic quidquid non fecero, perdo, quia vita, quae post hanc futura est, non mihi dabitur. Quare ergo non servio libidinibus meis, ut eas impleam et saturem, et faciam quidquid non licet, sed libet?“ etc. Disciplinam talium fructuum feracem sancietne Ecclesia? Quare **5.** patres unanimes statuunt, neminem posse ab agenda poenitentia hujusque fructu i. e. peccatorum remissione excludi. Tenendum est ergo **6.** potuisse ejusmodi recidivos poenitentia *privata* absolutionis beneficium consequi. Neque **7.** contra hanc sententiam excipiatur, ex ea sequi, meliorem fuisse conditionem peccatorum post relapsum, cum ipsis non amplius fuerit agenda poenitentia *publica,* sed tantum privata, quod absonum videtur. Nam **a.** tanti aestimabatur poenitentia publica, ut *secundi baptismi* loco haberetur; relabentium vero **b.** poenitentia plus minusve suspecta videbatur; hinc **c.** eorum reconciliatio saepe differebatur ad mortem usque.

Caput II.

De contritione ad peccatorum remissionem per clavium potestatem obtinendam necessaria.

1114. Poenitentiam seu animi dolorem detestationemque peccatorum saltem aliquam esse necessariam ad remissionem peccatorum per potestatem clavium obtinendam, colligitur **1.** ex tot exhortationibus Dei, quibus peccatores omnes ad poenitentiam excitat, et quidem ita, ut citra hanc dispositionem veniam obtinere nequeant. *Si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis* Luc. 13, 3. **2.** Ex eo, quod s. Petrus ad peccatorum remissionem etiam per baptismum obtinendam exegerit poenitentiam Act. 2, 38. dicens: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum . . . in remissionem peccatorum.* **3.** Ex innumeris patrum scriptis, sermonibus etc., quibus hanc inculcant necessitatem. **4.** Ex praxi Ecclesiae, quae nonnisi poenitentibus beneficium remissionis indulsit. **5.** Ex rei natura: nam ad impetrandam offensae veniam ab offenso necesse est, ut offensor, quantum est in se, illud removeat, quod merito offensi provocat iram i. e. ipsam culpam seu offensam. Cum vero offensor injuriam infectam reddere nequeat, necesse est, ut eam *aequivalenter* tollat, quod fit, dum ei renunciat, eam aversatur, odio prosequitur, actibus oppositis emendare nititur, uno verbo, necesse est, ut de ea agat poenitentiam. Quare ad rem scribit Augustinus *de duabus animabus contra Manich.* n. 32: „Potest aliquis dicere, non se peccare, non autem sibi esse, si peccaverit, poenitendum, nulla barbaries dicere audebit." Ideoque concilium trid. sess. 14. c. 4. docet: „Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum contritionis motus necessarius."

1115. **Thesis CLIV.** ***Contritio caritate perfecta hominem Deo reconciliat, priusquam per potestatem clavium absolvatur, non tamen citra votum recurrendi ad clavium potestatem.***

Demonstratio. Concilium trid. sess. 14. c. 4. *contritionem* generatim definit: „animi dolorem ac detestationem de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero." Contritio dicitur *caritate perfecta* seu *formata,* si caritate formae instar perficitur, si peccator de peccatis dolet ex motivo caritatis Dei super omnia, quod peccatum offensa sit Dei summi boni summeque amabilis. Hanc autem tantae esse praestantiae, ut hominem Deo reconciliet, antequam ad clavium potestatem recurrat, non tamen citra hujus recursus votum, doctrina est *catholica* non solum contra Lutherum tenenda, sed et contra Bajum, cujus damnatae sunt prop. 31. 32. 33. 70. 71. Eam proponit concilium trid. sess. 14. c. 4: „Docet praeterea (s. synodus), etsi

contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam." Imo teste Pallavicino *hist. conc. trid.* l. 12. c. 10. n. 27: „canon quoque paratus fuerat, ubi damnabatur quisquis negaret, contritione, qua poenitens divina gratia per Christum cooperante dolet de peccatis propter Deum, cum proposito confitendi et satisfaciendi remitti peccata."

1116. Probatur autem **1.** ex divinis literis, in quibus promittitur dilectioni et poenitentiae sincerae remissio peccatorum[1]). Cum vero in V. Testamento nullum foret sacramentum poenitentiae, remissio *immediate* erat conjuncta saltem cum contritione *perfecta.* Atqui dignitas et meritum actuum in N. T. imminuta non fuit, nec institutione sacramenti aucta difficultas obtinendae veniae, sed potius imminuta: cum mediante sacramento sufficiat dispositio, quae per se non sufficiebat in V. T. Ergo etiam modo *immediate* cum contritione *perfecta* juncta erit remissio peccatorum. Neque obstat similia *de fide* affirmari, quin tamen *sola* fides justificet. Ingens enim est *discrimen* inter *fidem* et *caritatem:* nam haec fidem praesupponit, imo et plures alios actus salutares: ipsa est dispositionis *apex* et *consummatio* tantaeque perfectionis, ut cum peccato gravi consistere nequeat: contra fides est dispositionis *inchoatio,* cum peccato consistere potest, sola ad justificationem non sufficit, ut ostendimus n. 914., quod tamen *de caritate,* quae dicitur *plenitudo legis* Rom. 14, 10., *nunquam* affirmatur. Eadem **2.** est doctrina patrum; atque **3.** in eandem sententiam conspirant scholae theologi, ut de Lugo *de poenit.* disp. 5. sect. 8. n. 116. dicat, „quod sit sententia (Silvii, qui Bajo favet) contra theologos *omnes,* clarius est, quam ut probatione vel inductione indigeat." Nota sunt verba s. Thomae in 4. dist. 17. q. 2. art. 5: „Quantumcunque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet."

1117. Contritionem autem ut justificet ante sacramenti susceptionem, includere debere *sacramenti votum,* diserte statuit supra concilium. Hinc damnata fuit a 1479. a Sixto IV. Petri oxumensis prop. 1: »Peccata mortalia quantum ad culpam et poenam alterius seculi delentur per solam cordis contritionem sine ordine ad claves.« Ratio est, quia ut infra videbimus, in praesenti rerum oeconomia recursus ad claves necessarius est ad

[1]) Prov. 8, 17: *Ego diligentes me diligo;* Joan. 14, 21: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum;* Luc. 7, 47: *Remittuntur ei* (mulieri peccatrici) *peccata multa, quoniam dilexit multum;* Ezech. 18, 21; 33, 12: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua;* Zach. 1, 3: *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos* etc.

obtinendam peccatorum remissionem non minus ac baptismus. Si ergo Deus intuitu caritatis peccata remittit, antequam quis se ad clavium receperit potestatem, id eatenus facit, quatenus caritas est *plenitudo legis* ac proinde firmum includit propositum adimplendi praeceptum de recursu ad potestatem clavium: quod si illud non includeret, jam non esset *vera* caritas. Acceptat proinde Deus tam bonam voluntatem *interim* pro opere[1]).

1118. **Scholion.** Ut doctrina catholica plenius illustretur, animadvertimus **1.** ex iisdem fontibus colligi, non requiri ad peccati remissionem extra sacramentum, ut contritio habeat *certum quendam intensionis gradum*[2]), sed sufficere, ut sit *appretiative* summa.

---

[1]) Quaeritur, quare is, qui virtute contritionis caritate perfectae remissionem consecutus est peccatorum ante susceptum sacramentum, adhuc obligetur recurrere ad potestatem clavium et confiteri peccata jam remissa? Hujus obligationis ratio est *multiplex*. Obligatur **1.** ratione *voti* seu *propositi* confitendi, cum contritio caritate perfecta *non sine sacramenti voto* hominem Deo reconciliet; **2.** ratione *satisfactionis* Deo exhibendae. Obligatur **3.** ratione *ordinis* et *disciplinae*. Vult enim Deus, ut quae *praeter ordinem* a se statutum via quasi *extraordinaria* benignus confert, rata veluti habeantur ab Ecclesia: non quasi sine hujus approbatione irrita forent, sed quod eam vicariam constituerit suam nosque ab illa ut filios a matre voluerit pendere, ut spiritui privato viam praecluderet, illusiones illius, qui se in angelum transfigurat lucis 2. Cor. 11, 14., praepediret obedientiamque foveret et humilitatem. Ideoque ipse Christus illos, quos a lepra sanaverat, ad sacerdotes misit (Luc. 17, 14.); et Paulum, quem vel ipso conversionis momento vel saltem illo triduo, quod totum in jejunio et oratione transegit, justificatum fuisse vix possumus dubitare, ad Ananiam ire jussit, ut ab eo baptizaretur (Act. 9, 7. ss.). Obligatur **4.** ratione *boni communis*, alioquin potestas clavium frustraretur, cum quilibet facile contritum se esse sibi persuaderet eaque repeteret, quae merito reprehendit Augustinus *serm.* 392. al. hom. 49. inter 50. (qui tamen nonnihil dubius est) n. 3: „Nemo sibi dicat, occulte ago, apud Deum ago (poenitentiam): novit Deus, qui mihi ignoscat, quia in corde meo ago. Ergo sine causa dictum est: *Quae solveritis in terra, soluta erunt in coelo* (Matth. 18, 18.)? Ergo sine causa sunt claves datae Ecclesiae Dei? frustramus Evangelium, frustramus verba Chrsti?“ Obligatur **5.** ratione *securitatis*, nam nemo potest esse certus, quod contritio sua sit sufficiens ad deletionem culpae et poenae. Sed poteritne is, qui virtute contritionis Deo jam est reconciliatus, rite absolvi, an non erit sacerdotalis absolutio vel falsa vel saltem inefficax et inutilis? Nihilo minus, nam, ut docet Suarez t. 4. in 3. p. disp. 19. s. 2. n. 19., „quamvis verbum *absolvo* solum videatur significare vinculi solutionem, tamen quia non dissolvitur, nisi per informationem gratiae, ideo juxta subjectam materiam, ex vi ejusdem verbi significatur gratiae infusio ordinata ad peccati remissionem; seu aliis verbis peccata *iterum* remittuntur, *novo* scil. *titulo* collata gratia, quae virtute sibi insita peccata, si qua invenit, delet; si jam sunt remissa, *amplius lavat* hominem Deo reconciliatum *ab iniquitate sua* aucta ejus munditie (Ps. 50, 4.).

[2]) Frustra provocant, qui exigunt certum quendam intensionis gradum in contritione, ad dilectionis praeceptum Deut. 6, 4; Matth. 22, 37., quo praecipitur, ut Deum diligamus ex *toto* corde, ex *tota* anima, ex *tota* virtute, ex *omnibus* viribus; sive ad Joel 2, 12: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejuniis, et*

Amare aliquid *appretiative* significat **a.** amare illud secundum judicium aestimationemque intellectus *de pretio objectivo* rei amatae: quocirca talis amor a nonnullis dicitur amor *intellectualis.* Si ergo **b.** voluntas amando Deum reliquis creaturis theoretice et practice praefert secundum judicium intellectus, qui judicat majorem inesse Deo bonitatem, quam reliquis omnibus rebus, hic Dei amor *appretiative* erit *summus.* Intensio vero **c.** actus alicujus v. g. amoris, supponit hunc jam in suo genere constitutum, estque nonnisi quaedam amoris qualitas et affectio, orta ex vehementiori facultatis ad objectum applicatione et hujus in illam influxu. Cum autem objecta sensibilia magis permoveant, quam spiritualia, facultatesque etiam sensitivae vehementius applicari possint suis objectis, quam rationales, nil mirum si amor vel dolor *sensibilis* intensior esse soleat amore *rationali* et spirituali. Quam ob rem **d.** fieri potest, ut aliquis amor Dei sit admodum intensus (sensibilis nimirum ex vehementi concione obortus), quin sit appretiative summus; et ut homines magis afficiantur amore rerum creatarum earumque amissione quam amore Dei ejusque offensa, et tamen Deum super omnia appretiative ament.

1119. Colligimus **2.** ex iisdem fontibus, non requiri, ut contritio perfecta extra sacramentum justificet, certam quandam *temporis durationem.* Quare s. Thomas in 3. p. q. 84. a. 8. ad 1. docet: „Homo in *primo instanti* verae poenitentiae remissionem consequitur praeteritorum peccatorum." Quod patres passim inculcant occasione eorum, quae legimus 2. Reg. 12, 13. Vix enim David post patratum adulterium et homicidium audita prophetae Nathan correptione dixit: *Peccavi Domino,* audiit ex ejusdem ore: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Ideo Ps. 31, 5. ait: *Dixi: confitebor adversum me injustitiam meam, et tu remisisti impietatem peccati mei.*

1120. Quaeritur **3.** quaenam *caritas* ad contritionem perfectam requiratur. Responderi solet, requiri amorem *amicitiae* et *benevolentiae,* quod verissimum est. Si autem ulterius quaeris, quodnam sit hujus caritatis *motivum formale,* non eadem est omnium theologorum responsio. Plures respondent requiri, ut Deus ametur propter bonitatem suam *absolutam;* non sufficere, si ametur propter bonitatem *relativam,* seu ut est summum bonum nostrum. Non desunt tamen theologi, qui contendant, *toties amorem esse perfectum,* ideoque justificantem extra sacramentum, *quoties motivum et ratio amandi Deum est indistincta a Deo,* proinde etiamsi Deus ametur ut *summum bonum et beatitudo nostra* seu propter bonitatem respectivam: nam et haec est perfectio indistincta a Deo, quare si propter eam amatur Deus, amatur propter se.

---

in fletu et in planctu; Deut. 4, 19. etc. Hisce enim non significatur Deum esse diligendum omnibus viribus *intensive,* quo sensu praeceptum esset vel impossibile, vel durum et occasio innumerarum anxietatum: sed extensive seu *appretiative:* ita scilicet, ut nulla sit affectio deliberata, quae non explicite vel implicite in Deum referatur, et quae adhaereat objecto illicito. Aliis verbis, sermo est non de *totalitate intensionis,* sed de ea, quae opponitur *duplicitati,* divisioni cordis inter Deum et aliud objectum Deo non subordinatum, sed ipsi oppositum.

1121. **Thesis CLV.** ***Ad remissionem peccatorum virtute potestatis clavium obtinendam non requiritur contritio caritate perfecta.***

Demonstratio. Thesis statuitur contra plures theologos antiquiores et recentiores, eaque est *fidei proxima*. Colligitur vero **1.** ex damnatione prop. 58. Baji: „Peccator poenitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui poenitentiam suggerens et inspirans vivificat eum et resuscitat, ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur;" unde consequitur, doctrinam esse catholicam, ministerio sacerdotis absolventis vivificari peccatores poenitentes. Si autem contritio perfecta ad absolutionem praerequireretur, nunquam peccatores virtute absolutionis vivificarentur, utpote jam virtute contritionis vivi. **2.** Juxta doctrinam concilii trid. sess. 14. c. 7. et patrum absolutio peccatori adeo est necessaria, ut is ex ejus defectu perire possit. Atqui nullus unquam periret ex absolutionis defectu, si ad eam valide recipiendam semper necessaria esset contritio perfecta. Denique **3.** clavium potestas Ecclesiae concessa fuit ad reconciliandos Deo peccatores; hunc vero fructum nunquam assequeretur, si ad absolutionem necessaria semper foret contritio perfecta, quae ante absolutionem jam peccatorem Deo reconciliat.

1122. **Scholion.** Opponi posset patrum auctoritas, qui reconciliationem peccatoris conferunt cum Lazari resuscitatione. Proinde sicut apostoli non Lazarum mortuum sed jam a Christo resuscitatum solverunt Joan. 11, 44: ita sacerdotes non videntur posse absolvere nisi illos, quos Deus gratia sua jam a morte excitavit quique virtute contritionis sunt jam vivi. Verum haec difficultas solvitur distinguendo inter vitam *habitualem, perfectam,* quae gratia sanctificante continetur, et *imperfectam, initialem,* quae consistit in actibus salutaribus ex gratia actuali et cooperatione liberi arbitrii profectis, et quibus homo aspirat et disponitur ad vitam habitualem. Haec, non illa, ad absolutionem praerequiritur, et hujus auctor est etiam Deus. Nisi enim Deus peccatori inclamet: *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis* (Eph. 5, 14.), peccator ad remissionem peccatorum consequendam se disponere non posset. Opponi praeterea posset auctoritas plurium theologorum scholae per tria secula, qui contritionem exigebant pro obtinenda absolutione. Verum post concilium trid. horum opinio est deserenda. Nec propterea putandum est, hos theologos praelusisse erroribus protestantium de sacramento poenitentiae. Omnes enim illi **1.** admittebant poenitentiam *verum* esse *sacramentum;* **2.** confessionem esse *jure divino* necessariam; **3.** contritionem eatenus tantum remittere peccata, quatenus *votum* complectitur recurrendi ad clavium potestatem; hanc vero **4.** potestatem non esse tantum theoreticam et inefficacem, sed omnino *practicam:* docebant enim ratione hujus potestatis habere sacerdotes jus **a.** imponendi satisfactiones, remittendi **b.** reatum poenae vel aeternae vel temporalis, **c.** conferendi gratiae augmentum, aut gratiam actualem, qua peccator non satis dispositus reddatur dispositus[1]).

---

[1]) Seu *ex attrito contritus*, ut solent loqui theologi scholae. Sed quaeri potest, quomodo quis ex *attrito* fiat *contritus*. Fieri id potest **1.** *successione actuum*

1123. Cum ergo 1. ad peccatorum remissionem obtinendam requiratur aliquis dolor, et quidem in praesenti ordine supernaturalis, non autem 2. contritio perfecta, sequitur per modum corollarii, *sufficere contritionem imperfectam* seu attritionem. Discrimen vero 3. inter contritionem perfectam et attritionem non satis bene explicant theologi illi, qui contendunt, attritionem a contritione distare gradu tantum et intensione. Differunt siquidem 4. *specie* et quidem ratione *motivi.* Toties nimirum habetur attritio, quoties de peccatis dolemus ex motivo supernaturali, sed distincto a perfecta caritate: conveniunt vero omnino secundum concilium trid. sess. 14. c. 4. in eo, quod *utraque* sit animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero. Jam quaeritur 5. utrum quaelibet attritio ex motivo supernaturali concepta ad sacramentum poenitentiae sufficiat; quod nobis *omnino affirmandum* videtur post concilium trid., secundum quod c. 3. *contritio* est unus ex illis actibus, qui una cum absolutione sacramentum constituunt. Atqui contritionem ad hoc sacramentum absolute necessariam definit synodus c. 4. „animi dolorem ac detestationem de peccato cum proposito non peccandi de cetero," *nulla facta mentione qualitatis motivi.* Ergo *quodcunque* demum sit motivum contritionis, dummodo ea sit *supernaturalis* animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero, ad sacramentum poenitentiae sufficiet. Hinc 6. sponte sua consequitur, attritionem illam sufficere, quae „vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludit cum spe veniae." Eoque magis, quod concilium illi eam disponendi vim ad justificationem attribuat in sacramento, qua caret extra sacramentum. Atqui etiam extra sacramentum ea est dispositio *remota.* Ergo in sacramento est *proxima.* Deinde concilium eam speciei instar complectitur sub illa contritione, quam initio capitis definierat, quamque cap. 3. dixerat partem sacramenti. Ergo ad validam absolutionem sufficiet ejusmodi attritio.

1124. Ad solvenda plura sophismata advertatur: 1. *multas* esse timoris *species:* alius est enim *naturalis,* quo natura duce mala naturae reformidamus; alius *mundanus* seu humanus, quo quis ita mala et damna ab hominibus inferenda metuit, ut ad ea vitanda Deum offendere non refugiat; alius *servilis,* cum quis gehennae poenarumque a Deo infligendarum metu divinam exsequitur legem deque peccatis dolet. Quod si is non solum manum, sed et voluntatem cohibet a peccato, *simpliciter* servilis dicitur; si

vel motivorum, cum dolori imperfecto attritionis succedit dolor ex caritate perfecta; 2. *aequivalenter,* cum quis attritus mediante sacramento consequitur justificationis gratiam: tunc enim consequitur, ac si fuisset contritus.

vero manum tantum cohibet metu poenae, quin reprimat peccandi desiderium, dicitur *serviliter* servilis. Alius est *filialis* seu castus, qui Deum ut patrem amantissimum reveretur; alius dicitur *initialis* seu mixtus, cum quis culpam timet et propter offensam Dei et propter poenae metum. Quare praecipites sunt, qui ex eo, quod patres *aliquem* poenae timorem damnant, *omnem* esse malum inferunt.

1125. Inepte **2.** nonnulli timorem poenae calumniantur, quod semper adjunctam habeat voluntatem quandam interpretativam peccandi, nisi poena immineret. Hi enim non vident, pari ratione omnes fere actus vel sanctissimos simili calumniae esse obnoxios; neque vident, ejusmodi voluntatem, si esset *deliberata, verum* fore peccatum, ac proinde ab ipso sincero inferni timore excludi, cum propter ipsam incurreretur infernus, quem hic timor refugit. Frustra vero **3.** nos terrent inimici timoris servilis, dicentes, eum oriri ex amore *proprio*, ex fonte scil. vitioso. Amor enim proprius, si inter debitos se contineat limites, non solum non est malus, sed *bonus;* alioquin neque creator illum naturis inseruisset, neque Salvator normae instar proponeret, ad quam exigendus sit *amor proximi* supernaturalis. Neque inordinatum est propter poenam vitare culpam, cum ideo Deus intentet poenam, *ut* vitetur culpa. Proinde qui ex hoc motivo culpam cavet, agit *secundum Dei voluntatem,* ideoque certe non inordinate.

1126. Acris est inter theologos controversia, utrum ad attritionem sufficientem pro obtinendo beneficio absolutionis, necessario requiratur *initialis* aliqua *dilectio*[1]). Nolumus hanc dirimere controversiam, cum **1.** ea non tanti videatur momenti. Neque enim poenitentes de hac initiali dilectione anxie interrogandi sunt, quam potius de *sinceritate* doloris: et in praxi satagendum est, ut quo meliori fieri possit modo ad reconciliationem sint parati. Si ea **2.** *theoretice* spectetur, idcirco difficilis est, quod vix definiri possit, *quae* dilectio et *quo in gradu* requiratur. Hinc vix ulla est amoris *species* ullusque *gradus* in *tota* dilectionis *scala,* quae suos non habeat patronos et quod est consequens, argumenta, quibus singuli suam tuentur sententiam, ple-

---

1) Ceterum ea censeri potest satis soluta ex dictis n. 1123., et ex Alexandri VII. decreto, quo praecipit cunctis et singulis fidelibus, ut ‚non audeant alicujus theologicae censurae alteriusve injuriae aut contumeliae nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in praefata attritione (sufficiente ad valide recipiendum poenitentiae sacramentum) ex metu gehennae concepta, quae hodie inter scholasticos *communior* videtur, sive asserentem dictae dilectionis necessitatem, donec ab hac sancta sede fuerit aliquid hac in re definitum.‘ Jam vero Ecclesia non posset permittere sententiam initialis amoris necessitatem negantem, si non certum vel saltem probabilius esset, non requiri initialem amorem, ne poenitentiae sacramentum exponeret cum damno tot animarum nullitatis periculo, nam damnavit Innocentius XI. hanc prop. 1: ‚Non est illicitum, in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi etc.‘

rumque *nimium* probant[1]). Denique **3.** haec quaestio relate ad plures theologos videtur quaestio magis de *nomine* quam *de re.* Eum enim actum exigunt dicuntque amorem initialem, qui formaliter et proprie nondum est amor, sed ad amorem disponit, amorem quadamtenus implicite includit, et quem quilibet attritionistarum exiget.

Caput III.

De confessione.

1127. **Thesis CLVI.** ***Ad remissionem peccatorum letalium post baptismum commissorum obtinendam tenentur fideles ad clavium potestatem recurrere.***

Demonstratio. Thesis est *de fide,* ut infertur ex concilii trid. sess. 6. can. 29; sess. 14. c. 2. et can. 6: „Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse jure divino . . . A. S.;“ et 7. (n. 1129.). Probatur **1.** ex 2. Cor. 5, 18 s.: *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis . . . Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo: Reconciliamini Deo;* Matth. 28, 18. s.; Joan. 20, 21. s. (n. 1103.), quibus collata fuit haec potestas, ex quibus habemus: **a.** apostolis eorumque successoribus concreditum esse ministerium reconciliationis eosque pro Christo legatione fungi; **b.** quocirca Christum duplici eos instruxisse auctoritate, ut reconciliationis beneficium dispensarent, jure scil. baptizandi et clavium potestate. Atqui reconciliatio cum Deo omnibus peccatoribus est necessaria. Ergo et recursus ad ministerium ecclesiasticum, cui concreditum est reconciliationis munus. Quare sicut recursus ad *ministros baptismi* ex omnium confessione re vel voto est *necessarius,* ita necessarius erit recursus pro peccatoribus jam baptizatis *ad potestatem clavium.* Neque enim *ulla* ratio discriminis potest in-

---

[1]) Provocant enim ad testimonia Scripturae et patrum, quae agunt vel de caritate *habituali,* vel actuali sed *perfecta,* vel de necessitate caritatis ad *meritum* vitae aeternae, aut ad *perfectam* conversionem et perseverantiam in ea, vel de necessitate illius amoris, qui non distinguitur *a qualibet pia et salutari voluntatis motione.* Neque plus probat princeps eorum argumentum ex sess. 6. c. 6., ubi concilium ad justificationem per baptismum consequendam exigit, ut peccatores *incipiant diligere Deum,* ut justitiae fontem. Probandum esset enim **a.** concilium recensere ibi actus omnes, qui ad justificationem absolute necessarii sunt: quod probari nequit, recensetur siquidem et actus timoris; et **b.** conc. loqui de dispositione ad justificationem per sacramentum actu susceptum consequendam. Atqui concilium loquitur de ea dispositione, quae ad justificationem etiam *cum solo voto baptismi* sufficit, ad hanc autem requiritur Dei dilectio.

dicari. Quapropter patres poenitentiam, quae in Ecclesia agitur, alterum vocant baptismum, secundam post naufragium tabulam, et potestatem clavium exhibent parallelam baptismo th. CLIX.

1128. Ad haec **2.** potestas remittendi peccata peccatorum jam baptizatorum exhibetur sub symbolo *clavium* regni coelorum, et remissio retentioque ab ea profecta ut intime connexa cum peccatorum remissione ac retentione coelesti. Atqui neque hoc esset verum, si peccator independenter ab hac potestate criminum posset consequi remissionem; neque illud symbolum veritati inniteretur, si quilibet independenter a potestate clavium coelum peccato clausum posset sibi aperire. **3.** Ex controversia cum montanistis et novatianis liquet, catholicis fuisse persuasum, poenitentes ad desperationem adduci, si eis venia ab Ecclesia negetur (n. 1112.) Atqui nulla fuisset desperandi ratio, imo omnis controversia universaque praxis poenitentialis per plura secula sensu carerent, si peccatores *independenter* ab Ecclesia possent obtinere peccatorum veniam.

Accedunt **4.** luculenta patrum effata. Ita Augustinus ep. 228. *ad Honoratum* hanc n. 8. reddit rationem, quare Ecclesia ministris non liceat fugere tempore invasionis hostilis: „An non cogitamus, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu atque ab omni aetate concursus, aliis *baptismum* flagitantibus, aliis *reconciliationem,* aliis etiam poenitentiae ipsius actionem, omnibus consolationem et sacramentorum confectionem et erogationem? Ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto seculo vel *non regenerati* exeunt vel *ligati?* . . . Si autem ministri adsint . . . omnibus subvenitur, alii baptizantur, alii *reconciliantur.*“

1129. **Thesis CLVII.** ***Fidelibus peccatoribus jure divino officium incumbit confitendi omnia et singula peccata gravia post baptismum contracta.***

Demonstratio. *Confessionis necessitatem* negant in primis novatores sec. XVI., quorum tamen nonnulli illius concedunt *utilitatem* et usum in antiqua Ecclesia. Contra quos tenendum est, confessionem esse *institutionis divinae* et ad peccatorum remissionem obtinendam *necessariam.* Ita enim statuit concilium trid. sess. 14. can. 7: „Si quis dixerit, in sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse *jure divino* confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant; sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum poenitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinae misericordiae ignoscendum; aut demum non licere confiteri peccata venialia, A. S.“

1130. Confessionis necessitas probatur **1.** ex ipsa potestatis divinitus collatae indole. Potestas enim *judicialis* exerceri nequit, quin

singula, circa quae versatur peccata, cognoscantur, ut inductione *omnium judiciorum* liquet: adeo ut illud judicium *temerarium* dicatur, quod causa incognita fertur. Atqui potestas clavium est judicialis. Ergo peccata, circa quae remittenda vel retinenda versatur, cognosci debent. Ea vero cognosci nequeunt, nisi peccatoris confessione. Ergo peccatoris confessio necessaria est ut potestas clavium possit exerceri. Potestatem autem clavium esse *judicialem,* colligimus **a.** ex controversia catholicorum cum montanistis. Utrique enim sedulo peccata in varias species distinguebant. Illi, ut ex praescripto Christi pro varietate peccatorum majores minoresve imponerent satisfactiones; isti, ut pro varietate peccatorum veniam vel concederent vel negarent. Consensere ergo utrique, non cognita causa potestatem hanc exerceri legitime non posse. Deinde **b.** ea potestas est *judicialis,* quae versatur circa peccata, sed aliter atque aliter est exercenda pro varietate et gravitate peccatorum; qua pro delicti qualitate alia atque alia est imponenda satisfactio. Ejusmodi vero est haec potestas, ut patet ex praxi antiquae Ecclesiae.

Ita statuit conc. laodicenum (a. 343—381.) can. 2: »Eos, qui in diversis delictis peccant et in ratione confessioneque et poenitentia fortiter perseverant et se a malis perfecte convertunt, tempore poenitentiae eis *pro delicti proportione* dato propter Dei miserationes et bonitatem offerri communioni;« conc. carthaginense III. (a. 397.) c. 31: »Ut poenitentibus *secundum peccatorum differentiam* episcopi arbitrio poenitentiae tempora decernantur.« Mirum proinde esse non debet **c.** si sacerdotes clavium potestate instructi *judices,* hujus potestatis exercitium a patribus *judicium* dicantur, ut a Theodoreto q. 15. *in Exod.:* »Sicut sacerdos lepram dijudicat, ita oportet ipsum et judicem esse peccatorum animae;« et in *constit. apost.* l. 2. c. 11. s. legimus: »In ecclesia sede (episcope) sermonem faciens, ut qui potestatem habeas judicandi eos, qui peccarunt. Quoniam vobis episcopis dictum est: *Quodcunque ligaveritis* etc. (Matth. 18, 18.). Judica igitur, episcope, potestate fretus tamquam Deus.« Id colligitur **d.** ex ipsa hujus potestatis indole, quae non pro arbitrio, sed ita est exercenda, ut nonnisi rite dispositis peccatorum remissio dispensetur; versatur deinde circa peccata et peccatores ad duplicem plane diversam complectitur functionem ligandi atque solvendi. Atqui talis potestas nequit exerceri, quin discernatur inter peccata et peccata, peccatores et peccatores, quin cognoscatur causa. Quare Hieronymus *in Matth.* 16. disserens de sacerdotibus leviticis discernentibus inter lepram et lepram ait: »Sic et hic (in N. T.) alligat vel solvit presbyter non eos, qui insontes vel noxii, sed pro officio suo, *cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus quive solvendus.*«

1131. Probatur 2. ex *consensu ecclesiae graecae* schismaticae, quae se jam seculo IX. ab Ecclesia latina separavit, et ex *consensu sectarum Orientis,* quae jam seculo V. Ecclesiam reliquerunt[1]), de cujus pro-

[1]) De hoc consensu cf. *Perpétuité de la foi* t. 5. l. 3. c. 3. s.; Denzinger, *ritus orient.* t. 1. Ita synodus hierosol. a. 1672. capit. 15. (Hard. 11, 247.)

bandi vi omnia repetantur quae diximus n. 1004. ss. Probatur **3.** *ex patrum testimoniis.* Testes doctrinae catholicae sunt **a.** patres, quoties clavium ministros vocant *judices,* hujus potestatis exercitium *judicium,* atque ideo exigunt, ut pro delicti qualitate satisfactionis mensura determinetur (n. 1130.). Quoties **b.** conferunt clavium ministros *medicis,* peccatores *infirmis, morbis* peccata.

Ita Aphraates, scriptor syrus sec. IV., in tract. *de poenit.:* Non pudet, inquit, in proelio vulneratum manifestare ac tradere sese medico sapienti . . . eodem modo homo a diabolo superatus minime erubescat, peccatum suum confiteri et derelinquere atque poenitentiae medicinam sibi exorare . . . Nec potest sanari, qui hoc erubescit, quia vulnera sua non vult monstrare medico, qui duos denarios accepit, quibus cunctis sauciatis medeatur (cf. Luc. 10, 35.). O medici, discipuli illius Medici nostri sanctissimi, monstranti vulnus medicinam concedite poenitentiae; eum autem, qui ob pudorem haesitat, quominus vobis morbum suum manifestet, serio monete, ne illud vos celet.« Asterius amasenus homil. *advers. eos, qui alios acerbius judicant:* »Audacter ostende sacerdoti, quae sunt recondita animi arcana, tamquam occulta vulnera medico detege; ipse honoris et valetudinis tuae rationem habebit . . . Tu vero, cujus animus aeger est, cur non ad medicum properas, cur non ei morbum tuum ostendis confitendo?«

1132. Testes sunt **c.** quoties peccatores deterrent, ne pudore seducti crimina quaedam celent. Ita Pacianus *paraenesi ad poenit.* n. 6. et 8: „Rogo ergo vos, fratres, etiam pro periculo meo per illum Dominum, quem occulta non fallunt, desinite vulneratam contegere conscientiam. Prudentes aegri medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus etiam secaturos, etiam perusturos. Peccator erubescet perpetuam vitam praeteriti pudore mercari? . . . an sic illi melius est perire?"

Accedunt **d.** diserta testimonia. Ita scribit Leo epist. 148. ad *episc. Campaniae:* »Illam etiam contra apostolicam regulam praesumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri: de poenitentia videlicet, quae ita a fidelibus postulatur, ut de singulorum peccatorum genere libellis scripta professio publice recitetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicare confessione secreta.« Et Cyprianus *de lapsis* n. 29. hos ita hortatur: »Confiteantur singuli, quaeso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in seculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est.« Quare Theodoretus *haeret. fabul.* l. 4. c. 10. carpit audianos, »quod vera peccata (in poenitentia) celarent, cum parva peccata et gravia sacerdoti aperienda sint.« Notanda quoque sunt verba Lactantii l. 4. c. 30: »Sciendum est, illam esse veram Ecclesiam, in qua est *confessio* et poenitentia;« et Gregorii nyss. orat. 2. *contra Eunomium:* »Si sanctae Trinititas confessio

---

recensens septem Ecclesiae sacramenta sexto loco ponit sacramentum poenitentiae, »*in quo et secreta includitur confessio.*»

est inutilis, inutiles sunt Ecclesiae ritus. In his autem ritibus est sigillum, deprecatio, baptisma, *peccatorum confessio.*«

1133. Accedit **4.** ratio inde petita, quod confessionis praeceptum secundum omnia consideratum adjuncta ejusmodi sit, quod *humana* auctoritate non potuerit imponi; est ergo institutionis *divinae.* Quae illatio *triplici* modo confirmatur. Sane **a.** omnis innovationis humanae in Ecclesia saltem alicujus momenti scimus parentes, patriam, annum natalem etc. Atqui hujus innovationis, qua fideles dicuntur privati libertate evangelica et facti obnoxii huic jugo tyrannico atque carnificinae, nec auctor, nec patria, nec annus natalis assignari potest; ridendus enim foret, qui *serio* ejus auctorem diceret Innocentium III., cum is *necessitate confessionis supposita,* tamquam ab omnibus admissa, tempus tantum determinaverit, quo saltem ei sit satisfaciendum. Deinde **b.** si immutata fuisset disciplina, praesertim in re tam gravi, et privatus fidelium populus libertate evangelica, ortae essent certo in Ecclesia turbae, ut quam plurimis factis constat. Ejusmodi vero turbarum nullum in tota antiquitate reperitur vestigium. **3.** Ea, quae sunt institutionis ecclesiasticae, temporum cursu solent mutari, abrogari, in iis locum habet dispensatio. Atqui licet in disciplina poenitentiali multiplex facta sit immutatio, dispensatio etc., haec tamen nunquam attigit confessionis substantiam. Disciplina ergo poenitentialis plus minusve erit institutionis ecclesiasticae, confessio vero divinae.

1134. Ceterum confessio admodum consentanea est **1.** naturae humanae. Sicut enim natura organica humores pravos, venenum etc., ejicere nititur, qua ejectione relevatur: ita confessione peccatum ex animi latebris egeritur magna conscientiae relevatione et consolatione, ut experientia testatur. Consentanea est **2.** confessio ipsi peccatori christiano, qui ejus necessitate excitatur e somno peccati; obligatur ad scrutandam conscientiam et examinandum statum animae suae, quo procuret salutem suam, adhibeat salutis media et resipiscat a peccatis suis. Consentanea est **3.** justitiae divinae: omne enim peccatum includit quandam inobedientiam et superbiam; superbiae medetur confessionis humilitas, inobedientiam reparat prompta subjectio sub sacerdotis judicio. Consentanea est **4.** missioni et fini Ecclesiae, cujus est docere non solum integras nationes, sed et singulos promovere in via salutis et perfectionis. Eo vero melius aliquis discipulum poterit instituere, quo melius et penitius eum cognoverit. Accuratam autem animae cognitionem acquirit sacerdos sincera peccatoris confessione. Consentanea denique **5.** est confessio ipsi societati humanae, cujus bonum admodum promovere potest prudens confessarius componendo lites et dissidia, reconciliando inimicos, procurando bonorum ablatorum restitutionem, impediendo scandala[1]) etc.

---

[1]) Praeclarissima exstant testimonia protestantium, qui confessionis utilitatem et convenientiam commendant. Unus audiatur Leibnitius *in syst. theologico* ed. mogunt. 1825. pag. 264: »Totum hoc institutum divina sapientia dignum esse negari non potest, et si quid aliud, hoc certe in christiana religione

1135. **Corollarium.** Etsi clavium potestas se in primis ad ea extendat peccata, quae coelum nobis claudunt, peccata scil. *mortalia,* cum tamen adeo late pateat, se ad peccata quoque *venialia* extendet; proinde et horum confessio, licet non necessaria, utilis tamen erit. Et cum eorum confessio, licet olim minus frequens, nunc a pluribus seculis in Ecclesia vigeat, temerarium est, hanc carpere praxim. Ideoque Pius VI. prop. 39. synodi pistoriensis, cui hujus confessionis frequentia displicuit, damnavit.

1136. **Scholion.** Plura excipiunt adversarii, et **1.** quidem silentium Scripturae sive de praecepto sive de usu confessionis. Verum **a.** hoc argumentum est *negans,* cui proinde **b.** nulla inest vis contra argumenta *affirmantia,* quae ex divinis literis necessitatem et institutionem confessionis comprobant. Innititur **c.** falso supposito: credenda agendaque a fidelibus *omnia* contineri Scripturis. Neque **d.** certum est, quod adeo confidenter pronunciant adversarii, cum facti vestigia sat clara habeantur Act. 19, 18: *Multique credentium* (τῶν πεπιστευκότων) *veniebant confitentes et annunciantes actus suos,* non utique bonos, ut patet ex sequentibus: *Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros et combusserunt coram omnibus.* Praeceptum vero, vel saltem exhortationem ad confessionem plures reperiunt Jac. 5, 16: *Confitemini alterutrum peccata vestra.*

1137. Urgent protestantes frequenter **2.** factum, quod narrant Socrates H. E. l. 5. c. 19. et Sozomenus l. 7. c. 16. de expuncto per Nectarium presbytero poenitentiario occasione confessionis, qua proditum est grave diaconi crimen; unde inferunt, abrogatam fuisse ipsam confessionem, eam proinde institutionis esse ecclesiasticae. Cui exceptioni respondemus **a.** illud fuisse abrogatum, quod fuit *causa scandali,* ut patet ex ipsa facti historia. Atqui hoc fuit neque poenitentia publica pro peccatis publicis, neque confessio secreta; haec ergo abrogata non fuit. **b.** Quod fuit abrogatum, cessasse in toto Oriente. Confessio vero secreta nunquam cessavit. Quid ergo **c.** fuit abrogatum? Non una est theologorum sententia, secundum quos abrogata fuit vel poenitentia publica pro peccatis occultis, vel praxis confitendi quaedam peccata publice secundum nutum confessarii, vel species cujusdam tribunalis poenitentialis, ad quod deferebantur fratrum crimina, cujus erat in delinquentes inquirere, poenitentiam publicam moderari, ad hanc etiam adigere, poenitentibus invigilare etc.: quae sententia videtur praeferenda, cum illud fuerit abrogatum, quod post Nectarium in Oriente cessavit, quod secundum Socratem inductum fuerat tempore persecutionis decianae, quod Sozomenus tamquam Romae vigens ibidem describit:

---

praeclarum et laudabile est, quod et sinenses et japonenses sunt admirati: nam et a peccatis multos deterret confitendi necessitas, eos maxime, qui nondum obdurati sunt, et lapsis magnam consolationem praestat, et adeo puto pium, gravem et prudentem confessarium magnum Dei organum esse ad animarum salutem: prodest enim consilium ejus ad regendos affectus . . . ad omnia denique animae mala aut tollenda aut mitiganda: et cum fideli amico vix quidquam in rebus humanis praestantius reperiatur, quanti est, eum ipsa sacramenti divini inviolabili religione ad fidem servandam opemque ferendam adstringi?"

hoc autem est tribunal et institutum illud poenitentiale cum omnibus suis solemnitatibus et stationibus.

1138. Non negamus **3.** patres de poenitentia deque *peccatorum confessione* disserentes hinc inde docere, peccata esse *confitenda Deo,* imo *soli Deo,* nulla facta mentione sacerdotis; exinde tamen minime sequitur, eos confessionis necessitatem, quam catholica tuetur Ecclesia, ignorasse, nedum rejecisse. Quis enim **a.** ignoret, saepe et persaepe aliquid de Deo deque Deo *solo* affirmari, non negato propterea interventu causarum secundarum, vel eorum, qui pro Deo legatione funguntur? Profitemur *solius* Dei esse remittere peccata, num propterea non ea delet per baptismum, vel non remittit per eos, quibus dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (Joan. 20, 23.)? Quare **b.** nisi vel subjecta materia, vel orationis adjuncta, vel doctrina aliunde certa evidenter sacerdotum interventum ac ministerium excludant, ex ejusmodi patrum dictis nihil legitime *contra confessionis necessitatem* excipi poterit, praesertim cum eam alibi doceant. Proinde **c.** si patres fideles peccatores hortantur, ut confiteantur Deo peccata sua, intelligendi vel exponendi sunt eo sensu, quem plures veterum, qui clarius loquuntur, hisce subjiciunt verbis. „Confitere, inquit Anastasius sinaita († 599.) *de sacra synaxi* (in *auctar.* Combefisii t. 1. ed. paris. p. 890.), peccata tua Christo *per sacerdotem.*“ Egbertus eboracensis († 767.) praescribit (ap. Mansi *collect. conc.* t. 12. c. 232.): „*Confiteatur Deo* malefacta sua, *ut sacerdos sciat,* quam poenitentiam ipsi imponere debeat.“ Quod si **d.** nonnulla essent patrum dicta, quae excludant sacerdotis praesentiam a confessione, ea de confessione peccatorum *venialium* sunt intelligenda, vel de peccatis potestate clavium jam remissis, quae etiam atque etiam deflere oportet secundum Sapientis consilium: *De propitiato peccato noli esse sine metu* (Eccli. 5, 5.); vel denique de ea confessione, qua coram Deo peccata nostra recognoscentes ea detestamur ac lugemus, et ita nos ad illam disponimus confessionem, quae sicut hujus est fructus, ita per clavium potestatem remissionem impetrat peccatorum[1]).

1129. Concedimus quidem **4.** patres hinc inde *plura,* quandoque *sex, septem, octo* praeter confessionem recensere media, quibus peccatores crimi-

[1]) Cf. *opusc.* V, 195. annot. Quod speciatim Chrysostomum attinet, penes quem aliqua testimonia difficilia occurrunt, animadvertimus **1.** vix esse credibile, Chrysostomum hac in re aliis adversari patribus, quibuscum in eadem Ecclesia, ideoque *in eadem fide* vivebat; eumque **2.** sibi ipsi adeo contradicere, cum confessionis necessitatem alibi doceat, hom. 3. *de statuis* n. 5: „Haec et medici faciunt saepius, qui difficiles aegrotos habent, deosculantes rogantesque persuadent salutarem sumere medicinam, ita tu quoque fac; sacerdoti vulnus manifesta: hoc est curantis, hoc providentis, hoc consulentis.“ Accedit **3.** quod inter alia accusationis capita ipsi in conciliabulo ad Quercum habito a. 403. objecta et illud fuisse legimus (apud Photium *cod.* 59. Mig. *patrol. gr.* 103, 111.): „Quod licentiam peccantibus praebeat sic docens: Si iterum peccasti, poeniteat iterum: et quoties peccaveris, veni ad me, ego te sanabo.“ Quare **4.** ejus testimonia, quae objici solent, modo, quo diximus, exponenda sunt, deque confessione Deo, sed *per sacerdotem* facienda, in oppositione ad confessionem, quam rei solis hominibus i. e. coram judicibus et quidem pluribus cum magno suo damno et pudore facere debebant.

num suorum veniam consequi possint, ut eleemosynas, condonationem injuriarum etc. Verum **a.** inter ejusmodi remedia recensent etiam *baptismum;* nemo tamen propterea inferet, illos baptismi necessitatem negasse. Quare **b.** dicendum est, eos recensere media illa, quae vel *mediate* vel *immediate, directe* vel *indirecte* per modum dispositionis ad remissionem peccatorum conducunt, quaeque vel necessaria vel admodum opportuna ad eam sunt. Praeterea **c.** loquuntur de mediis ad consequendam peccatorum remissionem *intensive* et *extensive* perfectam: extensive, qua remittantur etiam peccata *venialia;* intensive perfectam, qua sanentur reliquiae peccatorum, ut habitus pravi, et relaxentur omnes poenae temporales. Jam vero ad ejusmodi remissionem plurima media una cum baptismo et confessione conducunt.

Caput IV.

De satisfactione.

1140. *Satisfactionis* nomine designatur voluntaria poenae alicujus toleratio tum ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam, tum ad redimendam poenam temporalem post remissum peccatum reliquam. Peccatores fideles *teneri ad satisfaciendum Deo* sponte sua sequitur ex conceptu *sincerae* poenitentiae, quae citra aliquam satisfactionem offenso exhibitam cogitari nequit; quocirca saepe per opera satisfactoria describitur Job 42, 3. 6; eruitur etiam ex dogmate de *purgatorio* nec non ex universali perennique Ecclesiae praxi, quae nunquam sine satisfactione, vel saltem ejus proposito, quemquam absolvendum censuit. Quapropter patres poenitentiam appellarunt baptismum laboriosum, difficilem, baptismum lacrymarum, docentque cum Isidoro hisp. l. 6. *ethymol.* n. 71: „Poenitentia appellata est, quasi *punitentia,* eo quod ipse homo in se puniat poenitendo, quod male admisit;“ vel cum Augustino *serm.* 20. n. 2: „Impunitum non potest esse peccatum, impunitum esse non decet, non oportet, non est justum. Ergo quia impunitum non debet esse peccatum, puniatur a te, ne puniaris pro illo.“ Merito igitur concilium trid. inter actus ad perfectam peccatorum remissionem consequendam necessarios etiam *satisfactionem* numerat.

1141. Verum *non requiritur, ut satisfactio opere praestita antecedat absolutionem;* quod tenendum est contra Petrum oxomensem, cujus prop. 5. damnata est: „Non sunt absolvendi poenitentes nisi peracta prius poenitentia eis injuncta;“ contra Arnaldum, ex cujus opere *de frequenti communione* desumpta est prop. 87. Quesnelli damnata: „Modus plenus sapientia, lumine et caritate est, dare animabus tempus portandi cum humilitate et sentiendi statum peccati, petendi spiritum poenitentiae et contritionis, et incipiendi ad minus satisfacere justitiae Dei, antequam reconcilientur.“ Colligitur autem **1.** ex Eccle-

siae universalis praxi, quae jam per plura secula viget. Jam vero, inquit Augustinus *ep. 118.* c. 5., „si quid totum per orbem frequentat Ecclesia .... quin ita faciendum sit disputare, insolentissimae insaniae est.“ Colligitur 2. vel ex praxi antiquissimae Ecclesiae, quae pluribus saltem in casibus[1]) ante exhibitam satisfactionem dedit absolutionem, ut moribundis, poenitentibus imminente nova persecutione, vel si ex absolutione mox concessa spes affulgeret magni lucri (spiritualis) etc. Qua in praxi 3. Ecclesia imitatur Deum, qui contentus solo proposito satisfaciendi perfecte contritis peccata remittit.

1142. *Non tota simul poena cum culpa remittitur,* sed sublata virtute clavium culpa poenaque aeterna, plerumque exsolvenda manet adhuc poena *temporalis.* Quod tenendum est contra protestantes, secundum quos poenae, quae post dimissam culpam manent, non sunt *vindicativae,* sed *praeservativae* tantum, ne in posterum peccemus. Assertio est *de fide,* ut colligitur ex concilii trid. sess. 6. c. 14. et can. 30; sess. 14. can. 12: „Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque poenitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, A. S.“ Probatur autem ex variis factis in s. Scriptura relatis. Ita David 2. Reg. 12, 14. obtenta jam venia sui peccati audiit: *Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Dei propter verbum* (scelus) *hoc, filius, qui natus est tibi, morietur.* Ipse Adam jam obtenta venia non obtinuit remissionem poenarum temporalium, quas incurrit, *quia comedit.* Accedit praxis universae antiquitatis, quae idcirco tam graves exegit poenitentias a fidelibus peccatoribus, quod crediderit, non eadem facilitate remitti peccata ante et post baptismum commissa: haec scil. non dimitti, quin aliqua poena *temporalis* sive ante absolutionem, sive post illam exsolvatur, qua divinae justitiae satisfiat.

1143. Haec *poena temporalis potest bonis operibus redimi,* sed non semper, cum Deus subinde nullam pro ea acceptet satisfactionem. Cf. 2. Reg. 12, 14. Probatur autem 1. ex divinis literis, ut 2. Paralip. 7, 13; Jer. 18, 7; Ez. 18, 21. ss.; Joel 2, 12. ss.; Dan. 4, 24. etc. Hisce

---

[1]) Hoc dicimus in hypothesi, quod vera sit sententia *communiter* a theologis recepta, absolutionem a peccatis datam non fuisse nisi *in fine* diuturnae poenitentiae vel prope finem ex. gr. post absolutam tertiam stationem substrationis. Verum candide fatemur, hanc sententiam nullatenus posse probari. Quis enim putet, absolutionem pluribus annis fuisse sejunctam a peccatorum confessione? Quare illa absolutio et reconciliatio, quae finita poenitentia solemni dabatur, fuit tantum *caeremonialis;* quod etiam inde colligitur, quod illam dare soleret episcopus, qui certe non omnium lapsorum audiverat confessiones, et ea saepe dabatur pluribus simul feria scil. V. hebdomadae sanctae.

enim et geminis in locis hortatur Deus peccatores, ut operibus satisfactoriis remissionem impetrent culpae poenaeque aeternae. Quod si peccatores operibus satisfactoriis impetrare possunt remissionem culpae poenaeque aeternae, a *fortiori* poterunt justi bonis operibus poenam redimere temporalem. Quod confirmatur **2.** suffragio patrum, de quibus ipse Chemnitius in parte 4. *examinis concilii trid.* fatetur: „Nec vero nescius sum, veteres aliquando nimis largiter et verbis nimium magnificis disciplinam canonicam commendare, ut quod Tertullianus dicit, satisfactionibus illis peccata expiari; Cyprianus illis dicit peccata redimi, ablui, sanari, et judicem placari; Ambrosius, poenas gehennae illis compensari; Augustinus, Deum illis de peccatis praeteritis propitiari." Praeterea **3.** justi possunt bonis operibus vitam mereri aeternam ejusque augmentum *aeternum* (n. 962.). Poterunt ergo a fortiori satisfaciendo redimere poenam *temporalem*[1]). Merito ergo damnata fuit prop. 77. inter bajanas: „Satisfactiones laboriosae justificatorum non valent expiare de condigno poenam temporalem restantem post culpam condonatam;" et error protestantium in concilio trid. sess. 14. can. 13: „Si quis dixerit, pro peccatis quoad poenam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis et patienter toleratis vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam poenitentiam esse tantum novam vitam, A. S."

1144. **Scholion.** Quaeritur **1.** quaenam sint *conditiones* necessariae tum ex parte operis, tum ex parte operantis *ad satisfactionem.* Respondent theologi, easdem requiri, quae ad meritum (cf. n. 956. ss.), et insuper, ut opus sit aliquomodo *poenale.* Quaeritur **2.** qua ratione conciliari possint satisfactiones nostrae cum dogmate de superabundanti satisfactione Christi pro peccatis nostris exhibita. Ad hanc quaestionem satis respondet concilium tridentinum sess. 14. c. 8. Adverti scilicet debet **a.** Christum abundanter Deo Patri satisfecisse; verum **b.** nulli hanc satisfactionem prodesse, nisi ei applicetur. Voluisse autem **c.** Deum, ut adultis fructus satisfactionis Christi non communicetur citra eorum cooperationem et conditiones ab ipsis servandas. Inter has vero **d.** conditiones esse etiam poenitentis *satisfactionem*, praesertim si relaxationem poenae temporalis post dimissam culpam poenamque aeternam reliquae impetrare intendant. Cum vero **e.** adulti satisfacere, ut oportet, non possint citra gratiam gratis intuitu meritorum Christi concessam, liquet, satisfactiones justorum praesupponere

---

[1]) Docent autem theologi, satisfactioni sacramentali, cum sit *pars sacramenti* poenitentiae instituti ad remissionem peccatorum, etiam causalitatem aliquam *ex opere operato* respondere, non respectu remissionis peccatorum, quae ante exhibitam satisfactionem absolutioni debetur, sed respectu poenae temporalis, quae luenda manet post dimissam virtute absolutionis culpam poenamque aeternam.

et meritum et satisfactionem Christi ex eaque totam suam mutuari vim ideoque eam quam maxime commendare.

Caput V.

De poenitentiae sacramento.

1145. **Thesis CLIX.** ***Soli sacerdotes ministri sunt potestatis remittendi retinendique peccata.***

Demonstratio. Thesis statuitur contra waldenses et wicleffitas asserentes, laicos quoque bonos a peccatis absolvere posse; contra novatores seculi XVI., quorum doctrinam damnavit concilium trid. sess. 14. c. 6. et can. 10: „Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere, aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum: *Quaecunque ligaveritis* etc.; et: *Quorum remiseritis peccata* etc.: quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem, A. S.“

1146. Probatur **1.** ex verbis Christi Matth. 18, 18; 16, 19; Joan. 20, 23. (n. 1103.), quibus confertur haec potestas apostolis, quatenus distinguuntur ut legati authentici, judices et praesides a subditis et ab iis, ad quos sunt missi. Non est ergo ipsis communis cum reliquis fidelibus. Atqui haec potestas, ut ex toto tractatu constat, perennis est in Ecclesia. Ergo sic traditur apostolis, ut in ipsis et per ipsos collata censeri debeat etiam iis, qui ipsis in eorum munere temporum cursu successuri sunt. Ex universa vero traditione constat, apostolorum successores, quatenus fuerunt legati, pastores, judices, primo veluti gradu esse episcopos, altero presbyteros. Ergo sacerdotes sunt hujus potestatis ministri. Accedit **2.** traditionis suffragium, ex quo liquet, solos sacerdotes hujus potestatis esse ministros. Monumenta enim antiquitatis **a.** praeter sacerdotes nullos alios exhibent hac potestate instructos; imo **b.** eam diserte his *solis* vindicant, ut Ambrosius *de poenitent.* l. 1. n. 7: „Jus hoc (solvendi) solis permissum *sacerdotibus* est. Recte igitur hoc Ecclesia vindicat, quae veros sacerdotes habet: haeresis vindicare non potest, quae sacerdotes Dei non habet.“ Cujus argumenti **c.** vis crescit, si advertatur, patres, quamvis doceant ordinarios baptismi ministros esse sacerdotes, simul tamen affirmare, in casu necessitatis alios praeter sacerdotes valide baptizare posse; non vero concedere, quod alii praeter sacerdotes valide a peccatis possint absolvere[1]).

[1]) Adversari tamen videtur Cyprianus, qui in epist. 13. *ad presb. et diaconos* carthag. eccl. statuit: „Occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos

1147. **Scholion.** Ut tamen sacerdos valide possit absolvere, praeter potestatem *ordinis* praeditus esse debet potestate *jurisdictionis* in foro *interno*[1]): scil. sacerdos per ordinationem non ita accipit potestatem remittendi peccata, ut citra conditionem ullam, omnes rite dispositos valide possit absolvere: sed necesse est, ut Ecclesiae rector materiae instar subditos ei assignet, in quos suam exserat potestatem, ideoque conferat ei in peccatores jurisdictionem. Quod tenendum est contra plures theologos jansenismi erroribus infectos, ut colligitur ex prop. 37. synodi pistoriensis a Pio IV. damnata et ex concilii

---

a martyribus acceperunt et praerogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non exspectata praesentia nostra, apud presbyterum quemcunque praesentem, vel si presbyter repertus non fuerit et urgere exitus coeperit, *apud diaconum quoque* exomologesin facere delicti sui possint; ut manu eis in poenitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres literis ad nos factis desideraverunt.' Sed cum nullum proferri possit factum diaconi sacramentaliter absolventis a peccatis, nullum quoque exstet disertum antiquitatis testimonium, quo haec potestas saltem in casu necessitatis diaconis vindicetur, non videtur probabile, solum Cyprianum tam singularem tenuisse sententiam. Eoque minus eam ipsi tribuemus, quod verba sat commode possint aliter intelligi. Et in primis si supponimus illam sententiam, de qua sup. n. 1141. annot. egimus, quod poenitentibus mox daretur absolutio, omnis sublata est difficultas. Ea vero non supposita, dicimus, Cyprianum permittere illis in angustiis, ut diaconi ea ratione peccatores reconcilient, qua poterant. Poterant autem diaconi hos lapsos directe reconciliare cum Ecclesia ex episcopi delegatione, nam cuidam excommunicationi erant obnoxii, utpote Ecclesiae communione plus minusve privati. Ita autem reconciliati poterant admitti ad sacram eucharistiam, cum possent in tanta salutis necessitate supponi contriti ideoque sufficienter dispositi: sicut sacerdos peccati licet gravis reus nonnullis in adjunctis potest contritus absque praevia absolutione sacrum celebrare. Haec vero reconciliatio multum conferebat lapsis, ut *cum pace* migrarent ad Dominum, cum scirent extra Ecclesiam non esse salutem.

[1]) *Multiplex* est *discrimen* inter potestatem *ordinis* et *jurisdictionis*. Illa est principium alicujus effectus supernaturalis et sacramentalis ad ordinem gratiae spectantis: haec est potestas dirigendi et efficaciter urgendi actiones fidelium in finem supernaturalem; hinc illa refertur immediate ad fidelium *sanctificationem*, haec ad eorundem *directionem;* illa continetur *causalitate,* charismate *supernaturali:* haec in *superioritate,* vi cujus aliquis possit praecipere, prohibere, obligare etc.; illa confertur immediate *a Deo,* haec *ab Ecclesia;* illa utpote characterem imprimens est *inamissibilis,* et in omnibus ejusdem ordinis *aequalis:* haec *amissibilis* et *alia* in aliis; illa confertur per *sacramentum,* haec *extra* et *praeter* sacramentum. Porro potestas *jurisdictionis,* prout *judicialis* est, *duplex* pro duplici foro est: alia nimirum in foro externo, alia in foro interno. Utraque quidem consistit in quadam *superioritate,* et *obligat* in conscientia: sed illa refertur ad *communitatem* seu ad fideles, quatenus constituunt *coetum* visibilem, haec ad *individua;* illa respicit actiones fidelium prout referuntur ad *societatem* ecclesiasticam, haec prout referuntur *ad Deum* seu ut sunt offensa Dei.

trid. sess. 14. cap. 7., quod hanc reddit rationem: „Quoniam natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper fuit et verissimum esse haec synodus confirmat, nullius momenti eam esse absolutionem debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem." Idem jam antea declaravit Eugenius IV. *in instruct. pro armenis,* et conc. lateranense IV. cap. 21. atque non obscure colligitur ex Joan. 20, 21: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum s., quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Sicut enim ultimis verbis designatur potestas *ordinis,* ita prioribus significatur *authentica missio,* qua assignatur terminus, respectu cujus formaliter apostoli sunt legati authentici, seu subjectum, in quod collata auctoritas possit exerceri, proinde *jurisdictio.*

1148. **Corollarium.** Hinc sponte sua consequitur, quod docet concilium trid. sess. 14. c. 7. et can. 11., *episcopos habere potestatem reservandi sibi quaedam peccata,* a quibus sacerdos extra mortis articulum valide nequeat absolvere. Sane reservatio aliud non est, quam jurisdictionis circumscriptio, relate ad quaedam peccata vel personas, quae inferioris judicis judicio prorsus subtrahuntur. Ejusdem autem est jurisdictionem quibusdam circumscribere limitibus, cujus est illam concedere vel negare, et cujus jurisdictioni inferioris jurisdictio est obnoxia.

1149. **Thesis CLX.** ***Ritus, qui contritione, confessione et satisfactione peccatoris, nec non sacerdotis absolutione continetur, verum credi debet novae legis sacramentum a baptismo distinctum.***

Demonstratio. Thesis haec est *corollarium* omnium, quae hucusque statuimus, estque de fide, ut patet ex concilii trid. sess. 14. can. 1: „Si quis dixerit, in catholica Ecclesia poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo D. N. institutum, A. S." Probatur vero **1.** hac ratione: Sacramentum est ritus efficax gratiae, qui Christum habet auctorem. Atqui ritus, quem descripsimus, Christum habet auctorem estque gratiae efficax. Efficit enim ipsam peccatorum remissionem, qua homo ex peccatore fit justus, quod citra infusionem gratiae fieri nequit. Ergo hic ritus est sacramentum. Probatur **2.** ex *multiplici collatione,* quam patres *baptismum* inter et *poenitentiam* instituunt.

Sane **a.** iisdem *nominibus* baptismus et poenitentia a patribus designantur; vocatur enim poenitentia comparate ad baptismum *poenitentia secunda, subsidia secunda, altera pharus salutis,* vel *planca* i. e. tabula, *gratia secunda,* alter *baptismus,* laboriosus quidem, alter *partus,* altera *vocatio.* „Per has *duas portas* baptismi et poenitentiae, inquit Hieronymus *in Sophon.* 1, 10. in Jerusalem i. e. in Ecclesiam Dei vel introitus vel redi-

tus est.« Docent **b.** patres, poenitentiam non minus ac baptisma medium vel praesidium esse salutis divinitus concessum, hoc tamen discrimine, quod baptismus institutus sit ad delenda peccata infidelium, poenitentia vero in remissionem peccatorum eorum, qui jam baptizati sunt. Quod clare docet Augustinus *de adult. conjug.* l. 1. c. 16: »Si a catechumeno factum est (homicidium), baptismo abluitur; si a baptizato, poenitentia et reconciliatione sanatur.« Quare **c.** poenitentiae administrationem non minus ac baptismi Ecclesiae ministris concreditam censuerunt. »Quisquis ergo, hortatur Augustinus s. 351. n. 9. peccatores, post baptismum aliquorum pristinorum malorum opere obligatus tenetur, usque adeone sibi inimicus est, ut adhuc dubitet vitam mutare, cum tempus est, cum ita peccat et vivit? . . . Implicatus igitur tam mortiferorum vinculis peccatorum detrectat aut differt aut dubitat confugere ad ipsas claves Ecclesiae, quibus solvatur in terra ut sit solutus in coelo, et audet sibi post hanc vitam, quia tantum christianus dicitur, salutem aliquam polliceri? . . . Judicet ergo se ipsum homo . . . veniat ad antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, et tamquam bonus jam incipiens esse filius . . . a praepositis sacramentorum accipiat satisfactionis suae modum.«

Exhibent **d.** patres ministros Ecclesiae duplici divinitus instructos potestate remittendi peccata, per baptismum scil. et per reconciliationem. Ita s. Pacianus ep. 1. *ad Sympronianum* n. 6: »Solus hoc (ignoscere poenitenti), inquies, Deus poterit. Verum est: sed et quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud, quod apostolis dicit: *Quae ligaveritis in terris* etc. (Matth. 18, 18.)? Cur hoc, si ligare hominibus ac solvere non licebat? An tantum hoc solis apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet, et Spiritum s. dare solis et solis gentium peccata purgare: quia totum hoc non aliis quam apostolis imperatum est . . . Si ergo et lavacri et chrismatis potestas, majorum et longe charismatum ad episcopos inde descendit, et ligandi quoque jus adfuit atque solvendi etc.« Cf. Ambrosius n. 1105. Neque minorem **e.** efficaciam patres absolutioni quam ipsi baptismo vindicant (n. 1128.). »*Quemadmodum* homo, inquit Athanasius in fragm. *c. novat.*, a sacerdote baptizatus Spiritus s. gratia illuminatur, ita qui confitetur in poenitentia, per sacerdotem Christi gratia remissionem accipit.« *Constit. apost.* l. 2. c. 41: »Ut ethnicum baptismo lotum post doctrinam admittis, sic hunc (peccatorem) ut poenitentia purgatum per manus impositionem cunctis pro eo deprecantibus in antiqua pascua restitues eritque ei loco lavacri manus impositio« (qua scil. reconciliationis beneficium conferebatur). Mirum proinde **f.** non est, quod docuerint, poenitentiam ita peccatoribus fidelibus esse necessariam, ut catechumenis necessarius est baptismus (n. 1128.); quocirca poenitentiam vocant alteram post naufragium salutis tabulam.

Quae cum ita sint, merito concludere licet, vel baptismum non esse novae legis sacramentum, vel si baptismus est, non minus verum propriumque sacramentum esse poenitentiam, quae in Ecclesia agitur. Si differunt, ea differunt ratione, ut haec differentia vim argumenti confirmet. Differunt enim ordine, cum baptismum poenitentia excipiat tamquam alter baptismus; differunt subjecto, cum baptismus infidelium,

absolutio vero peccata deleat fidelium; differunt modo remissionis, cum in baptismo peccata donentur: in poenitentia vero praeter contritionem confessio et congrua satisfactio requirantur, ut peccatorum remissio absolutionis beneficio obtineatur: peccatorum remissio sit impetranda, quare ea baptismus difficilis dicitur et laboriosus. Cf. *opusc.* V, 206. ss. annot. et XIV, 134. annot.

1150. Omisso vero 3. argumento valido ex consensu Ecclesiae graecae et sectarum Orientis derivato, dogma catholicum ita **4.** probari potest: Ecclesia est dispensatrix mysteriorum Dei, pro Christo legatione fungitur, et opus ab eo inchoatum continuat. Atqui inter mysteria Dei, inter functiones potestatis salvantis Christi est remissio non solum peccatorum ante baptismum commissorum, sed etiam eorum, quae post baptismum contraximus. Ergo non solum illorum, sed et horum remissionem dispensat Ecclesia, largitur Christus per Ecclesiam. Sed profecto ritu visibili, ut suadet analogia cum baptismo, exigit conditio Ecclesiae visibilis et ipsius humanae naturae. Ergo admitti debet in Ecclesia ritus visibilis, cujus auctor est Christus, efficax remissionis peccatorum post baptismum commissorum, proinde efficax gratiae, seu aliis verbis *sacramentum poenitentiae.*

1151. **Scholion I.** Certum est secundum omnes, contritionem, confessionem et satisfactionem „ad integritatem sacramenti ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiri et hac ratione poenitentiae partes dici," ut docet concilium trid. sess. 14. c. 3. Verum controversia nonnulla est, utrum hi actus sint *materia ex qua* sacramentum hoc constituatur, non secus ac in baptismo aqua seu ablutio per aquam. Affirmant plerique theologi, quibus etiam favet catechismus trid. *de sacr. poenit.* n. 10. Negant vero scotistae praeeunte Scoto in 4. dist. 16. q. 1., secundum quos absolutio, quatenus ritus est sensibilis, rationem habet materiae: formae vero rationem, quatenus significat sacramenti effectum. Quam ob rem definiunt poenitentiae sacramentum: „est absolutio hominis poenitentis facta certis verbis cum debita intentione prolatis a sacerdote et ex institutione divina peccati remissionem significantibus." Praeferenda videtur prior sententia, non solum quod sit communior, verum etiam conc. florentino et tridentino magis conformis. Poenitentis enim actus requiruntur ad integritatem sacramenti, sunt ejus partes et quasi materia. Atqui nunquam actus disponentes ad aliorum sacramentorum receptionem dicuntur eorum *quasi materia;* neque concilia aliam sacramenti poenitentiae assignant materiam. Quare concludendum videtur, actus poenitentis revera in hoc sacramento *materiae* habere rationem; idcirco vero a concilio appellari *quasi materiam,* quod non sint aliquid materiale, sicut materia in aliis sacramentis, licet hujus vices gerant.

1152. **Scholion II.** Quaeritur utrum absolutionis forma possit esse *deprecatoria,* an necessario debeat esse *indicativa.* Respondemus: **1.** Quaestionem de absolutionis forma, cum agatur de re positiva, quae pendeat a Christi voluntate, non *a priori* esse dirimendam; proinde **2.** si vel semel

in Ecclesia obtinuerit forma absolvendi deprecativa, indubitanter tenendum esse, eam tunc saltem valuisse, sicut valet ea forma, qua nunc utitur Ecclesia graeca, licet diversa sit a forma absolutionis Ecclesiae latinae. Jam vero **3.** in Ecclesia latina per duodecim secula viguit absolutio forma deprecativa expressa et adhuc viget apud orientales, si armenos excipias. Tamen **4.** cum jam a pluribus seculis Ecclesia occidentalis utatur forma indicativa hujusque usum solemniter omnibus praescripserit, merito de valore formae deprecativae, si nunc auctoritate privata adhiberetur, dubitari posset, eo quod absolutio sit actus *juridicus,* actus autem juridicus tunc tantum valeat, si servetur forma praescripta. Ceterum **5.** quamvis forma indicativa magis conveniat potestati clavium, quatenus est judicialis, deprecativa tamen exprimit magis ejus characterem ministerialem.

Caput VI.
De indulgentiis.

1153. Ut ab initio manifestum sit, quid Ecclesia catholica *indulgentiarum* nomine intelligat, juverit illius notionem ex authenticis Ecclesiae monumentis et decretis eruere. Quibus consultis colligimus: **1.** Fontem indulgentiarum esse Ecclesiae thesaurum, qui coalescit ex satisfactionibus Christi et satisfactionibus supereffluentibus sanctorum; **2.** Ecclesiam i. e. summum pontificem primo gradu, altero vero episcopos fidelibus applicare posse has satisfactiones; **3.** per hanc applicationem fidelibus jam justificatis remitti non solum poenitentias canonicas, sed et poenas temporales, quae dimissa culpa poenaque aeterna ex divinae justitiae decreto luendae adhuc forent; eamque **4.** remissionem validam esse in foro divino; in hac remissione **5.** consistere indulgentiam, quae etiam **6.** per modum suffragii applicari possit defunctis. Quare indulgentia definiri potest: remissio poenae temporalis adhuc post dimissam culpam peccatis debitae, coram Deo valida, per applicationem thesauri Ecclesiae a superiori legitimo factam. Notandum tamen est, duo tantum secundum conc. tridentinum sess. 25. tenenda esse *de fide,* scil. Ecclesiam habere potestatem concedendi indulgentias earumque usum populo christiano esse salutarem. Reliqua, quae supra statuimus, non quidem sunt de fide, spectant tamen omnino ad *doctrinam catholicam.*

1154. *Admitti debet thesaurus satisfactionum Christi inexhaustus.* Nomini *thesauri* intelligitur vel ipsa res pretiosa contenta, vel ipsum continens. Qua significatione *thesaurus satisfactionum Christi* est Dei memoria, amor, justitia et providentia supernaturalis, in quibus velut reconditae sunt satisfactiones Christi, nunquam oblivioni tradendae, ut suis temporibus hominibus applicentur. Altera significatione thesaurus ille consistit in satisfactionibus Christi, quarum virtus et efficacia nondum est exhausta. Ejusmodi thesaurum esse admittendum, patet

ex prop. 17. Lutheri damnata: „Thesauri Ecclesiae, unde papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et sanctorum[1];“ et ex prop. 41. synodi pistoriensis damnata. Et sane: Christi satisfactio, personam si spectes, fuit infinita; si debitum, fuit superabundans; si intentionem offerentis, ea oblata fuit pro omni debito viatorum; si amorem justitiamque Patris coelestis, ea semper est pretiosa vigetque in ejus conspectu. Ergo ex data definitione thesaurus inexhaustus satisfactionum Christi debet admitti. Eum deinde supponunt omnia sacramenta, quae totidem illius sunt canales et quorum virtus inexhausta illi innititur.

1155. Ad hunc thesaurum pertinent etiam *supereffluentes sanctorum satisfactiones.* Quod ut probetur, advertatur **1.** omni operi bono justorum duplicem inesse valorem, *meritorium* et *satisfactorium;* **2.** supereffluentes satisfactiones illas dici, quas sancti praestiterunt supra debitum divinae justitiae pro suis peccatis solvendum; has autem **3.** non adjungi thesauro satisfactionum Christi, quod hae sint insufficientes, sed ne illae sint inanes et congruo honore priventur. Atqui negari nequit, exstitisse sanctos, qui plus sunt passi, quam necessarium fuerit ad redimendam poenam temporalem pro peccatis dimissis reliquam, ut beatus Joannes Baptista, martyres, cum *quaelibet* mors cruenta pro Christo tolerata sufficiat ad exstinguendum vel *maximum* poenae temporalis debitum; in primis vero b. Maria V., quae nullum ejusmodi habuit debitum. Dei vero bonitas non patietur, has satisfactiones oblivioni tradi ac fructu privari. Semper ergo in ejus vivent conspectu, ut aliis saltem membris in Christi corpore prosint.

1156. *Satisfactiones* vero *Christi et sanctorum supereffluentes in alios,* qui divinae justitiae sunt debitores, *derivari possunt.* Et quidem quod attinet Christi satisfactiones, id plane est evidens, cum quotidie per sacramenta baptismi et poenitentiae, per sacrificium missae applicentur. Posse autem sanctorum satisfactiones in eos, qui obnoxii adhuc sunt poenae temporali, derivari, probatur **1.** ex symboli articulo *de sanctorum communione* et ex martyrum actis, ex quibus colligitur, martyrum passiones profuisse lapsis, ut eorum poenitentia multum contraheretur. Deinde **2.** frequenter legimus in divinis literis, ut Jos. 7, 1. ss.; 22, 20; 2. Reg. 24, 1. ss. etc., Deum propter peccata unius in hujus consanguineos, imo in civitates et gentes integras justitiae

---

[1]) *Satisfactio,* si proprie loquimur, distinguitur a *merito:* illa enim refertur ad exstinguendum *debitum,* hoc ad consequendum *praemium.* Jam vero Christus pro nobis *satisfecit* et nobis *meruit:* quare exstat thesaurus et satisfactionum et meritorum Christi. Cum vero indulgentia consistat in relaxatione debiti: ideo ea conceditur per applicationem *satisfactionum* Christi. Verum nomina *satisfactionis* et *meriti promiscue* adhibentur, nam eadem opera solent esse meritoria simul et satisfactoria, et propter quandam analogiam inter satisfactionem et meritum: ideoque etiam dici solet, indulgentias conferri *per applicationem meritorum Christi et sanctorum.*

suae vindictam derivasse. Aliunde autem novimus, Deum magis esse paratum ad misericordiam, quam ad ultionem. Quare congruum omnino est, ut superabundantes satisfactiones unius in alios caritate ei conjunctos deriventur, quo a poenis temporalibus liberentur. Ita paratus erat propter decem justos, si tot reperti fuissent Sodomis, perditissimae huic genti parcere Gen. 18, 32; propter David servum suum pepercit urbi Jerusalem jam ab hostibus expugnandae 4. Reg. 20, 6. Quare **3.** damnata est prop. 60. Baji: „Per passiones sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta; sed per communionem caritatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi a poenis pro peccatis debitis liberemur."

1157. **Thesis CLXI.** ***Ecclesia pollet jure concedendi indulgentias.***

Demonstratio. Probatur **1.** ex Matth. 16, 19: *Et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Quibus verbis **a.** amplissima confertur Petro potestas relaxandi quodlibet vinculum, quod ingressum in coelum impediat. Inter ejusmodi vincula **b.** jure merito refertur *poena temporalis* post dimissam culpam exsolvenda. Proinde **c.** potestas haec etiam ad hoc vinculum legitima ex causa relaxandum porrigitur. Et sane **d.** si ea solvi potest reatus *culpae gravis* poenaeque *aeternae,* videtur consonum, ea solvi quoque posse justa de causa reatum poenae *temporalis.* Verum **e.** sicut culpa poenaque aeterna dimitti nequit citra applicationem satisfactionum Christi, quibus pro illa satisfactum est divinae justitiae: ita non poterit relaxari poena temporalis divinae justitiae debita, nisi nova satisfactionum applicatione, quae substituantur veluti satisfactionibus, quas homo praestare debuisset. Poterit ergo per potestatem clavium nova satisfactionum thesauro Ecclesiae contentarum applicatione justa de causa relaxari poenae temporalis debitum.

1158. Probatur **2.** ex 2. Cor. 2, 6. s. col. 1. Cor. 5, 3. s., ex quibus colligimus, Paulum relaxasse seu donasse peccatori incestuoso poenitenti partem poenae temporalis, quam divinae debebat justitiae. Nam **a.** illam relaxavit in *persona Christi;* quam **b.** ipse imposuit: imposuit autem poenam in nomine Christi, quam peccator ille luere debebat, ut peccati remissionem a Deo impetraret[1]). Veram ergo indulgentiam concessit.

---

[1]) 1. Cor. 5, 3. s.: *Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, jam judicavi ut praesens eum, qui sic operatus est: in nomine D. N. J. Christi, congre-*

1159. Probatur **3.** ex praxi Ecclesiae: ascendendo enim a sec. XII. usque ad II. ostendi potest, Ecclesiam semper modo hac, modo illa forma concessisse indulgentias. Ita jam a primis Ecclesiae seculis competebat episcopis jus relaxandi poenitentiam secundum canones statutam, quae relaxatio habita fuit valida *coram Deo,* aequivalens scil. relaxationi poenae *temporalis* Deo debitae. Neque enim forum Ecclesiae a foro Dei separatur, cum hujus vices gerat; neque scopus poenitentiae canonicae et generatim omnis poenitentiae et satisfactionis impositae fuit satisfacere solum Ecclesiae, ut nonnulli opinantur, sed in primis satisfacere Deo, ut constat ex tot Cypriani epistolis in causa lapsorum. Episcopi ergo relaxando has poenitentias, ita ut haec remissio rata haberetur a Deo, *veri nominis* concesserunt *indulgentiam.* Altera praxis erat relaxandi poenitentiam in peccatorum satisfactionem exsolvendam intuitu *intercessionis martyrum* seu libellorum, quos a martyribus peccatores poenitentes impetrabant.

Fideles enim **a.** in gravia peccata lapsi, ut quandam gravis poenitentiae sibi propterea impositae relaxationem ab Ecclesiae praesulibus impetrarent citiusque donarentur reconciliatione, martyrum seu confessorum, qui propter fidei confessionem carceribus detinebantur, ambiebant intercessionem; ut Cyprianus passim in suis epist. et Tertullianus *in exhort. ad martyres* c. 1. testatur scribens: »Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes a martyribus in carcere exorare consueverunt;« eamque graviter post suam ad montanistas defectionem carpit *de pudic.* c. 22. hisce verbis: »At tu jam et in martyres tuos effundis hanc potestatem (delicta remittendi). Ut quisque ex confessione vincula induit adhuc mollia in novo custodiae nomine, statim ambiunt moechi, statim adeunt fornicatores, jam preces circumsonant, jam lacrymae circumstagnant maculati cujusque, nec ulli magis aditum carceris redimunt, quam qui Ecclesiam perdiderunt . . . pacem ab his quaerunt, qui de sua periclitantur etc.« Haec vero martyrum intercessio **b.** non citra diligens ab episcopis admittebatur examen, quo lapsorum causa, studium, fervor, satisfactio jam praestita et utrum relaxatione ac indulgentia essent digni, accurate expendebantur. Relaxatio autem **c.** poenitentiae impositae intuitu intercessionis martyrum concessa valida censebatur non in foro tantum ecclesiastico, sed et *divino.* Quod manifestum est α. ex tot epistolis s. Cypriani, quibus irrepentes coërcet abusus ac inconsideratam lapsis libellos dandi consuetudinem carpit, quod sit contra Evangelium, contra mandata dominica, quae a peccatoribus fidelibus congruam post lapsum exigunt satisfactionem. Non ergo agebatur de relaxanda satisfactione soli Ecclesiae debita, sed Deo quoque praestanda. Patet β. ex eo, quod ep. 12. n. 1. bene speret, lapsos moribundos, qui nondum integram adimpleverint poenitentiam, libellis martyrum „*apud Deum adjurari* posse . . . ut manu

---

gatis vobis et meo spiritu, cum virtute D. N. Jesu, tradere hujusmodi satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die D. N. J. Christi. Cf. Schoofs *die Lehre vom kirchlichen Ablasse,* Münster 1867. §. 1.

eis in poenitentiam imposita, veniant *ad Dominum cum pace*, quam dari martyres literis ad nos factis desideraverunt;« et disputandi ratione, qua Tertullianus montanista eam consuetudinem reprehendit *de pudic.* c. 22: »Sufficiat martyri propria delicta purgasse. Ingrati vel superbi est in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem sua solvit nisi Dei Filius? . . . Proinde qui illum aemularis donando delicta, si nihil ipse deliquisti, patere pro me. Si vero peccator es, quomodo oleum faculae tuae sufficere et tibi et mihi poterit?« Ejusmodi vero **d.** relaxatio concessa videtur non citra quandam satisfactionum, quibus abundabant martyres, derivationem in lapsos, quo divinae justitiae fieret satis, ut colligitur ex verbis Tertulliani modo allatis, et ex eo, quod martyrum intercessio vim atque efficaciam ab eorum morte mutuabatur. Atqui relaxatio poenae temporalis peccatis debitae valida coram Deo per applicationem satisfactionum ex thesauro Ecclesiae est indulgentiae notio. Conferebatur ergo sec. III. lapsis poenitentibus veri nominis indulgentia. Cf. *opusc.* V, 140. ss. an.

1160. Ex dictis liquet, ministris clavium competere potestatem concedendi indulgentias; ex traditione vero practica constat, non omnibus eam inesse, sed tantum iis, qui sunt veluti pastores *principes* in grege dominico: in primis *summo pontifici;* secundo vero gradu *episcopis*, secundum quod eis taxatum est a summo pontifice, ut inquit Thomas *supplem.* q. 26. a. 3., et statutum est in concilio lateranensi IV. c. 62. Quapropter Pius VI. in constit. *super soliditate* damnat Eibelii prop.: „Quemlibet episcopum pari modo atque papam posse indulgentiam concedere.“ Ratio autem hujus limitationis praecipua videtur, quod principis tantum sit dispensare bonorum communium thesaurum.

1161. Quod spectat indulgentiarum effectum, tenendum est **1.** indulgentiis *nullum remitti peccatum,* nam pro peccatorum mortalium remissione instituta sunt sacramenta baptismi et poenitentiae, et ad lucrandas indulgentias requiritur jam status gratiae; peccata vero venialia remittuntur nonnisi vel per actum ipsum hominis vel sacramentorum virtute[1]). Falsum prorsus est **2.** *indulgentiis solum relaxari poenitentias canonicas,* seu Ecclesiae tantum, quatenus est aliqua societas, debitas. Tenendum enim omnino est, *iis remitti poenas tem-*

---

[1]) Verum quidem est nonnunquam legi in concessione indulgentiarum: Concedimus indulgentiam *omnium peccatorum,* relaxamus *tertiam partem* peccatorum, absolvimus a *culpa* et a *poena* etc. Sed **a.** ejusmodi indulgentiae saepe sunt apocryphae, vel **b.** vox peccati *poenam* peccatis debitam designat, ut 2. Machab. 12, 46; 1. Petr. 2, 24. etc. Quare illis verbis hic subest sensus: relaxari vel totam poenam temporalem pro peccatis remissis adhuc debitam, vel illius tertiam partem. Ceterum **c.** cum ad indulgentias lucrandas confessio saepe exigatur, vero quodam sensu dici potest, indulgentiis relaxari culpam et poenam: hanc directe, illam indirecte, quatenus confessionem adjunctam habet.

porales in foro divino debitas. Quod statuimus contra Lutherum, cujus damnata est prop. 19: „Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam justitiam;" contra synodum pistoriensem, quae prop. 40. Lutheri errorem renovavit. Eundem errorem plures pariter theologi sec. praesertim praeteriti sunt amplexi. Probatur autem **a.** iis, quibus thesim praeced. demonstravimus; **b.** ex eo, quod indulgentiae declarentur a concilio trid. utiles populo christiano. Nullius vero utilitatis essent, si iis poenitentiae tantum canonicae relaxarentur, cum hae jam a sex seculis non amplius vigeant, et magna pars populi christiani, etiamsi adhuc vigerent, iis obnoxia non sit. Praeterea **c.** indulgentiae applicari possunt *defunctis;* nemo vero animas defunctorum dicet obnoxias poenis soli Ecclesiae exsolvendis[1]).

1162. **Scholion.** Quaeritur autem **1.** in quo consistat *ratio formalis* indulgentiae. Praeferenda est sententia, quae tuetur indulgentiam proprie esse *absolutionem judiciariam,* quae annexam habeat *solutionem ex thesauro* satisfactionum Christi et sanctorum. Sane ad rationem indulgentiae requiri *absolutionem* judicialem, colligitur tum ex eo, quod jus concedendi indulgentias revocetur ad clavium potestatem; tum ex eo, quod alioquin ratio reddi nequeat, quare fideles suas pro aliis offerendo satisfactiones indulgentiam non concedant, et quare animabus in purgatorio indulgentiae tantum per modum suffragii possint applicari. Requiri autem praeterea *solutionem,* qua pro debito ejus, qui lucratur indulgentias, divinae justitiae satisfiat, docent passim summi theologi cum s. Thoma, qui in *suppl.* q. 25. a. 1. ad 2. statuit: »Ille, qui indulgentias suscipit, non absolvitur simpliciter loquendo a poenae debito, sed datur ei, unde debitum solvat;« cujus asserti hanc reddit rationem Aegidius Carlerius in conc. basileensi (Hard. VIII, 1795.): »Indulgentia dicit relaxationem poenae debitae: sed quia oportet, ut salvetur divina justitia et qui peccavit, quia debitor est, solvat aut alius satisfaciat pro eo, per indulgentiam poena peccatorum relaxatur ex hoc, quod merita alterius isti applicentur.«

1163. Cum ad indulgentiae valorem requiratur praeter auctoritatem concedentis *justa* et *legitima causa,* quaeritur **2.** quae causa dici possit *justa.* Praeferenda nobis videtur sententia Bellarmini, qui de *indulg.* l. 1. c. 12. statuit, tunc adesse causam justam, si omnibus expensis prudenter existimetur, ex illa plus honoris in Deum et utilitatis in Ecclesiam redundare, quam ex rigida peccatorum vindicta per exactionem novissimi quadrantis poenae Deo debitae.

1164. *Indulgentias fidelibus prodesse* patet ex eorum effectu, tum ex innumeris operibus bonis, ad quae fideles nonnisi indulgentiarum

---

[1]) Nomine indulgentiarum *septem annorum, centum dierum* etc., significatur, immediate remitti tantum poenitentiae canonicae, mediate vero tantum poenae temporalis dimissa culpa divinae justitiae debitae, quantum remitteretur ei, qui poenitentiam canonicam septem annorum etc. ageret.

spe illecti inducuntur[1]). Sed non solum fidelibus *vivis*, verum etiam *animabus* in purgatorio indulgentiae prosunt. Opposita enim sententia „luctuosius adhuc esse, quod chimaerica isthaec applicatio transferri solita sit in defunctos," damnata fuit a Pio VI. in prop. 42. synodi pistoriensis „ut falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in romanos pontifices et in praxim et sensum universalis Ecclesiae injuriosa, inducens in errorem *haereticali* nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art. 22. Lutheri." Et sane nulla reddi potest ratio, quare cum viventes satisfactiones suas pro animabus purgatorii offerre possint, nequeant offerri pro ipsis sanctorum satisfactiones, quas nobis applicare licet. Non tamen illis prosunt *directe* per *absolutionem* sicut fidelibus, sed *indirecte* per modum *suffragii;* eo scilic. modo, quo animabus in purgatorio prosunt nostra suffragia i. e. bona opera satisfactoria, quae Deo offerimus, ut eorum intuitu animabus in purgatorio debiti partem relaxet. Prosunt autem indulgentiae animabus non solum in *genere,* sed et in *specie* iis, quibus applicantur, quamvis dubium sit, utrum *infallibiliter* et semper, et secundum *totum* earum valorem. Ostendi enim nequit, Deum *teneri* illas acceptare.

Sectio V.

De sacramento extremae unctionis.

1165. Doctrinae de poenitentia subjicimus cum concilio tridentino sess. 14. sacramentum *extremae unctionis*, „quod non modo poenitentiae, sed et totius christianae vitae, quae perpetua poenitentia esse debet, consummativum existimatum est a patribus." Porro definire illud licet, sacramentum N. L. a Christo Domino institutum, quo per unctionem olei benedicti[2]) et orationem seu formam praescriptam sacerdotum ministerio baptizatis graviter aegrotantibus gratia confer-

[1]) Alia praeterea commoda, quae ex indulgentiarum usu oriuntur, haec sunt: **a.** commonent fideles, quale olim fuerit Ecclesiae de peccatis judicium, quibus tam diuturnam imposuit poenitentiam; revocant **b.** in memoriam fervorem et poenitentiae studium majorum nostrorum, qui ad satisfaciendum pro peccatis suis tot tantasque subierunt poenitentias; patefaciunt **c.** vim communionis sanctorum; continent **d.** professionem dogmatis, dimissa culpa poenaque aeterna non semper dimitti omnem poenam temporalem; excitant **e.** fideles ad satisfactionis studium, cum vident, quantum pro ipsis sancti praestiterint etc.

[2]) Materia proinde *remota* est *oleum* olivarum, quod convenienter adhibetur ad hujus sacramenti effectum designandum, qui est animi alleviatio, confortatio adversus difficultates in mortis articulo occurrentes, corporis sanatio etc. „Ex apostolica autem traditione, addit conc. tridentinum l. c., per manus accepta intellexit Ecclesia, materiam esse oleum *ab episcopo benedictum.*"

tur, qua peccata et eorum reliquiae absterguntur, vires augentur ad daemonis insidias vitandas, atque ad morbi incommoda patienter ferenda, et, si animae saluti expedierit, valetudo corporis restituitur. Tenendum est adversus protestantes, extremam unctionem esse *sacramentum,* ut statuit conc. tridentinum sess. 14. can. 1: „Si quis dixerit, extremam unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo D. N. institutum et a b. Jacobo ap. promulgatum, sed ritum tantum acceptum a patribus, aut figmentum humanum, A. S.“

1166. **Thesis CLXII.** ***Extrema unctio est N. Legis sacramentum.***

Demonstratio. Invicte probatur haec veritas **1.** *praescriptionis* argumento ex *consensu* scil. universae Ecclesiae practico et theoretico a sec. XII., et jam sec. IX., cum in hanc eandem fidem conspiret ecclesia graeca schismatica; imo jam a sec. V., cum non dissentiant sectae Orientis: proinde vel ab ipsa aetate apostolica (n. 1003. s.). **2.** Ex ep. Jac. 5, 14: *Infirmatur* (ἀσθενεῖ, quod de graviter decumbentibus merito accipitur, ut patet ex voce mox sequenti κάμνοντα et ex Act. 19, 12.) *quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae* (hinc tamen non sequitur, *plures* presbyteros simul advocandos esse, licet id olim saepe fieret: sed pro more loquendi significatur inunctio quam mox commendat, ad munus spectare presbyterorum) *et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini* (i. e. *auctoritate Christi,* qua ministri Christi), *et oratio fidei* (i. e. hic ritus institutus pro fidelibus, quem docet fides christiana, qui spectat ad fidem seu religionem christianam) *salvabit infirmum et alleviabit* (ἐγερεῖ excitabit, novum ei robur, alacritatem, laetitiam et vigorem suppeditando, quibus graviter decumbens maxime indiget) *eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei*[1]). Ex quibus hoc eruitur argumentum: Sacramentum est ritus sensibilis efficax gratiae, seu cui adnexa est gratiae promissio in fidelium salutem, a Christo Domino institutus. Atqui horum nihil deest ritui, cujus hic meminit Jacobus. Est ergo sacramentum.

1167. Et revera **3.** hunc ritum habitum fuisse non ad tempus

[1]) De hoc effectu ita habet concilium trid. cap. 2: ‚Res hujus sacramenti gratia est Spiritus sancti, cujus unctio delicta, si quae sint adhuc expianda ac peccati reliquias abstergit, et aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus daemonis calcaneo insidiantis facilius resistit; et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur.‘ Scil. hoc sacramento (sed per accidens) delentur peccata *mortalia,* quae sacramento poenitentiae deleta non sunt, dummodo adsit attritio et confitendi impossibilitas; delentur peccata *venialia,* dummodo adsit sufficiens dispositio, et etiam *poenae temporales,* non tamen semper omnes.

institutum, sed *perenniter* in Ecclesia usurpandum in fidelium utilitatem spiritualem non secus ac alia salutis media seu sacramenta, ideoque non spectare ad *charismata gratis data* tunc subinde concessa, evincit subsequens Ecclesiae traditio *theoretica* et *practica.*

Ita testantur jam Origenes hom. 2. *in Leviticum* n. 4., Victor antioch. in *Marci* 6., Chrysostomus l. 3. *de sacerd.* „Non est dubium, respondet Innocentius I. Decentio ep. 25. c. 8., de fidelibus aegrotantibus accipi vel intelligi debere (verba Jacobi), qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quod ab episcopo confectum non solum sacerdotibus, sed et omnibus uti christianis licet in sua aut in suorum necessitate ungendum[1].“ Auctor *serm.* 265. in app. serm. s. Augustini (probabiliter s. Caesarius arel.) n. 3: „Quotiescunque aliqua infirmitas supervenerit, corpus et sanguinem Christi ille, qui aegrotat, accipiat, et inde corpusculum suum ungat, ut illud, quod scriptum est, in eo impleatur (Jac. 5, 14.): *Infirmatur aliquis* etc. Videte fratres, quia qui in infirmitate ad Ecclesiam cucurrerit, et corporis sanitatem recipere et peccatorum indulgentiam merebitur obtinere.“ Concilium cabillonense a. 813. can. 48. praecipit: „Secundum b. Jacobi ap. documentum, cui etiam documenta patrum consentiunt, infirmi oleo, quod ab episcopis benedicitur, a presbyteris ungi debent.“ Quibus **3.** consentiunt antiquissima *sacramentaria,* incipiendo a libro *sacramentorum* s. Gregorii, in quo describitur ritus consecrandi feria V. in coena Domini oleum infirmorum et ungendi infirmos cum precibus recitandis. Neque **4.** deest convenientiae ratio. Vix enim probabile est, Christum cum praecipua nostra vitae mortalis stadia sacramentis munierit et sanctificaverit, supremum vitae nostrae agonem, a quo demum omnia pendent, reliquisse sine speciali praesidio et salutis subsidio.

Sectio VI.

De sacramento ordinis.

1168. **Lemma I.** *Discrimen* illud, quo alii in Ecclesia sunt dicunturque *clerici,* alii *laici,* jam a *prima* Ecclesiae origine viguit, nec aliunde est repetendum, quam *ex Christi* Ecclesiae institutoris *voluntate,* proinde ex jure *divino* (cf. th. XXVIII.). *Clericorum* autem nomine usu loquendi nunc recepto designantur Ecclesiae *ministri,* qui divino cultui specialiter consecrati et in ministerii juriumque Christi participationem vocati ad rerum sacrarum curam et ecclesiastica munera sunt destinati[2]).

---

[1]) Hinc non sequitur, omnes fideles potuisse hoc sacramentum administrare: cum mox probet, etiam episcopos posse aegrotos inungere, quod certe probandum non fuisset, si omnibus fidelibus tunc id licuisset. Proinde sensus est, non solum presbyteris, qui infirmos inungunt, concessum esse hoc sacramentum recipere, sed et omnes christianos eo posse uti seu posse hoc sacro oleo inungi.

[2]) *Clerici* nomen derivatur a voce graeca κλῆρος, quae significat sortem, et quia hereditas in plures *sorte* subinde dividi solebat, translate *hereditatem.* Variis

Provocant quidem protestantes, ut hoc discrimen divinitus institutum negent, ad 1. Petri 2, 5: *Et ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias;* v. 9: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis;* Apoc. 1, 6: *Fecit nos* (J. Christus) *regnum et sacerdotes Deo Patri.* Verum **a.** si urgentur haec verba, sequeretur omnes fideles etiam proprie dictos esse *reges.* Proinde **b.** sicut sunt reges *improprie* dicti, ita ut non excludantur reges *proprie* dicti: ita dici poterunt *omnes* fideles sacerdotes, *improprie* quidem, quin excludantur sacerdotes *proprie* dicti. Sane **c.** haec ita dicuntur de christianis, quemadmodum olim de populo *israelitico* Exod. 19, 5., qui dicebatur *regnum sacerdotale,* ut tamen non excluderetur discrimen divinitus statutum inter levitas et reliquum populum. Quod **d.** passim patres haec enarrantes verba significant. Ita Augustinus *de civit. Dei* l. 20. c. 10: „*Erunt sacerdotes Dei et Christi et regnabunt cum eo mille annis* (Apoc. 20, 6.), non utique de solis episcopis et presbyteris dictum est, qui *proprie* jam vocantur in Ecclesia sacerdotes, sed sicut omnes christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt hujus sacerdotis, de quibus apostolus Petrus, *plebs,* inquit, *sancta, regale sacerdotium.*"

1169. **Lemma II.** Porro Christus voluit, ut *certo solemnique ritu* clerici constituerentur et secernerentur a laicis. Sane id testatur non solum praxis Ecclesiae omnium seculorum coetuumque orientalium schismaticorum, sed etiam praxis apostolorum Act. 6, 1. ss.; 13, 3; Tim. 4, 14; Tit. 1, 5., idque exigit vel ipsa Ecclesiae visibilitas.

1170. **Thesis CLXIII.** ***Ritus, qui ordo vel ordinatio dici consuevit, et quo Christo auctore clerici saltem potiores constituuntur et a laicis secernuntur, verum propriumque novae legis est sacramentum.***

Demonstratio. Thesis statuitur nominatim contra novatores[1]) sec. XVI., estque *de fide,* ut constat ex sess. 23. can. 3: „Si quis di-

---

autem modis explicatur, quare Ecclesiae ministri dicantur *clerici:* vel quia **a.** licet omnes fideles vocati sint in sortem Domini, ipsi tamen *specialiter* sunt electi, sunt portio selecta, hereditas praecipua, de quibus Christus dicit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* Joan. 15, 16; vel quia **b.** Dominus sors, pars, hereditas clericorum est, secundum illa Ps. 15, 5., quae recitantur in collatione tonsurae, qua quis primum admittitur in clerum: *Dominus pars hereditatis meae;* vel quia **c.** secundum Isidorum hispalensem l. 2. *de eccles. officiis* c. 1. Mathias *sorte* in ordinem apostolicum adlectus fuit (Act. 1, 26.).

[1]) Haec controversia vere dici potest contra novatores sec. XVI. *fundamentalis.* Sublato enim discrimine juris *divini* inter clericos et laicos sacramento firmato, corruit *hierarchia ecclesiastica,* et cum Ecclesiae hierarchia *apostolicitas,* in nunquam interrupta pastorum serie consistens; corruunt Ecclesiae docentis praerogativae, *infallibilitas* in primis et *indefectibilitas,* ac subvertitur universa Ecclesiae facies ac constitutio, ut deformationis sec. XVI. sequelae manifesto ostendunt. Sicut enim admissa *hierarchia,* quae divinae sit originis, praevalet in Ecclesia vis *synthetica,* ita ea abjecta invalescit analysis i. e. *dissolutio* et hinc corruptio, ut probat protestantismi historia.

xerit, ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo D. institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quendam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum, A. S." Probatur vero **1.** ex divinis literis[1]), e quibus colligimus: **a.** manuum impositione rituque proinde visibili constitui Ecclesiae ministros: et quidem **b.** manuum impositione, quae efficax sit gratiae; qua facta **c.** episcopi et presbyteri censeri eo ipso debeant *positi a Spiritu sancto* ad regendam Ecclesiam Dei, et a Christo Domino dati pastores Ecclesiae, ut liquet ex Act. 20, 18. et Eph. 4, 8. s. Nihil ergo deest ritui illi, quo Christo auctore ministri Ecclesiae constituuntur, ad rationem *sacramenti,* nisi forte dicatur ei deesse institutionem, ut in *perpetuum* usurpetur. Atqui neque haec deest, ut patet ex traditione theoretica et practica.

1171. Probatur thesis **2.** ex traditione; et quidem ex variis doctrinae capitibus, quae a patribus statuuntur. Hi enim docent: **a.** ritu hoc conferri *gratiam;* ut Gregorius nyss. *orat. in bapt. Christi:* „Eadem verbi vis etiam sacerdotem augustum et honorandum facit novitate benedictionis a communitate vulgi separatum. Cum enim antea unus e multitudine ac plebe fuerit, repente fit praeceptor, praeses, doctor pietatis et mysteriorum occultorum praesul, eaque contingunt ei, cum nihil vel corpore vel forma mutatus, quod ad speciem exter-

---

[1]) 1. Tim. 4, 14: *Noli negligere gratiam* (χαρίσματος), *quae in te est, quae data est tibi per prophetiam* (sancti Spiritus impulsu et illustratione cf. supra 1, 18.) *cum impositione manuum presbyterii,* i. e. episcopi, vel ut fieres presbyter, vel locutio est elliptica, ut patet ex 2. Tim. 1, 6: *Admoneo te, ut resuscites gratiam* (τὸ χάρισμα) *Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.* Quamvis autem nomine χάρισμα designari soleat *gratia gratis data,* potest tamen **a.** eo etiam significari gratia *gratum faciens,* cf. 1. Cor. 12, 31. col. 13, 1; Rom. 5, 15; et hic **b.** revera Apostolus eo significat gratiam *gratum facientem;* haec enim solet esse objectum neglectus et ex parte Apostoli est thema exhortationis; ea aptissime designatur *ignis* symbolo, quo hic utitur non obscure Paulus (ἀναζωπυρεῖν); ea complectitur spiritum virtutis, dilectionis, sobrietatis, de quo mox loquitur 2. Tim. 1, 7; imo **c.** hic aptum omnino est hoc vocabulum, nam ordinationis ritu confertur tum gratia *gratum faciens,* tum gratia *gratis data,* potestas scil. sacerdotalis. Ceterum **d.** quaecunque demum designetur gratia, textus hi semper adversantur protestantibus: probant enim ordinationis ritum gratiae alicujus esse efficacem ideoque institutionis *divinae,* quod ipsi negant. 1. Tim. 5, 22: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis* (secundum Christi mandatum Matth. 7, 6.), quae certo intelligi nequeunt de manuum impositione sive *ad orandum* sive ad miracula *patranda:* sed de impositione magni momenti accipi debent, cum adeo *provide* sit facienda et tantum damnum sequatur improvide factam.

nam attinet, ille sit, qui erat, invisibili quadam vi ac gratia invisibilem animam in melius transformatam gerens[1]).“ Annumerant **b.** ordinationem *veris* sacramentis et cum iis conferunt. Ita Gregorius nyss. l. c; Augustinus *de bapt.* l. 5. c. 20: „Si ergo ad hoc valet, quod dictum est in Evangelio: *Deus peccatorem non audit* (Joan. 9, 31.), ut per peccatorem sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem vel super aquam baptismi, vel super oleum vel super eucharistiam, vel super capita eorum, quibus *manus imponitur,* quae omnia tamen et fiunt et valent?“ Cf. n. 938. Hinc **c.** inferunt, ejus valorem non pendere a fide et sanctitate ministri, ut Augustinus l. c.; et Anastasius II. in ep. *ad imperat. Anastasium* c. 7: „Nullum de iis, quos vel baptizavit Acacius vel quos sacerdotes sive levitas secundum canones ordinavit, ulla eos ex nomine Acacii portio laesionis attingit: quo forsitan per iniquum tradita sacramenti gratia minus firma videatur.“ Vocant **d.** *ordinationem* diserte *sacramentum* et quidem verum propriumque, sicut est baptismus: ut Augustinus l. 2. *contra ep. Parmeniani* c. 13. n. 28. et 30: „Si utrumque (baptisma et ordinatio) sacramentum est, *quod nemo dubitat,* cur illud non amittitur (per defectionem ab Ecclesia), et illud amittitur? Neutri sacramento injuria facienda est.“

1172. Nec desunt **3.** rationes *congruentiae:* si enim **a.** ritus, quo homines *aggregantur* Ecclesiae et *filii* fiunt Dei et *milites* Christi, sacramentum est: sacramentum erit ritus ille, quo Ecclesiae *praeficiuntur,* constituuntur *patres* filiorum Dei, *duces* militum Christi et fidei *doctores.* Si **b.** status *matrimonialis* propter adnexas difficultates et onera, diuturnitatem, momentum, gratia sanctificatur et fovetur, a fortiori status *clericalis,* in primis *sacerdotalis,* qui excellentior, altior, difficilior est, quo quis totum se Ecclesiae devovet, erit sacramentum.

1173. Clerici, licet a laicis *distincti,* inter se non sunt *pares,* sed in *varios* distribuuntur *gradus* seu ordines, qui ab invicem differunt

[1]) Notentur bene haec verba, iis enim significatur *praestantia* hujus sacramenti. Vere enim de ordinato repeti possunt verba 1. Reg. 2, 8: *Suscitat de pulvere egenum et de stercore elevat pauperem; ut sedeat cum principibus et solium gloriae teneat.* Particeps enim redditur potestatis, quae **a.** regia est praestantior, nam *animos* attingit, in foro valet *divino*, efficax est *gratiae* ejusque effectus ex se in *aeternum* durant; ea **b.** est supernaturalis; major **c.** angelica; portio **d.** illius, qua Christus praeditus fuit. Unde eam paucis, sed magnifice ita describit Hieronymus ep. 14. *ad Heliodorum* n. 8: „Absit, ut de his quidquam sinistrum loquar, qui apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos et nos christiani sumus: qui claves regni coelorum habentes quodam modo ante judicii diem judicant, qui sponsam Domini sobria castitate conservant.“ Vi hujus sacramenti ordinati sunt lux mundi, sal terrae, patres et benefactores hominum, angeli pacis, centra unitatis etc., et sicut baptismo suppeditatur Ecclesiae *materia,* ita ordinatione *formale* Ecclesiae *elementum* constituitur.

muneribus, potestate, praerogativis. Constituunt hi omnes sacrum principatum seu *hierarchiam ecclesiasticam,* quae definitur: potestas sacra (ratione originis, finis et mediorum) a Deo instituta et sacris personis eum in finem legitime collata, ut in Ecclesia Christi ministerium et regimen exerceant. Pro *duplici* potestate, qua Ecclesiae ministri in fidelium bonum praediti esse possunt, *ordinis* et *jurisdictionis,* duplex hierarchia distingui potest. Jam de *singulis* gradibus, e quibus ministerium coalescit ecclesiasticum, disseremus.

1174. Incipiamus a *diaconis*[1]), quorum institutio juris est divini, ut docet concilium trid. sess. 23. can. 6: „Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam *divina ordinatione* institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, A. S." Hoc vel exinde colligere licet, quod semper fuerint diaconi in universa Ecclesia quovis seculo et vel penes ipsas Orientis sectas, evidens signum institutionis non humanae, sed *divinae.* Ritum autem, quo constituuntur esse sacramentum, *de fide* quidem *non est,* communis tamen theologorum est sententia innixa can. 4. sess. 23. conc. tridentini.

1175. A diaconis distingui *presbyteros* ex unanimi consensione tam theoretica quam practica totius christiani nominis adeo evidens est, ut probatione non indigeat. Presbyteratum autem esse *sacramentum,* pariter est manifestum. Si enim ordo est sacramentum, cum de reliquis ordinibus dubitatum fuerit, utrum sint sacramenta; de presbyteratu vero nunquam: si nec de presbyteratu id prorsus esset certum, jam de nullo ordine constaret *de fide,* eum esse sacramentum.

1176. **Thesis CLXIV.** ***Episcopi a diaconis et presbyteris jure divino distinguuntur iisque sunt superiores.***

---

[1]) De hujus ordinis praestantia praeclara habentur in *constitut. apostolicis* l. 2. c. 26. 28. et 30., ubi legimus: ‚Nunc vobis loco Aaronis est diaconus, Moysis autem loco episcopus. Cum igitur Moyses a Domino appellatus sit Deus (Ex. 7, 1.), a vobis episcopus tamquam Deus observetur, et diaconus ut propheta ejus. Nam sicuti Christus sine Patre nihil agit, ita nec diaconus sine episcopo: et sicut Filius sine Patre non subsistit, ita neque diaconus sine episcopo: et sicut Filius debitor est Patri, sic et omnis diaconus episcopo; atque ut Filius Patris angelus ac propheta est; sic et diaconus angelus est ac propheta episcopi.‘ Ut aliquid addamus de *diaconissis,* advertatur eo nomine non designari *uxores* diaconorum, sed pudicas honestasque mulieres ad ministerium Ecclesiae deputatas, quae in primis ex virginibus, subinde etiam ex viduis deligebantur. Earum institutio est *antiquissima,* nec sejuncta fuit a sacro quodam initiationis ritu, de quo cf. *constit. apost.* l. 8. c. 19. s. Ipsarum fuit intervenire in mulierum baptismo, ut honestati consuleretur, instruere rusticanas et imperitas mulieres in fide, episcoporum mandata deferre ad mulieres, custodire portam, per quam ingrediebantur mulieres in Ecclesiam etc.

Demonstratio p. I. Quod *factum* attinet, certum est, jam seculis IV., III., imo II. et I. exstitisse ministros a *presbyteris* et *diaconis* distinctos, qui *episcopi* dicebantur. Neque solum patres docent, *distingui* episcopos a presbyteris, sed etiam illos his esse superiores, et ideo presbyteros vocant sacerdotes ordinis *secundi*, episcopos sacerdotes ordinis *primi*. Ita Optatus milev. *de schism. donatist.* l. 1. n. 13: „Quid commemorem laicos, qui tunc in Ecclesia nulla fuerunt dignitate suffulti? Quid ministros plurimos? quid diaconos in *tertio*, quid presbyteros in *secundo* sacerdotio constitutos? Ipsi apices et principes omnium aliqui episcopi illis temporibus instrumenta divinae legis (s. Scripturas) impie tradiderunt." Quae distinctio et praestantia colligitur quoque ex solemni facto et lege, *unum* tantum esse oportere episcopum in una civitate, cum tamen presbyterorum numerus nec facto, nec lege erat definitus; tum ex solemniori ordinatione. Ita enim can. 1. *apostolorum* statuitur: „Episcopus a *duobus* aut *tribus* episcopis manuum impositione ordinetur;" can. 2: „Presbyter ab *uno* episcopo ordinetur et diaconus." Idem eruitur ex 1. Tim. 5, 17. et 19; ad Tit. 1, 5; Apoc. c. 1. et 2., in quibus ministrorum fit mentio, quorum erat presbyterorum causas cognoscere, eos constituere et ordinare, pro merito reprehendere vel praemio afficere, singulis ecclesiis velut angelos praeesse easque regere etc., quae munera presbyteris in antiqua Ecclesia nunquam propria erant. Hinc statuit concilium trid. sess. 23. can. 7: „Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam, quam habent illis esse cum presbyteris communem . . . A. S."

1177. **Demonstratio p. II.** Institutionem episcoporum, qui a presbyteris distinguantur, juris esse *divini*, statuit concilium trid. sess. 23. can. 6. (n. 1174.). Probatur **1.** ex eo, quod episcoporum ordo ad intimam Ecclesiae *essentiam* et *formam* pertineat, ut patet **a.** ex eo, quod hic ordo coaevus sit originibus Ecclesiae[1]), et **b.** tam late pateat,

---

[1]) Ad solvendas nonnullas difficultates advertatur, incolumi dogmate concedere nos posse, in Ecclesiae exordiis, cum ubique ecclesiae fundarentur, nondum omnia fuisse ita accuratissime disposita, sicut postea adolescente jam Ecclesia. Proinde quamdiu apostoli vivebant sibique supremum ecclesiarum regimen reservabant, fieri potuit, ut instituerentur ecclesiae, in quibus essent tantum presbyteri et diaconi; aliae, in quibus esset solum episcopus cum diaconis; aliae, in quibus essent plures presbyteri episcopali quoque ordine praediti, ut pro opportunitate ad alias mitti possent ecclesias fundandas. Et licet ordines *episcopatus, presbyteratus, diaconatus* potestate et jure prorsus sint distincti, fieri potuit, ut nomina diaconi, presbyteri, episcopi, quae per se satis vagae sunt significationis et promiscue adhiberi *possunt*, initio non satis distinguerentur, donec progrediente tempore singulorum significatio technica seu propria figeretur.

quam ipsa Ecclesia; quod **c.** patres tamquam ad efficax criterium discernendae verae doctrinae veraeque Ecclesiae ab haereticorum coetibus ad nunquam interruptam episcoporum successionem provocent (n. 275.). Quapropter **d.** s. Ignatius ad *trallianos* n. 3. scribit: „Cuncti similiter revereantur diaconos ut mandatum J. Christi, et episcopum ut J. Christum Filium Patris, et presbyteros ut senatum Dei et concilium apostolorum, *sine his Ecclesia non vocatur.*" Et Cyprianus ep. 69. n. 8: „Ecclesia a Christo non recedit, et illi sunt Ecclesia, *plebs sacerdoti adunata,* et *pastori suo grex adhaerens.* Unde scire debes, episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in episcopo, et si quis cum episcopo non sit, in Ecclesia non esse." Ad haec **2.** episcoporum exclusive proprium est ordinare alios episcopos et presbyteros. Atqui ejusmodi potestatem non habent ab Ecclesia, alioquin Ecclesia eam aliis posset tribuere: ergo a Deo; proinde sunt institutionis divinae.

1178. **Demonstratio p. III.** *Praestantiam* episcoporum prae presbyteris pariter esse juris *divini* (quod quidem concilium trident. noluit *explicite* definire), probatur **1.** ex dictis. Vel enim Christus instituit episcopos presbyteris aequales vel inaequales. Si aequales, tunc nulla est differentia, neque amplius dici possunt ab illis distingui; si inaequales, eos instituit vel inferiores vel praestantiores. Sed illud inauditum. Ergo jure divino praecellunt presbyteros; quod confirmatur **2.** ex ordinandi praerogativa ipsis solis propria (n. 1179.); **3.** ex damnatione Aërii, qui certo non negavit episcopos *facto* presbyteris esse superiores, sed *jure,* quod scil. putaverit, omnes Christo auctore esse aequales.

1179. **Thesis CLXV.** ***Inter praerogativas, quibus episcopi presbyteros praecellunt, illa eminet, qua soli Christo auctore divinoque jure „gignere patres Ecclesiae" possunt, adeoque manuum impositione episcopos et presbyteros ordinare.***

Demonstratio. Insignes prorsus sunt episcoporum praerogativae et dotes. Episcopus est centrum unitatis, cui velut citharae reliqui ut chordae concinere debent; ipse norma credendi et agendi, a quo tota vita et gubernatio Ecclesiae pendet; vices Christi gerens, imo ut vocatur in *constit. apost.* l. 2. c. 26. *Deus terrenus.* Quae paucis complectitur Ignatius ep. *ad smyrn.* n. 8: „Separatim ab episcopo nemo quidquam faciat eorum, quae ad Ecclesiam spectant; rata eucharistia habeatur illa, quae sub episcopo peragitur, vel sub eo, cui ipse concesserit. Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit; quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi catholica Ecclesia. Non licet sine episcopo neque baptizare, neque agapen celebrare, sed quodcunque ille probaverit, hoc et Deo est beneplacitum, ut firmum et validum sit omne, quod peragitur."

1180. Inter has autem praerogativas illa eminet, qua *soli* ordinare episcopos et presbyteros possunt. Sane **1.** hanc praerogativam *positive* ipsis vindicant patres et canones Ecclesiae, qui semper exhibent episcopos sacramenti ordinis ministros; *negative,* cum nullius alterius ministri praeter episcopos faciant mentionem; *exclusive,* cum diserte ab hac praerogativa alios excludant, eamque qua propriam episcopatus dotem proponant. Ita Hieronymus ep. 85. *ad Evangelum* n. 1: „Quid facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat?" Chrysostomus hom. 11. *in 1. Tim.* cum dixisset „inter episcopos et presbyteros ferme nihil interesse," subjicit: „Sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum plus quam presbyteri habere videntur."

1181. Probatur **2.** ex historia ecclesiastica et traditione practica. Nullum enim **a.** exemplum reperitur ordinationis presbyteri vel episcopi ab aliquo, qui non esset episcopus, factae, quae valida habita fuerit. Imo **b.** ne summa quidem urgente necessitate, qua Ecclesia libenter permittit quidquid permittere potest. Quare **c.** patres conc. alexandrini (apud Athanasium in *apolog. contra arian.* n. 11.) Athanasii calumniatores, qui Ischyram dicebant presbyterum, hac ratione refellunt: „Unde presbyter Ischyras? quo ordinante? Num Collutho? ... Atqui Colluthum presbyterum obiisse ambasque ejus manus *sine auctoritate* fuisse, omnibus notum est ac nulli dubium." Ad haec **3.**, si episcopi pollerent, presbyteri vero carerent hac potestate ex jure ecclesiastico, ratio reddi non posset, quare Ecclesia voluerit presbyteros ea in perpetuum privare, et quare non possit episcopos haereticos, schismaticos etc. ea privare, sicut eos privat jurisdictione.

1182. **Corollarium.** Cum ordinatio sit sacramentum, sacramentorum autem valor non pendeat a sanctitate et fide ministrorum (thes. CXXXVIII.), ordinationes factae ab episcopis haereticis, schismaticis, dummodo servent materiam et formam essentialem, sunt *validae.* Quae sententia s. Thomae nunc omnino est certa, licet de ea olim nonnulli dubitarint. Verum jam in antiqua Ecclesia praevaluit nostra sententia. Ad solvendas vero difficultates advertatur: **1.** Duplici modo posse dici ordinationem *irritam,* vel quia est *invalida,* vel qua *illegitima;* quo casu ordinatus accipit quidem characterem et potestatem, sed privatur ejus usu, honore, et si *malae* est fidei, gratia sanctificante, imo gravissimum committit *sacrilegium.* Quam ob rem **2.** patres ejusmodi ordinationes ab haereticis etc. factas vere dicere poterant *vanas, inanes, irritas, falsas* etc., non quia non imprimerent characterem et conferrent potestatem sacerdotalem[1]), sed quod gratiam non conferrent,

---

[1]) Hoc colligitur ex controversia cum donatistis, in qua Augustinus saepe respicit etiam ordinationes ab improbis vel haereticis ministris factas; ex praxi, nam subinde Ecclesia recepit ministros ab haereticis ordinatos in suo ordine, quem acceperant, ut praesertim donatistas. Quare etiam Hieronymus

ordinatique privarentur usu potestatis acceptae. Distingui quoque **3.** debet manuum impositio *ordinatoria* a reconciliatoria et *caeremoniali,* qua quandoque illegitime ordinatis solemniter restituebatur usus et exercitium ordinum. Ceterum **4.** mirum esse non debet, si nonnunquam aliqui dubitaverint de valore ordinationum haereticorum, cum nonnulli vel de valore baptismi ab haereticis collati dubii haeserint. Neque diffitemur **5.** quaedam forte contigisse decursu temporis, ex quibus, cum sint facta *particularia* ex ignorantia vel malitia patrata, Ecclesiae *universalis* sensus colligi nequit.

1183. **Scholion I.** *Ritus, quo initiantur episcopi, verus est ordo*[1]) *verumque sacramentum.* Quae sententia *prorsus certa* dici debet, cum omnia fere argumenta, quibus ordo probetur esse sacramentum, de episcopatu agant. Et sane consecratio in episcopum vel est mere caeremonialis, sacramentale quoddam, sicut consecratio abbatis, vel est ritus efficax ex jure divino excellentissimae cujusdam potestatis, de qua egimus thesi praecedenti. Si illud, corruet doctrina catholica de discrimine inter presbyteros et episcopos ex jure *divino,* neque explicatur, quare vel episcopus nondum ordinatus *nunquam* ordines valide conferre, vel *solus* episcopus ordinare possit; si hoc, negari non poterit collatio gratiae una cum potestate spirituali. Si enim gratia non negatur diaconis ad simplex *ministerium,* non negabitur episcopis ad Ecclesiae *regimen*[2]).

1184. **Scholion II.** Praeter hos tres ordines plures alii a concilio trid. sess. 23. c. 2. recensentur, quorum omnium simul jam seculo III. mentionem facit Cornelius papa in epist. *ad Fabium* antioch. scribens: »Ille ergo Evangelii vindex (Novatianus, quem ita per ironiam appellat) ignorabat, unum episcopum esse oportere in Ecclesia catholica? in qua non ei latebat (quomodo enim latere potest?), presbyteros esse quadraginta sex, diaconos septem, subdiaconos septem, acolythos duos et quadraginta exor-

---

in *dial. adv. lucif.* n. 11. scribit: ›Si in fide sua baptizato baptizans nocere non potuit, et in fide sua sacerdotem constitutum constituens non inquinavit.‹ Et n. 14: ›Eadem ratione episcopum ab arianis recipio, qua tu recipis baptizatum.‹

[1]) Cum ergo dicitur, episcopatum esse *ordinem* proprie dictum, non solum significatur episcopatum *gradu* a presbyteratu differre, sed ordinationem seu ritum, quo constituuntur episcopi, non esse meram disputationem, consecrationem qualis est consecratio abbatis, sed ritum jure *non ecclesiastico* sed *divino* (sicut episcopatus est institutionis non ecclesiasticae, sed *divinae*) collativum novae potestatis supernaturalis, qua prorsus carent presbyteri, hinc efficacem *ex opere operato* gratiae gratis datae, et etiam gratiae gratum facientis habitualis et pro opportunitate actualis, proinde verum esse sacramentum.

[2]) Ex eo, quod tam diaconatus quam presbyteratus et episcopatus sunt sacramenta, non sequitur, *plura* esse ordinis sacramenta. Sicut enim singuli ordines non sunt nisi partes ordinis *totalis,* qui *plene* possidetur ultimo obtento ordine: ita haec tria sacramenta *partialia* sunt, constituentia *unum* sacramentum ordinis *totale.*

cistas autem et lectores cum ostiariis quinquaginta duos.« De horum ordinum origine et institutione praeferenda est sententia, quam ita enunciat Thomassinus *de vet. et nova Eccl. disciplina* t. 1. p. 1. l. 2. c. 30: »Nihil probabilius quam minores ordines comprehenso subdiaconatu velut quasdam portiones esse diaconatus aliis aliisque temporibus et necessitatibus ab eo (per Ecclesiam) decerptas. Quamobrem aliquo sensu eoque vero recte dixeris, minores ordines in fonte suo ac origine i. e. in diaconatu, unde tamquam rivuli scaturierunt, institutionis esse divinae.« Quamvis autem non defuerint theologi, qui ordinibus minoribus et subdiaconatui sacramenti tribuerint dignitatem, communius jam nunc ipsis abjudicatur sacramenti ratio, quod non satis constet de eorum institutione proprie dicta divina, nec aliquid legatur, quo ritus, quibus conferuntur, efficaces gratiae demonstrentur[1]).

1185. **Scholion III.** Implexa est admodum controversia de *materia,* ideoque et de *forma* trium ordinum hierarchicorum, scil. diaconatus, presbyteratus, episcopatus. De *materia* saltem *triplex* est sententia. Si enim **1.** veteres audimus scholasticos, ex iis plures docent: materiam essentialem esse *instrumentorum traditionem;* quibus favere videtur instructio Eugenii IV. *pro armenis* hujus tantum faciens mentionem. At **2.** „postquam sanior critica, ut inquit Perrone *prael. theol.* t. 9. cap. 4., rimas omnes antiquitatis perscrutata est, communior jam evasit sententia, quae in *sola manuum impositione* et oratione sitam esse materiam et formam horum ordinum tuetur.“ Sane pro hac sententia faciunt Scripturarum testimonia, ritualia et sacramentaria ante 900 ad minimum annos conscripta, aliaque antiquitatis monumenta, in quibus solius impositionis manuum, non vero traditionis instrumentorum fit mentio. *Tertia* sententia utramque hanc nititur conciliare, qua conciliatione pleraeque et quidem graves difficultates, quae in utraque occurrunt, vitantur. Unde hac ex parte admodum se commendat et in praxi omnino est tenenda. Censent scil. patroni hujus

---

[1]) Si quaeritur, *quot* sint ordines, responderi potest vel ordines esse *septem,* ita tamen ut septimus i. e. *sacerdotium,* sit bipartitus complectens *presbyteratum* et *episcopatum,* vel esse *octo,* cum episcopatus sit verus ordo n. 1183., vel esse *septem,* per quos veluti per totidem gradus *ad sacerdotii fastigium* ad episcopatum ascenditur. Ex his ordinibus autem alii dicuntur *minores, majores* alii seu *sacri* pro minori majorive potestate, jure et munere aliquid sacrum peragendi, ad altare accedendi, eucharistiam conficiendi vel administrandi, sacra vasa attingendi, et ratione *majoris consecrationis* per votum continentiae adnexum. »Ordo dicitur *sacer,* inquit s. Thomas in 4. dist. 24. q. 2. a. 1. q. 3., qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam: et sic sunt tantum *tres* ordines *sacri,* scil. sacerdos et diaconus, qui habent actum circa corpus Christi et sanguinem consecratum; et subdiaconus, qui habet actum circa vasa consecrata: et ideo etiam eis continentia indicitur, ut sancti et mundi sint, qui sancta tractant.« Ceterum a graecis *subdiaconatus* ordinibus *majoribus* non accensetur.

sententiae, Ecclesiam pro jure sibi a Christo facto accuratius determinandi materiam hujus sacramenti manus impositioni, quae antea tantum erat in usu, temporum lapsu adjecisse instrumentorum traditionem, ut clarius significaret potestatis sacrae collationem.

1186. **Scholion IV.** Ecclesiae ministri sacris seu majoribus initiati ordinibus i. e. *subdiaconi, diaconi, presbyteri* et *episcopi* (in Ecclesia latina) *ad servandum coelibatum* obligantur: de qua lege haec ex ordine statuimus: **1.** *Coelibatus* innititur *exemplo* Christi et etiam apostolorum, qui relictis omnibus, etiam uxoribus (cf. Matth. 19, 27. col. 29.), secuti sunt Christum; quapropter nulla in antiquitate uxorum et filiorum apostolorum fit mentio.

Unde Tertullianus *de monogam.* c. 8: „Petrum solum invenio maritum per socrum . . . Ceteros, cum maritos non invenio, aut spadones intelligam necesse est aut continentes;" et Hieronymus l. 1. *c. Jovin.* n. 26: „Quamquam excepto apostolo Petro non sit manifeste relatum de aliis apostolis, quod uxores habuerint, et cum de uno scriptum sit ac de ceteris tacitum, intelligere debemus, sine uxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale Scriptura significet."

1187. Indubium **2.** est, in Ecclesia *occidentali* vel a remotissima antiquitate coelibatum maxime floruisse. Jam conc. eliberitanum a. 305. vel 306. statuit can. 33: „Placuit in totum prohibere episcopis, presbyteris et diaconis vel omnibus clericis positis in ministerio abstinere se a conjugibus suis et non generare filios: quicunque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur." Hieronymus vero testatur ep. 48. *ad Pammachium* n. 21: „Episcopi, presbyteri, diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post sacerdotium in aeternum pudici." Quare cum tam universalis esset haec consuetudo in re tam difficili, merito ea ex apostolica traditione repetitur, quod etiam non obscure significat Siricius (a. 385.) *ep.* 1. n. 8. ss., qui non tam acriter inveheretur in coelibatus transgressores, si res esset tantum consuetudinis et non altiori quadam auctoritate instituta; clarius vero conc. africanum a. 390. celebratum n. 3: „Episcopos, presbyteros et diaconos ita placuit, ut condecet sacros antistites et Dei sacerdotes necnon et levitas vel qui sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare, ut *quod apostoli docuerunt et ipsa servavit antiquitas,* nos quoque custodiamus."

Imo in pluribus Ecclesiae *orientalis* partibus floruit jam primis seculis continentiae lex, teste Epiphanio, qui scribit *haer.* 59. n. 4: „Quin eum, qui adhuc in matrimonio degit ac liberis dat operam, tametsi unius uxoris sit vir, nequaquam tamen ad diaconi, presbyteri, episcopi aut hypodiaconi ordinem admittit Ecclesia: sed eum dumtaxat, qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit aut ea sit orbatus, quod in illis locis prac-

cipue fit, *ubi ecclesiastici canones accurate servantur.* At enim nonnullis adhuc in locis presbyteri, diaconi et hypodiaconi liberos suscipiunt: respondeo, non illud *ex canonis auctoritate fieri,* sed propter hominum ignaviam, quae certis temporibus negligenter agere ac connivere solet.

1188. Legi coelibatus **4.** *multiplex* suffragatur *convenientiae* ratio sive **a.** ea, quam Innocentius I. ep. 2. c. 9. *ad Victricium* ita proponit: „Si priscis temporibus de templo Dei sacerdotes anno vicis suae non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domus suas omnino tangebant, quibus utique propter sobolis successionem uxorius usus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu et praeter ex semine Aaron (Num. 17, 7.) ad sacerdotium nulli fuerat praeceptum accedere: quanto magis hi sacerdotes vel levitae pudicitiam ex die ordinationis suae servare debebunt, quibus vel sacerdotium vel ministerium sine successione est, nec praeterit dies, qua vel a sacrificiis divinis, vel a baptismatis officio vacent? Nam si Paulus ad corinthios scribit, dicens: *Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi* (1. ep. 7, 5.), et hoc utique laicis praecipit: multo magis sacerdotes, quibus et orandi et sacrificandi juge officium est, semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere." Sive **b.** ea, quae ex munere apostolico deduci potest, ad quod rite obeundum curis matrimonialibus solutos esse oportet sacerdotes; sive **c.** ea, quae derivatur ex auctoritate, qua Ecclesiae ministros supra fideles excellere oportet: siquidem ipsi esse debent lux mundi, sal terrae, angeli Dei exercituum; hanc autem ipsis maxime conciliat sanctitas, et quidem ea sanctitas, quae vivendi ratione superhumana, supernaturali continetur, qua quis super reliquos excellens vehementium passionum victor perfectaeque abnegationis exsistit exemplar et norma. Talis autem vivendi ratio exigit coelibatum.

1189. Mala vero **5.** quae coelibatum consequi crepantibus buccis jactare solent[1]) illius osores, vel **a.** exaggerata aut etiam conficta sunt; vel

---

[1]) Coelibatus lex non adversatur, ut contendunt adversarii, *bono communi* reipublicae, imo potius hoc promovet: ideoque ipsa societas civilis a quam plurimis, ut a militibus, pauperibus etc. propter bonum commune ad tempus saltem coelibatum exigit. Sane reipublicae salus non consistit in quam maxima hominum *turba,* sed in horum felicitate, pace, virtute etc., quam in primis promovet religio. Religio autem eo potentius vim suam exseret salutarem, quo meliores magisque idonei sunt ejus ministri, quoque majore apud populum fruuntur auctoritate. Atqui haec quam maxime pendet a coelibatu; quod confirmatur collatione instituta inter populos, quorum ministri sacri sunt coelibes, et illos, qui reguntur ministris habentibus uxorem. Imo cum continentia clericorum *sal* sit *honestatis publicae,* et quo haec sanctior, eo fecundior generatio, non coelibatui clericorum imminutio adscribi debet subditorum, sed aliis causis, praesertim coelibatui libertinorum, qui jugum et vincula honesti horrent matrimonii, ut liberius effreni indulgere possint libidini.

b. retorqueri possunt in quemlibet vitae statum, etiam in ipsum matrimonium; probant siquidem solum, nil sub sole esse perfectum, atque homines, quamdiu hic vivunt, admodum esse fragiles. Hinc **c.** si nimis urgentur, sequeretur quoque, licita esse adulteria, polygamiam, etc., nam matrimonium *unius cum una* idque *indissolubile* consequuntur etiam ex hominum malitia incommoda et mala. Ceterum **d.** consulimus hisce *orbis curatoribus,* ut eos belle Chrysostomus *de virg.* n. 14. vocat, ut prius quam ex oculis cleri eruant festucam malorum, quae coelibatum propter hominum fragilitatem subinde consequuntur, ad crimina sive propria sive aliorum respiciant. Neque tandem **6.** opponatur, haec quidem ostendere coelibatum esse bonum atque ideo consuli, non tamen *praecipi* posse: nam **a.** haec a fortiori contra societatem civilem urgeri possunt, quae ad coelibatum tot *invitos* cogit, non vero **b.** contra Ecclesiam, quae nonnisi eos ad hanc legem obligat servandam, qui *sponte sua* atque libere se obtulerunt; quare **c.** quilibet consideret prius, utrum ad hunc statum sit vocatus, securus tamen **d.** quod, si vocatus accedat, Deus daturus sit gratiam ad ferenda hujus status onera, nec permissurus, ut quis tentetur supra id, quod possit (1. Cor. 10, 13.).

Sectio VII.

De sacramento matrimonii.

1190. Expensis Scripturae effatis[1]) haec matrimonii definitio sive descriptio colligitur: matrimonium scil. est conjunctio unius cum una, indissolubilis, ab auctore naturae instituta, a viro et muliere voluntate inita et a Deo confirmata, qua se mutuo adjuvant, perficiunt, complent, ut sint unum principium physicum, ethicum et religiosum, par ad propagandum genus humanum, ad subministrandam materiam Ecclesiae aedificandae, prolemque in triplici hoc ordine educandam, referens imaginem expressam conjunctionis Christi cum Ecclesia. Multiplicis autem generis adversarios contra catholicam de matrimonio doctrinam distinguere licet. Alii enim matrimonii impugnarunt *honestatem* ethicam; alii ejus dignitatem supernaturalem et *sacramentalem;* alii *reale* inducunt *discrimen* inter matrimonium *sacramentum* et *contractum* matrimonialem christianum. Quos excipiunt, qui ejus propietates praecipuas *monogamiam* et *indissolubilitatem* negant. Quare eodem hoc ordine catholicam exponemus doctrinam; sed *honestatem* ethicam matrimonii data opera non vindicamus, cum eam modo nullus sanae mentis amplius neget.

---

[1]) Gen. 1, 27. s.: *Ad imaginem Dei creavit illum* (hominem Deus): *masculum et feminam creavit eos. Benedixitque illis Deus et ait: Crescite et multiplicamini;* 2, 18. ss.: *Dixit quoque Dominus Deus: non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adjutorium simile sibi . . . Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea . . . Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una;* Matth. 19, 3. ss.; 1. Cor. 7, 1. ss.; Eph. 5, 21. ss., quae infra expendemus.

1191. **Thesis CLXVI.** ***Matrimonium christianum verum propriumque est novae legis sacramentum.***

Demonstratio. Thesis est *de fide* enunciata can. 1. sess. 24. concilii trident.: „Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab homine inventum, neque gratiam conferre A. S." Statuitur autem adversus novatores sec. XVI. Probatur **1.** invicte *praescriptionis* argumento, quo demonstratur, semper in Ecclesia viguisse fidem de septem sacramentis, inter quae numerabatur etiam matrimonium. Quam in fidem conspirant sectae Orientis jam seculo V. ab Ecclesia divisae. Cf. th. CXXXIX.

Succedit **2.** practica sentiendi ratio totius Ecclesiae a remotissima antiquitate, secundum quam matrimonium non est contractus profanus, civilis, mere humanus, sed sacer coram Ecclesia, in Ecclesia cum multiplici ritu sacro peragendus. Unde sufficiamus, inquit Tertullianus *ad uxorem* l. 2. n. 9., ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio et obsignat benedictio, angeli renunciant, Pater rato habet?" Ideoque etiam in ordinibus vetustis sacramentis accensetur vel diserte vocatur sacramentum. Censuit ergo Ecclesia, matrimonium per Christum ad altiorem dignitatem evectum fuisse, quae conveniret ordini per ipsum renovato, ad dignitatem proinde a gratia non sejunctam.

Et sane decebat Christum, qui venit reparare ruinam per Adamum illatam, quae maxime matrimonium invasit eoque propagatur, ab hujus reparatione et restauratione incipere. Quam ob rem non raro docent patres, idcirco Christum interfuisse nuptiis Joan. 2, 1. ss., ut nuptias honoraret praesentia sua, sane non sterili, sed benefica, quae illas sanctificaret, non secus ac cum baptizabatur, praesentia et contactu aquas sanctificavit, illisque indidit vim sanctificatricem. „Christus ipse, inquit Cyrillus alex. l. 2. *in Joan.* 2, 1., cum discipulis suis invitatus venit (ad nuptias) non tam epulaturus, quam ut miraculum faceret, ac praeterea generationis humanae principium *sanctificaret,* quod ad carnem nimirum attinet. Conveniebat enim, ut qui naturam ipsam hominis renovaturus erat, non solum iis, qui jam in ortum vocati erant, benedictionem impertiretur, sed iis quoque, qui nascituri essent, gratiam praestitueret et eorum ortum sanctum efficeret," in parentibus scil. et per parentes, quorum munus vi conjugii maxime proprium est, materiam suppeditare aedificandae consummandaeque Ecclesiae.

1192. Accedit **3.** suffragium aliorum patrum[1]), e quibus Innocentius I. ep. 5. *ad Probum* ita scribit: „Statuimus fide catholica

---

[1]) Augustinus matrimonii indissolubilitatem illustrat comparatione cum sacramentis *baptismi* et *ordinis*, quae characterem imprimunt indelebilem. Ita de *nuptiis et concup.* l. 1. c. 10: „Hujus procul dubio sacramenti res est, ut mas et

suffragante, illud esse conjugium, quod primitus erat *divina gratia fundatum,* conventumque secundae mulieris priori superstite nec divortio ejecta nullo pacto posse esse legitimum.“ Nec inefficax **4.** censeri debet argumentum, quod derivatur[1]) ex Ephes. 5, 21. ss. Ita enim argumentari licet: Symbolum sacrum adnexam habens gratiam est sacramentum. Atqui matrimonium teste Paulo est symbolum sacrum, imo mysterium magnum idque gratia ditatum. Est ergo sacramentum. Matrimonium autem esse symbolum gratia plenum et auctum colligitur **a.** ex differentia inter V. et N. Testamentum (cf. n. 990.); **b.** ex emphasi apostoli, qua matrimonium *magnum* vocat mysterium: quid enim *magni* in oeconomia gratiae et ordine salutis, quod gratia destituitur? **c.** ex prototypi praestantia, quod amore *naturali* et *carnali* pro dignitate nequit repraesentari; **d.** ex corollariis *practicis,* quae inde infert apostolus, mulieres scil. subjectas esse debere viris sicut Ecclesia Christo, subjectione proin *perfecta;* et viros diligere debere uxores sicut Ecclesiam dilexit Christus, qui se tradidit pro ea, dilectione proinde *actuosa, operosa, salutari*[2]).

---

femina connubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent . . . Ita manet inter viventes quiddam conjugale, quod nec separatio nec cum altero copulatio possit auferre: manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum foederis: sicut apostata anima veluti de conjugio Christi recedens etiam fide perdita sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit.‘

[1]) Eph. 5, 22. ss.: *Mulieres viris suis subditae sint, sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae, ipse Salvator corporis ejus. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia. Verumtamen et vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat; uxor autem timeat virum suum.* Verba autem illa *in Christo et in Ecclesia* εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν possunt intelligi de causa matrimonii *exemplari,* sed haud improbabiliter etiam de causa ejusdem *finali.* Et revera post lapsum ideo matrimonium tanti est momenti, quod per illud suppeditetur *materia aedificandae, propagandae consummandaeque Ecclesiae,* quae corpus est Christi mysticum.

[2]) Ex quibus liquet quomodo matrimonium sit sacramentum et quo pacto habeatur signum illudque efficax ejus, quod significat, atque fecundum gratia. Signum scil. in matrimonio sunt verba significantia contractum, quae efficiunt quod significant, scil. conjunctionem unius cum una, eamque indissolubilem, quae

Confirmatur **5.** ratione haud spernenda, quae petitur ex matrimonii fine et dotibus. Conjugum enim munus est, imagines spirantes Dei, quas ipse creavit, excolere, membra Christi ad perfectionem adducere, templa Spiritus s. omni virtutum genere exornare, et quos ss. Trinitas ad sui possessionem elegit, in hunc dirigere finem; nota insuper et character matrimonii christiani est *indissolubilitas* et *unitas:* quae dotes saepe magna exigunt sacrificia, virtutem subinde heroicam, jugum constituunt durum. Exigit ergo oeconomia novi testamenti, ut gratia matrimonio inserta conjuges reddat idoneos ad munus tam excelsum et supernaturale atque jugum eis impositum reddat leve et suave.

1193. **Thesis CLXVII.** ***Matrimonium christianum ita est verum propriumque novae legis sacramentum, ut nihil intersit inter contractum matrimonii christiani et matrimonii sacramentum, nullumque inter christianos verum celebretur matrimonium, quod non sit pariter Ecclesiae sacramentum.***

Demonstratio. *Realem unitatem* contractus et sacramenti matrimonii penes christianos, quae veritas fundamentalis est in hac materia et doctrina omnino *catholica,* vindicamus adversus plures juris peritos et canonistas seculi praeteriti et praesentis, qui reale discrimen, imo et *separabilitatem* utriusque ab invicem tuentur, ut facilius subtrahant matrimonium potestati ecclesiasticae atque subjiciant potestati civili. Probatur autem **1.** auctoritate Eugenii IV., qui in *decreto pro armenis* docet: „Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus." Atqui consensu efficitur contractus matrimonialis; pontifex vero loquitur de matrimonio quatenus est *sacramentum.* Ergo ipse contractus est sacramentum.

1194. Idem colligitur **2.** ex modo loquendi concilii tridentini sess. 24., qui etiam ab omnibus adhibetur theologis. Statuit enim canone 1., matrimonium esse sacramentum, et in decreto docet, illud in lege evangelica veteribus connubiis per Christum gratia praestare. Atqui matrimonii nomine non intelligitur aliqua caeremonia, sed ipse contractus matrimonialis. Quare Pius VI. in ep. ad episcopum motulensem 6. Sept. 1788. diserte affirmat: „Contractus matrimonialis est vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis." Accedit **3.** quod idem concilium doceat c. 1. *de reformat.,* matrimonia clandestina esse rata et vera matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecerit. Ergo fuerunt sacramenta; haec enim est significandi vis secundum usum loquendi canonum appositi matrimonii *rati.* Atqui in matrimonio clandestino nihil habes praeter contractum matrimonialem.

---

non amplius sit in potestate contrahentium, quaeque sit adumbratio conjunctionis Christi cum Ecclesia. Cum autem haec condigne sine gratia haberi nequeat, ideo vi verborum confertur gratia, quae perficiat et sanctificet hanc conjunctionem.

Ergo hic ipse est sacramentum. Denique 4. Pius IX. in *allocut.* 27. Sept. 1852. diserte declarat: „Nemo ex catholicis ignorat aut ignorare potest, matrimonium esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris praeter sacramentum conjunctionem, cujuscunque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum, ac proinde a conjugali foedere sacramentum separari nunquam posse."

1195. **Scholion.** Quamvis matrimonium ad genus *contractuum* revocetur, contractus tamen est a reliquis summopere discrepans ac *plane singularis.* Sane **1.** reliqui contractus circa res et commoda ex rebus provenientia versantur; connubii vero veluti materia continetur *personis* et *affectibus.* **2.** In reliquis contractibus cum materia principalis tum extensio effectuum et obligationis duratio subsunt contrahentium libertati, transactioni vel legibus civilibus aut ecclesiasticis, quorum nihil in matrimonio subest vel contrahentium vel societatis civilis sive ecclesiasticae arbitrio. Hujus **3.** contractus proprium est **a.** ut contrahentes in *novo* quodam societatis *statu* collocentur; ut **b.** ad novum quoddam vitae genus obligentur; ut **c.** ex connubio novae affinitates cognationesque exsistant; ut **d.** vincula alioquin sacerrima, si non solvantur, multum saltem relaxentur, nam propter hunc contractum *relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una* Gen. 2, 24. Praeterea **4.** hic contractus est **a.** *naturalis,* quia fundatur in hominum natura et ordinatur ad bonum naturae, id est ad complendam naturam in ratione principii et ad eam propagandam; **b.** speciali modo Deo est *reservatus;* nam *quod Deus conjunxit, homo non separet* Matth. 19, 6; habens **c.** rationem *symboli* sacri Eph. 5, 32., ideoque est *sacer,* imo **d.** *sacramentalis,* ut patet ex thesi CLXVI; insuper est **e.** contractus *spiritualis,* quatenus omnino supponit animorum unionem et intendit etiam spirituale prolis bonum; et **f.** *ecclesiasticus,* quatenus in nonnullis potestati Ecclesiae est obnoxius, ut infra videbimus; et etiam **g.** *civilis,* quatenus ordinatur ad bonum societatis. Quare liquet, praecipites esse, qui ex eo, quod matrimonium sit contractus, illico inferunt, illud *ex toto* obnoxium esse potestati civili.

1196. **Corollaria.** Ex veritate fundamentali in praeced. thesi statuta sequitur **1.** hujus *sacramenti ministrum* non esse sive parochum assistentem sive sacerdotem nuptiis benedicentem[1]), sed *esse ipsos contrahentes:* hi enim conficiunt contractum, ergo et sacramentum.

---

[1]) Frustra provocant patroni alterius sententiae ad verba Pauli 1. Cor. 4, 1., ubi Apostolus Ecclesiae ministros vocat *dispensatores mysteriorum Dei,* cum verba sint *affirmantia,* non excludentia, ac praeterea sermo sit de mysteriorum *dispensatione:* inde enim non sequitur, ministros Ecclesiae hoc sacramentum *conficere,* sed tantum matrimonium non esse celebrandum *independenter* ab Ecclesia.

Quod confirmatur praxi quotidiana Ecclesiae, quae haereticorum matrimoniis, cum conjuges ad Ecclesiam revertuntur, non amplius benedicit, et ex matrimoniis clandestinis, quae nulla accedente benedictione sacerdotali fuerunt quondam et ubi decretum concilii trid. de eis non est promulgatum, adhuc sunt vera matrimonia, sicut et illa, quae praesente quidem parocho, sed eo repugnante et invito contrahuntur, sacramenti dignitate ornantur. Atqui in his matrimoniis manifesto parochus non est minister. Ergo nonnisi contrahentes ministri sunt hujus sacramenti.

1197. Sequitur 2. cum ipse contractus matrimonialis sit sacramentum, hujus *materiam* et *formam* esse eandem, quae est ipsius contractus. Jam vero communior sententia est, corpora contrahentium seu dominium in eadem materiam esse remotam et circa quam: verba vero contrahentium rationem habere materiae proximae simul et formae; illius, quatenus significant corporum *traditionem:* hujus, quatenus enunciant *acceptationem.* Jam ad praecipuas matrimonii *proprietates* accedamus, quae sunt *unitas* et *indissolubilitas.*

1198. **Thesis CLXVIII.** ***Proprietas matrimonii christiani est unitas, quae polygamiam simultaneam excludit.***

Demonstratio. Hanc proprietatem vindicabimus matrimonio contra plures haereticos antiquos, imo et contra novatores sec. XVI. Ut autem quo par est ordine procedamus, haec ex ordine statuimus: **1.** *In lege evangelica polygamia simultanea omnino est prohibita,* ut statuit conc. trident. sess. 24. can. 2: „Si quis dixerit, licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, A. S.“ Colligitur autem **a.** ex Marc. 10, 11: *Quicunque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam,* collatis Luc. 16, 18; Matth. 19, 9: quibus docemur, toties committi adulterium, quoties vivente uxore alia ducitur. Ergo sicut adulterium est prohibitum ita et polygamia. Quare Christus approbans Adami verba statuit: *Et erunt* **duo** *in carne una* Matth. 19, 5. Colligitur **b.** ex 1. Cor. 7, 2. s., ubi idem jus uxori in virum ac viro in uxorem conceditur[1]), quod cum polygamia consistere nequit. **c.** Ex Ephes. 5, 22. ss. (cf. supra annot. ad n. 1192., quibus docemur, matrimonium symbolum esse conjunctionis Christi cum Ecclesia; Christus autem cum una jungitur Ecclesia. Id denique **d.** evidens est ex sentiendi ratione

[1]) 1. Cor. 7, 2. s.: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat. Uxori vir debitum reddat: similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet sed mulier.*

universi nominis christiani. Inauditum enim est in tota antiquitate, aliquem impune duas simul ducere potuisse uxores.

1199. Sed **2.** non solum in lege evangelica, verum etiam *in ipsa originali matrimonii institutione exclusa fuit polygamia,* quod innuitur **a.** ipsa creatione: creatum siquidem est unicum conjugum par, licet tunc summa fuerit multiplicandi generis humani necessitas; colligitur **b.** ex verbis Adami Genes. 2, 24: *Adhaerebit* (homo seu vir) *uxori suae,* non uxoribus, *et erunt duo,* non *plures, in carne una,* quae verba Christus approbat Matth. 19, 3. ss., atque subsumens: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet,* infert, dimissa uxore aliam ducere esse adulterium. Quare Nicolaus I. ad bulgarorum consulta respondens n. 51. statuit: „Duas tempore uno habere uxores nec *origo humanae conditionis* admittit, nec lex christiana ulla permittit."

1200. Imo **3.** *polygamia juri naturali minus consentanea est,* cum **a.** in ea non servetur *aequalitas* inter conjuges tantopere a Paulo 1. Cor. 7, 2. ss. inculcata; deinde **b.** bonum conjugii exigit, ut conjuges non solum corpore, sed et animis jungantur, proinde se totos sibi invicem tradant, quod minime servatur in polygamia, ex qua sponte sua sequitur cordis divisio, ideoque aemulatio, invidia. Ad haec **c.** conjugium ejusmodi esse debet, ut consulatur etiam bono familiae. Huic vero maxime adversatur polygamia, quae occasio, imo causa efficax est zelotypiae, invidiae, rixarum, injustitiae, odii etc.

1201. Utrum autem polygamia *absolute* adversetur juri naturae, non eadem est omnium theologorum sententia. Haud pauci negant, alii affirmant; communior tamen theologorum sententia tuetur, polygamiam sin minus primario naturae juri, secundario saltem seu derivato esse contrariam, nempe conclusionibus ex primariis praeceptis deductis, ut loquitur Thomas *suppl.* q. 65. a. 1. Ex quibus iterum alii putant, illicitum esse jure naturae citra Dei dispensationem matrimonium cum duabus aut pluribus uxoribus initum; alii vero censent, solo spectato naturae jure non adeo facile probari posse, *quovis* in casu illicitum esse conjugium, quod retenta adhuc uxore priori iniretur. Hi vero provocant ad permissionem Dei judaeis factam[1]), ad quorundam patrum auctoritatem et Scripturarum V. T. silentium, cum nunquam polygamia inter certos limites carpatur. Ita ex. gr. scribit Augustinus *contra Faustum* l. 22. c. 47. de Jacob

[1]) Contra Calvinum omnino tenendum est, *polygamiam* sive in *oeconomia patriarchali,* sive in *mosaica, fuisse licitam.* Licet enim ita juri naturali adversaretur, ut nulla auctoritate humana cohonestari posset, non tamen ita est ex sese mala et legi naturali contraria, ut neque auctoritate divina possit permitti. Hanc vero permissionem (siquidem ea necessaria fuerit, ne illicita esset polygamia) concessam fuisse patriarchis eorumque posteris, vel inde patet, quod Deus tam benevolus erga eos exstiterit familiariterque cum eis sit conversatus: quod certe non fecisset, si in habituali vixissent adulterio et in statu peccati.

patriarcha. »Si naturam consulas, non lasciviendi, sed gignendi causa illis mulieribus utebatur; si morem, illo tempore atque in illa terra hoc factitabatur; si praeceptum, *nulla lege* prohibebatur.«

1202. Denique 5. quamvis polygamia simultanea lege evangelica sit prohibita, *polygamia successiva* i. e. *aliud matrimonium defuncto uno conjuge omnino permissum censeri debet.* Doctrinam catholicam bene proposuit et confirmavit s. Augustinus *de bono viduitatis* c. 12: „De tertiis et de quartis et de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quaestionem. Unde, ut breviter respondeam, nec *ullas* nuptias audeo damnare ... Quis enim sum, qui putem definiendum, quod nec Apostolum video definisse. Ait enim: *Mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit;* non dixit, primus aut secundus aut tertius aut quartus: sed *mulier,* inquit, *alligata est, quamdiu vir ejus vivit; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit* (1. Cor. 7, 39. s.). Quid huic sententiae, quantum ad hanc rem attinet, addi vel detrahi possit ignoro ... Quapropter nec contra humanae verecundiae sensum audeo dicere, ut quoties voluerit, viris mortuis nubat femina, nec ex meo corde praeter Scripturae s. auctoritatem quotaslibet nuptias audeo condemnare[1].“

1203. **Thesis CLXIX.** ***Altera matrimonii christiani consummati proprietas est ejusdem indissolubilitas.***

Demonstratio. De *indissolubilitate* matrimonii haec ex ordine statuimus: **1.** *Matrimonium consummatum in lege evangelica plane est indissolubile.* Seponimus interim casum adulterii et alium, cum unus conjugum convertitur ad fidem, altero nolente pacifice cum ipso cohabitare. Docet autem hoc Christus diserte **a.** statuens Marc. 10, 11. s., Luc. 16, 18. toties committi adulterium, quoties dimissa uxore alia ducitur[2]. Nulla ergo uxoris dimissione vel separatione ab eadem matrimonium solvitur. Idem **b.** saepius inculcat s. Paulus, secundum

---

[1]) Fatendum quidem est, patres, praesertim graecos, circa nuptias iteratas rigidius judicasse, quod plerumque signum sint animi minus continentis; imo in Oriente jure ecclesiastico videtur fuisse conjugium ultra tertium invalidum: ideoque in ejusmodi matrimonia invehuntur acerbis verbis, non tamen absolute illa damnabant. — Quare Michael Palaeologus imperator in professione fidei, quam obtulit a. 1274. in conc. lugd., profiteri debuit inter alia: ›De matrimonio vero tenet (Ecclesia romana), quod nec unus vir plures uxores simul, nec una mulier permittitur habere plures viros. Soluto vero legitimo matrimonio per mortem conjugum alterius, secundas et tertias deinde nuptias successive licitas esse dicit.‹

[2]) Luc. 16, 18: *Omnis, qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, moechatur et qui dimissam a viro ducit, moechatur.*

quem matrimonium sola morte solvitur[1]), imaginemque referre debet conjunctionis Christi cum Ecclesia (Eph. 5, 32.).

1204. Accedit **c.** luculenta traditio theoretica et practica. Patrum nomine unus audiatur Augustinus l. 1. *de nuptiis et concup.* c. 10: „Hujus procul dubio sacramenti (nuptiarum) res est, ut mas et femina connubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent, nec liceat, excepta causa fornicationis, a conjuge conjugem dirimi (Matth. 5, 32.). Hoc enim custoditur in Christo et Ecclesia, ut vivens cum vivente in aeternum nullo divortio separetur. Cujus sacramenti tanta observatio est in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus (Ps. 47, 2.) h. e. in Ecclesia Christi, quibusque fidelibus conjugatis . . . ut cum filiorum procreandorum causa vel nubant feminae vel ducantur uxores, nec sterilem conjugem fas sit relinquere, ut alia fecunda ducatur. Quod si quisquam fecerit, non lege hujus seculi . . . sed lege Evangelii reus est adulterii: sicut etiam illa, si alteri nupserit. Usque adeo manent inter viventes semel inita jura nuptiarum, ut potius sint inter se conjuges, qui ab alterutro separati sunt, quam cum his, quibus aliis adhaeserunt. Cum aliis quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum conjuges manerent.“ Hinc romani pontifices durissima potius tolerare parati erant, quam consentire in dissolutionem matrimonii valide contracti principum.

1205. *Matrimonium* **2.** *censeri debet indissolubile etiam ex primitiva et originali institutione.* Hoc colligitur **a.** ex verbis Christi[2]) Matth. 19, 4. s., Marc. 10, 4. s., qui ex effato Adami Genes. 2, 14. matrimonii indissolubilitatem infert dicens: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet;* **b.** ex eo ipso quod judaeorum facultatem dimittendi uxorem repetat ex una permissione ipsis propter eorum duritiem facta: ergo citra hanc permissionem ea fuisset illicita. Quare eam permissionem abrogans hanc reddit rationem, *ab initio non fuit sic.* Ideoque conc. tridentinum sess. 24. in decr. *de matrimonio* docet: „Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis* etc.“

1206. Imo **3.** *matrimonium jure naturae censeri debet indissolubile.* Quod videtur **a.** insinuari hoc facto: Quo purior aliquis populus quoque minor morum corruptio, eo rarius est divortium; quo vero major

---

[1]) Rom. 7, 2. s.: *Quae sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro;* 1. Cor. 7, 10. s. et 39.

[2]) Matth. 19, 4. s.: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

morum corruptio, eo frequentius illud est. Divortium ergo non videtur esse secundum legem naturae, sed *transgressionis fructus.* Tolle **b.** indissolubilitatem et jam discrimen non erit inter foedum concubinatum honestumque matrimonium, quod tamen dictante natura ab omnibus sancte servatur populis. Conjugium **c.** omnis societatis et amicitiae exemplar est et forma; stabilitate ergo vinculi omnem societatem et conjunctionem superare debet. Amor conjugum **d.** quo se mutuo complectuntur, accedere debet ad amorem, quo se quisque amat, ut s. Paulus ex ipsa matrimonii natura colligit Ephes. 5, 28. scribens: *Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit.* Hic autem amor est perpetuus. Idem **e.** exigit filiorum et familiae et ipsius societatis bonum. Hujus enim bonum innititur pace familiarum tum in se, tum inter se. Sed fac divortio solvi matrimonium: pax in bellum, odia, inimicitias etc. vertetur, lites sibi invicem intendent conjuges et familiares de hereditate, testamentis, bonorum communium divisione, de filiis etc. Proinde jure naturae matrimonium insolubile dici debet; quare nulla auctoritate humana poterit dissolvi, nec licebit conjugibus inire matrimonium, quod postmodum pro lubitu solvant. Si enim volunt matrimonium inire, contrahere illud debent secundum naturae legem. Cum autem haec exigat in bonum et prolis et societatis matrimonii indissolubilitatem, nonnisi matrimonium *indissolubile* inire poterunt. Quocirca damnata est in *syllabo* prop. 67: „Jure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest[1]."

1207. **Thesis CLXX.** ***Matrimonium christianum etiam in casu adulterii est plane indissolubile.***

Demonstratio. Haud levis difficultas contra ea, quae hucusque disputavimus, oritur occasione verborum Matth. 5, 31. s. et 19, 7. s., ubi Christus inter alia dicit: *Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem et aliam duxerit, moechatur:* ad quae etiam protestantes et graeci schismatici provocant, ut probent in casu adulterii matrimonium dissolvi. Tenendum tamen est, quod statuit synodus trid. sess. 24. c. 7: „Si quis dixerit, Ecclesiam

---

[1]) Quare si *libello repudii* penes judaeos permissa fuit matrimonii *solutio,* dicendum est, divina dispensatione eam fuisse permissam, qua certissime matrimonii dissolutio *licita* reddi potest. Ceterum de libello repudii multum disputant theologi et exegetae, utrum eo ita diremptum fuerit matrimonium quoad vinculum, ut *liceret* uxori dimissae novum inire matrimonium. Sunt qui negant id licuisse, affirmant vero alii cum s. Thoma 3. p. q. 67. a. 5., quae sententia omnino praeferenda videtur.

errare[1]), cum docuit et docet juxta evangelicam et apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi . . . A. S." Praetermissis interpretationibus vel aperte falsis vel minus probabilibus[2]), triplicem celebriorem horum textuum proponemus explicationem.

1208. *Prima* sententia vocem πορνεία intelligit non de adulterio, sed de *fornicatione* et concubinatu inter eos, qui nondum sunt matrimonio juncti, adeo ut sit sensus: matrimonium seu conjunctionem matrimonialem dissolvere non licet, excepto casu, quo haec conjunctio non sit vere matrimonialis, sed fornicaria et *concubinatus.* Quo in sensu nulla amplius difficultas contra matrimonii indissolubilitatem etiam in casu adulterii, cum de hoc casu Christus hic non loquatur. Nituntur hi auctores praesertim significatione vocis πορνεία, quam dicunt non significare *adulterium,* ad quod hisce in locis designandum Christus sedulo utitur voce μοιχεία, sed proprie *fornicationem* extra matrimonium, et explicationis simplicitate, cum adeo sit obvia et naturalis[3]).

1209. Secunda sententia statuit, vocem πορνεία non designare adulterium, et Christum respondendo ad quaestionem, utrum liceat dare libellum repudii, docere, licitam esse *judaeis* repudiare uxorem, si ea *ante* initum matrimonium fornicata sit: cum judaeis ratum fixumque fuerit, nonnisi cum *virgine* inire matrimonium. Hinc explicari putant, quare Christus discipulos seorsim instruens de matrimonio, quale illud esse deberet in Ecclesia Marc. 10, 11., et Paulus 1. Cor. 7., hunc omiserint casum, nam repudii libellum abrogavit atque matrimonium ad originalem revocavit institutionem.

1210. *Tertia* sententia, eaque communior, statuit, Christum permittere quidem uxoris *dimissionem,* non quidem *quacunque* ex causa, ut pharisaei opinabantur, sed tantum in *casu adulterii,* non ita tamen,

---

[1]) Ex canonis forma liquet thesim non esse *de fide,* cum definita sit tantum Ecclesiae infallibilitas in ea docenda: censeri tamen debet *fidei proxima.* Voluit quidem concilium hanc veritatem directe definire, sed agente oratore veneto, saltem ut refert Pallavicinus in *historia conc. trid.* l. 22. c. 4. n. 27. ss., praelata fuit forma *indirecta,* ne damnarentur graeci, qui in *praxi* tuentur matrimonii solubilitatem in casu adulterii. Dicimus *in praxi,* nam in *theoria* eam non sunt ausi propugnare: quocirca nunquam latinis oppositam exprobrarunt sententiam, et in conc. florentino a pontifice interrogati de sua praxi, effugia quaesierunt responsumque declinarunt.

[2]) Cf. Roskovány *de matrim.* t. 2. §. 77. ss. et Perrone *de matrim.* l. 3. sect. 2. c. 2. Aliam explicationem nostra aetate excogitavit Dreher, qui (cf. *Katholik* 1877. II, 578. ss.) illud παρεκτὸς λόγου πορνείας ita explicat: „Ne loquar de vestra causa, seu controversia, quae est de πορνεία," adeo ut hanc veluti carpat et damnet, ideoque etiam excludat. In altero vero textu Matth. 19, 9. ei videtur illud εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ interpolatum.

[3]) Ita Schegg, *Evang. nach Matth.* t. 1. p. 459. ss.; Patrizi *de interpret. Script.* l. 1. c. 7. n. 281; Palmieri in suo tractatu *de matrim.* adjecto disputationi de poenitentia.

ut dimissione hac *solvatur* matrimonium, neque ita, ut utrique vel alterutri parti jus concedatur novi ineundi matrimonii. Manere enim vel hoc in casu matrimonii vinculum evincunt **1.** verba Christi, quibus *citra exceptionem* affirmat in posteriori inciso: *qui dimissam duxerit, moechatur;* **2.** verba Christi Luc. 16, 18; Marc. 10, 10. s., ubi sollicite discipulos instruens de matrimonii indissolubilitate hujus exceptionis *nullam* facit mentionem[1]). Hinc ipsi discipuli *tantae* indissolubilitatis mirantur rigorem. Accedit **3.** doctrina Pauli Rom. 7, 1. s. et 1. Cor. 7., qui data opera de matrimonio ejusque firmitate disputans casus recenset, in quibus solvitur matrimonium. Relate vero ad fideles inculcat, *sola morte* solvi matrimonium[2]). Ad haec 1. Cor. 7, 10. scribit: *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus. uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari.* Atqui Paulus hic loquitur de *justa* discessione, alioquin non reliquisset uxori *optionem* inter reconciliationem et perseverantiam in separatione: justa vero causa discessionis mulieri est *adulterium* viri, cum hac de causa vir possit dimittere uxorem: par autem est quoad hanc rem jus utriusque conjugum in alterum secundum v. 4. Cum ergo Dominus universim praecipiat in hypothesi *justae* separationis, quae in primis locum habet propter *adulterium,* vel reconciliationem vel continentiam, prohibitum censeri debet *novum* matrimonium in casu adulterii. Neque probabile est **4.** mulierem *juste* dimissam *melioris* fore conditionis uxore injuste dimissa, quae aliud iniens matrimonium pronunciatur *adultera.* Neque probabile est **5.** eum, qui dicebat, se venisse legem *adimplere,* quique reformaturus erat conjugium ad pristini matrimonii *plane indissolu-*

---

[1]) Marc. 10, 11: *Quicunque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum et alii nupserit, moechatur;* Luc. 16, 18: *Omnis, qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, moechatur, et qui dimissam a viro ducit, moechatur.* Quae ad rem urget Augustinus *de adult. conjugiis* l. 1. c. 9: „Qui sumus nos, ut dicamus: est qui moechatur uxore dimissa alteram ducens, et est qui hoc faciens non moechatur, cum Evangelium dicat, *omnem* moechari, qui hoc facit?" Cf. totum caput et c. 12. et l. 2. c. 25., ubi egregie alterius sententiae patronos refellit.

[2]) Hujus doctrinae occasione ita scribit Hieronymus in h. l.: „*Omnes* igitur causationes apostolus amputans *apertissime* definivit, vivente viro adulteram esse mulierem, si alteri nupserit. Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris persuasionem, patris auctoritatem, propinquorum catervam, servorum insidias atque contemptum, damna rei familiaris. Quamdiu vivit vir, *licet adulter sit,* licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus et ab uxore propter haec scelera derelictus, ejus maritus reputatur, cui alterum virum accipere non licet. Nec apostolus haec propria auctoritate decernit, sed *Christo in se loquente,* Christi verba secutus est in Evangelio Matth. 5, 32."

bilis ideam, demum idem saltem *ex parte* permisisse, quod *propter cordis duritiem* permissum fuit judaeis. Ad rem quoque **6.** est s. Hieronymi animadversio in *commentario super Matth.* 19, 9: „Quia poterat accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti, et ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret, sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut *secundam, prima vivente, non habeat.*"

1211. Verum quidem est adversarios undique corradere patrum testimonia, quae ipsorum videntur favere opinioni de matrimonii *solubilitate* in casu *adulterii.* Ex illis tamen plura seponi debent: aliqua enim **1.** sunt *spuria;* alia **2.** potius favent doctrinae catholicae. Seponi **3.** debent testimonia ex legibus principum, etiamsi hi christiani fuerint, petita, cum inauditum sit, principes civiles esse traditionis christianae testes. Seponi **4.** debent omnia ea, quae nonnisi verba Christi inculcant vel repetunt; nam de horum sensu eadem est controversia, quae de verbis Christi; neque **5.** ea aliquid probant, quibus dicitur, adulterio matrimonium *rumpi, divelli, dissociari,* licere eo in casu *divortium, repudium* etc. Haec enim verba ambiguae sunt potestatis et intelligi possunt de sola separatione a mensa et toro, neque necessario significant ipsius vinculi solutionem. Pariter **6.** non multum juvant adversarios ea testimonia, quae ita sunt ambigua, ut de eorum sensu legitimo acris sit inter theologos controversia. Quibus omnibus sepositis ex tot scriptoribus ecclesiasticis vix unius Lactantii reliquum est testimonium: et ex sequiori aetate supersunt canones aliqui conciliorum particularium, et capitula seu statuta sat dubia, neque magnae auctoritatis, quae ad summum probant, in aliquas provincias subinde irrepsisse abusus, quod in tanto bellorum tumultu et populorum tunc barbarie non est mirandum.

1212. **Scholion I.** *Matrimonium ab infidelibus legitime contractum dissolvi potest quoad vinculum,* si alterutro conjuge ad fidem converso nolit alter cum eo pacifice vivere, vel non consentiat habitare sine contumelia Creatoris. Hoc enim eruitur[1]) ex 1. Cor. 7, 12. ss.

---

[1]) *Ceteris ego dico, non Dominus* (quae tamen admodum probabiliter cum antecedentibus connectuntur et ad v. 8. spectant: cf. Cornelius a Lapide in h. l.). *Si quis frater uxorem habet infidelium et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illum . . . Quod si infidelis discedit, discedat. Non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi; in pace autem vocavit nos Deus.* Quae intelligi debent non de sola separatione *quoad torum,* sed de *totali* separatione etiam quoad *vinculum.* Nam **a.** illa separatio quoad torum eo ipso habetur, quod infidelis discedit: proinde non erat urgenda; neque **b.** probabile est Paulum repetere praeceptum jam v. 11. traditum; **c.** eam discessionem concedit, qua discesserat pars infidelis: haec vero profecto discedere censenda est, ut *novum* ineat matrimonium. Insuper **d.** de ea loquitur discessione, qua pars fidelis liberatur a *servitute:* atqui princeps δουλεία (servitus) hac in materia, ut patet ex toto cap., est *vinculum conjugale* cf. v. 4. 10. 11. 27. et 39. Quod si hoc maneret, maxime obnoxia esset pars fidelis servituti, cum discedente parte infideli ea deberet servare continentiam. Quare **e.** ne innumeri ab amplectenda fide deterrerentur, conveniens erat hoc fidei adnectere privilegium.

1213. **Scholion II.** *Matrimonium ratum, non tamen consummatum per solemnem religionis professionem alterius conjugum dissolvitur.* Hoc definit concilium trid. sess. 23. can. 6: „Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum per solemnem professionem religionis alterius conjugum non dirimi, A. S.“ Colligitur autem ex praxi Ecclesiae. Sane non desunt plura facta virginum vel etiam juvenum christianorum, qui prima nuptiarum nocte conjugem deseruerunt, ut virginitatem suam Deo penitus consecrarent; quae facta a patribus admodum *laudantur* et *commendantur.* Atqui laudare non potuissent, si mansisset *conjugale vinculum,* cum **a.** aperte adversetur praecepto dominico, uxorem a viro non discedere 1. Cor. 7, 10; cum id **b.** non permittant consummato jam matrimonio, nisi altera pars libere consentiat; cum **c.** id videatur revera manifesta laesio juris conjugis derelicti. Quare inferendum est, non obscuram fuisse veterum persuasionem, inter christianos per plenam renunciationem sui consecrationemque Deo factam dissolvi matrimonia nondum consummata. Neque ulla apparet ratio sufficiens, cur non liceat solvi ejusmodi matrimonium ad majus bonum consequendum; non damnum alterius partis, cum haec libere possit aliud contrahere matrimonium; non proles ne concepta quidem; non indissolubilitas matrimonii, quae potissimum videtur convenire matrimonio consummato, ex quo prodit unitas carnis; non sacramentum, quo matrimonium adumbrat Christi et Ecclesiae conjunctionem, cum haec significatio non penitus auferatur ab eo, qui resilit, sed perfectius forte exhibetur per nuptias initas cum ipso Verbo.

1214. **Scholion III.** „Cessat quoque, inquit Benedictus XIV. *quaest. canon.* q. 146. n. 36., *indissolubilitas matrimonii rati non consummati* in aliis omnibus casibus extra professionem religiosam, in quibus summus pontifex justis et gravissimis de causis censet ejus dissolutioni esse locum. Ita suadente trid., ita exposcente observantia, ita demum convincente continuata plurium seculorum praxi sedis apostolicae, ex quibus interpretatio juris divini optime colligi potest.“

1215. **Scholion IV.** Licet matrimonium consummatum plane insolubile sit quoad vinculum, *quoad torum* tamen seu cohabitationem *variis ex causis* legitime conjuges ab invicem separari possunt. Quae propositio statuitur contra novatores seculi XVI., contra quos concilium trid. decrevit sess. 24. can. 8: „Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad torum seu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, A. S.“ Ex Ecclesiae vero praxi, praeeunte Scripturae doctrina, patet, causas separationis inter conjuges quoad cohabitationem revocari praesertim ad *quatuor:* ad *adulterium* Matth. 5, 32; ad *apostasiam* vel *haeresim* cum periculo subversionis alterius conjugis Tit. 3, 10., Luc. 14, 26; ad proximum *periculum graviter peccandi* ex suggestione et impulsu alterius conjugis Matth. 18, 9; ad *mutuum consensum* 1. Cor. 7, 5. Et revera si propter *lucrum temporale,* propter *morbum* contagiosum, pro salute *corporis* animique *relaxatione* et ad evadenda

corporis fortunaeque pericula licet ad longius breviusve tempus se separare a conjuge: quare non licebit, si aliud non pateat effugium, separationem instituere quoad mensam et torum, cum agitur *de animi salute,* de cavenda *damnatione aeterna?* Vere mira novatorum theologia pastoralis. Matrimonii dissolutionem totalem haud aegre permittunt, divortium medicinale quoad cohabitationem prohibent!

1216. Quaeritur autem, quomodo hic canon et Ecclesiae praxis concilietur cum verbis Christi, qui tam diserte *unam* tantum causam assignat juste dimittendi uxorem, fornicationem scilicet seu adulterium. Respondent theologi, ideo illius tantum criminis Christum fecisse mentionem, quod **1.** illud solum det jus ad *perpetuam* separationem parti innocenti; quod **2.** ceterae causae non sint matrimonii *propriae,* sed omnibus confoederationibus communes; quod **3.** adulterium sola sit causa non modo propria, verum etiam *intrinseca* matrimonio. Per illud enim matrimonii ipsius bonum, quod in fidelitate consistit, directe impetitur atque prorsus destruitur. Ceterae vero causae eidem plane sunt externae.

1217. **Thesis CLXXI.** ***Ecclesia potest 1. statuere impedimenta matrimonium dirimentia; 2. ad ejus tribunal spectant omnes causae matrimoniales, quae respiciunt ipsum matrimonii vinculum; ea 3. non utitur hac potestate ex concessione principum, sed jure proprio et originali; imo 4. haec potestas ipsi ita est propria, ut ei soli insit.***

Demonstratio p. I. Prima pars est *de fide,* ut patet ex sess. 24. concilii trid. can. 3. et 4: „Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia vel in iis constituendis errasse, A. S." Jure merito autem ea tribuitur Ecclesiae potestas, quam ipsa nullo reclamante in gravissimo et quotidiano negotio, quale est matrimonium, ad minimum per 12 secula exercuit. Atqui ab initio seculi saltem IV. usque ad sec. XVI. hanc potestatem Ecclesia nullo reclamante exercuit. Merito ergo ea ipsi asseritur. Propositio minor patet ex quam plurimis canonibus, quibus Ecclesia saltem a sec. IV. impedimenta constituit. Ita conc. neocaesariense a. 314. can. 2. impedimentum affinitatis constituit hisce verbis: „Mulier, si duobus nupserit fratribus, abjiciatur usque ad mortem. Verum tamen in exitu propter misericordiam, si promiserit, quod facta incolumis hujus conjunctionis vincula dissolvat, fructum poenitentiae consequatur."

1218. **Demonstratio p. II.** *Causarum matrimonialium* nomine non intelligimus *quascunque* causas, quae *occasione* matrimonii oriuntur: sed eas quae vel respiciunt ipsum matrimonii *vinculum* seu valorem, vel eas, quae antecedunt matrimonium atque ad illud immediate et per se disponunt, ut sunt *sponsalia,* vel eas, quae pendent a vinculo illudque consequuntur, ut legitimitas prolis, et causas, quae referuntur ad conjugum separationem. Has causas obnoxias esse po-

testati ecclesiasticae, sequitur **1.** per modum corollarii ex parte praecedenti. Profecto enim ad illum spectat cognoscere causas, quae respiciunt valorem matrimonii, ad quem spectat statuere conditiones, quibus servatis contractus sit validus. **2.** Ex th. CLV. patet, matrimonium re non differre, nec posse sejungi a ratione sacramenti. Atqui Ecclesiae est judicare de causis, quae respiciunt sacramentorum valorem. Ergo et de causis, quae respiciunt matrimonii contractum, qui est sacramentum, ejusque valorem. Probatur **3.** ex 1. Cor. 7., ex quo discimus, corinthios consuluisse Paulum de quaestionibus ad matrimonium spectantibus; Paulum vero ad eas respondere, et quidem authentice vel proponendo et explicando legem de matrimonii indissolubilitate v. 3. s., vel promulgando Christi praeceptum v. 10. s.; vel peremptorie decidendo causam ad matrimonii vinculum spectantem v. 12. ss. Cf. n. 1212.

1219. Probatur **4.** ex constanti Ecclesiae praxi. Sane **a.** solemne semper fuit in Ecclesia s. Ignatii M. monitum in ep. *ad Polycarp.* n. 5: „Decet vero, ut sponsi et sponsae de sententia episcopi conjugium faciant, quo nuptiae sint secundum Dominum et non secundum cupiditatem.“ Spectabatur ergo jam a prima Ecclesiae aetate conjugium ut negotium sacrum, cujus judicium pertineret ad Ecclesiam. **b.** Jam ex seculo IV. habentur facta, quod ejusmodi causae deferrentur ad romanum pontificem, isque de illis judicaret; et **c.** in pluribus conciliis ejusmodi decisae fuere causae: quod ne adversarii quidem negant, cum dicant, Ecclesiam sibi hanc potestatem usurpasse. Atqui ea potestas, quam Ecclesia exercuit saltem per 12 secula, censeri debet legitima. Merito ergo statuit concilium trid. sess. 24. can. 12: „Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, A. S.“

1220. **Demonstratio p. III.** Ecclesiam autem hac potestate frui non ex concessione vel consensu sive tacito sive expresso principum, sed jure *proprio, originario, divino,* est *de fide,* ut declaravit Pius VI. damnatione prop. 59. synodi pistoriensis[1]). Infertur autem nostra

[1]) „Doctrina synodi asserens, ad supremam civilem potestatem dumtaxat *originarie* spectare contractui matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quae ipsum nullum reddunt dicunturque *dirimentia;* quod jus originarium praeterea dicitur cum *jure dispensandi* essentialiter connexum; subjungens, supposito assensu vel conniventia principum potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii; quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in christianorum matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare; canonum 3. 4. 9. 12. sessionis 24. conc. trid. eversiva, *haeretica.*“

assertio **1.** per modum corollarii: ideo enim Ecclesiae competit haec potestas, quod matrimonium sit *sacramentum,* quae sacramenti dignitas profecto matrimonio non competit ex concessione principum. **2.** Potestas Ecclesiae non est alia ab ea, quam jam Paulus exercuit 1. Cor. 7. (n. 1218.), estque hujus continuatio. Eodem ergo ex fonte ea in Ecclesiam derivatur, ex quo illam habuit Paulus, scil. a Christo. **3.** Ecclesia usa est hac potestate vel sub ipsis imperatoribus infidelibus et haereticis. Nemo vero dicet, hoc tempore Ecclesiam exercuisse eam potestatem ex illorum delegatione vel concessione. Deinde **4.** si Ecclesia hanc exerceret potestatem ex delegatione vel concessione principum, hujus concessionis saltem aliquod exstaret monumentum. Nullum autem proferre possunt adversarii.

1221. Praeterea **5.** qui potestatem habet delegatam ex alterius voluntate acceptam, eam invalide vel illicite exercet, si ea utitur contra eum, a quo illam accepit, declarando irrita, quae ille rata habet, et quae irrita statuit, pronunciando valida et rata. Atqui Ecclesia in causis matrimonialibus plura declaravit irrita, quae permiserunt principes: quaeque hi vicissim prohibuerunt, ipsa permisit censuitque valida. Ipsi denique **6.** principes verbis factisque Ecclesiae inesse hanc potestatem non ex ipsorum concessione professi sunt: suas enim causas matrimoniales detulerunt ad romanum pontificem; quod si pontifex ipsis ad vota non responderet, nullatenus retractarunt suam concessionem, vel rem ad suum revocaverunt tribunal: sed vel se subjecerunt vel inobedientes exstiterunt.

1222. **Demonstratio p. IV.** Hanc potestatem competere *soli* Ecclesiae, non etiam principibus laicis, solemniter declaravit Pius VI. in ep. ad *episc. motulensem* 17. Sept. 1788., confirmatque auctoritate can. 12. sess. 24. conc. tridentini (n. 1219.), atque ita concludit: „Omnes illi anathemati subjiciuntur, qui causas matrimoniales negant pertinere ad Ecclesiam et ecclesiasticos judices: quo quidem canone certum est, non eos modo comprehendi, qui docent, esse summarum potestatum hujus seculi leges de nuptiis dicere, sed eos quoque, qui factis hoc ipsum confirmant, quique auctoritatem nanciscuntur a laica potestate, et qui causas nullitatis matrimonii tamquam regii delegati definiunt." Sane **1.** si matrimonium est sacramentum et ideo subest potestati Ecclesiae ejusque administrationi: eo ipso nullam, quod vinculum attinet, principes habere possunt in illud potestatem. Deinde **2.** si ipsi principes possunt *pari* jure statuere impedimenta dirimentia, Ecclesia eos injuria afficeret declarando rata matrimonia, quae illis sunt irrita, et vicissim. Et iterum si principes persuasi fuissent, se eodem jure posse de causis judicare matrimonialibus, nulla apparet ratio, cur olim causas suas detulerint ad romanos pontifices. **3.** Fieri nequit vel saltem congruum non est, ut eadem causa ad duas pote-

states prorsus diversas aeque ac immediate pertineat, ne efficax ponatur causa controversiae et dissidii perennis absque medio illud peremptorie componendi.

Scholion. Sicut Ecclesia et ipsa sola statuere potest impedimenta dirimentia, ita ipsa sola potest eadem, quae juris sunt ecclesiastici, abrogare et in eisdem dispensare. Merito proinde Pius VI. damnavit prop. 60. synodi pistoriensis, »quatenus civili potestati jus attribuit sive abolendi sive restringendi impedimenta Ecclesiae auctoritate constituta vel comprobata: item qua parte supponit, Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse jure suo dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis,« eam declaraverit »libertatis ac potestatis Ecclesiae subversivam, tridentino contrariam, ex haereticali supra damnato principio profectam.« Nomine autem Ecclesiae intelligi nequeunt sive episcopi seorsim sumpti, sive in concilium particulare congregati: carent enim episcopi jure *proprio* ad dispensandum in lege, quae ad *universam* spectat Ecclesiam.

Tractatus X.

De Deo omnium rerum consummatore.

1223. Postquam consideravimus opera Dei, hominis in primis creationem, lapsum, per Christum reparationem: consideranda jam est operum divinorum consummatio. Duplicem vero hominis consummationem distinguere possumus: consummationem *singulorum* hominum, quatenus sunt individua, et consummationem *omnium* hominum seu *generis* humani. Considerari praeterea potest nexus, qui intercedit inter illos, qui jam sunt consummati, et eos, qui adhuc in via ad consummationem sunt constituti. Quare tres sunt hujus disputationis sectiones.

Sectio I.

De consummatione singulorum hominum.

1224. Ingredientibus viam aeternitatis per mortis januam pro meritorum diversitate alius atque alius est paratus locus, locus scil. beatitudinis et praemii, vel damnationis et poenae; illius atrium est purgatorium pro iis, qui nondum perfecte mundati hac vita excedunt; hujus appendix est limbus illis destinatus, qui in solo peccato originali moriuntur. De hoc *quadruplici* statu deque *morte,* quae janua est ad illum, *quinque* capitibus disseremus.

Caput I.

De morte et judicio, quod illam consequitur.

1225. Tria de *morte* [1]) sunt tenenda: **1.** eam esse *peccati sequelam* (cf. n. 611. s.); **2.** *universalem,* ut aperte ss. literae testan-

---

[1]) Mors opponitur *vitae* hujusque continetur cessatione: quare sicut *quadruplex* distinguitur vita, ita etiam *quadruplicis mortis* mentio occurrit in divinis literis. Sermo enim est de vita *gloriae*, cui opponitur damnatio, perditio, *mors aeterna,* secunda; de vita *gratiae,* cui opponitur *peccatum grave*, quod dicitur mors

tur[1]); et **3.** eam *finem imponere statui viae,* illi scil. statui, in quo homo potest suam operari salutem: quod tradunt Scriptura et patres (cf. n. 959.), atque inde quoque colligitur, quod alioquin omne vitae praesentis momentum, Ecclesiae et sacramentorum necessitas, virtutis studium etc. perirent.

1226. Mortem excipit *judicium,* quod *particulare* dici solet, ut colligitur **1.** ex Scripturis Eccli. 11, 28: *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas;* Hebr. 9, 27: *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium;* **2.** ex doctrina patrum. Ita enim Augustinus *de anima et ejus origine* l. 2. n. 8. scribit: „Nam illud, quod rectissime et valde salubriter credit (Victor), judicari animas, cum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud judicium, quo eas oportet jam redditis corporibus judicari, atque in ipsa, in qua hic vixerunt carne, torqueri sive glorificari, hoc itane tandem ipse nesciebas? Quis adversus Evangelium tanta mentis obstinatione obsurduit, ut in illo paupere, qui post mortem ablatus est in sinum Abrahae et in illo divite, cujus in inferno cruciatus exponitur (Luc. 16, 22.), ista non audiat vel audita non credat?" Id **3.** exigit fidei analogia. Credendum enim est, ut videbimus, justos post mortem purgari, vel si mundatione non indigeant, mox recipi in coelum, malorum vero animas post mortem detrudi in infernum. Hoc autem supponit latam esse sententiam, sententia vero supponit judicium.

1227. Sententia lata mox exsecutioni mandatur. Quoad justos, qui purgatione indigent, nulla est difficultas; quoad improbos id saepius ab Ecclesia est definitum, ut a Benedicto XII. in constitut. *Benedictus Deus* a. 1336., in qua legimus: „Definimus insuper, quod secundum Dei ordinationem animae decedentium in actuali peccato mortali *mox* post mortem suam ad inferna descendunt, ubi poenis infernalibus cruciantur." Probatur vero ex parabola epulonis Luc. 16, 20. s.; ex patrum suffragio; ita e. g. Gregorius M. *dialog.* l. 4. c. 28. docet: „Sicut electos beatitudo laetificat, ita credi necesse est, quod a

---

animae, ideoque mortale; de vita, quam vivit *justus ex fide,* quae vita est actuatio vitae gratiae, eique opponitur *vita animalis,* cum quis obsequitur concupiscentiis suis, cui morimur abnegatione, mortificatione Rom. 8, 12. s. Plerumque vero *vitae* nomine intelligitur vita *naturalis,* quae cessat dissolutione unionis animae cum corpore.

[1]) Dubium quidem aliquod esse posset circa eos, qui vivent in fine mundi, propter ea, quae legimus 1. Thess. 4, 14. ss. et 1. Cor. 15, 51. secundum textum graecum. Sed praeferenda est omnino sententia, quae et illos prius morituros esse statuit, antequam in statum incorruptionis transferantur.

die exitus sui ignis reprobos exurat;" et a s. Thoma l. 4. *c. gent.* c. 91. hoc argumento: „Nulla est ratio, quare in punitione vel praemiatione animarum exspectetur resumptio corporis, quin magis conveniens videtur, in quibus per prius fuit culpa, prius etiam puniantur vel praemientur[1])."

1228. Gravior est difficultas de animabus perfecte mundis, hinc sit:

Thesis CLXXII. ***Animae justorum, quibus nihil luendum superest, non exspectata corporum resurrectione neque universalis judicii die, protinus post suum e corpore discessum visione beatifica donantur.***

Demonstratio. Thesis est de fide, ut patet ex pluribus Ecclesiae definitionibus. Ita e. g. Benedictus XII. l. c. statuit: „Homines pios plene purgatos vel justos ex hac vita decedentes statim assequi beatitudinem et visione Dei beatifica perfrui." Statuitur autem contra plures Orientis haereticos, qui generatim sententiae exsecutionem ad diem ultimi judicii differunt, qui error placuit etiam nonnullis e protestantibus; anabaptistae necnon plures e socinianis et arminianis animarum somnum propugnarunt a morte usque ad diem judicii.

1229. Probatur autem **1.** ex 2. Cor. 5, 1. ss.; Philipp. 1, 21. s., ex quibus[2]) colligimus Paulum optasse peregrinari a corpore, dissolvi,

---

[1]) Quoad daemones communior modo est sententia, eos jam nunc pati inferni poenas: nam teste Thoma 1. p. q. 64. a. 4. ad 3. „melius est dicendum, quod idem judicium sit de malis animabus et malis angelis, sicut idem judicium est de bonis animabus et bonis angelis." Cum hac optime conciliatur daemonum per aërem vagatio, quae negari nequit. Haec tamen vagandi libertas in judicio ultimo eis subtrahetur, quo certe eorum augebitur poena, et quidem, ut docet Bellarminus *de beat. sanctorum* c. 6., „**1.** quia non poterunt amplius hominibus nocere; **2.** quia non amplius extorquebunt ab ullo cultum Deo debitum, ut modo faciunt, dum ab ethnicis et necromanticis adorantur; **3.** quia tunc patebunt eorum fraudes et debilitas, cum omnes intelligent eos a viris, feminis, pueris superatos; **4.** quia non solum a Deo, sed etiam ab hominibus judicabuntur (1. Cor. 6, 3.)." Ideo ultimum judicium admodum timent: hinc illae eorum voces: *Quid nobis et tibi, Jesu Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos* (Matth. 8, 29.)? Marc. 5, 7; Luc. 8, 28: *Rogabant illum* (Jesum), *ne imperaret illis, ut in abyssum irent.*

[2]) 2. Cor. 5, 1. ss.: *Scimus enim, quoniam, si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis ... Audentes igitur semper, scientes, quoniam, dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino. Per fidem enim ambulamus et non per speciem. Audemus autem et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore et praesentes esse ad Dominum;* Philipp. 1, 21. ss.: *Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum. Quod si vivere in carne, hic mihi fructus operis est, et quid eligam ignoro. Coarctor autem e duobus: desiderium habens dissolvi et esse cum Christo: multo magis melius. Permanere autem in carne necessarium propter vos.*

mortem reputasse lucrum, idcirco ut praesens esset ad Deum eoque frueretur ac versaretur cum Christo. Atqui frustra optasset mortem, si credidisset, justos nonnisi post resurrectionem Deo frui. Credidit ergo, si nihil luendum obstet, statim post mortem justos praesentes esse ad Deum et versari cum Christo. Probatur **2.** ex Luc. 23, 43., ubi Christus latroni poenitenti promittit: *Hodie mecum eris in paradiso;* Joan. 14, 3: *Si abiero et praeparavero vobis locum, iterum venio et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis.* Venit autem Christus non solum in seculi consummatione, sed etiam ad singulos in mortis hora. Quapropter ipse Apoc. 22, 12. suos solatur: *Ecce venio cito et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua;* 7, 9. ss.; 20, 4; Hebr. 12, 22; Luc. 16, 9., quibus omnibus in locis justorum animae exhibentur vel jam incolae paradisi, vel mox in locum beatitudinis recipiendae.

1230. Omissis **3.** singulorum patrum testimoniis, dogma catholicum argumento generali ex traditione hunc in modum cum Coustantio praef. gen. ad *op. s. Hilarii pict.* §. 6. s. 3. comprobamus: „Fidem nostram jam aevo suo receptam probat Irenaei (l. 5. c. 31. n. 1.) ac Tertulliani (*de anima* c. 55.) labor, ut eam ex animis fidelium extorqueant. Tum sincera martyrum acta legentes vix unum reperient Justinum, qui non hac spe passus sit, quod moriens in coelum migraret. Hanc fidem, quam conceptis verbis plerique profitentur, saepe Deus visis certiorem fecit. Adeo vero publica erat, ut martyres Christi de ea a judicibus suis interrogatos et ab ethnicis populis irrisos legamus. Nec leve ejusdem fidei testimonium est pia plebis christianae consuetudo, qua ad martyres festinare solebant eosque rogare, ut cum ad Deum in coelum pervenissent, sui apud eum memores esse dignarentur. Quid eos memoremus, qui martyrum acta conscripserunt, cum illos coelo ac Deo potiri quamplurimi significent, ne unus quidem neget? Denique fidem eandem olim in publicis Ecclesiae precibus consignatam nemo negabit, qui antiquum *ordinem romanum* aut *missale gothicum* necnon *sacramentarium gallicanum* aliaque id generis monumenta consulat. Jam vero cum coelum non sanguis, sed caritas aperiat, eo martyribus aperto, ceteris quoque justis patere facile comprobatur."

1231. Accedunt **4.** plura doctrinae capita, quae vel hanc veritatem supponunt, vel ex quibus eadem consequitur. Eam **a.** supponunt patres, imo fideles et Ecclesia universa toties fere, quoties de sanctorum intercessione disserunt. Inde enim invocationis sanctorum utilitatem et intercessionis efficaciam probant, quod jam throno Dei assistant ejusque fruantur visione, ut infra videbimus. Ea **b.** consequitur ex iis, quae patres docent de Christi *ad inferos descensu.* „Ex quo enim tempore, inquit Grego-

rius thaumaturgus or. *in omnes sanctos* (Mig. 10, 203.), primum Adamum secundus ex inferni fundo, tamquam Jonam ex ceto, eduxit, ac illum, qui deceptus olim fuerat, coeli civem cum magno deceptoris probro ac dedecore effecit: ex eo, inquam, tempore obseratae fuerunt inferni januae, coeli vero fores reseratae liberum atque *expeditum* (ἀκώλυτον) iis, qui cum fide illuc ascendunt, aditum concedunt.« Quod si **c.** Christus idcirco ad inferos descendit, ut sanctorum liberaret animas secumque ad coelestia perduceret gaudia; manifestum est discrimen inter justos V. et N. T., quod ita expressit Chrysostomus h. *de ss. Berenice, Prosdoce et Domnina* n. 3: »Antea mors ad inferos deducebat, nunc autem ad Christum perducit.« Adeo certum visum est hoc discrimen Gennadio massiliensi, ut illud inter ecclesiastica dogmata referret *(de eccl. dogm.* cc. 78. 79.). »Ante passionem Domini, inquit, omnes animae sanctorum in inferno sub debito praevaricationis Adae tenebantur, donec auctoritate Domini per indebitam ejus mortem de servili conditione liberarentur. Post ascensionem Domini ad coelos omnium sanctorum animae cum Christo sunt, et exeuntes de corpore ad Christum vadunt exspectantes resurrectionem corporis sui, ut ad integram et perpetuam beatitudinem cum ipso pariter immutentur etc.« Assertionem nostram suadet **d.** analogia cum damnatione, cujus exsecutio non differtur ad ultimi judicii diem (n. 1227.).

1232. Non desunt tamen difficultates, quarum una inde petitur, quod in divinis literis praemii et poenae distributio semper ad ultimum et universale referri videatur judicium. Verum idcirco fere semper judicii universalis fit mentio, quod Scriptura universum genus alloquens consummationem generis magis prae oculis habeat; eoque magis quod in judicio universali judicium particulare confirmetur, promulgetur atque consummetur, collato integro praemio vel poena etiam secundum corpus. Quare melius dicitur, ita Scripturam loqui, ut utrumque judicium significet. Ceterum falsum est, nullam fieri mentionem judicii particularis et exsecutionis sententiae in illo latae, ut patet ex dictis. Gravior est difficultas, quae ex patribus petitur. Singulorum testimonia diligenter expendit in primis Muratori *de paradiso.* Quaedam tantum principia statuemus, quibus plures saltem solventur difficultates. Duplex **1.** distingui debet quaestio, alia de ipsa beatitudine, alia de beatitudinis *loco.* Quocirca cum patres dicunt, animas nonnisi post resurrectionem corporum ingredi coelum, paradisum; nunc eas reservari in sinu Abrahae, in quibusdam esse receptaculis: de loco, non de ipsa beatitudine videntur dubii haerere. **2.** Duplex distingui debet beatitudo, *consummata,* adaequata alia, alia *inadaequata,* incompleta; saepe patres de illa disserunt, quae revera justis nonnisi post resurrectionem conferetur, quamvis jam antea beatitudine essentiali fruantur, sed nondum *totali.* Incolumi enim dogmate catholico quaeri potest, utrum post resurrectionem beatitudo sit major non solum ratione corporis, sed etiam secundum animam. Rationem id affirmandi aliquam reddit Augustinus *de Genes. ad lit.* l. 12. c. 35. scribens: »Post mortem ipsa carne deposita (animam) non sic videre posse incommutabilem substantiam, sicut ss. angeli vident, sive alia latentiore causa, sive ideo, quia inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi, quo appetitu retardatur quodammodo, ne tota intentione pergat in illud summum coelum, quamdiu non subest corpus, cujus administratione appetitus ille conquiescat.« **3.** Distinguatur sta-

dium fidei implicitae possessionisque pacificae, et stadium inquisitionis, dubii, et demum stadium definitionis Ecclesiae. Mirum esse non debet, si in illo priori stadio patres subinde minus exacte et clare sint locuti, sed fere semper aliis in locis clarius loquuntur fidemque profitentur catholicam; quare ex his declaranda sunt testimonia obscuriora.

Caput II.

De inferno.

1233. Animarum sedes in altera vita peragrantes ab omnium tristissima incipiemus ad laetiora postea profecturi. De *inferno* tria quaeri possunt: ejus *exsistentia, poenarum qualitas* et *duratio.* Licet vero usu loquendi ecclesiastico nomen inferni *quemlibet* animarum locum sedi coelesti oppositum, sicut et nomen ᾅδης, significare possit, hinc etiam *purgatorium, limbum, sinum Abrahae* (idem dicatur de voce hebraica שְׁאוֹל), ac proinde generatim sedem animarum, quae coelesti beatitudine carent vel nondum fruuntur, speciatim tamen designat *damnatorum* locum.

1234. **Thesis CLXXIII.** ***Transgressiones legis divinae in praesenti vita non remissae in altera a Deo puniuntur.***

Demonstratio. Ex divinis literis non probabimus inferni exsistentiam, nimis enim evidenter haec in iis docetur; neque ejus adversarii Scripturae auctoritatem admittunt, cum omnem respuant revelationem. Quare ad quaedam rationis provocabimus argumenta, quibus etiam usi sunt patres. Horum praecipua paucis complectitur Justinus *apol.* II. n. 9., ubi docet, ex negatione poenarum in altera vita sequi „vel Deum non esse, vel si sit, nullam hominum curam gerere, nec quidquam esse virtutem et vitium, et inique a legum latoribus puniri, qui praeclara instituta transgrediuntur.“ Quae argumenta ita proponi possunt: **1.** Legislatoris sapientisque rectoris societatis alicujus non solum est minari, sed et inferre poenas iis, qui suas transgrediuntur leges. Atqui Deus supremus est legislator totiusque humani generis rector. Ergo et ipse legum transgressiones puniet. Sed saepissime hac in vita divinarum legum transgressiones manent inultae. Differetur ergo in alteram vitam poenae inflictio. **2.** Deus utpote summa sanctitas nequit indifferenter se habere circa virtutem et vitium, ut summa justitia circa aequitatem et iniquitatem, ut summa majestas circa honorem et injuriam sibi illatam. Atqui Deus foret omnino indifferens, si impoenitentes legum violatores nullis in altera vita afficeret poenis; imo tali conniventia foveret vitia. **3.** „Justus est Deus, inquit Chrysostomus hom. 6. *in epistolam ad Philipp.*

n. 6., omnes fatemur et graeci et judaei et haeretici et christiani. At hinc multi, qui peccaverunt, abierunt impune: multi, qui cum virtute vixerant, tum demum abierunt, cum sexcentas subiissent calamitates. Ergo si justus Deus, ubinam his quidem praemia, illis vero supplicia tribuet, si non est gehenna, si non est resurrectio?" Quo argumento patres saepissime adversus gentiles ad probandam resurrectionem utuntur.

1235. Suffragatur **4.** consensus generis humani, quod quovis tempore credidit, impios puniri in altera vita. Hujus vero consensus hi sunt characteres: **a.** est universalis; **b.** antiquitate se commendat; **c.** versatur circa doctrinam nullatenus gratam, imo perversae hominum inclinationi admodum ingratam; et **d.** circa doctrinam summi momenti pro universo hominum genere; eosque **e.** tantum habet adversarios, qui vitae probitate non admodum se commendant[1]); neque **f.** alius hujus consensus fons potest assignari, quam vel primitiva quaedam revelatio vel vox conscientiae, quae sicut naturae promulgat legem, legislatorem manifestat, ita simul legis sanctionem revelat. Consensus vero ejusmodi innititur veritati.

1236. **Thesis CLXXIV.** ***Ignis, quo puniuntur impii, verus est atque proprius, non metaphoricus.***

Demonstratio. Theologi communiter distinguunt inter *damni* poenam et poenam *sensus.* Illa continetur summo damno, privatione scil. boni summi eorumque bonorum, quae cum hujus fruitione in coelo cohaerent. Hujus vero nomine intelligitur quaevis poena positiva ultra damni poenam vi legis positivae damnatis illata, naturali inclinationi ingrata. Inter varias autem poenas sensus eminet *ignis,* de quo non mediocris est quaestio, utrum sit proprius, an metaphoricus tantum. Hoc posterius nonnulli affirmant, secundum quos ignis symbolo vel generatim exprimitur poenarum gravitas, vel speciatim designantur conscientiae stimuli, desperatio, sicut et metaphora

---

[1]) Rationem, quare libertini tam libenter negent inferni exsistentiam, reddit Augustinus *in Ps. 73.* n. 25: "Vae, inquit, perversis cordibus: quoniam ita ventura sunt, quae restant, sicut venerunt ista, quae tunc non fuerunt, et ventura praenunciabantur. An vero exhibuit nobis Deus omnia, quae promisit, et de solo die judicii nos fefellit? . . . Veniet omnino, quomodo ista venerunt, veniet fratres mei. Nemo dicat, non veniet . . . sufficiat prima deceptio. Si non potuimus primo permanere in praecepto, saltem corrigamur exemplo. Nondum erat exemplum casus humani, quando dictum est ad Adam: *morte morieris, si tetigeris.* Et venit de transverso serpens et dixit: *non morte morieris.* Creditus est serpens: contemptus est Deus. Creditus est serpens, tactum est vetitum, mortuus est homo. Nonne impletum est potius, quod minatus est Deus, quam quod promiserat inimicus? Sic est certe: agnoscimus hoc: inde omnes in morte. Jam vel experti cauti simus. Non enim cessat et modo serpens insusurrare, et dicere, numquid vere damnaturus est Deus tantas turbas? Liberaturus est paucos? Quid est aliud, quam *facite contra praeceptum, non moriemini?* Sed quomodo tunc, sic et nunc. Si feceris, quod suggerit diabolus, et contempseris, quod praecepit Deus, veniet dies judici, et invenies verum, quod minatus est Deus, et falsum, quod pollicitus est diabolus."

vermis[1]). Communis tamen theologorum et fidelium sententia est, ignem illum esse *verum* et *proprium*, qua de re nulla quidem exsistit Ecclesiae definitio: temerarium tamen foret a communi recedere sententia. Cum vero dicimus ignem inferni esse *verum* et *proprium*, non propterea dicimus, eum prorsus esse eundem cum igne, quo nos modo utimur: vere enim scribit Augustinus *de civit. Dei* l. 20. c. 16: „Qui ignis cujusmodi sit, hominum scire arbitror neminem, nisi forte cui Spiritus divinus ostendit."

1237. Probatur autem haec sententia **1.** ex Scripturis argumento *generali:* a proprietate verborum sine necessitate non est recedendum. Atqui poenae inferni fere semper vocabulo *ignis* designantur: nec ulla sufficiens ratio reddi potest, propter quam relinquenda sit propria hujus vocis significatio, imo omnia suadent, ut ea retineatur. Suadet **a.** ejus adeo frequens repetitio; **b.** quod in omni loquendi genere occurrat, in poëtico scilicet, familiari, dogmatico, historico, judiciali; quod **c.** nunquam haec metaphora explicetur. Unica vero ratio **d.** recedendi a sensu proprio esset difficultas explicandi modum, quo ignis torqueat spiritus. Hanc vero non esse tanti faciendam, cum agitur de veritatibus revelatis, inductione fere omnium dogmatum liquet. Probatur deinde **2.** ex Matth. 25, 41: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus:* quo in loco ignis exhibetur **a.** ut terminus, ad quem damnati discedent; dicitur **b.** paratus a Deo, et quidem **c.** diabolo et angelis ejus, illique addicuntur damnati vi sententiae positivae judicis aeterni: quae minus apte de conscientiae stimulis vel de verme desperationis dicuntur.

1238. Probatur **3.** clarissime ex patribus, qui non solum suam loquendi rationem ad s. Scripturam exigunt, proinde ad omnem paginam inferni poenas *ignis* nomine designant, verum ejusmodi addunt apposita comparationesque, quae metaphoram omnem excludunt.

Sane **a.** passim tamquam mirum quid affirmant, ignem illum quidem *urere, non* vero *lucere,* ut s. Basilius *in Ps.* 28. n. 6. Conferunt **b.** inferni ignem cum nostro et multiplex assignant discrimen, nunquam vero illud, quod ignis terrenus sit verus, infernus improprius atque metaphoricus tantum. Potiora discriminis capita sunt haec: Differunt α. *duratione;* β. *munere,* ignis enim terrenus nobis servit, donum est divinae providentiae; infernus vero punit atque instrumentum est divinae justitiae. Differunt γ. *effectu,* cum ignis terrenus urat atque comburat, ille vero urat, nec tamen comburat. Ita Minucius Felix in *Octavio* n. 35: „Nec tormentis modus

---

[1]) In uno tantum sermone utitur Christus voce *vermis* (Marc. 9, 43. ss.), hinc facillime potest accipi *metaphorice;* vocabulum vero *ignis* ubique occurrit; ideoque metaphorice non potest accipi. Si aliquod dubium superesset, id ex traditione exegetica deberet illustrari; vermis autem a paucis proprie accipitur, ignis vero fere ab omnibus et a nemine significatio propria clare et diserte excluditur.

ullus aut terminus. Illic sapiens ignis membra urit et reficit, carpit et nutrit. Sicut ignes fulminum corpora tangunt nec absumunt; sicut ignes Aetnae et Vesuvii et ardentium ubique terrarum flagrant nec erogantur, ita poenale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur.« Differunt δ. *natura et indole*. Ignis sempiterni »natura diversa est ab hoc nostro, inquit Lactantius *div. instit.* l. 7. c. 21., quo ad vitae necessaria utimur, qui nisi alicujus materiae fomite alatur, exstinguitur. At ille divinus per se ipsum semper vivit ac viget sine ullis alimentis, nec admixtum habet fumum, sed est purus ac liquidus et in aquae modum fluidus.« Quaerunt praeterea **c.** quo pacto ignis torquere possit spiritus; quod Augustinus ita nititur illustrare *de civ. Dei* l. 21. c. 10: »Cur non dicamus, quamvis miris tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse poena corporalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei et nunc potuerunt includi in corporalibus membris et tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Adhaerebunt ergo, si eis nulla sunt corpora, spiritus daemonum, imo spiritus daemones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi.« Et Gregorius M. *dial.* l. 4. c. 28. »Si viventis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cum incorporeus sit spiritus, etiam corporeo igne tenetur?« Quare **d.** oppositam Origenis ejusque asseclarum opinionem carpunt, ut Hieronymus ep. 59. *ad Avitum* et Orosius *commonit. ad Augustinum* n. 3; nam ut ait Prudentius trecensis *c. Scotum Erig.* c. 19: »Corporeum esse, flammeum atque visibilem mixta obscuritate ignem gehennae, *omnes orthodoxi* consentiunt.«

1239. **Scholion I.** Gravis est controversia, quo pacto ignis torquere possit daemones et animas ante corporum resurrectionem. Qua de re plures sunt theologorum sententiae, quibus recensitis Lessius de *div. perf.* l. 13. c. 30. hanc proponit. Advertit scil. **1.** animam pati posse ignem, cum est in corpore; **2.** animam esse principium sentiens quamvis mediante corpore; **3.** vim sentiendi non distingui ab animae essentia, proinde manere post mortem, licet tunc exseri non possit. **4.** Vim intelligendi in daemonibus eminentiori modo circa objecta sensibilia praestare, quod praestat sensus per corpus et in corpore. **5.** Etiamsi objecta externa per se ut causa integra non possint in spiritum naturaliter agere, aut illi aliquam imprimere qualitatem, posse tamen concurrere, ut causam partialem una cum vitali ipsius spiritus potentia ad producendum in ipso actum vitalem. »His positis **6.** inquit Lessius, poterimus ita ratiocinari: Si ignis naturaliter per suum calorem potest affligere spiritum hominis mediante corpore, cur idem ignis ut instrumentum Dei non poterit affligere eundem spiritum sine ullo corpore medio? Corpus enim solum se habet ut medium, per quod immediate calor spiritui applicatur, ut ejus praesentia vi sentiendi percipiatur. Deus autem non eget aliquo medio, sed facile omnem medii effectum et defectum supplere potest.«

1240. **Scholion II.** Merito docet Gregorius M. libri 9. *Moral.* c. 47: »Sicut in domo Patris mansiones multae sunt pro diversitate virtutis, sic damnatos *diverso* supplicio gehennae ignibus subjicit disparitas criminis[1].«

---

[1]) Summi momenti videtur nobis haec doctrina ad vindicandam Dei justitiam, cum agitur de poenarum aeternitate adversus incredulos. Ne quis putet

Quod satis clare docent Scripturae Sap. 6, 6. ss.; Matth. 10, 15; Apoc. 18, 6. etc., exigit Dei justitia reddentis unicuique *secundum opera* sua Rom. 2, 4. et analogia cum praemio.

1241. **Scholion III.** De *loco* seu *sede inferni* diversae sunt sententiae. De eo Suarez *de angelis* l. 8. c. 16. statuit: »Quod infernus sit *sub terra* dubitandum non est propter communem sensum patrum ita intelligentium Scripturas, quae semper de inferno tamquam de loco *inferiori* hoc mundo visibili loquuntur, et ideo motum in infernum semper *descensum* appellant.« Ceterum egregia est animadversio Chrysostomi hom. 31. in *epist. ad Rom.* n. 5: »Ne igitur quaeramus, ubi sit, sed quomodo eam (gehennam) effugiamus.«

1242. **Thesis CLXXV.** ***Poenae damnatorum sunt aeternae.***

Demonstratio. Statuitur thesis in primis contra origenistas et priscillianistas, contra plures etiam catholicos Augustini tempore, qui misericordes dicebantur, socinianos, recentiores quosdam protestantes, rationalistas plerosque. Ea est *de fide,* ut patet ex symbolo athanasiano, ex synodi VII. actione 1., et ex synodo V., quae referente Nicephoro H. E. l. 17. c. 28. anathema dixit contra errorem: „Temporanea esse daemonum et impiorum hominum tormenta finemque ea tempore aliquo habitura, atque impios ac daemones in priorem suum statum restitutum iri." Probatur haec veritas 1. auctoritate Scripturae, quae has poenas diserte vocat *aeternas* Matth. 18, 8., *duraturas in secula seculorum* Apoc. 14, 10; 19, 2. etc.; vocat ignem *inexstinguibilem* et vermem non *periturum* Marc. 9, 43. etc. Unde ad rem Augustinus *ad Orosium* c. 6. scribit: „Qualiscunque poena significata sit nomine *vermis* atque *ignis,* certe si non morietur, nec exstinguetur, *sine fine* praedicta est, nec aliud agebat propheta cum hoc diceret, nisi ut eam sine fine praediceret."

1243. Nominatim vero 2. exhibentur damnatorum poenae *duratione aequales* beatorum gaudiis, quae profecto fine carent, Joan. 3, 36; Matth. 15, 41. ss.; Apoc. 20, 10. coll. 22, 5. etc. Quo argumento utitur Augustinus *de civit. Dei* l. 21. c. 23: „Christus in una eademque sententia dicit: *Ibunt isti in supplicium aeternum, justi autem in*

---

leve admodum atque *vix consideratione dignum* esse discrimen inter varias damnatorum conditiones; inter conditionem infelicis juvenis in infidelitate nati, qui passionis aestu abreptus semel fragilitate humana in letale incidit peccatum, et haeresiarcham, tyrannum crudelem, juventutis seductorem, qui non solum *deliberate de industria deditaque opera* millena commisit crimina, sed diabolica malitia innumeros induxit ad peccandum atque in aeternam conjecit damnationem. *Ingens erit inter utriusque conditionem discrimen, imo infinitum propemodum, milliesque et ultra minor erit illius juvenis miseria et poena prae alterius damnatione.*

vitam aeternam (Matth. 25, 46.): si utrumque *aeternum*, profecto aut utrumque cum fine diuturnum aut utrumque sine fine perpetuum debet intelligi, par pari enim relata sunt. Hinc *supplicium aeternum*, inde *vita aeterna*. Dicere autem, in hoc uno eodemque sensu vita aeterna *sine fine* erit, supplicium aeternum *finem* habebit, multum absurdum est.“ Praeterea **3.** peccatores dicuntur *vasa irae* Rom. 9, 22; *vasa in contumeliam* 2. Tim. 2, 20; *maledicti* Matth. 25, 41; *super quos manet ira Dei* Joan. 3, 36: qui regnum Dei *non consequentur* 1. Cor. 6, 9; Galat. 5, 21. etc. „Haec profecto apostolica sententia, scribit Augustinus l. c. c. 15., falsa est, si tales post quantalibet tempora liberati regnum Dei possidebunt. Sed quoniam falsa non est, profecto regnum Dei non possidebunt. Et si in regni Dei possessione nunquam erunt, aeterno supplicio tenebuntur.“ Denique **4.** dogma hoc probatur luculento traditionis suffragio martyrumque testimonio, qui propterea etiam tam fortiter tormenta tolerarunt temporalia, ne inciderent in aeterna.

1244. **Thesis CLXXVI.** ***Dogma de poenarum aeternitate sanae rationi non adversatur.***

Demonstratio. Diversis ex principiis increduli dogma de aeternitate poenarum solent impugnare. Ad eorum argumenta sive solvenda sive saltem infringenda, haec ex ordine animadvertantur: **1.** Gravitas peccati determinari non debet ex *tempore* magis minusve diuturno, quod reus in perpetrando crimine impenderit, sed potius ex *gravitate injuriae* et majori minorive dignitate personae, quae peccando offenditur[1]). Unde falluntur, qui poenarum aeternitatem idcirco negant, quod ad peccatum perpetrandum breve impendatur tempus. Deus **2.** sicut *infinite* est *bonus* et misericors, ita est *infinite justus* et sanctus. Sicut ergo non repugnat, ut bonitatis manifestationes sint aeternae, ita non repugnabunt *aeternae* manifestationes justitiae vindicantis.

1245. Licet 3. humana justitia vindicativa *adumbratio* quaedam sit divinae ac proinde in aliquibus *analogia* inter utramque intercedat, multum tamen haec ab illa distat. Nam **a.** praesens vita stadium est

---

[1]) Cf. Lessius l. 13. c. 25. s. Argumentum, quod peti solet ex culpae gravitate i. e. *infinitate* pro poenarum aeternitate, dextere proponi debet, ut efficax censeri possit. Advertatur ergo **1.** *comparative infinitum* illud dici posse, quod alterum ita excedit, ut hoc etiamsi *infinities* multiplicetur et intendatur, nunquam illud, quod comparative infinitum dicitur, perfectione attingat. Ita anima humana lapidi comparata infinite est perfectior. Jam vero **2.** *hoc sensu* peccatum est Dei injuria *infinite* major quacunque injuria creaturae illata. Jure proinde **3.** poena poterit puniri, quae poenas propter offensam *in hominem* inflictas *sine fine* excedat. Ejusmodi **4.** est poena, *quae fine caret* i. e. aeterna.

viae et emendationis, et justitia punitiva humana medium est salutis in utilitatem hominibus concessum. Ipsius **b.** est punire crimina, non praecise quatenus sunt offensa Dei, sed quatenus sunt humanae societati noxia. Praeterea **c.** Deus supremus est judex, homo tantum delegatus, ille judicat creaturas suas, homo vero homines, fratres suos, munere tantum inaequales. Quare mirum esse non debet, si homo judex hominem reum cum reverentia debeat tractare. Ceterum justitia vindicativa humana potest in reos animadvertere poenis privativis ex sese perpetuis et positivis tamdiu, quamdiu rei vivunt suntque societatis membra. Poterit ergo et Deus peccatores punire poenis tum privativis tum positivis, quamdiu sunt, i. e. perpetuis. Ad rem Augustinus *de civ. Dei* l. 21. c. 11: „Qui pro aliquo grandi crimine morte mulctatur, numquid mora, qua occiditur, quae perbrevis est, ejus supplicium leges aestimant, et non quod eum *in sempiternum* auferunt de societate viventium? Quod est autem de ista civitate mortali supplicio *primae* mortis, hoc est de civitate illa immortali homines supplicio *secundae* mortis auferre. Sicut enim non efficiunt leges civitatis hujus, ut in eam quisque revocatur occisus, sic nec illius, ut in vitam revocetur aeternam secunda morte damnatus."

1246. Bene consulta ratio **4.** nullam in eo deprehendit pugnam, quod Deus praestituerit certum quoddam tempus, v. g. tempus praesentis vitae, quo elapso peccatoribus nulla spes sit reliqua veniae obtinendae. Imo cum sanae rationis principiis apprime congruit, ut qui sunt limites praesentis vitae, hi quoque censeantur limites consequendae veniae. Hoc enim vel semel negato omnis scopus et momentum praesentis vitae evanescet. Praeterea si Deus *semper* parceret, ad peccandum efficaciter provocaret, cum quilibet peccator sciret, Deum sibi tandem aliquando fore propitium coelestemque beatitudinem post scelera vel maxima concessurum.

1247. Dedecet deinde **5.** Deum ejusmodi legum sanctio, quae vix aliquam facit in hominem impressionem. Atqui talis est poena duratione finita, quae prae indefinito, quod superest, haberi potest puncti instar prae linea indefinite excurrente atque vix consideratione dignum. Hinc Hieronymus *in Jonae* 3: „Evertit penitus, inquit, hoc dogma (Origenis) timorem Dei, dum homines facile labuntur ad vitia, putantes etiam diabolum, qui auctor est et peccatorum omnium fons, acta poenitentia posse salvari." Et sane si fides in poenarum aeternitatem homines vix deterret a peccando: quid fieret hac veritate sublata? Quod si **6.** poenae non sunt aeternae, incarnatio non fuisset necessaria. Ad quid enim tot Christi dolores et passiones, si his non obstantibus peccatores fierent salvi post poenas purgatorias? Ceterum si

his non obstantibus difficultas manet, memores simus, Deum esse justum, proinde punire non posse *plus,* quam mereatur peccator; consequenter si in aeternum punit, inferendum esse, peccatum talem mereri poenam. Quare non Deus, sed peccator accusetur.

Caput III.

De aeterna infantium sine baptismo decedentium conditione.

1248. Quae de hac quaestione alioquin obscura sive certa sive plus minusve probabilia sunt, ad quaedam revocabimus capita: **1.** Dogma est fidei catholicae baptismum re vel voto susceptum necessarium esse necessitate medii ad salutem consequendam (thesi CXLI.): proinde, qui illo carent, salute excidere.

Quare **2.** non videtur probabilis sententia Cajetani, qui in 3. p. s. *Thomae* q. 68. a. 2. et 11. scribit: „Parvulos fidelium christianorum, quibus per baptismum subveniri haud potest, non tantum ex privilegio Dei singulari, sed ex lege Dei communi et ordinaria salvari posse votis et precibus parentum.“ Neque probabilis **3.** est sententia cl. Klee *dogmaticae* t. 3. art. 2. §. 1., qui cum nonnullis aliis tuetur, infantibus in articulo mortis lucidum concedi intervallum, ut *baptismi* concipere possint *votum.* Vix enim conciliari potest haec opinio cum Ecclesiae sententia, fieri posse et revera fieri, ut aliqui cum solo peccato originali decedant. Ita enim statuit conc. florentinum in *decreto unionis graecorum:* „Illorum animas, qui in actuali mortali peccato vel *solo originali* decedunt, mox in infernum descendere poenis tamen disparibus puniendas.“

1249. Quamvis **4.** catholici omnes in eo conveniant, infantes sine baptismo morientes a beatifica excludi visione et ita pati *damnum, damnari:* dissentiunt tamen ab invicem in determinanda natura et conditione status, in quo ejusmodi degunt infantes. Secundum plures patres praeeunte Augustino patiuntur illi inferni ignem, qui tamen ipsos multo minus cruciet, quam homines peccatorum actualium reos. Communior tamen **5.**, imo jam *communissima* dici potest sententia negans eos, qui in *solo* peccato originali moriuntur, poena *sensus* puniri.

Suffragatur enim huic sententiae auctoritas scholae haud contemnenda, nam teste Thoma q. 5. *de malo* a. 2: „*communiter* dicitur, quod peccato originali non debetur poena sensus;“ cui consonat Innocentius III. c. waldenses l. 3. decr. tit. 42. c. 3. *Majores:* „Poena originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis vero peccati est gehennae perpetuae cruciatus.“ Multum quoque ponderis huic sententiae accedit ex censura Pii VI. in prop. 26. syn. pistoriensis lata: „Doctrina, quae velut fabulam pelagianam explodit locum illum inferorum (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant), in quo animae decedentium cum sola originali culpa poena damni citra poenam ignis puniantur, perinde ac si hoc ipso, quod qui poenam ignis removent, inducerent locum illum et statum me-

dium expertem culpae et poenae inter regnum Dei et damnationem aeternam, qualem fabulantur pelagiani, *falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa.*"

1250. Licet ergo **6.** hi infantes secundum sententiam admodum probabilem non afficiantur sensus poena, quaerunt tamen theologi, utrum saltem patiantur *tristitiam* ob exclusionem e regno coelorum. Affirmant alii cum Bellarmino *de amiss. gratiae* l. 6. c. 6; negant plures cum s. Thoma *de malo* q. 5. a. 2. Imo **7.** non desunt theologi, secundum quos talis est eorum conditio, qualis futura fuisset in statu naturae purae.

Haec tamen sententia ut *nimis* erga infantulos liberalis aliis displicet. Urgent enim adversus eam **a.** plurimorum patrum effata; **b.** doctrinam Ecclesiae, omnes peccato originali obnoxios *sub potestate esse daemonis*, a qua nonnisi baptismo liberantur; **c.** Scripturam, quae jugiter duos tantum status post judicium agnoscit: *coelum* et *infernum*; **d.** verba conc. florentini (n. 1248.) et conc. carthaginensis a. 418. can. 3: »Item placuit, ut si quis dicit, ideo dixisse Dominum, *in domo Patris mei mansiones multae sunt*, ut intelligatur, quia in regno coelorum erit aliquis *medius* aut ullus alicubi locus, ubi beate vivant parvuli, qui sine baptismo ex hac vita migrarunt, sine quo in regnum coelorum, quod est vita aeterna, intrare non possunt, A. S. Nam cum Dominus dicat: *Nisi qui renatus fuerit* etc., quis catholicus dubitet participem fore diaboli eum, qui coheres esse non meruit Christi? Qui enim dextera caret, sinistram procul dubio partem incurret.«

1251. Quare, cum undique difficultatibus premamur, vel judicium est suspendendum, vel forte praeferenda ea sententia, quae hinc quidem infantes *non ab omni malo eximit*, saltem a tristitiae affectione *mitissima* quidem, ut melius illis sit esse quam non esse; inde vero illis concedit *aliquam Dei cognitionem, amorem et gaudium*, obortum etiam ex consideratione magni sibi a Deo collati beneficii, quo ipsos fato praematuro abreptos innocentiae personalis securos reddidit, et quam plurimis peccatis periculisque subtraxit, quibus procedentibus annis certissime implicandi fuissent addicendique perpetuis gehennae ignibus.

Caput IV.
De purgatorio.

1252. **Thesis CLXXVII.** ***Revelatione christiana edocemur, praeter coelum et infernum, e quo nulla est redemptio, admittendum, esse statum quendam, in quo animae justorum, hac in vita nondum perfecte purgatorum, antequam in coelum admittantur, poenis mundantur, qui proinde jure merito purgatorium dicitur.***

Demonstratio. Thesis est *de fide*, ut patet ex concilio trident., quod sess. 25. sacris literis et antiquae patrum traditioni innixum

docet: „Purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari.“ Statuitur vero in primis contra protestantes. Probatur **1.** per modum corollarii ex aliis veritatibus indubiis; qua illatione simul ostenditur, dogma de purgatorio esse *postulatum rationis christianae.* Sane certum est **a.** nihil coinquinatum ingredi coelum Apoc. 21, 27.; **b.** remissa culpa, semper quidem remitti poenam *aeternam*, non tamen semper poenam *temporalem* (n. 1142.). Atqui fieri potest, ut plures vel peccatis venialibus obnoxii, proinde non plane mundi, vel antequam ultimum solverint quadrantem, moriantur. Ergo dicendum est, aut hos damnari, quod est impium; aut immundos coelum ingredi, quod indecens; aut eos purgari et absolvi ab omni debito ipsa morte, quod omnino arbitrarium; aut admitti debet status quidam post mortem ad tempus, in quo amimae omne solvant debitum et mundentur, i. e. *purgatorium.* Et revera hujus aliorumque argumentorum evidentia plures protestantes recentiori aetate permoti, si non *purgatorii* nomen, *rem* saltem admittunt.

Purgatorii vero dogma non solum propterea rationi christianae et sanae se commendat, sed et aliis ex capitibus. Illud enim **a.** manifestat splendidissime infinitam Dei justitiam, majestatem, sanctitatem, quae vel peccati umbram exhorret. Palam facit **b.** quanta sit paradisi aulaeque coelestis gloria, cum tanta requiratur praeparatio et mundities. Excitat **c.** ad opera bona, satisfactionem; fovet spiritum poenitentiae; solatur **d.** in mortis articulo peccatores poenitentes, qui post longam vitam ream vix sperare possent se nulla prorsus exhibita satisfactione mox assecuturos esse praemia coelestia et velut per saltum e vitiorum coeno transferendos esse inter angelorum choros. Occasionem praebet **e.** exercendae fovendaeque caritatis in defunctos, reparandae ingratitudinis etc. Fovet insuper **f.** cogitationes alterius vitae, mentem a rebus transitoriis avocat, in memoriam revocat mortem etc. Deterret **g.** a peccatis venialibus, *quae alioquin carerent sanctione* (notetur haec ratio *gravissima)*, quod *sanctitate Dei indignum*, quia tunc *melioris* conditionis essent *negligentes* quam solliciti.

1253. Ad haec **2.** semper creditum fuit in Ecclesia etiam primorum seculorum, esse purgatorium, ut patet *ex praxi orandi* pro defunctis; quae fatentibus vel protestantibus a remota semper obtinuit aetate.

Hujus autem praxis hi sunt characteres: **a.** ea est *universalis* loco et tempore. Ita e. g. Augustinus *serm.* 172. n. 2. testatur: »Orationibus sanctae Ecclesiae et sacrificio salutari et eleemosynis, quae pro eorum (defunctorum) spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a patribus traditum *universa* observat Ecclesia.« Ea **b.** viget *apud sectas Orientis,* quae jam seculo V. ab Ecclesia se separarunt. Ea **c.** est *solemnis,* et **d.** *antiquissima,* cujus vestigia attingunt aetatem *apostolicam.*

Ita Tertullianus *de coron. milit.* c. 4. jam scribit: »Harum (oblationum pro defunctis) et aliarum hujusmodi disciplinarum, si legem expostulas Scripturarum, nullam invenies, traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix et fides observatrix.« Et revera **e.** patres eam repetunt ab ipsis *apostolis*. Si vero orationum analysis instituatur, liquet **a.** Ecclesiam credidisse, eas prodesse defunctis; hanc vero **b.** utilitatem consistere in peccatorum remissione et collatione beatitudinis. »Oremus, ita *constit. apost.* l. 8. c. 41., pro fratribus nostris, qui in Christo requieverunt, ut Deus summae erga homines caritatis, qui animam defuncti suscepit, remittat ei omne peccatum et propitius ac benevolus ei factus collocet eum in regione vivorum.« Licet autem **c.** Ecclesia generatim pro omnibus defunctis fidelibus soleret orare, orationes tamen illis tantum censuit prodesse, qui pie essent defuncti in Domino, nullatenus vero damnatis, quorum poenas credidit aeternas[1]). Credidit ergo Ecclesia primorum seculorum praeter animas damnatas esse alias easque indigas solatii, auxilii etc., idque propter peccata hac in vita commissa: easque citius tardiusve pro suo debito nostraque sollicitudine pertingere ad beatitudinem: proinde credidit exsistere *purgatorium*.

1254. Provocamus **3.** ad 2. Machab. 12, 43. ss.: *Facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit* (Judas) *Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans* (*nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis*)*; et quia considerabat quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Ex quo facto colligimus **a.** Judam cum suis credidisse, posse aliquos cum pietate mori, quin ab omni peccato prorsus sint mundi; eos tamen **b.** posse mundari, et quidem per suffragia vivorum; proinde **c.** statum esse aliquem purgationis non perennem; ideoque **d.** eum credidisse purgatorium.

Vis autem argumenti crescit, si considerentur **a.** facti *solemnitas* et publicitas; **b.** mira militum *conspiratio* et alacritas; **c.** ejus *auctor*, qui fuit Judas, acerrimus patriarum legum restaurator et vindex; in primis vero **d.** *Spiritus sancti approbatio*. Verum quidem est **e.** eos, qui ceciderant, peccasse et propter peccatum cecidisse, ut constat ex v. 40. ss. coll. Deut. 7, 25. Hoc tamen peccatum tale non fuisse, ut propterea censerentur damnati, patet **a.** quod non obstante hoc peccato dicantur *cum pietate* dormitionem accepisse. Sane **b.** poterant hi milites legem vel ignorasse vel in belli aestu illius esse obliti. Sed dato **c.** quod graviter peccaverint, con-

---

[1]) Augustinus *serm.* 172. n. 2: »Non omnino ambigendum est, ista prodesse defunctis, sed talibus, qui ita vixerunt ante mortem, ut possint eis haec esse utilia post mortem. Nam qui sine fide, quae per dilectionem operatur, ejusque sacramentis de corporibus exierunt, frustra illis a suis hujusmodi pietatis officia impenduntur etc.«

jicere licet, ante mortem eos egisse poenitentiam secundum illa Ps. 77, 34: *Cum occideret eos, quaerebant eum.*

1255. **Scholion.** Paucis complectemur reliquas de purgatorio quaestiones. Certum est **1.** animas in purgatorio praeter gravissimam poenam damni pati etiam aliquam *sensus poenam,* ut colligitur ex *decreto unionis* conc. florentini, in quo dicitur, eos poenis purgari. *Verum* autem ibidem esse *ignem,* de fide quidem non est, sed admodum *probabile,* tum propter auctoritatem haud paucorum patrum, qui verba 1. Cor. 3, 13: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem,* de igne intelligunt purgatorii; tum propter consensum theologorum, qui adeo praevaluit in Ecclesia latina, ut Eugenius IV. sententiam hanc in decretum recipere voluerit unionis, nisi obstitissent graeci. Quod vero poenarum *gravitatem* attinet, id saltem tuto affirmari potest cum s. Bonaventura in *4. sent.* dist. 20. art. 1. q. 2., maximam purgatorii poenam gravitate praecellere quamlibet hujus vitae poenam. Dubium vero est, utrum *quaelibet* purgatorii poena *omnes* excedat poenas hujus vitae.

1256. Certum est **2.** purgatorium non durare *ultra diem judicii.* »Purgatorias poenas, inquit Augustinus *de civ. Dei* l. 21. c. 16., nullas futuras opinetur christianus nisi *ante* illud ultimum tremendumque judicium.« Per se autem patet, poenarum gravitatem durationemque fore secundum mensuram peccatorum et debiti poenae temporalis, quod mortis tempore luendum adhuc supererit. Justorum vero animae mox atque a corpore separantur, vehementissimo feruntur amore in Deum, ideoque omnis inordinatus affectus, si quis in illis fuerit, exstinguitur. Quare omne peccatum veniale illis statim remittetur sub conditione tamen, ut luant poenam. Patet **3.** ex dictis (n. 1253.), fideles posse oblatis indulgentiis et bonis operibus, in primis sacrificio missae, *juvare animas* in purgatorio detentas non solum universim, sed et *speciatim.* Verum hujus impetrationis et satisfactionis fructus non est *infallibilis;* pendet enim a misericordi acceptatione divina: quam ob rem dicuntur orationes et bona opera animabus prodesse *per modum suffragii.*

Caput V.

De aeterna sanctorum felicitate.

1257. *Beatitudo* praeeunte Boëthio *de consol. phil.* l. 3. pros. 2. definiri solet: Status omnium bonorum congregatione perfectus. Distingui autem solet **1.** in beatitudinem *objectivam,* quae est ipsum objectum seu res, cujus possessione reddimur beati, et in *subjectivam* seu *formalem,* quae est ipsa possessio et fruitio objecti, quo beamur; haec consistit in actibus, quibus illud possidemus eoque fruimur. Distinguitur **2.** in *essentialem,* quae secluso quovis alio facit *simpliciter* beatum, et *accidentalem* seu integralem, quae est beatitudinis complementum. Distinguitur **3.** in *naturalem* et *supernaturalem.* Illa beatum reddit hominem in ordine *naturae,* proinde perfecte explet varios appetitus homini natura ipsa insitos perfecteque respondet ejus viribus

exigentiisque naturalibus. Beatitudo vero *supernaturalis* ea est, quae homini nullatenus est debita, ad quam nonnisi specialissimo Dei favore elevatur, quae continetur participatione beatitudinis connaturalis Dei: hinc naturae creatae vires exigentiamque adeo superat et excedit, ut supra se evehi, ipsius capacitas dilatari debeat, novaeque ipsi inserendae sint vires, quibus reddatur par ad eam fruendam.

1258. Jam vero *hominis beatitudinem consistere in visione Dei,* testatur s. Scriptura 1. Joan. 3, 2: *Carissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est;* Joan. 17, 24: *Pater, quos dedisti mihi volo, ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi;* 1. Cor. 13, 12: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam sicut et cognitus sum;* Ps. 35, 19: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae et torrente voluptatis tuae potabis eos: quoniam apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen;* Joan. 17, 3: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti J. Christum.* Quare Benedictus XII. in constit. *Benedictus Deus* 29. Jan. 1336. definit, justos in coelo, „videre divinam essentiam visione *intuitiva*[1]) et etiam *faciali* nulla mediante creatura in ratione objecti visi se habente, sed divina essentia immediate se nude, clare et aperte eis ostendente, quodque sic videntes eadem divina essentia perfruuntur, necnon quod ex tali visione et fruitione eorum animae, qui jam decesserunt, sunt vere beatae et habent vitam et requiem aeternam."

---

[1]) Apud Raynaldum ad an. 1341. n. 51. Vocatur autem haec visio **1.** *beatifica;* **2.** *immediata* excludens non medium *quo,* sed medium *differens* et *obnubilans,* ut Bonaventura loquitur in *compendio theol. verit.* l. 7. c. 28. s., seu medium *ex quo* et *in quo;* **3.** *intuitiva,* ut significetur claritas; **4.** facie ad faciem seu *facialis,* ut significetur exclusio omnis medii et simul summa, quae cum ea est conserta, familiaritas; **5.** visio *in se,* ut negetur eam pro termino habere tantum aliquem Dei effectum vel ejus similitudinem, et inculcetur objectum visionis esse ipsum Deum. Fatendum quidem est multorum afferri posse patrum, Chrysostomi in primis, testimonia, quae prima specie huic dogmati videntur adversari, et quibus visio Dei intuitiva denegatur sanctis. Verum cum **1.** hi patres aliis in locis indubie doctrinam profiteantur catholicam, inferendum est, eos beatis denegare visionem Dei *comprehensivam,* quae unius Dei est propria et quam anomoei, contra quos agebant, incredibili jactantia sibi vindicabant. Quod si **2.** illorum verba *nimis* urgentur, sequeretur eos vel saltem Chrysostomum beatis denegasse *omnem* distinctam de Deo cognitionem, quod absurdum. Quare **3.** sicut patres comparantes creaturas cum infinita Dei perfectione eas *non entia* dixerunt: ita omnem beatorum visionem comparatione facta cum divina comprehensione denegant esse visionem.

1259. **Thesis CLXXVIII.** ***Tanta est hujus visionis beatificae praestantia, ut ea censeri debeat supernaturalis.***

Demonstratio. 1. Visio beatifica *hereditas* est propria *filiorum* Dei: *Si filii et heredes* Rom. 8, 16; Gal. 4, 7. s., adoptionis est consummatio. Atqui *adoptio* in filios Dei certe est *supernaturalis* (n. 603. annot.). Ergo et haec visio. **2.** Visione beatifica et beatitudine coelesti reddimur intime *familiares* et *domestici Dei* Eph. 2, 19; *consortes regni* atque throni Christi ejusque *coheredes,* participes ejus bonorum et beatitudinis, Joan. 14, 2: *Accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego et vos sitis;* Rom. 8, 17; Apoc. 3, 21: *Qui vicerit dabo ei sedere in throno meo sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno ejus;* Matth. 25, 21: *Intra in gaudium Domini tui.* Atqui ejusmodi sors nequit censeri naturae creatae et servae debita. Debetur quidem servo merces, sed non debentur bona *paterna,* bona *filii propria,* intima cum patrefamilias *familiaritas.* Quare visio beatifica supernaturalis est dicenda. Similis formae argumentum colligi potest ex nominibus *regni coelorum* (neque enim servorum est fieri reges), *coeli* i. e. aulae coelestis et domus Patris; *vitae aeternae,* sed illius, cujus particeps est Christus Joan. 6, 54. ss.; *gloriae,* sed Patris; *beatitudinis,* sed propriae Domini Matth. 25, 21. Ideoque **3.** dicitur Deus *invisibilis*[1]) 1. Tim. 1, 17., *qui lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest;* 6, 16., quia scil. viribus naturae videri nequit ejusque visio naturae rationali est plane indebita.

1260. Colligitur **4.** haec veritas ex *toto incarnationis apparatu,* qui omnino exigit, ut beatitudo per eam parta majus sit bonum, quam quod operibus tantum ethice bonis naturae innocentis jam esset debitum. Accedit **5.** dogma catholicum, gratiam ad opera vel minima

---

[1]) Non enim dicitur **a.** *invisibilis* oculis *corporis,* cum haec non adeo magna sit praerogativa, neque Deo propria: neque **b.** ratione cognitionis *cujuscunque,* cum Sap. 13, 1. vani pronuncientur homines, in quibus non subest scientia Dei; neque **c.** invisibilis dicitur Deus, quia *incomprehensibilis* est: nam clare promittitur visio beatis, qui tamen comprehensionis non sunt capaces; neque **d.** invisibilis affirmatur pro *praesenti* tantum vita, cum verba Pauli sint illimitata, ratio refundatur in lucem *inaccessam* et haec intima Patris cognitio reservetur Filio Joan. 1, 18; 6, 46; Matth. 11, 27: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare.* Quare invisibilis dicitur naturae creatae sibi relictae, ideoque visibilis solum per gratiam: *cui voluerit Filius revelare.* Ita etiam patrum testimonia in speciem pugnantia ad harmoniam revocantur. Ad rem Beda *in Ps.* 118, 33: „Deus habitat lucem inaccessibilem, et audimus tamen: *Accedite ad eum et illuminamini* (Ps. 33, 6.). Quae utique solvitur quaestio, ut inaccessibilis sit viribus *naturae:* accedatur autem ad eum *muneribus suis.*"

salutis requiri, proinde haec esse *supra* naturae vires: quanto ergo magis visio beatifica, quae finis est operibus salutaribus consequendus, excedet omnes vires omnemque naturae exigentiam. Quapropter Paulus simpliciter pronunciat Rom. 6, 23: *Gratia Dei vita aeterna.* Merito ergo damnata fuit Baji prop. 3: „Et bonis angelis et primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitae, felicitas esset merces et non gratia." Cf. etiam prop. 4. 5. 6. 11.

1261. Difficile est quidem **6.** fatente Suarez l. 2. *de Deo* c. 8. s. reddere rationem, quare intuitiva Dei visio vires excedat naturae creatae. Haec videtur praeferenda, quam ita proponit s. Thomas 1. p. q. 12. a. 4: »Cognitio contingit, secundum quod cognitum est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Unde cujuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suae naturae. Si igitur modus essendi alicujus rei cognitae excedat modum naturae cognoscentis, oportet quod cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscentis. . . . Relinquitur ergo, quod cognoscere ipsum esse subsistens sit connaturale soli intellectui divino, et quod sit supra facultatem naturalem cujuslibet intellectus creati, quia nulla creatura est *suum esse,* sed habet esse participatum.« »Cum igitur, ita concludere licet cum eodem s. Thoma[1]), virtus

---

[1]) 1. p. q. 12. a. 5., *contra gentes* l. 3. c. 53. Solvenda tamen est difficultas haud levis ex s. Thoma, qui licet ad visionem Dei intuitivam lumen exigat gloriae et sub hoc respectu doceat eam esse *supernaturalem,* saepe tamen videtur docere, visionem Dei ita esse creaturae rationali debitam, ut haec creari non potuerit, quin ad illam fuerit destinata, cum sine visione Dei nunquam redderetur beata, nunquam satisfieret desiderio innato videndi omnium causam in se. Cf. 1. p. q. 12. a. 1; 1. 2. q. 3. a. 8; *comp. theol.* c. 104; *contra gentes* l. 3. c. 49. ss. etc. Verum **1.** dici potest, hisce in locis s. Thomam non loqui de visione *beatifica,* qualem illam s. Scriptura describit, sed de visione, quae sit *cognitio* Dei *perfecta,* adaequate scil. satisfaciens desiderio naturali creaturae rationalis et proportione respondens statui, in quo ea reperitur: *saepe* enim et *clare* duplicem distinguit hominis beatitudinem, naturalem et supernaturalem, quam indebitam esse naturae humanae supponit; infert enim infantes sine baptismo decedentes propter carentiam visionis beatificae non tristari, quia »nunquam fuerunt proportionati ad hoc, quod vitam aeternam haberent, quia nec eis debebatur ex principiis naturae, cum omnem facultatem naturae excedat (in 2. sent. dist. 33. q. 2. a. 2.).« Quod si **2.** loquitur de visione *beatifica*, dici potest eum loqui in *hypothesi praesentis ordinis.* Posito enim, quod homo destinatus fuerit ad hanc beatitudinem, poterit ipse per rationis discretionem appetitum sibi insitum hunc in finem dirigere in eumque appetitu *elicito* tendere, adeo ut infelix foret, si ei non satisfieret. »Homini inditus est, inquit *de verit.* q. 22. a. 7., appetitus ultimi finis sui in communi: ut scilicet appetat naturaliter se esse completum in bonitate. Sed in quo ista completio consistat, utrum in virtutibus, vel scientiis, vel delectabilibus, vel hujusmodi, non est ei determinatum a natura. Quando ergo ex propria ratione, adjutus divina gratia, apprehendit aliquid speciale bonum, ut suam beatitudinem, in quo vera sua beatitudo consistit; tunc meretur, non ex hoc quod appetit beatitudinem, quam naturaliter appetit; sed ex hoc, quod

naturalis intellectus creati non sufficiat ad essentiam Dei videndam, oportet ut ex divina gratia superaccrescat ei virtus intelligendi. Et hoc augmentum virtutis intellectivae illuminationem intellectus vocamus . . . et secundum hoc lumen efficiuntur (beati) deiformes i. e. Deo similes.«

1262. Hoc augmentum virtutis intellectivae communiter a theologis *lumen gloriae* dicitur: illud autem esse admittendum evidenter infertur per modum corollarii et ex damnatione erroris 5. sectae Beguardorum promulgata a Clemente V. cum concilio viennensi: „Quod quaelibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriae ipsam elevante ad Deum videndum et eo beate fruendum." Definitur vero a Suarez *de Deo* l. 2. c. 14. n. 2: „Qualitas creata et habitus et virtus intellectualis supernaturalis et per se infusa intellectui, qua redditur proxime potens et habilis ad videndum Deum."

1263. **Thesis CLXXIX.** ***Beati peccare amplius non possunt.***

Demonstratio. Tenenda est haec veritas adversus Origenem, qui fingebat alternantes beatitudinis et miseriae vicissitudines. Colligitur autem **1.** ex *aeternitate* beatitudinis. Ea enim non minus est aeterna ac damnatio: cf. Luc. 10, 25. coll. 28; Joan. 8, 51; 16, 22; 1. Cor. 9, 25; Matth. 25, 46; 1. Petr. 1, 4; 5, 4. etc. Dicitur enim vita *aeterna, immarcescibilis* et *incorruptibilis* corona atque hereditas, substantia *manens,* quam nemo tollet, *duratura in secula seculorum,* thesaurus, quem neque aerugo neque tinea demolitur. Atqui si beati peccare possent, gloria quoque possent excidere, cum iniqui regnum coeleste possidere nequeant 1. Cor. 6, 9. Ergo cum felicissima illa sorte possibilitas peccandi non cohaeret. Quod confirmatur etiam Apoc. 21, 4: *Et absterget Deus omnem lacrymam* (etiam compunctionis et doloris) *ab oculis eorum, et mors* (qua late patet, in primis vero mors tristior animae, peccatum) *ultra non erit, neque luctus* (etiam poenitentiae), *neque clamor: neque dolor* (punitionis pro peccato) *erit ultra, quia prima abierunt.* Idem clare docent **2.** patres, sive cum Origenis commenta impugnant, sive cum praeeunte Fulgentio *de fide ad Petrum* n. 64. docent: „Firmissime tene et nullatenus dubites, omnem creaturam naturaliter mutabilem a Deo incommutabili factam, nec tamen jam posse quemlibet ss. angelorum in deterius mutari: quia sic acceperunt aeternam beatitudinem, qua Deo stabiliter fruuntur, ut ea carere non possint." Sane **3.** beatitudo coelestis beatitudo est *perfecta;* atqui de ratione *perfectae* beatitudinis est, ut excludat *omne*

---

appetit hoc speciale, quod non naturaliter appetit, ut visionem Dei, in quo tamen secundum rei veritatem sua beatitudo consistit.«

malum. Si vero beati peccare possent, eorum beatitudo non excluderet omne malum: peccatum enim gravissimum est malum; imo beati eo amariori timore et sollicitudine, ne amittant gloriam coelestem, angerentur, quo major est coelestis beatitudo.

1264. Jam quaeritur, unde oriatur beatorum impeccabilitas. Rem ita cum Becano *theol. schol.* p. 2. tr. 1. c. 1. q. 9. explicamus: „Bonitas Dei **1.** est infinita: bonum in communi abstrahit a finito et infinito; **2.** bonitas Dei clare et intuitive videtur a beato: bonum in communi obscure et abstractive cognoscitur a viatore; **3.** bonitas Dei continet in se eminenter omnia alia particularia bona: bonum in communi non continet illa eminenter, sed tantum imperfecte, sicut genus continet speciem. Hinc **4.** sequitur omnia alia bona particularia perfectiori modo esse in Deo quam in seipsis, ac imperfectiori modo in ratione boni communis quam in seipsis . . . Ergo bonitas Dei multis modis potentior et efficacior est ad movendam voluntatem beati, quam bonum in communi ad movendam voluntatem viatoris. Ergo si bonum in communi efficere potest, ut viator nihil appetat nisi in ordine ad bonum in communi: multo magis bonitas Dei efficere potest, ut beatus nihil appetat nisi in ordine ad Deum, ac proinde ut nunquam peccet.“

1265. **Thesis CLXXX.** ***Licet beatitudo justorum objectiva omnium eadem sit, non omnium tamen eadem est beatitudo subjectiva et formalis: inaequalis enim est pro meritorum ratione.***

Demonstratio. Thesis statuitur contra Jovinianum, qui stoicorum placita secutus, sicut merita et peccata, ita etiam praemia et supplicia aequalia esse contendit: ex quo inferebat, sanctos omnes intuitiva fruentes Dei visione *aequaliter* esse beatos. Ad eandem illationem pervenit Lutherus ex sua opinione de justitia Christi justificatis imputata. Assertio est *de fide,* ut colligitur ex conc. florentini *decreto unionis,* in quo definitur: „Sanctorum animas mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum *pro meritorum diversitate, alium alio perfectius.*“ Probatur **1.** iis Scripturae effatis, quibus pronunciatur, Deum redditurum esse *secundum opera uniuscujusque* Matth. 16, 27; Rom. 2, 6; Apoc. 22, 12; unumquemque *propriam* accipere mercedem *secundum* suum *laborem* 1. Cor. 3, 8. coll. Matth. 10, 41; Luc. 19, 16. et ex 2. Cor. 9, 6: *Hoc autem dico vobis, qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.* Denique id colligitur ex nominibus *praemii, mercedis, coronae* tribuendae a *judice* et quidem *justo* 2. Tim. 4, 8., *secundum ea, quae unusquisque gessit,* dum viveret 2. Cor. 5, 10: de ratione enim talis praemii et mercedis est, ut proportione respondeat meritis.

1266. Ejusdem formae argumentum colligitur **2.** ex patribus, qui libenter provocant ad verba Christi Joan. 14, 2: *In domo Patris mei mansiones multae sunt;* et 1. Cor. 15, 41: *Alia claritas solis, alia cla-*

ritas lunae et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate. Sic in resurrectione mortuorum. Hoc deinde clare supponunt, quoties de praestantia virginitatis prae matrimonio, viduitatis prae secundis nuptiis disputant. Hinc scribit Ambrosius in epist. 8. synodica *ad Siricium* n. 2: „Agrestis enim ululatus est, nullam virginitatis gratiam, nullum castitatis ordinem reservare, promiscue omnia velle confundere, diversorum gradus abrogare meritorum, et paupertatem quandam coelestium remunerationum inducere, quasi Christo una sit palma, quam tribuit, ac non plurimi abundent tituli praemiorum." Deinde **3.** oppositus error omnem exstinguit in virtutis studio fervorem, alacritatem, profectum.

1267. **Scholion I.** Contra beatitudinis inaequalitatem haud levis difficultas petitur ex *parabola operariorum in vinea* Matth. 20, 1. ss., secundum quam paterfamilias eandem omnibus tribuit mercedem, licet inaequaliter prorsus laboraverint. Pro hujus difficultatis solutione haec advertantur: **1.** »Non oportere, inquit Chrysostomus hom. 64. al. 65. *in Matth.* n. 3., omnia, quae parabolae continent, verbatim scrutari, sed scopum intelligere, ad quem institutae sunt eoque percepto et usurpato nihil amplius inquirere.« Atqui **2.** scopus est, veritatem confirmare verborum Matth. 19, 30. et 20, 16: *Multi erunt primi novissimi, et novissimi primi,* scil. ut haec explicat Suarez *de Deo* l. 1. c. 20., »non semper praemium gloriae mensurari antiquitate vocationis, nec diuturnitate laboris, sed habere Deum aliam rationem altiorem fundatam quidem in voluntate sua et dominio, salva tamen semper ratione justitiae in redditione praemii.« Merito **3.** supponi posse, novissimos habuisse idem meritum ac primos, et idcirco idem accepisse praemium, nam Christus voluit docere, nemini damno futurum vocationis tempus, cum novissimi ita gratia divina possint provehi, ut assequantur primos. Neque obstat **4.** *operariorum murmuratio* v. 11. s. Ad rem enim advertit Chrysostomus l. c.: »Inducit alios aegre ferentes illorum bona, non ut invidiae tabe laborantes ostendat, absit! sed ut doceat, illos tanto frui honore, ut possint etiam alios ad invidiam movere.« Neque obest **5.** responsum patrisfamilias, qui mercedis aequalitatem refundit non in meriti aequalitatem, sed in suum *beneplacitum:* nam praeter quam quod paterfamilias, ut observat Maldonatus in h. l., ita respondit, quia voluit personae decorem servare et facti sui rationem vili servo non reddere, docens illum pro ratione satis esse suam voluntatem: addi potest cum Suarez l. c. n. 17., Christum ita respondendo »respexisse ad radicem gratiae, a qua provenit, ut brevi tempore aliquis habeat majora merita, quia Deus sua voluntate praevenit majori et abundantiori gratia, quos vult. Potuisset ergo respondere paterfamilias, justitiam esse servatam, tamen quia replicari posset in gratiae distributione servatam non esse, ideo radicitus omnes rationes querimoniae evellit et gratiam suam ac liberam distributionem commendat.«

1268. **Scholion II.** *Dotis* nomine intelligunt theologi supernaturale donum animae beatae Christo in aeternum nubenti collatam. Est duplex: *animae* et *corporis.* Anima beata habet unam totalem dotem, exsurgentem

ex *tribus* partialibus, quae respondent tribus virtutibus theologicis, suntque *visio* respondens fidei, *comprehensio* spei, *fruitio* caritati. *Dos corporis* est supernaturalis qualitas seu praerogativa ab anima beata (saltem ut causa meritoria) dimanans in corpus unitum, ut illud reddatur gloriosum atque perfecte ei subjectum. *Quatuor* numerantur dotes corporis, scil. *impassibilitas, subtilitas, agilitas* et *claritas.* Nomine vero aureolae intelligunt theologi praemium *accidentale* praeter essentiale pro speciali aliqua *victoria* collatum, quod probabiliter vel in ipsum corpus redundat. *Tres* solent *aureolae* statui pro *triplici* victoria, quam homines referre possunt de tribus praecipuis Christi nostraeque salutis hostibus, *carne, mundo, daemone.* De carne triumphat *virgo,* de mundo *martyr* deque daemone *doctor,* qui sana doctrina et sacramentorum pabulo homines a daemonis liberat tyrannide. Quapropter virginibus, martyribus et doctoribus aureolae tribuuntur.

Sectio II.

De consummatione universali.

1269. Postquam egimus de *singulorum* hominum consummatione, de consummatione disseremus *mundi* extremisque humani generis fatis, proinde de tempore ultimo, quod in divinis literis dici solet *illa dies, dies Domini, dies Christi, dies Filii hominis, novissimus dies, finis, consummatio seculi.* Quae autem diem illum praecedent, comitabuntur et consequentur, paucis recenset Augustinus *de civit. Dei* l. 20. c. 30. n. 5: „In illo utique judicio vel circa illud judicium has res didicimus esse futuras: Eliam Thesbytem, fidem judaeorum, antichristum persecuturum[1]), Christum judicaturum, mortuorum resurrectionem, bonorum malorumque diremptionem, mundi conflagrationem (cf. 2. ep. Petri 3, 6.) ejusdemque renovationem (cf. ib. v. 12. et Rom. 8, 19. ss.). Quae omnia quidem ventura esse credendum est, sed quibus modis et quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc ad perfectum hominum intelligentia valet consequi."

1270. Praetermissis quaestionibus minoris momenti accuratius *de resurrectione mortuorum* erit disputandum, cum ea sit fundamentale religionis christianae dogma, magno conatu quovis tempore ab incredulis impugnatum. Quare nil mirum, quod ea in omnibus symbolis

---

[1]) De *antichristo* est tenendum **1.** eum *certo* esse venturum; eum **2.** non esse tantum personam *moralem,* turbam adversariorum Christi, neque hoc nomine designari (per prosopopoeiam) tantum spiritum vel *doctrinam contrariam* doctrinae Christi: sed omnino veram esse *personam* eamque *singularem,* quod secundum Suarez in 3. p. t. 2. d. 54. s. 1. est *certissimum* et *de fide,* et clare colligitur ex 2. Thess. 2, 3., ubi tam emphatice dicitur ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας; ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, ὁ ἄνομος etc., et ex constanti patrum consensu, qui tot habent de ejus fatis etc.

credenda proponatur. Quid autem de ea credendum sit, paucis expressit Tertullianus *de resur. carnis* c. 62: „Resurget igitur *caro* et quidem *omnis* et quidem *ipsa,* et quidem *integra.*"

Thesis CLXXXI. ***In consummatione seculi resurgent mortui et quidem omnes tempore eodem iisdemque cum corporibus, quae dum viverent gestarunt.***

Demonstratio p. I. Carnis *resurrectio* in genere probatur **1.** plurimis s. Scripturae effatis; in primis 1. Cor. 15., ubi Paulus comprobata v. 1—12. Christi resurrectione, non solum octies saltem testatur, *mortuos esse resurrecturos,* verum variis etiam rationibus confirmat v. 12—32. et in resurrectionis inquirit *modum* v. 35. ss. Inter rationes autem, quibus utitur, duae in primis sunt notandae: v. 12: *Si autem Christus praedicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit.* Quasi diceret: Honor, conformitas et unitas corporis exigit, ut capitis conditio communicetur membris. Atqui Christus caput nostrum resurrexit. Decet ergo et gloria capitis et corporis conformitas exigunt, ut et membra resurgant, ne sub vivo capite mortua sint membra. Alterum argumentum petit ex perfecta Christi de morte victoria v. 25. s. et 54. s.: *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus?* etc. Si autem homines non resurgerent, mors illis dominaretur, nec mors esset devicta, nec destructa. Ipsa ergo Christi de morte victoria exigit, ut morte evacuata, morti praedam eripiat, mortuos a morte liberet i. e. resuscitet. Ideo ait v. 22: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Cf. Act. 4, 2; 17, 18; Hebr. 6, 2.

1271. Suffragatur **2.** huic dogmati traditio et fides judaeorum, cujus testes sunt fratres illi, quorum martyrium refertur 2. Mach. 7, 1. ss. Ita enim respondit eorum tertius tyranno crudeli: *E coelo ista* (membra) *possideo, sed propter Dei leges nunc haec ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero.* De quarto narratur v. 14: *Cum esset jam ad mortem, sic ait: Potius est ab hominibus morti datos spem exspectare a Deo iterum ab ipso resuscitandos.* Cf. 12, 43; Matth. 22, 23. ss. coll. Act. 23, 6. ss.; 24, 14; Joan. 11, 24.; ubi Martha confidenter pronunciat: *Scio, quia* (frater meus) *resurget in resurrectione in novissimo die;* Dan. 12, 2; Ezech. 37, 1. ss.

1272. Accedit **3.** luculentissima traditio christiana, ut patet ex tot symbolis et apologiis pro religione christiana editis: exquisitis enim undique analogiis rationibusque nituntur patres hoc dogma suadere, confirmare, illustrare et adversus gentilium tueri exceptiones.

Alii **a.** *possibilitatem* resurrectionis carnis confirmant ex *creatione* universi, speciatim hominis. Ita Athenagoras *de resur. carnis* n. 3: »Dei potestatem excitandis ad vitam corporibus non imparem esse, argumento est eorum generatio. Nam si non exstantia hominum corpora eorumque principia in prima fecit creatione: etiam dissoluta, quolibet id contigerit modo, non difficilius exsuscitabit: aeque enim id quodque potest.« Alii **b.** hoc mysterium illustrant analogiis, sive *seminis,* quod terrae commissum prius corrumpitur, deinde ad novam resurgit vitam (cf. 1. Cor. 15, 36. ss.); sive *quotidianae,* quae cernitur in hoc universo, *resurrectionis.* Ita Minucius Felix in *Octavio* n. 34: »Vide adeo, quam in solatium nostri resurrectionem futuram omnis natura meditetur. Sol demergit et nascitur, astra labuntur et redeunt; flores occidunt et reviviscunt; post senium arbusta frondescunt; semina nonnisi corrupta revirescunt. Ita corpus in sepulcro, ut arbores in hiberno, occultant virorem ariditate. Quid festinas, ut cruda adhuc hieme reviviscat et redeat? Exspectandum nobis etiam corporis ver est.«

1273. Libenter vero **c.** resurrectionis *congruentiam* suadent α. ex *carnis dignitate,* quod argumentum expolit et urget Tertullianus *de resur. carnis* c. 5. ss., atque ita paucis c. 9. complectitur: »Igitur, ut retexam, quam (carnem) Deus manibus suis ad imaginem Dei struxit, quam de suo adflatu ad similitudinem suae vivacitatis animavit, quam incolatui, fructui, dominatui totius suae operationis praeposuit, quam sacramentis suis disciplinisque vestivit, cujus munditias amat, cujus castigationes probat, cujus sibi passiones adpretiat: haeccine non resurget totiens Dei? Absit, absit, ut Deus manuum suarum operam, ingenii sui curam, adflatus sui vaginam, molitionis suae reginam, liberalitatis suae heredem, religionis suae sacerdotem, testimonii sui militem, Christi sui sororem in aeternum destituat interitum.« β. Ex *justitia,* quam convenientiae rationem ita proponit Tertullianus l. c. c. 15: »Et si anima est, quae agit et impellit in omnia, carnis obsequium est, Deum non licet aut injustum judicem credi aut inertem: injustum, si sociam bonorum operum a praemiis arceat: inertem, si sociam malorum a suppliciis secernat: cum humana censura eo perfectior habeatur, quo etiam ministros facti cujusque deposcit, nec parcens, nec invidens illis, quominus cum auctoribus poenae aut gratiae communicent fructum.«

1274. Probant patres **d.** *veritatem* resurrectionis carnis principiis illis certissimis, Christum alterum esse Adamum, quaerere, quod perierat, reparare Adami ruinam mortisque esse victorem. Ad rem Tertullianus l. c. c. 34: »In primis cum ad hoc venisse se dicit, ut quod periit salvum faciat, quid dicas periisse? hominem sine dubio. Totum an ex parte? utique *totum* . . . *Totus* itaque salvus fiet, qui periit totus delinquendo, nisi si et ovis illa (Luc. 15, 4. s.) sine corpore amittitur et sine corpore revocatur.« Et iterum: »Quam indignum Deo *dimidium* hominem redigere in salutem. Pene minus facere, cum etiam secularium principum plena semper indulgentia vindicetur. Diabolus validior in hominis injuriam intelligitur *totum* cum elidens. Deus infirmior renunciabitur non totum relevans. Atqui et apostolus suggerit (Rom. 5, 20.), ubi delictum abundaverit, illic gratiam abundasse.«

1275. **Demonstratio p. II. et III.** Non defuerunt, qui a resur-

rectione exciperent impios: tenendum autem omnino est *mortuos omnes esse resurrecturos;* quod implicite credendum proponitur, cum in symbolo dicitur illimitate *carnis* resurrectio; explicite vero traditur in symbolo athanasiano et in conc. lateranensi IV. c. *Firmiter:* „Qui *omnes* (electi et reprobi) cum suis propriis corporibus resurgent, quae nunc gestant.“ Resurrectionem autem omnium *eodem* fieri tempore non videtur de fide, certum tamen est et tenendum adversus chiliastas, de quibus mox. Probatur utraque pars **1.** ex Joan. 5, 28. s.: *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii.* Act. 24, 14. testatur Paulus: *Sic deservio Patri et Deo meo credens omnibus, quae in lege et prophetis scripta sunt, spem habens in Deum, quam et hi ipsi exspectant, resurrectionem futuram justorum et iniquorum;* 1. Cor. 15, 52: *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba . . . . et mortui* (sine exceptione) *resurgent.* Confirmatur **2.** traditionis suffragio: neque enim unquam patres de resurrectione disputantes aliquos ab ea excipiunt. „Resurrecturam carnem omnium, inculcat Augustinus *Enchir.* n. 84., quicunque nati sunt hominum atque nascentur et mortui sunt atque morientur, nullo modo dubitare debet christianus.“ Merito ergo concludit Gennadius *de eccl. dogm.* c. 6: „Erit resurrectio mortuorum *omnium* hominum, sed *una* et *insimul* et *semel.* Non primo justorum et secunda peccatorum, ut fabula est somniatorum, sed una omnium.“

1276. **Demonstratio p. IV.** Homines resurrecturos esse eo in corpore, *quod dum viverent gestarunt,* saepius Ecclesia in suis expressit symbolis, clarissime vero in symb. conc. toletani XI.: „Exemplo capitis nostri confitemur veram fieri resurrectionem carnis omnium mortuorum, neque in aërea vel qualibet alia carne (ut quidam delirant) resurrecturos nos credimus, sed in ista, qua vivimus, movemur et sumus.“ Sedulo autem distingui debet quaestio facti a juris quaestione: aliud scil. est quaerere utrum *idem corpus,* quod quis dum viveret habuit, *resuscitetur:* et aliud, *quid requiratur* vel non requiratur, ut habeatur corporis *identitas.* De priori nunc sumus solliciti. Corporis resuscitandi *identitas* probatur **1.** ex ipso *resurrectionis* nomine; **2.** verbis[1]) Job 19, 23. ss.: *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei?*

---

[1]) De his verbis ita scribit Hieronymus in *ep. ad Paulin.* 53. al. 103. n. 8: ‚Job . . . resurrectionem corporum sic prophetat, ut nullus de ea vel manifestius vel cautius scribat;‘ et *contra Joan. hieros.* n. 30: ‚Tenet Job tormentorum victor, et testa radens putridae carnis saniem miserias suas resurrectionis

quis mihi det, ut exarentur in libro stilo ferreo et plumbi lamina vel celte sculpantur in silice? Scio enim, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum et rursum circumdabor pelle mea (et postea pelle circumdabuntur haec), *et in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse et oculi mei conspecturi sunt et non alius: reposita est haec spes mea in sinu meo* (consumpti sunt renes mei in sinu meo); Rom. 8, 11: *Qui suscitavit J. Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum in vobis;* 1. Cor. 15, 33: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem* etc. Fides judaeorum colligitur ex 2. Machab. 7, 11. (n. 1271.) et 14, 46.

Probatur **4.** luculento traditionis suffragio: nam patrum fere nullus est, qui disserens de resurrectione mortuorum carnis identitatem non inculcet et omnes religionis christianae apologetae carnis identitatem adversus gentilium exceptiones data opera tuentur (n. 1272.); omnes analogiae quoque et rationes congruentiae pro resurrectione ex patribus allatae eam exigunt. Denique **5.** hanc fidem Ecclesia practice profitetur cultu reliquiarum ac generatim cura, quam gerit de defunctorum corporibus. Quapropter et locus, in quo mortui sepeliebantur, dicebatur *coemeterium,* quod crederentur corpora non perire, sed iterum esse surrectura.

1277. **Scholion.** Omnia adversariorum a primis Ecclesiae seculis ad nostra usque tempora carnis resurrectionem impugnantium tela contra carnis diriguntur identitatem. Ut ergo difficultas, quae inde petitur, quod caro unius immediate vel mediate cedat in aliorum nutrimentum ac proinde in eorum vertatur carnem, solvatur, haec notentur: **1.** memoria retinendum est, quod saepe inculcat Chrysostomus hom. *de resurr.* n. 2: »Cum potentia Dei operatur, illud πῶς (quomodo) non est addendum;« et quod **2.** advertit M. Felix in *Octavio* c. 34: »Corpus omne sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis, sed Deo elementorum custodi servatur.« Neque mirum, testatur enim Christus Luc. 12, 7: *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt;* et 21, 18: *Capillus de capite vestro non peribit.* Quare **3.** si Deus decrevit corporum resuscitationem, non nostrum erit, sed Dei, ita singula corporis elementa, quae ad ejus identitatem *absolute* exiguntur, tueri et servare, ne in alterius transeant corporis proprietatem. Neque vero **4.** necesse est, ut in resurrectione omnia et singula elementa restituantur, cum plura saepe redundent, alia Dei omnipotentia suppleri possint incolumi manente corporis identitate. Quod si **5.** pars essentialis facta sit propria alterius, respondere licet cum Augustino *de civ. Dei* l. 22. c. 20: »Reddetur ergo caro illa homini, in quo caro humana primitus coepit. Ab illo quippe altero tamquam mutuo sumpta deputanda est, quae sicut aes alienum redhibenda est, unde sumpta est: sua vero illi, quam fames exinaniverat, ab eo, qui potest exhalata revocare, reddetur. Quamvis

---

spe et veritate soletur . . . Quid hac prophetia manifestius? Nullus tam aperte post Christum, quam iste ante Christum, de resurrectione loquitur.«

etiamsi omnibus periisset modis, nec ulla ejus materies in ullis naturae latebris remansisset, unde vellet eam repararet omnipotens. Sed propter sententiam veritatis, qua dictum est: *Capillus capitis vestri non peribit,* absurdum est, ut putemus, cum capillus capitis perire non possit, tantas carnes fame depastas atque consumptas perire potuisse.«

1278. **Scholion II.** Justorum corpora immutabuntur, gloriaque inaequali pro meritorum diversitate refulgebunt, in primis vero dotibus *impassibilitatis, subtilitatis, agilitatis et claritatis* ornabuntur. Cf. 1. Cor. 15, 35. ss.; Philip. 3, 21; Rom. 6, 5; 1. Cor. 15, 48., ubi sermo est de Christo causa exemplari resurrectionis nostrae. Circa alias, quae institui possunt quaestiones, haec notentur: **1.** Omne illud erit in corporibus beatorum, quod ad integritatem, perfectionem, decorem naturae humanae pertinet. Quod **2.** diversa attinet corporis membra, quorum usus altera in vita cessabit, statuit s. Thomas *supplem.* q. 80. a. 1. ad 1.: »Membra possunt dupliciter considerari in comparatione ad animam, vel secundum habitudinem materiae ad formam, vel secundum habitudinem instrumenti ad agentem . . . Si ergo membra accipiantur secundum primam comparationem, finis eorum non est operatio, sed magis perfectum esse speciei, quod etiam post resurrectionem requiretur. Si autem accipiantur secundum secundam comparationem, sic finis eorum est operatio. Nec tamen sequitur, quod quando deficit operatio, frustra sit instrumentum: quia instrumentum non solum servit ad exsequendam operationem agentis, sed etiam ad ostendendam virtutem ipsius; unde oportebit, ut virtus potentiarum animae in ipsis instrumentis corporeis demonstretur, etsi nunquam in actum prodeant, ut ex hoc commendetur Dei sapientia.« Quemadmodum **3.** justorum corpora in melius immutabuntur, ita et corpora damnatorum in deterius, iisque proprietatibus erunt praedita, quae beatorum dotibus plane sunt contraria.

1279. **Thesis CLXXXII.** ***Opinio sive de Christo per mille annos gloriose hisce in terris regnaturo, sive de statu Ecclesiae militantis ante secundum Christi adventum et judicium universale per plura secula felicissimo falsa est censenda.***

Declaratio. *Chiliasmi* nomine illa intelligitur opinio, quae regnum Christi (Messiae) gloriosum in terris quasi intermedium inter praesentem mundi seu Ecclesiae militantis statum et ipsam gloriam aeternam per mille circiter annos duraturum admittit. Pro gaudiorum varietate, quibus justi ex horum theologorum sententia illo in statu fruentur, carnalium scil. vel spiritualium, chiliasmus distinguitur in *crassum* et *subtilem.* Multi fuere, etiam ex patribus, qui primis Ecclesiae seculis chiliasmum spiritualem propugnarunt, nec desunt ejus patroni recentiori aetate. Non agimus autem in thesi contra chiliasmum *crassum,* cum nimis sit absurdus et a religionis christianae spiritu abhorrens. Chiliasmus vero spiritualis seu *subtilis* ab Ecclesia non fuit damnatus: quam ob rem Ribera, Calmet, Cornel. a Lapide etc. praeeuntibus Hieronymo et Augustino non audent opinionem hanc dicere *haereticam.* Quare illam nonnisi ut *falsam* et modo *temerariam* rejicimus.

1280. **Demonstratio p. I.** Judicium universale Matth. 25, 31. ss. descriptum *immediate* consequitur *secundum* Christi adventum et praecedit justorum ingressum in coelum: quare nullus est locus ejusmodi

regno intermedio. Sane **1.** Scriptura et Ecclesia universa cognoscit *duplicem* tantum visibilem Christi adventum, humilem primum per incarnationem ad redimendum, alterum gloriosum ad judicandum genus humanum Hebr. 9, 26. ss. Quare **2.** *unus* tantum adhuc exspectandus est Christi adventus. In hoc adventu **3.** *judicabit Christus vivos et mortuos:* quod colligimus ex symbolis, in quibus profitemur, eum venturum esse *judicare* (non regnare) vivos et mortuos. Intime ergo cohaerent Christi adventus et judicium, hoc illius est scopus; ideoque judicium saepe cum altero Christi adventu conjungitur 2. Tim. 4, 1; Matth. 16, 27: *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis et* **tunc** *reddet unicuique secundum opera ejus* etc. Prorsus ad rem scribit Augustinus l. *de octo quaestionibus* ad Dulcitium q. 3. n. 2: „Interrogationi tuae, qua quaeris, utrum in adventu Domini *mox* credendum sit futurum esse judicium, puto, quod sufficiat *fides symboli,* qua confitemur, Christum a Patris dextera esse venturum ad vivos et mortuos judicandos. Cum ergo ipsa sit ei causa veniendi, *quid aliud* acturus est mox ut venerit, nisi propter quod veniet?" Judicium vero hoc **4.** non ita instituetur, ut *separatim* et *diverso* tempore justi et impii judicentur, sed omnium judicium *simul* erit. Quod colligimus ex descriptione judicii universalis Matth. 13, 40. ss.; 16, 17; 25, 32. ss. coll. Joan. 5, 27. ss. (n. 1275.): hinc testatur Paulus Act. 17, 31. Deum statuisse *diem,* in quo judicaturus sit orbem τὴν οἰκουμένην in aequitate. Regnum **5.** cujus participes reddentur sancti in hoc judicio, non est regnum *millenarium,* sed in coelis *aeternum,* ut patet ex verbis sententiae Matth. 25, 34; Joan. 5, 27. ss. Ergo si Christi adventum *immediate* excipiet judicium: hoc ingressus in regnum coeleste, falso prorsus fingitur regnum Christi millenarium intermedium. Adversatur deinde chiliasmo sensus Ecclesiae, in qua demum praevaluit et jam per sec. 13 *plane communis* facta est sententia contraria.

1281. **Demonstratio p. II.** Admitti nequit regnum millenarium vel felicissima et singularis Ecclesiae conditio per plura secula *ante* secundum Christi adventum. Lex enim **1.** universalis est 2. Tim. 3, 12: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur:* neque alia erit conditio Ecclesiae militantis seu corporis Christi in terris, quam quae fuit ducis et capitis: Rom. 8, 16. ss.; Luc. 9, 23. s.; Matth. 10, 24; ideoque Christus inculcat abnegationis et mortificationis necessitatem Matth. 10, 38. s.; Marc. 8, 34. ss.; et de Paulo et Barnaba Act. 14, 21. legimus, eos fuisse *confirmantes animas discipulorum exhortantesque, ut permanerent in fide, et quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum coelorum:* quam legem universalem suspendendam abrogandamque esse per plura secula ante ju-

dicium ultimum, *gratis,* imo *temere* affirmatur. Cum ea autem conciliari nequit felicissima illa Ecclesiae conditio, quam nonnulli somniant. Ad haec 2. vel justi eo tempore obnoxii erunt concupiscentiae ceterisque peccati originalis sequelis, vel ab illis erunt immunes: hoc temere, imo periculose affirmatur. Si vero primum affirmetur, non adeo felix erit justorum conditio, neque aemula conditionis protoparentum in paradiso, ut non nemo ex contrariae sententiae patronis finxit. Denique 3. Ecclesiae conditio ad finem usque seculi talis erit, qualis describitur Matth. 13, 24. ss. c. 34. ss. et 47. ss., complectetur scil. triticum et zizania, bonos malosque: proinde non erit adeo felix ejus conditio, ut gratis affirmant adversarii[1]).

1282. Verissima autem sunt, quae scribit Augustinus *de civit. Dei* l. 20. c. 30: „Nullus vel negat vel dubitat, per J. Christum tale, quale istis ss. literis praenunciatur, futurum esse *novissimum judicium,* nisi qui eisdem literis nescio qua incredibili animositate seu coecitate non credit;“ cui judicio intererunt non solum omnes adulti, sed et *infantes;* non solum fideles, sed et *infideles;* non solum homines, sed et *angeli* tam mali, quam boni. Licet judicio particulari jam singulorum sors sit definita, convenientissimum nihilominus erit judicium universale, ut **1.** ratione quadam solemni humani generis fatis imponatur finis; ut **2.** judicium particulare promulgetur; **3.** ut homines, quatenus membra sunt societatis humanae et eorum actus in aliorum cesserant commodum vel damnum, publice dijudicentur; ut **4.** lucidissime appareat Dei in omnibus sapientia et justitia; ut **5.** ab omnibus creaturis ratione praeditis J. Christo solemne et publicum deferatur obsequium.

---

[1]) Praecipuum, quo chiliastae utuntur, argumentum ex Apoc. c. 20. petitur, in quo duplicis mentio fit resurrectionis et regni millenarii Christi, quod inter utramque florebit. Sed **1.** immerito ad hoc provocant caput tamquam locum classicum, cum sit obscurum. **2.** Ex duabus interpretationibus loci obscuri ea est seligenda, quae licet forte minus literalis et obvia, melius tamen cohaeret cum dogmatum analogia. Ejusmodi vero est ea, secundum quam **a.** numero *mille annorum* designatur tempus omne inter primum Christi adventum et antichristi seductionem v. 7., vel resurrectionem v. 13; **b.** *animae decollatorum* v. 4., quae *vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis,* animae sanctorum sunt, qui post Christi mortem temporis cursu usque ad antichristi adventum successive participes redduntur regni coelestis. Quare **c.** nomine *vitae,* quam vivere dicuntur, intelligenda est *vita beata secundum animam,* et nomine *resurrectionis primae* translatio ad hanc vitam: neque enim, si de corporum resurrectione esset sermo, dicerentur *animae decollatorum* resurrexisse. **d.** Particula *donec* v. 5. significat quidem terminum, ante quem impii non vixerint beatam vitam, non vero adsignificat, impios postea illam esse adepturos. Neque vero **e.** ex eo, quod v. 5. vita et regnum animarum dicatur *resurrectio prima,* sequitur hanc esse ejusdem rationis cum resurrectione *corporum,* de qua mentio fit v. 13.

Sectio III.

De communione sanctorum.

1283. Tenendum est, Ecclesiam triumphantem, militantem et eam Ecclesiae partem, quae purgatorio detinetur, non constituere *tres* societates *penitus* ab invicem divulsas, sed ita conjungi, ut inter earum membra, loco licet et conditione diversa, multiplex exsistat nexus atque relatio. Exhibentur enim fideles in terra adhuc degentes beatorum *conservi* Apoc. 6, 11; 19, 10; 22, 9; *concives* et *coheredes, membra* ejusdem familiae et *confratres* sanctorum Rom. 8, 29; Eph. 2, 19; Hebr. 12, 22. s. Et sane sicut unum tantum est caput Christus, positus super omnia, quae in coelis et quae in terris sunt Eph. 1, 20. s., ita unum tantum erit ejusdem corpus mysticum, una Ecclesia, una compago, qua illi, qui jam in coelis triumphant, militantibus adhuc in terra membris sociantur. Et sicut Christus omnium est rex, ita unum erit ejus regnum. Quare communio et nexus inter membra Ecclesiae in hoc triplici statu nonnisi inscite in dubium vocatur. Ideoque etiam describuntur angeli vel *laeti* de peccatorum poenitentia Luc. 15, 7; vel *ultores,* si quid damni infertur illis, qui eorum sunt commissi tutelae Matth. 18, 10; vel *solliciti* de electorum salute Hebr. 1, 14; quibus *triplex* significatur boni membri officium, commiseratio, gaudii participatio, sollicitudo.

Et revera mirum foret, si caritas, cujus est disjuncta copulare eoque arctius, quo ipsa intensior est, morte interveniente indolem mutaret suam, et visione beatifica reddita ardentissima frigeret erga eos, pro quibus quondam in terris parata fuisset sanguinem etiam profundere. »Nec aliis profecto legibus, inquit ad rem Bernardus s. 78. *in cant.,* regnum caritatis regi decebat, quam piis ipsorum, qui pariter regnaturi sunt, mutuisque amoribus et puris affectionibus in invicem et in Deum.« Accedit analogia ex ordine petita naturali, in quo ordines omnes particulares variis mutuisque nectuntur vinculis ad pulcherrimum hunc mundum efficiendum tamquam ejus partes et veluti membra. Haec confirmantur iis, quae dicemus de sanctorum *invocatione* et *intercessione.*

1284. **Thesis CLXXXIII.** ***Bonum atque utile est, simpliciter sanctos una cum Christo regnantes invocare.***

Demonstratio p. I. In thesi supponimus, sanctos (quibus modo accensemus angelos) pro nobis posse intercedere, quod generatim lutherani non negant; quo supposito affirmamus, eorundem invocationem non quidem per se ad salutem necessariam, licitam tamen atque utilem esse, quod unum definivit concilium trid. decr. 25. Praetermissis autem iis, quae sive ex Scripturis[1]), sive ex patribus possent

[1]) Zach. 1, 12: *Et respondit angelus Domini et dixit: Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem et urbium Juda, quibus iratus es? Iste jam*

adduci, ea tantum expendemus, quae ratio revelatione illustrata assequitur. Sane **1.** constat ex divinis literis **a.** justos viventes intercessisse pro vivis, atque **b.** intercessione sua multa eis impetrasse beneficia, imo **c.** Deum alios ad justorum intercessionem delegasse. Cf. Gen. 18, 23. ss., ubi Abraham apud Deum pro Sodomis intercedit; 20, 7. coll. 17.; Job 42, 8. dicit Deus amicis Job: *Ite ad servum meum Job, et offerte holocaustum pro vobis: Job autem servus meus orabit pro vobis; faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia*; Ex. 32, 9. ss., ubi Deus Moysis oratione placatus fuit, *ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum;* Jac. 5, 16. etc. Poterunt ergo et quidem *a fortiori* intercedere pro nobis justi cum Christo regnantes, praesertim cum eorum memoria Deo adeo sit accepta, ut eum ad beneficia conferenda provocet 4. Reg. 19, 34: *Protegam urbem hanc et salvabo eam propter me et propter David servum meum;* Dan. 3, 35; et cum eorum in nos affectus cum caritatis beatificae ardore crescat[1]).

1285. **Demonstratio p. II.** Sanctos licite utiliterque posse invocari, non eo invocationis genere, quo Deum tamquam gratiarum auctorem invocamus, sed quo regis amicos ob eorum, qua apud illum fruuntur, benevolentiam compellamus, ut suo interventu nostras corroborent preces ac pro nobis intercedant, patet **1.** corollarii instar ex dictis. Si enim pro nobis intercedunt vel intercedere possunt, eorum intercessionem votis precibusque licebit expetere. Ad haec **2.** vel apostoli enixe expetierunt fidelium orationes Rom. 15, 30; 1. Thes. 5, 25. A fortiori ergo licebit invocare sanctos regnantes cum Christo, quo certior horum sanctitas, major potentia, sincerior familiaritas cum Deo[2]). Imo **3.** ejusmodi invocatio admodum cedit in Dei honorem. Ea

---

septuagesimus annus est; Dan. 10, 13. et 20. s.; 2. Mach. 15, 12. ss., ubi narratur, Judam in somno vidisse Oniam, qui fuerat sacerdos, quique dixit de viro, quem pariter vidit in somno: *Hic est fratrum amator et populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Jeremias propheta Dei.*

[1]) Praeclare Bernardus serm. 1. *in vig. ss. apost. Petri et Pauli* de quovis sancto n. 2. ait: ‚Qui potens in terra fuit, potentior est in coelis ante faciem Domini Dei sui. Si enim dum hic viveret, misertus est peccatoribus et oravit pro eis, nunc tanto amplius, quanto verius agnoscit miserias nostras, orat pro nobis Patrem: quia beata illa patria *caritatem ejus non immutavit, sed augmentavit.* Neque enim, quia impassibilis omnino, ideo et incompassibilis factus est: sed nunc potius induit sibi viscera misericordiae, cum ante fontem misericordiae assistit.‘ Egregie quoque Augustinus de Nebridio defuncto *confess.* l. 9. c. 3. scribit: „Nec sic eum arbitror inebriari ex ea (Sapientia), ut obliviscatur mei, cum tu, Domine, quem potat ille, nostri sis memor.‘

[2]) Chrysostomus hom. *de ss. Berenice et Prosdoce* n. 7.: ‚Non solum in hoc die festo, sed in aliis etiam diebus ad illas adhaerescamus, deprecemur eas,

enim profitemur nostram indignitatem[1]), summam Dei majestatem, liberalitatem in sanctos. Quare **4.** jam primis Ecclesiae seculis fideles invocabant sanctos, et si de hac praxi tacerent etiam monumenta scripta, eam tamen palam proclamarent cryptarum lapides, quibus a remotissima aetate sanctorum invocationes insculptae leguntur.

1286. **Corollaria. 1.** Ex iisdem rationibus sequi videtur, sanctos pro *animabus in purgatorio detentis* intercedere posse; quocirca etiam Ecclesia defunctis requiem *intercedentibus omnibus sanctis* adprecatur. Cum tamen sancti non sint in statu, in quo possint satisfacere, purgatorium vero sit locus *justitiae* et *satisfactionis,* eorum intercessio minus prodesse videtur quam suffragia fidelium. Haud improbabile **2.** est, *animas in purgatorio* pro viventibus *intercedere,* ideoque posse *invocari.* Sicut **3.** in corpore non omnia membra eundem habent actum, neque in aliquo regno omnes ministri eodem funguntur munere, neque natura ubique easdem exserit vires: ita nemini mirum videri debet, si Deus dividens munera sua prout vult (1. Cor. 12, 4. ss.), specialia quaedam beneficia per alios atque alios velit elargiri sanctos: quam ob rem superstitiosum non erit, si propterea fideles *alios pro aliis gratiis invocent sanctos.* Ad haec propter arctiorem alicujus sancti ad certas personas, urbem, societatem etc. relationem conjunctionemque merito confidimus, eum impensius etiam pro his intercedere, adeoque ceu *patronum specialem* posse invocare.

1287. **Scholion.** Impugnant protestantes **1.** sanctorum invocationem *ex Mediatoris unitate,* sed exceptionem hac imbecilliorem excogitare vix poterant. Sane **a.** vel ipsi concedere debent justos viventes intercedere pro vivis, et ut intercedant exorari posse (n. 1284. s.), quin propterea pereat unius Mediatoris J. Christi dignitas. Eoque minus **b.** quod omnis virtus intercessionis sive hominum viventium, sive sanctorum in coelo regnantium innitatur meritis Christi atque gratia, qua ex ipsius meritis penes Deum fruuntur. Imo **c.** sicut palmitum fructus vitis prodit fecunditatem, ita sanctorum praerogativae et intercedendi virtus manifestant gratiarum plenitudinem, quae inest Christo verae viti, cujus ipsi sunt palmites. Quod si **d.** patres subinde negant, ut Chrysostomus, *mediatoribus ad Deum esse opus,* cum quilibet vitae integritate citius, quam per intercessores, quod desiderat, possit a Deo impetrare: non propterea infitiantur invocationis *utilitatem,* sed inculcant, quod verissimum est, non debere nos *omnem* nostram fiduciam aliorum in precibus collocare, cum intercessionis fructus a *nostra* etiam pendeat cooperatione Deoque gratius sit, si ipsi instanter nostram operemur salutem, quam si aliis nostrae salutis curam relinquamus.

---

oremus, ut patronae nostrae sint. Magnam quippe fiduciam apud Deum obtinent non viventes dumtaxat, sed etiam mortuae, imo mortuae multo magis. Nunc enim stigmata Christi portant. Haec porro stigmata monstrantes, nihil non regi persuadere possunt.«

[1]) Asterius amas. in *encomio ss. martyrum:* »Nam quia minime idonea est oratio nostra ad flectendum Dominum in tempore necessitatis et calamitatis, siquidem oratio nostra non tam deprecatio est, quam peccatorum in memoriam revocatio: idcirco nos ad conservos Domino dilectos confugimus.«

1288. Impugnant 2. adversarii sanctorum invocationem ex eo, quod ignoremus modum, quo sancti preces nostras audiant. Verum **a.** *modi ignoratio* nunquam sufficiens est argumentum ad veritatem vel factum aliunde certum revocandi in dubium; eoque minus **b.** quod certum sit, sanctos, quantum satis est ad intercedendum, nostras novisse necessitates. Eadem enim hac in re videtur esse eorum conditio, quae *angelorum.* Constat autem, angelos quae nos spectant, cognoscere. Neque **c.** *adeo imperviius* est modus, quo coelites invocantium audiant preces. Et in primis cum Hieronymo *adversus Vigilantium* similia objicientem n. 6. reponimus: „Tu Deo leges pones? Tu apostolis vincula injicies, ut usque ad diem judicii teneantur custodia, nec sint cum Domino suo, de quibus scriptum est: *Sequuntur agnum, quocunque vadit* (Apoc. 14, 4.)? Si agnus ubique, ergo et hi, qui cum Agno sunt, ubique esse credendi sunt. Et cum diabolus et daemones toto vagentur in orbe et celeritate nimia ubique praesentes sint, martyres post effusionem sanguinis sui arca operientur inclusi et inde exire non poterunt?“ Possunt deinde supplicum preces cognoscere sive ex revelatione divina, sive ex angelorum custodum relatione, sive perspicacia luminis gloriae.

1289. **Thesis CLXXXIV.** ***Sanctis in coelo regnantibus cultus religiosus, latria tamen multo inferior, licite pieque exhibetur.***

Declaratio. 1. Cultus *tres* complectitur *actus:* **a.** actum *intellectus,* quo alterius praerogativa agnoscitur dignaque obsequio judicatur; **b.** actum *voluntatis,* quo judicium intellectus approbamus atque decernimus *cognitam* alterius excellentiam nostramque subjectionem propter hanc excellentiam *practice* profiteri[1]); **c.** actum *externum congruum,* quo internos hosce actus exprimimus. Ex quibus actibus *secundus* maxime proprius est et essentialis; primus enim actus potest esse *sine cultu:* tertius etiam *cum irrisione.*

Excellentia autem 2. propter quam quis colitur, est vel *increata* et *absoluta* perfectio, quae est solius Dei, vel quaedam ejusdem *participatio creata* ordinis sive *naturalis* sive *supernaturalis,* quae iterum dividitur in rationes admodum diversas. Quare merito cultus pro *diversitate* excellentiae, propter quam exhibetur, *alius* atque *alius* est. Cultus, qui soli Deo propter infinitam et increatam excellentiam est deferendus, usu *ecclesiastico* non sine fundamento *biblico* Deut. 6, 13. appellatur λατρεία, et aliquando nomen *adoratio* apud *latinos* ad hunc supremum cultum designandum restringitur, quod tamen sicut ex vox graeca προσκύνησις per se et apud plures scriptores multo *latius* patet. Omisso autem cultu *civili* ob excellentiam naturalem, et altero sacro, cujus objectum formale seu motivum est *dignitas muneris* et *characteris* supernaturalis, cultus, qui creaturis defertur ob ex-

[1]) Ex quo patet **a.** cultum inniti *veritate,* proindeque **b.** esse *debitum,* cum veritas norma esse debeat, secundum quam agamus. Quocirca **c.** *nulla* est societas, in qua non aliquis obtineat erga praestantiora membra cultus ejusdem indoli respondens. Quare **d.** *praejudicio* conjicere licet, etiam in Ecclesia, quae regnum est *veritatis,* esse *cultum,* qui debita proportione respondeat dotibus, quae in nobilioribus ejusdem refulgent membris.

cellentiam supernaturalem in ordine sanctificationis et conjunctionis cum Deo ad distinctionem a λατρεία usu loquendi *ecclesiastico* dicitur δουλεία. Quia vero Dei matri cultus debetur in gradu *excellentiori*, ideo is cultus dicitur a theologis ὑπερδουλεία[1]).

1290. Porro **3.** perfectio, quae est objectum cultus *formale*, vel inest illi objecto, quod colitur (cf. n. 743.), vel in objecto cultus immediato *nulla* est perfectio absoluta hujusmodi cultu digna, sed vel *relatio* et singularis connexio cum altero, qui per se colitur, vel sola alterius colendi *repraesentatio:* illud habetur in ligno verae crucis et in reliquiis, hoc in imaginibus. Hinc derivatur distinctio in cultum *absolutum* et *relativum:* ille defertur objecto, cui inest ipsa perfectio et ratio cultus: hic objectis illis, quorum pretium pendet vel ex relatione et connexione cum objecto in se colendo vel ex hujus repraesentatione. Denique **4.** cum homo constet anima et corpore, cultus interior sponte sua *exterius* se prodit et pro diversitate cultus interioris exterior, qui ab illo informatur, est vel *latriae*, vel *duliae*, vel *hyperduliae*. Cum autem non tanta suppetat homini varietas signorum externorum, quae reverentiam exprimant internam: ideo fieri subinde potest, ut *iisdem* signis externis Deus et sancti colantur, quin tamen inde sequatur, *eundem* illi et his tribui cultum.

1291. **Demonstratio.** Praetermisso argumento haud inefficaci, quod petitur ex cultu licite tributo prophetis et angelis Dei (vel ei, qui putabatur Dei angelus) Num. 22, 31; Jos. 5, 13; Judic. 13, 16; 3. Reg. 18, 7; 4. Reg. 2, 15., provocamus **1.** ad *praxim* Ecclesiae et fidelium, qui a primis religionis christianae exordiis praecipue martyres coluerunt colligendo summa sollicitudine eorum reliquias, celebrando solemniter rituque religioso martyrii diem anniversarium, excitando aras, memorias, templa super eorum sepulcra, eos invocando, hymnis celebrando, sacrificium in eorum memoriis offerendo etc. Neque **2.** illicitum erit *Deum imitari.* Atqui Deus sanctos honorat, glorificat secundum illa 1. Reg. 2, 30: *Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum.* Licebit ergo et nobis pro modulo nostro eos honorare. Praesertim **3.** cum sanctorum cultus *intime* nectatur cum cultu Dei, ex hoc veluti *redundet*, ita ut verus Dei cultus vix concipi possit abs-

[1]) Per modum *corollarii* patet, ineptam esse protestantium illationem: Secundum Scripturas *soli* Deo honor et gloria et latria etc. est deferenda. Quivis ergo sanctorum cultus prohibetur. Fit enim illatio a *specie* ad *genus*. Vel enim verba illa quam *latissime* et *generice* accipiuntur, et tunc ne filiis quidem licet honorare et colere parentes, quamvis scriptum sit Ex. 20, 12: *Honora patrem tuum et matrem tuam;* quod si hoc asserere absurdum est, patet verba illa esse intelligenda de *specie* quadam cultus scil. de *suprema.* Atqui ultro fatetur catholica Ecclesia editisque sanxit canonibus, ne quis sanctis ejusmodi tribuat cultum. Aërem proinde verberant adversarii, qui haec et similia corradunt Scripturae effata. Licet autem religionis objectum sit *Deus*, cultus tamen sanctorum dici poterit *religiosus* **a.** *negative* in oppositione ad cultum *civilem;* **b.** *positive* et *reductive*, quia cultus Dei sponte sua in sanctos utpote ejus amicos et familiares redundat.

que sanctorum cultu. Sicut enim honor, qui regiae defertur majestati, in ejus redundat ministros, amor Dei in proximum: ita verus Dei cultus redundat in ejus amicos illosque omnes, in quibus refulgent participationes earum perfectionum, propter quas adoramus Deum. Proinde 4. tantum abest, ut cultus sanctorum in Dei cedat injuriam, ut potius Deum *in sanctis colamus.*

1292. **Thesis CLXXXV.** ***Reliquiarum cultus, cujus vestigia jam in divinis reperiuntur literis, plenissimo traditionis testimonio ac rationis fidei lumine illustratae suffragio comprobatur.***

Demonstratio p. I. „*Reliquiarum* nomine, inquit Perrone *prael. theol.* t. 6. c. 4. n. 82., *severiori* sensu seu primario sanctorum exuvias, cineres, ossa etc., sensu autem *latiori* seu secundario quidquid ex iis, quae ad eos pertinuerunt, ac de se aptum est ad piam eorundem sanctorum excitandam memoriam, significare consuevimus.“ Horum cultum esse *pium* atque *licitum* definivit concilium trid. sess. 25. in decr. *de invocat. et venerat. et reliquiis SS.,* hinc professio fidei trid. credendum exigit, sanctorum reliquias esse *venerandas.* Provocare autem licet ad Act. 5, 15; 19, 11. s.: *Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manus Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria et semicinctia: et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur;* in quibus *vestigia* saltem hujus cultus reperimus.

1293. **Demonstratio p. II.** Omissis quam plurimis patrum effatis, qui et hujus cultus factum testantur, et ipsum impense commendant, ad unum provocamus Hieronymum, qui eum data opera adversus Vigilantium tuetur provocans in primis ad praxim sensumque fidelium. „Ergo sacrilegi sumus, ita ille n. 5., quando apostolorum basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantius imperator, qui sanctas reliquias Andreae, Lucae et Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas daemones rugiunt, et inhabitatores Vigilantii illorum se sentire praesentiam confitentur? Sacrilegus dicendus est et nunc Augustus Arcadius, qui ossa b. Samuelis longo post tempore de Judaea transtulit in Thraciam? Omnes episcopi non solum sacrilegi, sed et fatui judicandi, qui rem vilissimam et cineres dissolutos in serico et vase aureo portaverunt? Stulti omnium ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquiis et tanta laetitia, quasi praesentem viventemque prophetam cernerent, susceperunt, ut de Palaestina usque Chalcedonem jungerentur populorum examina et in Christi laudes una voce resonarent?“

1294. **Demonstratio p. III.** Ratio 1. illum nequit non approbare cultum, quem Deus *innumeris* comprobat miraculis et collatis munerat gratiis. Deum autem reliquiarum cultum innumeris confirmasse miraculis patres sec. praesertim V. testantur unanimes.

Quod si adversarii de horum miraculorum dubitent veritate vel ea negent, animadvertimus **a.** cum Damascero *de fide orthod.* l. 4. c. 15: »Nemo credere respuat. Si enim ex rupe et duro saxo aqua in eremo prosilivit volente Deo et ex maxilla asini Samsoni sitienti: ex martyrum reliquiis unguentum suaveolens (scil. beneficia) emanare incredibile est? Nullo pacto iis, qui sciunt virtutem Dei et ab ipso habitum sanctis honorem.« Suspecta est dein **b.** nobis haec responsio, quod jam ariani ea sint usi adversus catholicos provocantes ad martyrum miracula, teste Ambrosio ep. 22. n. 16., ubi refert »eos negare martyrum merita, quorum opera etiam daemones confitentur. Sed hoc non mirum siquidem tanta est incredulorum perfidia, ut tolerabilior sit diaboli plerumque confessio. Dicebat enim diabolus: *Jesu, Filii Dei vivi* etc., et cum haec audirent judaei, ipsi tamen Filium Dei denegabant . . . Ariani dicunt: Non sunt isti martyres, nec diabolum torquere possunt, nec aliquem liberare, cum tormenta daemonum ipsorum voce (ad martyrum scil. sepulcra, proinde reliquias) probentur ac beneficia martyrum remediis sanctorum et absolutorum indiciis declarentur.« Suspecta est **c.**, quod eadem ratio, quae impellebat arianos, ut hoc uterentur effugio, impellere ad idem videatur adversarios. »Neque enim, inquit Ambrosius l. c., aliter eorum operibus inviderent, nisi fidem in his fuisse eam, quam isti non habent, judicarent.« Sed **d.** quo jure, qua fronte, exigere possunt, ut ipsis potius *gratis* impudenterque post tot secula horum miraculorum veritatem negantibus credamus, quam tot sanctis patribus testibus coaevis et saepe oculatis vel auritis? Si eorum negetur veritas, jam nutat omnis certitudo historica et humana. Quare concludimus cum Isidoro pelusiota l. 1. ep. 55: »Si te istud offendit, quod cinerem ss. martyrum propter eorum erga Deum caritatem atque constantiam honore afficiamus, eos, qui ab ipsis medicinam accipiunt, interroga et quot morbis remedium afferant, intellige[1]). Sic fiet, ut non modo id, quod a nobis fit, non irrideas cavillisque incessas, verum etiam, quod recte et cum laude fit, imiteris.«

1295. Accedunt 2. gravia colendi SS. reliquias motiva, quae recenset s. Maximus serm. 88. seu 3. *de nat. ss. martyrum,* et quae ratio humana nequit non probare: „Honoro in carne martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices; honoro pro confessione Domini sacratos cineres; honoro in cineribus semina aeternitatis; honoro corpus, quod mihi Deum meum ostendit diligere, quod me propter Deum mortem docuit non timere. Cur non honorem corpus illud, quod reverentur et daemones? quod afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulcro? Honoro itaque corpus, quod Christum honoravit in gladio, quod cum

[1]) Ita etiam scribit Theodoretus serm. 8. *de cur. affect. graec.:* „Quod vero compotes votorum fiant qui fideliter petunt (ad sanctorum sepulcra), palam testantur illorum *donaria* curationem indicantia. Alii enim oculorum, alii pedum, alii manuum simulacra suspendunt ex argento aurove confecta . . . Haec autem morborum depulsionem indicant, cui testandae ab iis posita sunt, qui sanitatem receperunt; horum porro virtus Deum eorum verum esse testatur.« *Quam sibi similis quovis seculo catholica pietas!*

Christo regnabit in coelo." Praeterea 3. cultus ille censeri nequit impius et idololatricus, qui hinc quidem eloquens est demonstratio triumphi a Christo de idololatria relati, omnipotentis ejusdem virtutis atque divinitatis, inde vero efficax ad omne virtutum genus provocatio. Ejusmodi vero est reliquiarum cultus[1]).

1296. **Corollarium.** Omnia, quae cultus reliquiarum probant pietatem et honestatem, ostendunt quoque, inter reliquias omnes eas maxime esse colendas, quae pertinuerunt ad Christum, nominatim *lignum* illud, *in quo salus mundi pependit.* Quocirca scribit Damascenus *de fide orthod.* l. 4. c. 11: „Hoc itaque pretiosum sane ac venerabile lignum, in quo se Christus pro nobis hostiam obtulit, uti ss. corporis atque sanguinis tactu sanctificatum jure debet adorari: clavique item, et lancea, et indumenta et sacrae ejus mansiones h. e. praesepe, specus, salutaris Golgatha, vivificum sepulcrum, Sion ecclesiarum arx et similia." Quam autem vulgatus fuerit olim hic cultus patet ex hisce Cyrilli hieros. *catech.* 10. n. 19. verbis: „Lignum illud sanctum crucis testatur (Christum esse Deum), quod hodie apud nos cernitur et per eos, qui cum fide particulam ex illo capiunt, *totum* isthinc *orbem* terrarum fere replevit."

1297. **Thesis CLXXXVI.** ***Sacrarum imaginum usus ac cultus, quem Scriptura nullatenus absolute prohibet, pius et licitus est.***

Declaratio. 1. Advertatur aliud esse *imaginem,* aliud *idolum* εἴδωλον: imago ab imitando dicitur, εἴδωλον vero, licet etymologice quamlibet formam vel figuram possit significare, ex *usu* loquendi *profano* designat similitudinem umbratilem et apparentem corporis speciem: ex usu vero loquendi *ecclesiastico* simulacrum numen *falsum* repraesentans, quod honore cultuque dignamur. Quare 2. hoc sensu toties habetur idolum, quoties vel ipsum simulacrum habetur pro Deo, vel numen refert non exstans, vel rem exstantem quidem, sed quae Dei instar habetur, creatura cum sit. Unde liquet 3. sanctorum imagines et repraesentationes Dei symbolicas non esse

[1]) Frequens est Chrysostomus in expoliendo hoc argumento. Ita hom. 26. in *2. Cor.* n. 6: ›At sepulcra eorum, qui Crucifixo servierunt, regias aulas splendore vincunt, non tantum magnitudine ac pulchritudine aedificiorum, nam hac etiam parte superant; sed, quod multo majus est, coeuntium studio et alacritate. Nam et ille, qui purpuram gestat, ad sepulcra illa se confert, ut ea exosculetur, abjectoque fastu supplex stat sanctosque obsecrat, ut ipsi apud Deum sibi praesidio sint: atque ut tentoriorum opificem et piscatorem fato functos patronos habeat, precibus is contendit, qui diademate cinctus est. Ergone, dic, quaeso, horum Dominum mortuum dicere audebis, cujus servi, etiam defuncti, eorum, qui universo orbi imperant, patroni sunt?‹ Cum vero Deus per reliquias SS. mirabilia operetur atque beneficia elargiatur, nonne hoc ipso fideles ad veneranda SS. sepulcra invitat et propemodum allicit, atque ita fautor est *piarum peregrinationum?*

idola, neque qui illas venerantur *idololatras*[1]), eoque minus, quod catholici ne sanctis quidem, nedum eorum imaginibus, λατρείας deferant cultum. Veneratio enim **4.** quam his exhibent *relativa* est: nam imaginis honor, inquit concilium oecumenicum VII., ad primitivum (πρωτότυπον) transit, et qui adorat (i. e. colit) imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam (ὑπόστασιν).« Proinde imagines non sunt colendae, ut docet concilium trid. sess. 25., »quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit ponenda veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant; ita ut per imagines, quas osculamur et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et sanctos, quorum illae similitudines gerunt, veneremur.«

1298. »Imagines **5.** inquit Petavius *de incarn.* l. 15. c. 13. n. 1., ex eorum per se genere sunt quae ἀδιάφορα nominantur, h. e. ad salutem omnino necessaria non sunt, nec ad substantiam religionis attinent: sed in potestate sunt Ecclesiae, ut ea vel adhibeat vel ableget pro eo atque satius decreverit.« Quare quamvis certum sit, non licere illas afficere injuria, quamvis *de fide* sit earum cultum utilem, licitum atque pium esse[2]), poterit tamen Ecclesia pro opportunitate illarum usum venerationemque moderari. Ideoque **6.** cum judaei in idololatriam essent admodum proni, rarior fuit in synagoga imaginum usus: et cum primis Ecclesiae seculis, quando tot ex gentilibus ad Christi fidem convertebantur, non omne periculum cultus idololatrici imaginibus exhibendi abesset, mirum videri non debet, si rarior esset earundem usus et cultus: si creverit cessante illo periculo; si varius fuerit diversis in ecclesiis et pro adjunctorum diversitate[3]).

---

[1]) Haec idololatriae calumnia in catholicos jacta, quam recoquunt pro more novatores sec. XVI., bene rejicitur in conc. oecumenico VII. act. 4: »Dic mihi, quomodo sumus idololatrae, qui et ipsa ossa et cinerem et pannos et sanguinem et tumulum martyrum *ideo* honoramus et adoramus, *quia* idolis non sacrificaverunt?«

[2]) Hoc saepius ab Ecclesia fuit definitum, quocirca in profess. trid. habetur: »Firmissime assero imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem atque venerationem impertiendam.«

[3]) Si quaeritur, quo proprie cultu ss. imagines sint colendae, respondemus: Imaginem posse considerari **a.** *materialiter,* prouti est res aliqua subsistens; ita considerata imagine *nullum* ei deberi cultum. Si vero **b.** imago consideretur *formaliter* in actu, ut ajunt, signato, prout est *res sacra* cultui divino deputata, cultum ei deberi, sed minorem quam prototypo, qui *analogice* et reductive ad eam pertinet cultus speciem, seu ex ea redundat, quae debetur exemplari; eo ipso enim quod exemplaria tali prosequimur cultu, honoris non nihil redundat in eorum imagines. Cui responso favent Ecclesiae definitiones, statuentes, imagines esse venerandas, nam eo ipso innuunt, eas in se honore esse dignas, scil. quod sint repraesentationes exemplaris in se colendi et consecratae cultui divino. Nunquam tamen dicendum est aliquam imaginem esse adorandam cultu latriae, imo hoc prorsus est negandum, ut patet tum ex actis concilii nicaeni, tum quia is loquendi modus offendit aures christianas, ut patet ex controversiis sec. VIII.

1299. **Demonstratio p. I.** Princeps (sed misellum) argumentum, quo sec. VIII. iconomachi, et horum pedissequi novatores sec. XVI. adversus ss. imaginum usum cultumque usi sunt, petitur ex Ex. 20, 4. s.: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quae est in coelo desuper, et quae in terra deorsum, nec eorum, quae sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles: ego sum Dominus Deus tuus fortis* etc. Verum **1.** vel haec verba *universalissime* accipiuntur vel cum debita *restrictione:* primum tueri non possunt, alioquin et ipsi quotidie peccarent pingendo vel sculpendo imagines. Quare verba haec de *certa* tantum imaginum *specie* debent intelligi: adversariorum autem erit demonstrare illo praecepto *comprehendi sanctorum imagines,* quod nunquam evincent. Sane **2.** omnia suadent damnari l. c. usum cultumque *idolorum*: suadet **a.** contextus, nam antea et postea sermo est *de idolis* omniaque ad unum spectant praeceptum, quo *tria* de idolis prohibentur, ne habeantur, ne fiant, ne colantur; **b.** loci paralleli Lev. 26, 1; Deut. 6, 13. col. Psalm. 96, 7., et versio graeca, quae habet εἴδωλον; **c.** adjuncta historica: dicta enim haec sunt post egressum ex Aegypto, ubi judaei omnis generis viderant idola; quare cum Moses totus in eo sit, ut unius Dei cultum inculcet, necessarium plane erat, ut deterreret a construendis idolis. Sed etsi concedamus **3.** prohiberi hisce verbis *judaeis omnem usum cultumque imaginum,* probandum esset, hoc praeceptum esse absolutum, obligans *quovis* tempore, etiam *christianos.* Quaedam enim judaeis prohibita fuere ex ratione paedagogica, qua cessante, eadem permissa sunt christianis tamquam jam adultis. Imo **4.** vel in V. T. quaedam habentur vestigia usus cultusque imaginum. Collatis enim Gen. 28, 16. ss.; Ex. 25, 18. s., Num. 21, 8. coll. Joan. 3, 14; Jos. 7, 6; 1. Reg. 6, 19; 2. Reg. 6, 6; Ps. 98, 5. discimus **a.** viguisse usum imaginum symbolicarum Dei, Christi et angelorum, non solum **b.** permittente, sed approbante et jubente Deo: his vero **c.** exhibitum fuisse cultum, quem Deus non solum non prohibuit, sed et probavit sumptis etiam poenis de ejus contemptoribus.

1300. **Demonstratio p. II.** Sacrarum imaginum usum cultumque probamus **1.** ex *traditione* theoretica et practica, quam alta testantur

---

excitatis in Occidente occasione decreti nicaeni male intellecti. Considerari denique potest **c.** imago *formaliter* sed in actu *exercito* seu *reduplicative* ut sistens coram nobis ipsum exemplar, atque ita dici potest eundem illis tribui cultum, qui exemplari defertur, sed *improprie* et *per accidens:* tunc enim cultus *per imaginem transit* ad exemplar, seu cultus externus tendit *immediate* in imaginem, cultus vero internus externo signo expressus in prototypon. Qua distinctione posita facile variae theologorum sententiae ad harmoniam revocantur.

voce tot imagines et rerum sacrarum symbola, quae ex coemeteriis subterraneis quotidie ad adversariorum confusionem eruuntur, adeo ut coecum esse oporteat, qui modo hoc factum neget. Jam Tertullianus haereticus hujus usus testis est, cum flocci faciat catholicorum argumentum pro recipiendis lapsis petitum ex repraesentatione Christi sub symbolo boni pastoris *de pudic.* c. 7. scribens: „Procedant ipsae picturae calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius;“ et c. 10: „Si forte patrocinabitur pastor, quem in calice depingis.“ Theodoretus vero refert in *hist. relig.* n. 26: „Ferunt maxima in Roma celebrem adeo virum (Simeonem Stilitam) esse, ut in *omnibus* officinarum vestibulis parvas ejus imagines statuant, tutelam ex his quandam sibi et praesidium comparantes.“

1301. Ratio quoque christiana 2. imaginum approbat usum cultumque. Licet enim sanctorum imagines mente concipere, verbis eos veluti depingere et postquam eos sub forma sensibili nobis repraesentavimus, colere. Licebit ergo eosdem etiam exterius coloribus depingere atque materia aliqua exprimere et per has imagines colere. Ut enim saepe inculcat Damascenus (cf. or. 1. n. 18.), quod sunt *verba* relate ad aures, sunt *colores* respectu oculorum: sicut ergo verbis sanctos possumus venerari, ita et imaginibus et per imagines[1]). Neque spernenda 3. est ratio ex humana consuetudine usuque petita, quae inculcatur in conc. oecumenico VII. act. 1. (Migne 129, 215.): „Si regum laurata et iconas missas ad civitates vel regiones obvii adeunt populi cum cereis et incensis, non cera perfusam tabulam, sed imperatorem honorantes: quanto magis oportet in ecclesiis Christi Domini nostri iconam depingi Salvatoris Dei nostri, et intemeratae matris ejus omniumque sanctorum et beatorum patrum et studiosorum virorum[2])?“

---

[1]) Acute sed vere Leibnitius in *syst. theol.* pag. 140. advertit: ‚Coram imagine *externa* adorare non magis reprehendendum est, quam adorare coram imagine *interna*, quae in phantasia nostra depicta est, nullus enim alius usus est externae imaginis, quam ut interna expressior fiat.‘ Quare egregie Damascenus explicans quaedam s. Basilii *de Spiritu s.* c. 18. verba, *or. 1.* (Migne 94, 1163.) adversarios ironice ita alloquitur: ‚Ex duplici natura sum conditus: sicque id, quod visu cernitur, aspiciens, illud veneror non tamquam Deum, sed tamquam venerandae rei venerabile simulacrum. Sed tu quidem fortasse sublimior es atque a materia remotior, ac supra corpus incedens ceu nullo carnis pondere gravis, id omne despicis, quod in aspectum cadit. Ego vero homo cum sim et corpore vestitus cum iis, quae sancta sunt, corpore versari cupio eaque oculis contueri. Tu qui praecelsus es, humilis sensus mei rationem habe, ut tuam ipse serves celsitudinem!‘

[2]) Quod difficultatem attinet, quae petitur ex conc. francfordiensi, quod conc. nicaeni II. definitionem de ss. imaginum cultu reprobasse videtur,

1302. **Scholion**. Jam olim verae Christi Domini cruci impensum fuisse cultum, supra vidimus n. 1296. Verum praeterea a remotissima jam aetate invaluit pius religiosusque usus *signi* et *imaginis* crucis. Innumera sunt hac de re patrum testimonia, quibus hujus usus *exsistentiam, universalitatem, frequentiam, solemnitatem, utilitatem, pietatemque* testantur (cf. *opusc.* XI, 99. ss. annot.). Unum tantum testem antiquum audiamus: „Ad omnem progressum, ita Tertullianus *de corona mil.* c. 3., atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum et calceatum, ad lavacra et mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quaecunque conversatio nos exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum et aliarum disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix et fides observatrix.“

---

adverti debet, damnationem ortam esse ex errore facti. Putavit siquidem illa synodus cum pluribus occidentalibus barbara definitionis versione decepta, conc. nicaenum decrevisse, eam tribuendam esse ss. imaginibus adorationem, *quae sit secundum latriam* quaeque defertur ss. Trinitati. Errore patefacto galli et germani decretum nicaenum admiserunt. Quod si quidam occidentales, ut auctor *librorum carolinorum* minus honorifice videntur de ss. imaginum cultu loqui, id ortum est ex detestatione erroris certe gravis, quem per ignorationem graecis tribuebant: non autem propterea rejecerunt usum cultumque imaginum secundum *genuinum* Ecclesiae sensum, ut patet ex scriptoribus illius temporis, ut ex praeclaro Dungali reclusi libro *contra Claudium* taurinensem (Migne 105, 450—529.); ex *liturgia* feria VI. hebdomadis majoris tunc vigente in adoratione crucis, de qua cf. Amalarius *de eccles. offic.* l. 1. c. 14. (ib. 1028.); ex Jona aurelianensi (l. 3. *de imag. cultu* Migne 106, 331. s.) etc.

INDEX.

THEOLOGIA GENERALIS.

Pag.

Introductio. Theologiae notio, divisio, praestantia etc. 1

TRACTATUS I. Revelationis christianae Apologia.

Sectio I. de nonnullis revelationis divinae proprietatibus . . . 6

Caput I. de revelationis possibilitate et convenientia . . 6

" II. de revelationis necessitate 10

" III. de revelationis criteriis 12

Sectio II. de revelationis divinae exsistentia 18

Caput I. de divina Christi missione 18

Articulus I. de vaticiniis messianis 21

" II. de testimonio ipsius Christi pro divina sua missione 28

" III. de testimonio quod secula posteriora Christo exhibuerunt 34

Caput II. de divina religionis christianae indole atque origine . 38

TRACTATUS II. de divinae revelationis fontibus . . . 50

Sectio I. de divina traditione et variis traditionum speciebus . . 51

Caput I. de medio divinitus selecto ad conservandam propagandamque doctrinam christianam 52

" II. de mediis, quibus divina traditio transmittitur et tuto cognoscitur 61

" III. de relatione inter s. Scripturam et traditionem . . 67

" IV. Additamenta ad doctrinam de traditione . . . 70

Sectio II. de s. Scriptura 75

Caput I. de s. Scripturae inspiratione 76

" II. de inspirationis extensione seu de canone . . . 79

" III. de authentia Vulgatae 85

" IV. de habitu inter Scripturam et Ecclesiam discentem et docentem 88

TRACTATUS III. de Ecclesia Christi 90

Pars I. de Ecclesia Christi 94

Caput I. de Ecclesiae exsistentia 94

Pag.

Caput II. de Ecclesiae essentia 99
Articulus I. de finali causa Ecclesiae 100
" II. de causa materiali Ecclesiae seu de Ecclesiae membris 112
" III. de reliquis Ecclesiae causis. 120
§. 1. de ministerii ecclesiastici institutione 121
§. 2. de ministerii ecclesiastici necessitate 123
§. 3. de ministerii ecclesiastici perennitate 125
§. 4. de ministerii ecclesiastici auctoritate 125
A. de Ecclesiae infallibilitate 126
B. de infallibilitatis subjecto 130
C. de infallibilitatis objecto 133
Caput III. de Ecclesiae proprietatibus 137
Articulus I. de unitate Ecclesiae 137
" II. de Ecclesiae sanctitate 142
" III. de Ecclesiae catholicitate 144
" IV. de Ecclesiae apostolicitate 148
Caput IV. de notis Ecclesiae 150

Pars II. de romano pontifice 156
Caput I. de primatu in universam Ecclesiam ex fidei analogia 156
" II. de primatu Petri apostoli 163
" III. de romano pontifice Petri in primatu successore . 176
" IV. de vi et ratione primatus romani pontificis . . 190

TRACTATUS IV. de genesi et regula fidei 214
Sectio I. de fidei genesi 214
" *II.* de habitu inter revelationem et rationem 229
" *III.* de regula fidei 236

THEOLOGIA SPECIALIS.

TRACTATUS V. de Deo uno et trino 247
Pars I. de Deo uno 247
Caput I. de habitu inter Deum et rationem humanam in ordine cognitionis 247
" II. de perfectionibus seu proprietatibus essentiae divinae 256
" III. de attributis Dei actuosis seu de vita Dei . . . 270
Articulus I. de omnipotentia Dei 271
" II. de cognitione Dei 272
" III. de voluntate Dei. 276
De voluntate Dei salutifera et praedestinatione . 283

Pars II. de sanctissimo Trinitatis mysterio 296
Caput I. de Trinitate in unitate 297
Articulus I. de Filii generatione 297
" II. de divinitate Filii 303
" III. de persona sancti Spiritus 308

Pag.
Articulus IV. de processione Spiritus sancti 311
Caput II. de unitate in Trinitate 316
„ III. Scholastica expolitio mysterii sanctissimae Trinitatis 324

TRACTATUS VI. de Deo Creatore 331

Pars I. de creatione 331
„ *II.* de creationis operibus 340
Sectio I. de mundo 340
„ *II.* de homine 343
Caput I. de humani generis origine 343
„ II. de hominis natura atque praestantia naturali . . 349
„ III. de hominis ad statum supernaturalem elevatione et primitiva conditione 357
Articulus I. Varii errores circa originalem protoparentum conditionem et Ecclesiae catholicae doctrina de eadem 357
„ II. de notionibus naturae, naturalis, supernaturalis et praeternaturalis 358
„ III. Doctrina catholica de statu originali protoparentum adversus varios errores defenditur . . 362
Caput IV. de Adami lapsu lapsumque consecuta miseria . . 371
Articulus I. de peccati originalis exsistentia atque in homines omnes transfusione 371
„ II. de peccati originalis natura 377
„ III. de peccati originalis sequelis 382

Sectio III. de angelis 383
Caput I. de angelorum exsistentia et natura 384
„ II. de angelorum conditione primitiva et plurium lapsu 387
„ III. de angelis bonis 389
„ IV. de angelis bonis seu de infestatione daemoniaca . 391

TRACTATUS VII. de Verbo incarnato 396

Pars I. Christologia 397
Caput I. de incarnationis convenientia, necessitate et possibilitate 397
„ II. de persona assumente naturam humanam seu de divinitate Christi 401
„ III. de natura humana assumpta 403
„ IV. de unione naturae humanae cum Verbo . . . 409
Articulus I. de unione naturarum in Christo indivisa seu hypostatica 409
„ II. de unione naturarum inconfusa 421
„ III. de unione naturarum inseparabili 426
Caput V. de praerogativis humanae naturae assumptae aliisque consectariis, quae unionem consequuntur hypostaticam 428

Caput VI. Mariologia 438

Pars II. de Christo Salvatore 460

TRACTATUS VIII. de gratia Christi 473

Pars I. de gratia actuali 477

Caput I. de natura et partitione gratiae actualis 478
» II. de proprietatibus gratiae actualis 480
Articulus I. de gratiae actualis necessitate 480
§. 1. Gratiae necessitas defensa contra eos, qui nimium extollunt liberum arbitrium 480
A. Necessitas gratiae ad actus salutares 481
B. Necessitas alicujus adjutorii Dei ad actus ethice bonos 491
§. 2. Refelluntur exaggerantes necessitatem gratiae . . 493
Articulus II. de gratuitate gratiae 498
» III. de distributione gratiae 501
Caput III. de habitu inter gratiam et liberum arbitrium . . 506

Pars II. de gratia habituali seu justificatione 522

Caput I. de dispositionibus ad justificationem 523
» II. de natura et essentia justificationis 529
Articulus I. de natura et essentia justificationis secundum fidem catholicam 529
» II. Uberior illustratio doctrinae de justificationis natura 532
» III. de virtutibus infusis 541
» IV. de causis justificationis 544
Caput III. de proprietatibus justificationis 545

Pars III. de merito 548

TRACTATUS IX. de sacramentis 555

Pars I. de sacramentis in genere 556

Caput I. de sacramentorum natura 558
Articulus I. de virtute sacramentorum 558
De operandi ratione sacramentorum 558
De effectibus sacramentorum 563
Articulus II. de sacramentorum causis 570
Caput II. de numero sacramentorum 576

Pars II. de sacramentis in specie 579

Sectio I. de baptismo 579
» *II.* de confirmatione 585
» *III.* de ss. eucharistiae mysterio 588
Caput I. de ss. eucharistiae sacramento 591
Articulus I. de reali praesentia corporis et sanguinis J. Christi in eucharistia 591
» II. de transubstantiatione 606
» III. de modo praesentiae sacramentalis . . . 611
» IV. Mysterium eucharistiae prae rationis lumine . 614

Articulus V. de eucharistiae effectibus et aliis doctrinis sacramentalem praesentiam consequentibus . . 618
Caput II. de sacrificio missae 623
Articulus I. de veritate sacrificii missae 624
» II. de essentia sacrificii missae 631
» III. de efficientia sacrificii eucharistici . . . 635
Sectio IV. de sacramento poenitentiae 637
Caput I. de potestate Ecclesiae data remittendi et retinendi peccata 638
» II. de contritione 645
» III. de confessione ejusque necessitate 653
» IV. de satisfactione 659
» V. de sacramento poenitentiae 662
» VI. de indulgentiis 667
Sectio V. de extrema unctione 673
» *VI.* de ordine 675
» *VII.* de matrimonio 687
TRACTATUS X. de Deo Consummatore 705
Sectio I. de consummatione singulorum hominum 705
Caput I. de morte et judicio 705
» II. de inferno 710
» III. de sorte aeterna infantium non baptizatorum . . 717
» IV. de purgatorio 718
» V. de aeterna beatitudine 721
Sectio II. de consummatione universali 728
» *III.* de communione sanctorum 736

INDEX

rerum quae hac medulla continentur.

Numerus arabicus numerum textus, litera a. adnotationem numero subjectam designat.

Absolutio prorsus necessaria est fideli peccatori 1127; utrum valeat forma deprecativa 1152; ad eam dandam requiritur jurisdictio 1147; est actus judicialis 1130; efficax remissionis 1105; quando olim dabatur 1143. a.

Actiones sunt suppositorum 530. a.

Actus et potentia 435; purissimus ib.: notionalis 547; actus ethice bonus et salutaris 829; ad omnem actum salutarem requiritur gratia 830; cf. *gratiae* necessitas; actus salutaris tribui debet gratiae et libero arbitrio 885; quo sensu dici possit gratia 905; ad actum ethice bonum non semper requiritur gratia 855; actus vitiatus utrum sit meritorius 956; externus utrum augeat meritum ib. v. *meritum.*

Adamus peccando nocuit universo generi 625; v. *protoparentes;* Adamo non peccante utrum futura fuisset Verbi incarnatio 680.

Adjutorium quo et sine quo non 906.

Adoptio justificationis effectus 935.

Adoptianismus refellitur 727.

Adorationis notio 743.

Aeternitatis notio 452; aeternitas poenarum inferni 1242; rationi consona 1244.

Affectus Christi 693; quam diversi a nostris 694.

Aggaei vaticinium de Messia 48.

Amor Dei ex toto corde 1118. a.; an initialis requiratur ad attritionem 1126; proprius non semper malus 1125.

Angelorum exsistentia 645; creatio 646; initio temporis ib.; quid non cognoscant 647; ex se quomodo inferiores illuminent 654; sunt puri spiritus 649; non peccarunt cum filiabus hominum ib. a.; eorum ordines et hierarchiae 650; evecti sunt ad ordinem supernaturalem 651: plures lapsi sunt 652; quibus Deus non pepercit 654; cf. *daemones:* angeli boni sunt hominum custodes 655; et quidem hominum singulorum 657; et regnorum 658; utrum Christus illis aliquid meruerit 811.

Anima Ecclesiae 205; quinam ad eam spectent 207; latius patet corpore 209.

Animae creantur 579; quando 582; anima est immortalis 584: est forma corporis 591; perfecte purgata admittitur ad visionem Dei 1228, cf. *justi;* utrum sejuncta a corpore Deum minus bene videat 1232; animarum in purgatorio invocatio et intercessio 1286.

Antichristus 1269. a.

Apocalypsis canonicitas 159. a.

Apostoli quo sensu inter se aequales 315; quo sensu Ecclesiae fundamentum 309. a.; eorum cognitio quam perfecta 140. a.

Apostolicitatis notio 273; apostolicitas ministerii ecclesiastici 274.

Appellationes ad sedem apostolicam 320; ab hac appellare non licet 338.

Approbatio librorum 230. a.

Appropriatio 549.

Arausicani concilii II. canon. 22. explicatur 857.

Arcani disciplina 1025. a.

Ars magica non videtur admittenda 607.

Articuli fundamentales et non fundamentales 258.

Assensus certus et evidens 87; qualis exhibendus magisterio ecclesiastico 412; assensus fidei v. *fides.*

Assumptio Virginis in coelum 780.

Attributum divinum 430: distinctio inter attributa divina 439.

Attritionis notio 1123; sufficit in sacramento poenitentiae ib.; an ad eam requiratur dilectio initialis 1126; ex attrito fieri contritum 1122. a.

Auctoritatis via quam accommodata humano generi ad discendum 9.
Augustinianorum sententia de gratia victrice 894.
Augustinus explicatur in quaestione de voluntate Dei salutifera 476. a.; de praedestinatione 491; de donis naturae debitis 619. a.; 620. a.; de libero arbitrio peccato amisso 642; de origine necessitatis gratiae 839. a.; de necessitate caritatis ad bene agendum 849; de axiomate: infidelium opera sunt peccata 854; de gratiae necessitate ad non peccandum 857; de gratiae universalitate 872; quid saepe intelligat nomine *gratiae* ib.; quo sensu provocet ad Dei omnipotentiam in explicanda gratiae efficacia 903; de reali praesentia in eucharistia 1033; 1050; de eucharistiae necessitate 1076. a.; de rom. pontificis infallibilitate 359.
Aureola 1268.
Authentiae notio 100; ea quoad Scripturae versionem declaranda est ab Ecclesia 161; v. *vulgata.*

Baptismi sacramentum 1008; materia remota 1010; proxima 1011; forma 1012; haec quam efficax ad probandum Spiritus s. divinitatem 515; baptismi minister 1013; necessitas 1019; de baptismo in nomine Christi 1012. a.
Beati vident Deum 1258; peccare non possunt 1263.
Beatitudo quid sit 1257; consistit in visione Dei 1258; inaequalis pro ratione meritorum 1265.
Bernardi (s.) de conceptione b. Mariae V. doctrina 770.

Calvinianorum de voluntate Dei salutifera error 475; de praedestinatione 479.
Canonis variae significationes 153. a.; canon Scripturae tridentinus authenticus 153.
Caritatis perfectae motivum 1120; quando ex toto corde 1118. a.
Caro Christi vera 685; ex Maria V. 688; carnis resurrectio v. *resurrectio.*
Catholicae appositum quam antiquum 266; proprium verae Ecclesiae ib.; quae cum rom. pontifice communione jungitur 267; notio genuina 268; minus probanda 272.
Causae matrimoniales spectant ad Ecclesiam 1218; et quidem solam 1222.
Censura theologica 409; variae species ib.; Ecclesia in ea ferenda infallibilis 410.
Certitudinis ab evidentia discrimen 87; quae requiratur ad credendum 374.
Character sacramentalis 984; quid sit 988; quo sensu perennis 989. a.
Chiliasmus 1279.
Christiani quo sensu sacerdotes 1168.
Christi exsistentia 29. a.; personae imago 56: de se testimonium 52; vaticinia in eo adimpleta 41; ab ipso edita 62; miracula 54; quare haec subinde non tanti fecerit 57. a.; cf. *miracula;* mors vera 61; resurrectio 59; doctrina praestans 56; ipso suae missionis exitu probatur Messias 63; exemplum quam efficax 687.
Christus verus est Deus 683; et verus homo 692; verum habuit corpus 685; ex Maria V. 688; quo sensu fuit semen David ib. a.; cur se dixerit filium hominis ib.; fuit affectibus et miseriis obnoxius 693; habuit animam 690; eamque rationalem 691; naturarum unio in ipso 696; unitas personae 698; duae naturae 714; illustratur ex unione animae cum corpore 716; duplex operatio et voluntas 718; libertas 722; quomodo concilietur cum impeccabilitate ib.; unus operans 721; operationes theandricae 720; est compositus 723; filius Dei naturalis 727; hujus filiationis ratio 729; utrum dici possit creatus 731; servus 732; praedestinatus 733; fuit immunis a peccato 734; a concupiscentia 736; fuit impeccabilis 737; sanctus sanctitate substantiali 738; plenus gratia 739; fruebatur visione beatifica 740; plenus fuit scientia infusa 742; habuit et acquisitam 743; quo sensu profecerit ib.; est adorandus 743; v. *incarnatio, Filius Dei.*
Christus mediator 789; sacerdos 790; obtulit sacrificium in cruce 791; pro nobis satisfecit 795; quomodo sibi 801; secundum quam naturam 802; pro omnibus est mortuus 802; quo sensu pro iis etiam, qui jam damnati erant 805. a.; est sacerdos in aeternum 808; secundum ordinem Melchisedech 809; ejus munus triplex 788; operum ejus valor 806; utrum angelis meruerit 811; Ecclesiae caput 188; citra Ecclesiam adaequate concipi nequit 190.
Christus totus in eucharistia 1060; adorandus 1079; ejus corpus vere in eucharistia praesens est 1030; ejus corpus aliter in coelo, aliter in eucharistia 1050; non est subjectum accidentium 1062; v. *eucharistia.*
Chrysostomus vindicatur circa dogma de confessionis necessitate 1138. a.
Circumcisio utrum conferret gratiam ex opere operato 991. a.
Circumscriptive esse alicubi 445.

Circumsessio daemoniaca 661.
Clavium potestas quid significet 307; collata Ecclesiae 1103; est judicialis 1130: differt a jure baptizandi 1104; efficax remissionis peccatorum 1105: et quidem omnium post baptisma commissorum 1107; bifariam patet 1106: qui ejus ministri 1146; qui inde habent jus imponendi satisfactiones 1106; v. *absolutio.*
Clerici nomine quis significetur 1168. a.; clericorum distinctio a laicis 1168.
Coelibatus antiquae, imo apostolicae originis 1187; quam conveniens 1188; inepte propter quorundam lapsum impugnatur 1189.
Cognitio Dei solo rationis lumine possibilis 417; facilis 421; triplex 428; v. *Deus.*
Communicatio idiomatum 748.
Communio sub utraque specie non est necessaria 1077; v. *eucharistia.*
Communio cum rom. pontifice tessera orthodoxiae 266; 323; 334.
Comprehensio 426.
Conceptio immaculata Mariae V. 757.
Concilium oecumenicum 235; ejus infallibilitas 236; non pendet a fidelium acceptatione 238; criteria ad dignoscendas definitiones infallibiles 404. a.; est admodum utile 357; non tamen prorsus necessarium ib. 322; non est supra rom. pontificem 338. a.; jus convocandi competit rom. pontifici 339; et praesidendi 341; illudque confirmandi 342; quo sensu confirmatum a conc. particulari vel ab imperatoribus 344; quo sensu subjecerint definitiones rom. pontificum examini 358; concilia provincialia quando authentice docere possint 411.
Conclusio ex revelatis an sit de fide 403.
Concupiscentia 608; utrum sit mala 609; quo sensu dicatur peccatum ib; ea carebant protoparentes 610; non est peccatum originale 634; quo sensu dicatur materiale peccati originalis 641.
Confessionis peccatorum gravium necessitas 1129; ejus congruentia 1134; quo sensu soli Deo facienda 1138; utrum a Nectario abrogata 1137; peccatorum venialium 1135.
Confirmationis sacramentum 1020; minister 1023; materia 1024.
Congregationum romanarum auctoritas 411.
Consensus fidelium criterium traditionis 128; 760.
Consortium divinae naturae per gratiam 936.
Constantiensis concilii sess. 4. et 5. 363.
Consubstantialitas person divinarum 528.
Consultationes ad sedem apost. directae quam frequentes 318.
Consummatio rerum duplex 1223; quae mundi consummationem comitabuntur 1269.
Contritio quid 1114; perfecta cum voto sacramenti justificat 1115; quare adhuc confitendum 1117. a.; non requiritur temporis duratio 1119; neque intensio 1118; quando sit ex toto corde ib. a.; perfecta non est necessaria in sacramento poenitentiae 1121; imperfecta v. *attritio.*
Controversiarum judex 228; eas dirimendi methodus 112.
Cordis Jesu cultus legitimus 747; pars in sacrificio crucis 793.
Corpus Ecclesiae 205.
Cosmogonia mosaica 569; collatio cum gratiae operatione 813. a.
Creationis notio 552; dogma 553. a.; creatio solius Dei est 558; ejus finis 559.
Creaturarum a Deo discrimen 443; utrum aliqua reparare potuerit humanum genus 678. a.
Criteria revelationis 18.
Crucis lignum 1296; signum et imago 1303; sacrificium 791; hujus momentum 793. a.
Cultus notio 1289; species ib.; sanctorum 1291; absolutus et relativus 1290; imaginum 1297; reliquiarum 1292.
Cypriani controversia cum Stephano 359; utrum diaconis concesserit jus absolvendi a peccatis 1146. a.

Daemonum exsistentia 652; infestatio 659; v. *obsessio, magia.*
Damnatorum poenae 1236; aeternae 1242; v. *infernus.*
Danielis vaticinium de 70 hebdomadis 15.
Darwini theoria refellitur 573.
Debitum proximum et remotum contrahendi peccatum originale 757; personale et naturale 603. a.
Definitio concilii qua late pateat 404. a.
Definitive esse alicubi 445.
Dei exsistentia ratione cognoscibilis 417; qua via 428; et quidem facile 421; probatur 424; cognitio non immediata vel innata 422; Deus est incomprehensibilis 426; invisibilis 1259 a.; ineffabilis 429; infinitus 431; simplicissimus 433; actus purissimus 435; admitti potest in eo rationis distinctio 439; distinguitur se toto a creaturis 443; est immensus 445; specialiter aliquibus in locis praesens 447. a.; immutabilis 448; aeternus 452; est spiritus 454; omnipotens 455; omniscius 458; praescius futurorum liberorum ib. et conditionatorum 460; ma-

lum morale nequit velle 464; est liber 467; in creando 563; quo sensu creationis finis 561. v. *creatio;* vult omnium salutem 475; est unus 524; trinus 495; Deus (Filius) dici potest natus, passus 700.
Deuterocanonici libri 155. a.
Diabolus v. *daemones.*
Diaconatus 1174.
Diaconissae 1174. a.
Dilectionis ex toto corde praeceptum 1118. a. v. *amor.*
Discretio per gratiam 902.
Dispositio ad justificationem 908.
Distinctio realis et rationis 439; rationis in Deo admittenda 440.
Doctrina catholica 407.
Dogmatum stadium triplex 138; quid requiratur ad dogma 401.
Dotes beatorum 1268.

Ecclesiae nominis notio 172. a.; praestantia 170; 194; mira cum Christo analogia 171. a.; a Christo instituta 173; est societas 174; et quidem perfecta 196; perennitas 177; visibilitas 179; Christus in ea continuat missionem suam 185; relatio ad societatem politicam 187; 195; 197; est societas supernaturalis 188; corpus Christi ib.: mysticum 191: regitur Spiritu Christi 192; intima cum Christo unio 190: extra eam non est salus 193; 198: quid de iis sentiendum qui extra eam moriuntur 201. a.; quo sensu non est hujus mundi 195. a ; dicitur regnum coelorum 193. a.; Ecclesiae materia remota 206; anima et corpus Ecclesiae 205; quinam spectent ad Ecclesiam 210; ad ejus animam 208; non excluduntur ad Ecclesia peccatores 214; ejus causa formalis 219; ministerialis 220.
Ecclesia inaequalis 221; competit ei jus docendi 227; damnandi doctrinas dissonas 229; 408. a.; proscribendi libros 230; in docendo est infallibilis 231; in sancienda disciplina 244; in approbandis ordinibus religiosis et in canonizatione sanctorum 245; in factis et textibus dogmaticis 246; unica est 251; in se una 252; in fide 253; exigit primatum 291; est sancta 262; catholica 266; apostolica 273; ejus notae 276; nunquam absolute denegavit veniam recidivo 1111; neque habet jus 1112; potestas circa matrimonium 1217.
Ecclesia romana vera est Ecclesia 93; 279; 267. a.
Efficacia duplex gratiae 873; sacramentorum cf. *sacramenta.*
Episcopatus est sacramentum 1183; v. *episcopi.*
Episcopi distinguuntur a presbyteris 1176; divinae sunt institutionis 1177; presbyteris superiores 1176; et quidem jure divino 1178; eorum praerogativae 1179; spectant ad Ecclesiae constitutionem 1177; soli ordinare possunt 1180; sunt confirmationis ministri ordinarii 1023; sunt doctores authentici 411; jure proprio in concilio 234; si conspirant sunt infallibiles ib.; 237; ipsis non est concredita unitatis ecclesiasticae custodia 290.
Epistola ad Hebraeos canonica 159. a.
Esse purum 432.
Essentia Dei physica et metaphysica 438; idem cum exsistentia 436; essentia quid sit 438. a.
Eucharistiae varia nomina 1025. a.; sacramentum 1080; praestantia 1025; compendium mirabilium incarnationis 1027; miracula, quae eam comitantur 1042; comparatio cum aliis sacramentis 1026; rationes institutae eucharistiae 1042; non est figura corporis Christi 1046; quo sensu subinde figura signum dicatur ib.; 1049; vel panis vel memoriale 1039; dissensus patrum a protestantibus de eucharistia 1044; inde alia dogmata probant 1047; in ea realiter est corpus Christi 1030; v. *transubstantiatio;* accidentia quare maneant 1046; non repugnat 1066; ejus effectus non est remissio peccatorum 1073; sed gratiae conservatio et incrementum 1074; alii effectus 1075; est moraliter necessaria ad salutem 1076; non tamen sub utraque specie 1077; Christus in ea est adorandus 1079; qua reverentia recipienda 1043; modus de ea loquendi 1049; 1071; v. *missa.*
Evangeliorum genuinitas 32; authentia 33; incorruptio 35.
Excoecatio 871.
Excommunicati utrum sint extra Ecclesiam 212.
Extrema unctio 1165.

Facienti quod est in se Deus non denegat gratiam 862.
Facta dogmatica 246: Ecclesia in iis est infallibilis ib.; magica 668.
Fidelium consensus quanti momenti 128; analogia cum sensu naturae communi 790; quo sensu fideles sint divinitus edocti 224; sancti 215.
Fides continetur intellectus assensu 368; quali 380; ejus discrimen ab aliis mentis assensibus 370; ejus praestantia 367; objectum formale 369; materiale

401; continetur assensu libero 381; fidei certitudo 388; obligatio 379; et quidem evidens 91; ad credendum requiritur certitudo facti revelationis 373; qualis 374; ad fidem requiritur gratia 383; etiam ad initium fidei 834; fidei supernaturalis discrimen a naturali 386; fidei analysis 378.
Fides non adversatur rationi 389; nec rationis juribus 395; ejus postulata ib.; est secundum rationem 394; hanc juvat 394; simul esse potest cum scientia 371; ad fidem catholicam requiritur Ecclesiae propositio 401; fides divina et ecclesiastica ib. a.; fides explicita et implicita 137; 913. a.; fidei proximum 409. a.
Fidei unitas postulat authenticum magisterium 228; quid ad eam requiratur 254; 261; fidei examen ad rom. pontificem spectat 323; 324; 354.
Fides est necessaria ad justificationem 911; necessitate medii 912; sola fides non justificat 914; non est necessaria ad opus ethice bonum 850; infusa non amittitur quovis peccato 953; sed peccatis oppositis 954.
Filiatio adoptiva per gratiam 935.
Filioque merito additum symbolo 522.
Filius Dei naturalis 496; ab aeterno genitus 501; ejus praerogativae 498; primogenitus omnis creaturae 502; Deus 505; est aeternus ib.; Patri consubstantialis 506; ejusdem cum ipso operationis 508; principium Spiritus sancti 516; quo sensu ignoraverit diem judicii 511; obedierit Patri 553; quo actu a Patre genitus 539; cur non gignat ipse filium 544; Scriptura triplici modo de eo loquitur 510; cur dicatur Verbum 530. a.
Filius solus est incarnatus 682; cur assumpserit naturam humanam 686; ex femina 689; cf. *Christus, incarnatio.*
Finis multiplex 559; mundi 560; Dei in creando 561; naturae rationalis duplex 812.
Florentini conc. definitio de rom. pontifice 332; 347.
Formaliter inesse 431.
Fratres Christi 779.

Generatianismus rejicitur 578.
Generatio Filii 539; quomodo differat a spiratione 540; Verbi triplex 533.
Genus humanum ab Adamo propagatum 575; ejus aetas 577; conveniens fuit ut redimeretur prae angelis 653.
Gloriatio quo sensu prohibita 902. a.
Gratiae praestantia 813; multiplex acceptio 814; partitio in creatam et increatam 815; in naturalem et supernaturalem 816; gratiam Dei et Christi 819; internam et externam 820; in gratum facientem et gratis datam 819; actualem et habitualem 820; actualis partitiones 825; efficacem et sufficientem 826; proxime vel remote sufficientem 865.
Gratia distinguitur a concursu 822; consistit in illustratione et inspiratione 823; immediata 824; ipsius est praevenire et praeparare voluntatem 877; subjective et objective 882; gratiae in libertatem influxus 879. a.; subministrat virtutem 880; non necessitat 887; non est ex se efficax 892; quo tamen sensu gratia ex se efficax possit admitti 905; qua ratione Deus facit ut faciamus 898; trahat 899; non omnis gratia est invicta, sed reddere potest invictum 904; discrimen inter gratiam ante et post lapsum 906; exsistit gratia sufficiens 873.
Gratia est gratuita 858; necessaria est ad omnes actus salutares 830; ad fidem 383; ad ipsum fidei initium 834; partes gratiae in fidei genesi 874; gratia supernaturalis necessaria est 835; necessitate absoluta 838; non tamen gratia sanctificans 847; necessaria est gratia ad perseverandum 840; ad cavenda omnia peccata et vincendas tentationes 845; non tamen ad omne opus ethice bonum 855; omnibus hominibus datur gratia ad salutem 868; in ejus distributione inaequali latet mysterium 864; aliud est gratiam dare et aliud eam accipere etc. 872.
Gratia justificationis est habitualis 925; ejus praestantia 929; 930; 931. a. ss.; effectus formales 929; delet peccata ib.; facit gratos 930; justos 931; pulchros 932; Christo similes 933; filios Dei adoptivos 935; divinae naturae consortes 936; reddit opera bona meritoria 937; effectus secundarii 938; merito luci confertur 932. a.; differt a habitu caritatis 945; inaequalis in diversis et in eodem subjecto 947; est amissibilis 950; est bonum supernaturale 616; v. *justificatio.*
Gratia sacramentalis 983; reviviscit 982; v. *sacramentum.*
Gratuitas gratiae 858.
Gregorii nysseni opinio de unitate Dei 531.
Güntheri error de profectu cognitionis in Ecclesia 140; de notione fidei 370; personae 709; de anima forma corporis 589.

Habitus 939; variae divisiones ib.; infusus ib.; habitus in justificatione infunduntur 942: infusi peccato amittuntur 952; non tamen fides et spes 953.
Haeresis 261; 405; ut incurratur, non requiritur semper solemnis Ecclesiae definitio ib.
Haeretici qui 210; 261; 405; sunt extra Ecclesiam 210; de occultis quid tenendum 212; materiales ad Ecclesiae animam spectare possunt 211; haeretici ambiebant rom. pontificis communionem 324; a sede apostolica damnari solebant 326; 354.
Hebdomadae Danielis 46.
Hermesii error de mysteriis 393; de protoparentum statu 599; de peccato originali 635.
Hierarchia 1173.
Hieronymi dictum de epistola ad Hebraeos et Apocalypsi 159. a.
Hodie quid significet in Deo 499.
Homo revelationis est capax 8; ejus obligatio ad inquirendam veritatem 17; ejus praestantia 583; est immediate a Deo creatus 573. a.; constat anima et corpore 589; est ad imaginem Dei 596; ejus conditio primitiva 609; absque gratia ethice bene agere potest 855; homines specie non differunt 576; omnes ab Adamo descendunt 575.
Honorius Pont. 360.
Hypostasis quid 705; ejus discrimen a natura 706; eam subsistere in aliqua natura quid significet 705. a.; ejus nomen 704. a.

Jacobi vaticinium Gen. 49. 42.
Idea Dei innata quo sensu admitti possit 422.
Idiomatum communicatio 748.
Idolum quid 1297.
Ignis inferni verus 1236; quomodo cruciet spiritus 1239.
Ignorantia Dei invincibilis admitti nequit 421.
Illustratio mentis duplex 824.
Imago Dei in homine 596; imagines sanctorum colere licet 1299; quo cultu 1298. a.
Immensitatis divinae notio 445.
Immutabilitatis divinae notio 448; conciliatur cum creatione 450: cum libertate divina 469; cum incarnatione 681.
Impedimenta matrimonium dirimentia ab Ecclesia constitui possunt 1217; et quidem ab ea sola 1222.
Imperatores carent jure convocandi concilia oecumenica 339; iis praesidendi 341; ea confirmandi 342: quo sensu ea convocaverint 340; iis praesederint 341; ea confirmaverint 344: confirmant suo suffragio rom. pontificis primatum 325.
Impetratio 858.
Incarnationis convenientia 686; ex virgine 776: non fuit absolute necessaria 675: quo sensu necessaria 679; utrum futura fuisset si Adamus non peccasset 680; possibilitas illustratur 681; opus commune Trinitatis 682; v. *Christus*.
Index librorum prohibitorum 230.
Indifferentia religiosa quam exitialis 202.
Indulgentiarum notio 1153; jus Ecclesiae eas concedendi 1157; quis possit eas dare 1160; ex justa causa 1163; iis non remittuntur peccata 1161; sed poenae Deo debitae ib.; continentur absolutione et solutione 1162; earum utilitas 1164.
Induratio 871; induratio Pharaonis 489.
Infallibilitas Ecclesiae 231; ejus notio 249; subjectum 234; objectum 239; 408; rom. pontificis 291; 345.
Infantes sine baptismo pereunt 1248; quo sensu Deus hos velit salvos fieri 478: baptizari possunt 1014; et obligari ad servandas sponsiones in baptismo factas 1017; sine baptismo decedentium conditio 1249.
Infernus 1233; verus in eo ignis 1236: poenae inaequales 1240: aeternae 1242.
Infidelium opera quo sensu peccata 854.
Infiniti notio 431.
Inspirationis notio 146; non extenditur ad singulas voces 149; conciliari nequit cum errore 147; constare nequit traditione mere humana 152; sed solum divina 152: inspiratio Scripturae probatur 144.
Inspiratio voluntatis triplex 824.
Integritatis notio 809; ea praediti erant protoparentes 610; est indebita 620.
Intellectus catholicus 114; norma est interpretationis s. Scripturae 115.
Intentio in sacramentorum administratione requisita 1001; non sufficit externa ib. a.
Intercessio sanctorum 1284; non adversatur dogmati de Christo mediatore 1287.
Interpellatio Christi 807.
Intolerantia religiosa 202; quadruplici jure Ecclesia intolerans esse potest 203.
Invocatio sanctorum 1285.
S. Josephi dignitas 778.
Josephi Flavii de Christo testimonium 54.
Judaei exspectabant Messiam 36; tristis eorum conditio 66; quia Messiam i. e. J. Christum non receperunt 67.
Judex controversiarum 228; infallibilis esse debet 233; 297.

Judicium particulare 1226; mox executioni mandabitur 1227; quare hujus saepius fiat mentio 1232.
Justificare quid significet 931. a.
Justificationis notio 931. a.; prima et secunda ib.: ea peccata delentur 920; renovatur peccator 922; ea non consistit in imputatione justitiae Christi 923; justificationis causae 946; non gradatim perficitur 927; effectus formales 929. ss. v. *gratia justificationis;* infunduntur in ea virtutes 942; ad eam requiritur dispositio 908; ea duplex esse potest 918; non sufficit sola fides 914; dispositio ad eam est meritoria de congruo 918.
Justitiae notio et varia acceptio 931. a.; justitia generalis ib.
Justus quoque indiget gratia actuali 837; ad perseverandum 840; nequit vitare omnia peccata 842: omnibus datur gratia ad salutem necessaria 865; nemo scit certitudine infallibili suam justitiam 949; potest de condigno mereri 962; quid mereri possit 964; gratia excidere potest 950; justorum animae mox in coelum post mortem recipiuntur 1228; utrum justi V. T. fuerint filii Dei 935. a.

Laici baptizare possunt 1013.
Lazari resuscitatio figura sacramenti poenitentiae 1222.
Lectio s. Scripturae quo sensu interdicta 168.
Lex mosaica non sufficiebat ad salutem 908; naturalis servari nequit absque auxilio divino 845.
Libelli martyrum 1159.
Liber vitae 490.
Libertatis notio 874; essentia et sufficientia ib.; gradus varii 875: libertas Dei 467; 563; conciliatur cum ejus immutabilitate 469; et libertas Christi cum ejus impeccabilitate 722; libertas non fuit amissa per peccatum 642; sed attenuata 643; libertas gratiae 875; quo sensu augeri vel minui possit 876.
Libri protocanonici et deuterocanonici 155. a.
Lotio pedum quare non sit sacramentum 1007.
Lumen gloriae 1262.
Lutheri de reali praesentia in eucharistia confessio insignis 1029. a.; de b. Maria V. 754. a.

Magia 666; magiae crimen possibile 667; facta magica 668.
Magisterium Ecclesiae quam aptum ad propagandam doctrinam Christi 103; necessarium 223; a patribus assertum 108; infallibile 231; ejus subjectum 234; 411; objectum 239.
Magnetismi phaenomena 669; quam diversa a Christi miraculis 58.
Maria Dei Genitrix 751; momentum hujus professionis 750; summa Mariae dignitas 754; 784. a.; mater nostra 754. a.; utrum Scriptura de ea adeo sileat ib.; gratia plena 755; pars ejus in redemptione 765; 783; cum Eva comparatio 765; mediatrix salutatur ab antiquitate 785; mediatio ejus non obscurat Christum 787; excellit sanctorum mediationem 786.
Maria immaculate concepta 757; rationes congruentiae 758; consensus fidelium de hac veritate 759; idea patrum de ejus puritate 762; excepta a lege peccati originalis 767; quo sensu redempta 757. a.; quo sensu caro ejus caro peccati 769; mundata ib.; immunis a peccato actuali 772; virgo in partu 771; quo sensu aperta ejus vulva 776. a.; virgo post partum 777; assumptio in coelum 780; exemplar praesertim sexus feminei 784.
Martyrium supplet baptismum 1019. a.; quare non sit sacrificium 794.
Martyrum constantia motivum credibilitatis 82; differentia inter eos et milites vel sectarum martyres 83. a.
Matrimonii notio 1190; est sacramentum 1191; re non distinguitur a contractu inter christianos 1193; est contractus sui generis 1195; minister sunt contrahentes 1196; materia et forma 1197.
Matrimonium excludit polygamiam 1198; est indissolubile 1203; etiam ex institutione primitiva 1205; et jure naturae 1206; etiam in casu adulterii 1207; infidelium solvitur si una pars ad fidem convertitur etc. 1212; ratum solvitur per religionis professionem 1213; ex gravi causa per pontificis dispensationem 1214; quoad torum justis de causis fieri potest divortium 1215; Ecclesiae potestas statuendi impedimenta dirimentia 1217; ea fruitur jure proprio 1220; ei soli competit 1222; sicut et jus dispensandi in impedimentis 1223.
Mediatio Christi qualis 789; Mariae 787; sanctorum 1287.
Mediator quis 789.
Melchisedechi sacerdotium secundum ejus ordinem 809; 1090.
Membri Ecclesiae variae consideratio 217.
Meritum 858; 955; congruum et condignum 858; 961; hujus conditiones 956; requiritur status gratiae 958; status viae 959; acceptatio Dei 960; condi-

tiones ad meritum congruum 961; meriti objectum 964; reviviscunt 965.
Messias a judaeis exspectatus 36; a prophetis praedictus 38; jam advenit 43; est Christus Jesus ib.
Methodus disputandi cum protestantibus 112; tradendi doctrinam revelatam omnibus accommodata 104.
Millenariorum error 1279.
Ministerii ecclesiastici institutio divina 221; necessitas 223; perennitas 225; auctoritas 226.
Miraculi notio 19; possibilitas 21; sunt criteria revelationis 23; dignosci possunt 24; miraculorum Christi veritas historica 54; philosophica 55; relativa 57; discrimen a magnetismi phaenomenis 58; quare Christus ea subinde minoris fecerit 57. a.; miraculis probatur veritas revelationis christianae 86; eorum charisma durat in Ecclesia 265.
Missae sacrificium 1084; suadetur conjecturis 1085; probatur traditione 1085; divinis literis 1087; jam oblatum apostolorum tempore 1091; in quo consistat 1093; est sacrificium relativum 1094; participatio spectat ad integritatem 1095; minister primarius Christus 1096; secundarius solus sacerdos 1097; est propitiatorium 1099; alii fructus 1100; missa privata 1098. a.
Missio ordinaria et extraordinaria 285; utraque carent protestantes ib.; missionis in divinis notio 517.
Monophysitarum errores 714.
Mors Christi vera 61; verum sacrificium 791; ejus fructus 796; 798; pro omnibus oblata 803.
Motiva credibilitatis non sunt motiva fidei 377.
Moysis cosmogonia vindicatur 569.
Mundus creatus ex nihilo 553; quo sensu optimus 566; creatus in tempore 568; utrum creari potuerit ab aeterno ib. a.
Mysteriorum notio 3; exsistentia 4; 390; quamdiu hic vivimus semper erunt 392.

Naturae notio 601; 704; eam subsistere in alio quid significet 705. a.; natura a Verbo assumpta vera et integra 685; cur assumpta 686; quare in Christo non sit persona 712; seorsim non exsistit 711; ab ipso exsistentiae exordio 724; neque unquam seorsim exsistit 726; adoranda 745; natura singularis ab hypostasi re non differt 706; quomodo excidat a ratione hypostasis 713.
Natura humana creari potuit absque gratia 619; absque integritate 620; miseriis obnoxia 621; quomodo peccato Adami vulnerata 641; 643; status naturae purae est possibilis 622.
Naturalis significationes variae 602; nil naturale peccato amissum 615.
Necessitas medii et praecepti 912. a.
Nectarii factum 1137.
Nestorii errores 697.
Nihilum sui et subjecti 552; de axiomate ex nihilo nihil fit 557.
Nota quid 276; notae Ecclesiae secundum protestantes 277; verae 278; eae competunt soli Ecclesiae romanae 279.
Notiones in divinis 534.
Nuptiae ultra primas permissae 1202.

Obex sacramenti et gratiae 972.
Objectum formale et materiale 368.
Obsessio daemoniaca 661; locum habuit tempore Christi 664; et etiam postea 665.
Oeconomia V. Testamenti 990.
Omnipotentiae notio 455.
Omnipraesentia Dei 445.
Opera bona Deo adscribenda 901; quo sensu non requirantur ad justificationem 916. a.; opera infidelium quo sensu sint peccata 854. v. *actus, meritum.*
Operatio Christi quotuplex 720; theandrica ib.; operationis unitas in Deo 530.
Optimismus quo sensu rejiciendus 566.
Oratio pro defunctis 1253.
Ordo ritus est visibilis 1169; sacramentum 1170; ejus praestantia 1171. a.; materia 1185; ab haereticis collatus valet 1182; quot sint ordines 1184.

Paedobaptismus 1014.
Pantheismi falsitas 444; fontes ib.
Passionis Christi fructus 796; 798.
Pater quomodo gignat Filium 539.
Patres Ecclesiae qui 119; eorum auctoritas 107; 120; occidentalium consentientium 122; etiam subinde paucorum 124; notanda de eorum auctoritate 125; vel si dissentiant 126.
Patres antenicaeni vindicantur circa dogma de ss. Trinitate 532; graeci in materia de peccato originali 632; patrum dissensus a protestantibus de eucharistia 1044.
Pauli ad Hebraeos epistola 159. a.
Peccatores spectant ad Ecclesiam 214.
Peccatum a Deo intendi nequit 464; potest permitti 466; quo sensu infinitae malitiae 1244. a.; nullum est irremissibile 1107; in Spiritum s. quo sensu irremissibile 1108; omne remittebatur ab Ecclesia antiqua 1111; mortale gratia deletur 929; per baptismum vel clavium potestatem 1105; quo sensu

aliis quoque mediis remissio impetretur 1139; peccatum originale 626; ejus natura 636; propagatio 639; sequelae 641; peccato amittitur gratia 950; non reviviscit peccatum remissum 965. a.

Pelagianorum errores de statu originali protoparentum 599; de gratia 830. a.

Perfectiones simplices et mixtae 431.

Perichoresis in Christo 710.

Perseverantia finalis 840.

Personae notio 707; Boëthii definitio 708; personae divinae notio 546; tres in Deo personae 495; 523; adumbratae in V. T. ib.; consubstantiales 528; aequales 529; earum una operatio 530; nulla in eis compositio 535; quid eis commune, quid proprium 534.

Petrus a Christo ceteris apostolis praefertur 299; primatus ei promittitur 302; est Ecclesiae fundamentum ib.; 304; clavium potestas immediate ei tribuitur 306; pascendi potestas 311; primatis instar se gessit 312; pollet fide indefectibili 310; relatio ad reliquos apostolos 309; 315; evangelistarum de eo scribendi ratio 301; quomodo a Paulo reprehensus 314.

Philosophiae ad revelationem relatio 399.

Philosophorum insufficientia ad docendos homines 15.

Poena non omnis remittitur remissa culpa 1142; redimi potest bonis operibus 1143.

Poenitentiae sacramentum 1149; collatio cum baptismo ib.; materia 1151; necessitas ad remissionem peccatorum obtinendam 1127; quo sensu una concedebatur 1113. a.; v. *clavium* potestas, *contritio.*

Polygamia lege divina prohibita 1198; juri naturae contraria 1201; et institutioni originali 1200; permissa tamen in V. T. 1201. a.; successiva licita 1202.

Pontifices romanos potiri primatu suadetur adjunctis 293; eorum primatus adscribi nequit causis naturalibus 294; successores sunt Petri 317; undique fuerunt consulti 318; recursus ad eos 319; 320; vel haereticorum 324; appellationes 320; de episcopis judicant 322; eminent in haeresium damnatione 326; 354; eorum agendi ratio 327; sollicitudo de universa Ecclesia 328; approbabant episcoporum electiones 328; eorum testimonium in causa propria quare magni momenti 317. a.: cur aliqui mali divinitus permissi 295.

Pontifex romanus jure divino pollet primatu 331; plenitudine potestatis 337; vere episcopalis 332; universalis ib.; ordinariae 335; immediatae 336; supremae 338; est centrum unitatis 291; 334; judex supremus in Ecclesia 338; super concilium ib.; ab eo appellare non licet ib.; ipsius est concilia convocare, confirmare, eis praesidere 339; infallibilis est 345; utrum sit de fide hunc esse Ecclesiae primatem 403 a.; utrum haereticus esse possit 354. a.

Possessio daemoniaca 661; v. *obsessio.*

Potentia et actus 435; potentia absoluta et ordinata 457.

Potestas jurisdictionis et ordinis 1147. a.; potestas ligandi 1106; v. *clavium* potestas.

Praedestinati non spectant immediate et solum ad Ecclesiae animam 207; si non es praedestinatus, fac ut praedestineris axioma augustianum 486.

Praedestinationis notio 482; ad gloriam est post praevisa merita gratiae 484; est certa 490; mysterium in quo sit ib. a.; praedestinatio Christi 733.

Praedicatio ecclesiastica est norma credendi 108; interpretationis s. Scripturae 115.

Praemotio physica 893.

Praescientia Dei non adversatur libertati 459.

Praescriptionis argumentum 1003.

Praesentia realis corporis Christi in eucharistia a quibus negata 1030; efficitur verbis Christi 1058; qualis sit 1060; est permanens 1065; v. *eucharistia.*

Praeternaturale 604; plura dona Adami fuere praeternaturalia 617.

Presbyteratus est sacramentum 1175.

Presbyteri distinguuntur a diaconis 1175; et ab episcopis 1176.

Primatus multiplex 298; primatus jurisdictionis probatur fidei analogia 291; quid de eo tenendum 286; ejus jura 296; 332; quae non circumscribuntur verbis conc. florentini ib. a.; est perennis 316; centrum unitatis 291; 334; complectitur plenitudinem potestatis episcopalis 332; universalis ib.; ordinariae 335; immediatae 336; supremae 338; exigit infallibilitatem 297; ejus explicatio 330; quo jure annexus sedi romanae 331; v. *pontifex* romanus.

Principes laici non habent jus in Ecclesiam 288; carent jure statuendi impedimenta dirimentia matrimonium 1222.

Processiones divinae 345.

Profectus revelationis nullus in N. T. 136; qualis admitti possit quoad cognitionem religiosam 139.

Propositio Ecclesiae necessaria ad fidem catholicam 404; propositio particularis universali revelata contenta utrum sit de fide 403; haeretica, erronea etc. 409.

Proprietates personarum div. 534.

Protestantismi rapida propagatio nil probat 75.
Protestantium coetus non sunt vera Ecclesia 282; ipsi sunt rei schismatis 257; carent unitate aliisque notis verae Ecclesiae 282; missione 285.
Protoparentes immediate a Deo creati 573: non in statu infantili 613. a.; doctrina catholica de ipsis 600; et errores 599: gratia erant praediti 606; dono integritatis 610; scientia 613: morti non erant obnoxii 611; haec dona erant supra et praeter naturam 614; transiissent in posteros 625; peccarunt 624.
Providentia Dei 471; ei non adversatur mali permissio 472; vel malorum bonorumque inaequalis distributio 474.
Pueri quomodo ad fidem perveniant 375.
Purgatorii exsistentia 1252; poenae 1255; hoc dogma rationi consonum 1252.

Ratio praecedit fidem 372; cognoscere potest Dei exsistentiam 417; non est autonoma 11; neque fons parallelus revelationi 393; juvatur revelatione 9; 395; habitus ad revelationem 399; et circa hanc munera 397; ejus de eucharistia judicium 1066.
Redemptio in cruce consummata 806; cur morti Christi potissimum adscribatur 798. a.; quo sensu excedat ruinam 810.
Regulae loquendi de Trinitate 548; de Christo 749; de eucharistia 1049; 1050; 1071.
Relationes divinae 547; relatio actuum in Deum an necessaria 957. a.
Religionis christianae rapida per orbem propagatio 71; invicta constantia 76; fructus insignes 79; christiana nunquam abrogabitur 135; v. *revelatio*.
Reliquiae 1292; earum cultus licitus ib.
Remedium naturae 970; utrum conferret gratiam ex opere operato 991. a.
Remissionis peccatorum causa formalis 929.
Reparatio humani generis absque incarnatione possibilis 678.
Reprobatio positiva ante praevisa peccata rejicienda 479; etiam negativa 480.
Reservatio casuum 1148.
Revelationis Christi veritas historica 59; resurrectio carnis probatur 1270; ejus congruentia 1273; universalitas 1275; carnis identitas 1276.
Revelationis possibilitas 4; utilitas 9; necessitas 12; criteria 13; criterium non est positiva cum ratione convenientia 393; revelationis factum 29. ss.; non evidens 88; certum tamen 89; ipsa evidenter est credibilis 90; et credenda 91; ejus fontes 94; qua ratione propaganda 100; ab Ecclesia discenda 108; nulla alia exspectanda 135; aliter atque aliter continentur in ea veritates.
Revelationis factum certo cognosci debet, ut credere possimus 373; certitudine morali 374; continet mysteria 390; habitus ad rationem 399; non adversatur philosophiae 400; vel rationi 394; quid ea contentum dici possit 402; formaliter vel virtualiter revelatum ib.; quot modis aliquid cum ea connexum 408; quid de revelationibus privatis dicendum 401. a.
Reviviscentia meritorum 965; gratiae 982; peccatorum non admittenda 965. a.
Romani episcopi v. *pontifices* romani, *primatus*.

Sacerdos minister est potestatis clavium 1145; duplici modo remittere potest peccata 1149; vide *absolutio;* ipsius est offerre sacrificium missae 1097.
Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech 1090.
Sacramentalia 992.
Sacramenti significatio 968; notio 969; sacramentorum praestantia 966; conferunt gratiam vi ritus 973; ex opere operato 977; sunt operationes vicariae Christi 978; quibus inest pretium supernaturale 979; hinc causae morales gratiae ib.; quo sensu physicae 980; conferunt gratiam sanctificantem 981; utrum gratia sacramentalis reviviscat 982; imprimunt characterem 984.
Sacramenta N. et V. T. quomodo differant 990; utrum haec conferrent gratiam ex opere operato 991; sacramenta constant materia et forma 993; de distinctione inter sacramentum, rem sacramenti, et sacramentum et rem sacramenti ib. a.; eorum auctor 995; per institutionem immediatam 996; valor non pendet a probitate 997; vel fide ministri 1000; v. *intentio;* eorum numerus 1003.
Sacrificii notio et significatio 793; 1082; utrum quilibet instituere et offerre possit sacrificium 1083. a.; sacrificium crucis 791; actio sacrifica quae 794; fructus 795; 798; v. *missa*.
Salus nonnisi per Christum 909; non est salus extra Ecclesiam 198.
Sanctitas Ecclesiae 262; substantialis Christi 738.
Sanctorum communio 1283; intercessio 1284; invocatio 1285; non adversatur dignitati Christi Mediatoris 1287; sancti nostras necessitates cognoscunt 1288; cultus eorum licitus 1291.
Satisfactionis notio 795; conditiones re-

quisitae 1144; satisfactio Christi 796: abundans 797; fuit condigna secundum rigorem justitiae 801. a.; non excludit nostram 800; peccatores fideles tenentur satisfacere 1140; satisfactio non debet praecedere absolutionem 1141; satisfactiones nostrae aliis applicari possunt 1156; supereffluentes sanctorum spectant ad thesaurum Ecclesiae 1155.
Schisma crimen gravissimum 257.
Scholae auctoritas 127.
Scientiae divinae partitiones 462; medium 461; scientia media 460; scientia Christi 740.
Scripturae s. nomine quid significetur 143; ejus praestantia 141; auctor Deus 144; inspiratio 146; inerrantia 147; canon 153; obscuritas 166; lectio ab Ecclesia moderanda 168; habitus inter eam et Ecclesiam 166; non est controversiarum judex 105; neque medium propagandae doctrinae Christi 106; exponenda ad normam praedicationis ecclesiasticae 115; non complectitur totum revelationis depositum 132; quo tamen sensu sufficiens dici possit 134; doctrina de ipsa ex traditione est haurienda 130.
Sedes apostolica nunquam maculata 345; undique consulta 318; 353; sedes prima a nemine judicatur 338; v. *pontifex* romanus.
Sensus specificativus et reduplicativus 727. a.; objectivus et formalis 442.
Simplicitatis notio 433; simplicitas Dei 434.
Somnambulismi magnetici phaenomena suspecta 669. ss.
Species eucharisticae objectiva realitate gaudent 1062; subjecto carent 1062; quare maneant 1046; quomodo explicentur 1063; iis corruptis quid fiat 1057.
Spiratio Spiritus s. quare non sit generatio 543.
Spiritismi phaenomena differunt a miraculis 58; videntur facta magica 672.
Spiritus s. est Deus 512; a Patre Filioque distinguitur ib.; et procedit 516; ea relatione refertur ad Filium, qua hic ad Patrem 520; ejus praerogativae 514; quo actu spiretur 541; habitat in justis 934; ejus invocatio in liturgiis orientalibus non est forma consecrationis 1059. a.
Status notio 605; varii status ib.; status naturae purae est possibilis 622.
Subsistentia 704. a.
Substantia 705. a.
Supernaturalis notio 603; partitiones 604.
Suppositum 705. a.
Syllabus quid de eo tenendum 410. a.

Tentationum victoria exigit gratiam 846.
Testamentum V. abrogatum 65; quomodo differat a novo 990.
Textuum originalium s. Scripturae authentia 163. a.; textus dogmaticus 247; Ecclesia in eo dijudicando infallibilis 248.
Theologiae notio proleg. I; species II; dispositiones ad eandem V; partitio VI; objectum II; munus ib.; theologia scholastica III; fundamentalis seu generalis et specialis VI.
Thesaurus Ecclesiae 1154; ad eum spectant etiam satisfactiones supereffluentes sanctorum 1155.
Thomas vindicatur adversus Döllinger de infallibilitate rom. pontificis 355. a.; de immaculata conceptione 771; de praedestinatione 492.
Thomistarum sententia de gratia efficaci 893.
Timor inferni bonus 1125; timoris variae species 1124.
Tolerantia religiosa respuenda 202.
Totalitas ad amorem Dei perfectum requisita 1118. a.
Traditionis notio 96; propria 98; 114; variae species 97; ejus vis et auctoritas 113; canales 118; prior Scriptura tempore 130; ordine cognitionis ib.; plura continet quam Scriptura 132; quo sensu oralis 98.
Transubstantiatio 1052; analogiis illustratur 1056.
Trichotomia reprobatur 589; quo sensu possit admitti 595.
Trinitatis mysterium adumbratur in V. T. 523; probatur 495; excedit rationis captum 538; nulla in ea realis compositio 536.

Una natura Dei Verbi incarnata 702.
Unus de Trinitate crucifixus est 749. a.
Unio in Christo substantialis 701; secundum hypostasim 703; 710; inconfusa 714; perennis 725; a conceptionis exordio 724; illustratur unione animae et corporis 716; qualis sit 696.
Unitas Ecclesiae exigit medium, quo efficiatur 287; hoc non est s. Scriptura 105; 166; non sunt principes laici 288; neque ipse fidelium coetus 289; neque singuli episcopi ib.; neque horum coetus 290; sed unus supremus pastor 291: unitas fidei quid exigat 254; 256.

Vaticinium 20; genuini criterium 22; vaticinia messiana sunt genuina 37; praecipua 38; in Christo adimpleta 41; vaticinia Christi 62; vaticium jaco-

beum 42; Danielis 45; Aggaei 48; exceptiones contra vaticinia 50.
Verbum est aeternum 505; Patri consubstantiale 506: Deus 507; incarnatione non mutatum 681; unitum carni mediante anima 703. a.; Verbi illapsus in naturam assumptam 710: nunquam ab ea se separavit 725; hujus nominis vis 559. a.; v. *incarnatio, Filius Dei.*
Veritas revelata in ecclesia particulari obscurari potest 138; diverso modo continetur revelationis deposito 137; implicite et explicite revelata ib.; veritatum duplex ordo 393.
Vincentii lirinensis regula 138. a.
Virginitas christiana excellit virginitatem Vestalium 80. a.
Virtus quid 940; variae divisiones ib.; virtutes cardinales 940; theologicae 941; infunduntur in justificatione 942; earum ad gratiam relatio 945.
Visio beatifica est supernaturalis 1259.
Vita quadruplex 1225. a.
Voluntas Dei malum nequit velle 464; ejus partitiones 470; ea nunquam est victa ib.; salutifera est universalis 475; quoad infantes 448; duplex in Christo 718; voluntatis gratia praeparatae est gratiae consensire 483; eaque uti 884.
Vulgatae authentia 162; quo gradu 164.

A. M. D. G.

N. B. Satisfacturus desiderio quorundam, qui cum theologiae dogmaticae studio lectionem scriptorum ss. patrum jungere optant, eorundem opuscula a me hactenus edita, quae singulis disputationibus respondeant, designabo, ut dum his student, opuscula prae ceteris consulenda utiliterque legenda cognoscant.

Pro disp. I. de apologia religionis christianae consulantur:

S. Augustini l. de utilitate credendi opusc. t. VI. — S. Augustini l. de fide rerum quae non videntur t. VI. — S. Cypriani l. ad Demetrianum t. I. — Minucii Felicis Octavius, S. Joan. Chrysostomi demonstratio quod Christus sit Deus, Epistola ad Diognetum t. XV. — Tertulliani Apologeticum t. XIX. — S. Aurelii Prudentii Apotheosis, Sedulii carmen paschale t. XXXIII.

Pro disp. II. de divinae revelationis fontibus:

Vicentii lirin. commonitorium, Tertulliani l. de praescriptionis t. IX.

Pro disp. III. de Ecclesia (et de romano pontifice):

S. Cypriani l. de unitate Ecclesiae t. I. — S. Augustini opuscula selecta de Ecclesia t. XXVII. — Romanorum pontificum epistolae t. XVII. XVIII. XXV. XXVI.

Pro disp. V. de Deo uno et trino:

S. Anselmi monologium t. XXVIII. — S. Joan. Chrysostomi or. 5 de incomprehensibili, S. Greg. Nazianzeni or. 5 theologicae t. XXIX. — S. Ambrosii ll. 5 de fide t. XXX. — S. Basilii l. de Spiritu s. t. XXXI. — S. Fulgentii l. de fide ad Petrum t. XVI. — S. Jo. Damasceni de fide orth. l. 4; t. XLI. — S. Augustini l. XV de Trinitate t. XLII.

Pro disp. VII. de incarnatione:

Cassiani ll. 7 de incarnatione t. XXXII. — S. Leonis M. sermones t. XIV. — S. Augustini de fide et symbolo, S. Thomae expositio in symb. t. VI; s. Aug. Enchiridion t. XVI. — S. Athanasii or. de incarnatione t. XLIV.

Pro Mariologia:

SS. Patrum opuscula de gloriosa Dei Genitrice t. XII. et XXXIV.

Pro disp. VIII. de gratia:

Auctoris anonymi ll. 2 de vocatione omnium gentium, Auctoris anonymi Epistola a Demetriadem t. III. — S. Prosperi carmen de ingratis t. XXIV. — S. Augustini et s. Prosperi de gratia opuscula selecta t. XXXV. et XXXVI.

Pro disp. IX. de sacramentis:

S. Cypriani l. de lapsis t. V; epistolae in causa lapsorum t. XXI; ep. 63. de sacramento dominici calicis, ib. Tertulliani l. de baptismo t. VII. l. de poenitentia tom. V. — S. Cyrilli hieros. catecheses 5 mystagogicae t. VII. — S. Ambrosii l. de mysteriis t. VII. et ll. 6 de sacramentis t. XXXVII. et ll. 2 de poenitentia t. V. — S. Paciani ep. 3 ad Sympronianum et paraenesis ad poenitentiam t. XXXVII. — S. Augustinus l. unicus de baptismo t. XXXVII. — Algeri de sacramentis corporis et sanguinis dominici ll. 3 t. XXIII. — Guitmundi et Gregorii bergom. l. de verit. corporis Christi, Flori lugd. exp. missae t. XXXVIII. et XXXIX.

Reliqua opuscula cursu studii theologici hoc ordine legi poterunt: Vitae s. Augustini (t. IX.) s. Ambrosii (t. VII.) et s. Cypriani (t. I.). — Acta ss. martyrum t. XIII. — S. Hieronymi epistolae selectae t. XI; s. Cypriani epistolae selectae t. XXI. — S. Cypriani, Tertulliani et s. Thomae expositio orationis dominicae (t. II.). S. Augustini l. de doctrina christiana t. X. — S. Cypriani et Tertulliani opuscula ascetica t. IV. — S. Victoris vitensis historia persecutionis vandalicae, Lactantii l. de mortibus persecutorum t. XXII. S. Optati milev. ll. 7 de schismate donatistarum t. X. — S. Gregorii M. l. regulae pastoralis t. XX. — S. Gregorii naz. or. apolog. de fuga sua et s. Joan. Chrysostomi de sacerdotio ll. 6 t. XL. — S. Fulgentii epistolae t. XLV. et XLVI. — S. Augustini t. 124 in Joan. t. I. et II. seriei sec.